# DOCTORIS ANT. FERNANDIJ CONIMBRICENSIS E SOCIETATE IESU & IN...

Antonio Fernandes, Jacques : de Fornazeris




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
36 P
8



VISIO SIMILITVDINIS GLORIÆ DOMINI. *Ezech. 1.*




DOCTORIS

# ANT. FERNANDII

CONIMBRICENSIS

E SOCIETATE IESV,

& in Eborensi Academia sacræ Scripturæ quondam Professoris

# COMMENTARII *IN VISIONES* *veteris Testamenti:*

Cum Paraphrasibus capitum, è quibus eruuntur.

EDITIO NOVISSIMA.

*Accedunt tres Indices; Primus Visionum; Secundus locorum sacræ Scripturæ; Tertius rerum, ac verborum.*

CVM PRIVILEGIO REGIS.

*LVGDVNI*

SVMPT. IACOBI CARDON ET PETRI CAVELLAT

*MDCXXII.*

*G. de fornazeris* *delineauit et sculp.* 12



ILLVSTR[mo] DOMINO D.

# FERNANDO MARTINIO MASCARENIO

EPISCOPO ALGARBIENSI,
ac ſupremo in regnis Luſitaniæ
Fidei Inquiſitori,

*D. ANTONIVS FERNANDIVS è Societate IESV, ſalutem & æternam felicitatem.*



VETVS eſt, & in ipſis ſacræ paginæ monumentis radicata ſententia (PRÆSVL AMPLISSIME) cuilibet homini, ſimul atque in lucem editur, deſtinari à Deo Angelum, qui viuentem ope ſua cuſtodiat contra ingruentium hoſtium, vel aperta, vel occulta iacula; maximè verò ea ipſa autoritate cuſtodiæ, illuſtri quoque autoritate præcellentem faciat, dignúmque, cui ab omnibus, vel ob id vnum honoris, ac reuerentiæ plurimum deferatur. Ego naſcenti libro (qui partus quidam humanæ mentis à Clemente Alexandrino dicitur) non minùs, ac homini opus eſſe cuſtode Angelo, vel ideo crediderim, quòd ſimili quaſi fato plurimis, vt in lucem hanc funditur, hoſtium patet incurſibus: inuidus dente petit: ſuperbus naſo ſuſpendit: doctus nauſeat: indoctus obſtrepit. at vbi primùm ſeſe opponit vir aliquis, & vitæ grauitate, & meritorum celſitudine cælo dignus, perinde eſt, ac ſi vnus è cæleſtium choris Angelus contrà ſtet, qui, vt habet ex merito vitæ, ſupereminentē in omnem prauitatem dominatum, peſtes illas ſolo vel aſpectu continet, ac veluti impacto opis ſuæ clypeo reſupinat in tartara. Clem.Alex. Strom. 1.

Equidem, cùm, luci daturus primogenitam hanc mentis meæ curam, perquirerem animo cuſtodem Angelum, optarémque eum eſſe, qui & beneuolentiæ inprimis ſtudio, & virtutum præſtantia,

& autoritate vitæ, & sapientiæ splendore, & generis claritudine præcellens, facilè posset omne malum auertere; nec perquirenti occurrit alius, nec optanti satisfecit, præter te vnum, ANTISTES ILLVSTRISSIME, in quo sciebam prærogatiuas illas omnes quasi de primatu contendere, & quamlibet quasi suo iure principalē, teipsum in qualibet constituere facilè Principem. Itaque virtus animi, cælo æquat; autoritas vitæ, solo non capitur; sapientiæ splendor, Soli facit æmulum; generis claritudo, soliis Regum dignatur; denique pectori tuo innata benignitas, & procliuis ad fouendum beneuolentia, Societatem nostram studio peculiari complectitur. Fítque adeò, vt, qui vnum in te desideraueram vindicem Angelum, videam planè præstare te, plures, è singulis Hierarchiis quasi petitos Angelos. Nam Virtutes, virtus ipsa animi exhibet; Thronos, autoritas vitæ; Dominationes, claritudo generis; Cherubinos sapientiæ splendor; Seraphinos, amor erga nos tuus. Iámque ipse magna cum voluptate in te vno suspicio, quod in Sulamite sua mirabatur Salomon, omnes illas omnipotentis Dei vires in choros ordinésue castrorum quasi dispositas ad debellandas quascumque bonis conatibus aduersarias potestates. Stat ergo inprimis virtus omnium sub se virtutum, quasi cælestium Amazonum nobile agmen agēs, ea quidem specie, quam nobis S. Chrysostomus præclarè depinxit in Heroe Christiano; vt ex singulis virtutibus capiens, quo singulis quadret, affinem omnibus exhibeat principatum. Quare ex humilitate (vt ait) aureum sortitur caput; ex gratitudine, capillos aureos gratiarum; ex verecundia, venustam faciem; ex modestia oculorum, sidereos orbes; ex sapientia, os; ex fortitudine, adamantinum pectus; ex misericordia, cor; ex pietate, ac recta fide, animam; ex charitate, spiritum; ex bonis operibus manus, & pedes. Ita conuenienter cataphracta virtus omnes virtutes in te ductans, quarundam tamen exhibet mira facinora, quæ mundus partim applaudendo celebrat, partim admirando stupet.

Cant. 6. 12.

Homil. 41. in Matth.

Prima ergo misericordia in te vno, verè dixerim triumphat: nam, vt omittam quæ grassante per agros Algarbienses pestilentia, in subsidia, tum spiritualia, tum corporalia, pauperum præclarè gessisti, illud sanè memorabile, quòd sub idem tempus, cùm in oppido, quod Villanoua dicitur, peior adhuc ipsa peste, fames, ingrauesceret, Præfectíque oppidani per simplices literas peterent, vt ex horreo tuo, quod apud illos erat, aliquid in communes eleemosynas erogares; per literas identidem, & vicem miseræ gentis doluisti, & solidum horreum tuum dedisti in manus, vt pro libito in egenos oppidi distribuerent. Longè ob id maior Ægypti saluatore Iosepho, qui etsi (vt Gregor. Nazianzenus ait) humani

manitate sua verè emit Ægyptum,tu veriùs hac misericordiæ significatione emisti oppidanos Villænouæ; videlicet ille emit libertatem, tu charitatem laborantium; ille subdidit corpora, tu voluntates; manserunt illi Pharaonis serui inuiti, & miseri, hi Pharoensis Antistitis serui voluntarij,& beati.

Venio nunc ad illud non dico factum,sed verè facinus misericordiæ tuæ:Pharũ,Episcopalem sedẽ(te ad Lacobrigã pro castris commorante)piratæ compilauerant,ac inter spolia vrbis,ædiúmque tuarum nobilem illam bibliothecam tuam, sapientiæ pulchrum thesaurum, tulerat (quod nec bene vertat) pessimus Archipirata. In communi ergo calamitate ciuium, tu quoque (vt exul olim Chrysostomus vna veste tectus ibat) ibas spoliatorum vnus; atque, vt in re trepida fit, communi, ac eo vnico vsus indumento, Loulæum cum paucis Sacerdotibus te receperas. Ecce tibi autem spoliatus quoque ex vrbis clade ciuis adest, vix primis indusiis tectus, supplexque petiit miseriæ suæ subsidium; doluisti ex intimis præcordiis ouis tuæ duram vicem. Et, elige (dixisti) ex meis his vestibus (quando aliud non est supra) quam malis. Cúmque ille thoracem interiorem prælegisset, ingressus cubiculum exuisti, clàm dedisti in manus; ac, si subuculam, inquis, postulasses, libenter dedissem. Non potuit latere præsentes Sacerdotes, tam nouum pietatis miraculum, tacitíque secum & stupebant, & lacrymabantur. Confine est illud, quod aliàs obstupuit vniuersa ciuitas: cùm enim in media platea eleemosynam peteret pauper,nec aliud ad manum suppeteret, manu tibi extractum ex humeris Pontificale palliolum vltrò demisisti in manus pauperis. Cur iam miretur antiquitas Martini catechumeni decisam gladio chlamydem,cuius medietate Ambiani pauperis nuditatem texit? En Martinus alter intimum, & integrum thoracem,extimum,& integrum palliolum exuit,pauperíque tribuit. Ille dimidiam chlamydem dederit, dimidia adhuc tantùm parte Christianus; iste,qui totus Christi Domini est, totum cum toto,& humerorum,& pectoris indumento, pectus, ac adeò cor, ad amandum; humeros, ac adeò vires ad sustentandum,accommodat. Quare si illius dimidia chlamyde indutus Christus, ad Angelos cum plausu dicebat:Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit;profectò cùm hic comitantibus Angelis Christo sistetur,agnoscet ad humeros Domini palliolum suum, atque ad pectus eius,quod cũ thorace venerat,appẽsum cor; audiétque magna cum voluptate dicentem:Martinus hoc me palliolo texit, hoc me monili decorauit. Nec de plurimis adhuc misericordiæ tuæ monumentis (Præsvl Illvstrissime) plura dicam.

Atenim de autoritate vitæ,quæ vna in te,vel maximè eminet, quæque sola Episcopum lucernam facit,super cãdelabrum, qua-

*D.Fern.in Vis.vet.Test.*

si super thronum positam, illud occurrit primùm, quòd sæpe, vt familiam tuam in officio contineas, id solum præcipis, vt meminerint Episcopum te esse. Quantum, Deus immortalis, donorum cælestium illis in vno nomine lumen ingeris? Non enim Episcopi nomen vanum iactas, sed iis planè refertum virtutibus, quibus Tit. 1. 7. Beatus Paulus autoritatem Episcopalem Tito commendat. *Oportet Episcopum sine crimine esse, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem.* Cùm ergo Episcopus per has virtutes vitam exhibeat (quemadmodum D. Ambrosius lib. de Sacerdotali dignitate ait) Deo compositã, per eas tu quoque vnus quasi Deus ades omnibus tuis, omnibus immines, omnes contines. Non ostendam autem prædictas virtutes illas Episcopales in te, quemadmodum Rhetores facere solent, per verborum fucatos colores, sed per facta ipsa tua, omni admiratione digna. Primùm de illo, quod Paulus primo loco adhibet, *Oportet Episcopum sine crimine esse*, dicam breuiter.

Nobilis vir, quem multis beneficiis deuinxeras, soluerat tamen ingratam linguam, ac in epistola ad amicum, omne criminum contra te venenum euomuerat; epistola cùm in manus venisset tuas, tantùm abfuit, vt perturbaret animum, vt ad te postea venientem pacatissimè exceperis, ac nouis beneficiis auxeris: præferebas manu, id temporis, autoris epistolã, ac dedita opera obiiciebas oculis inscriptionem ipsam; quam planè recognoscens, compulsus est corde, prouolutúsque in genua, exosculatus est epistolæ manum; quo & se criminosum, & te Episcopum sine crimine esse, vel nolens, confessus est.

Quomodo autem superbum te, aut iracundum, aut percussorem quis dicat, si humilitatis, patientiæ, benignitatis, in te non dixerim monimenta, sed planè miracula nouerit? Cùm Olyssipone ageres, obuiáque in angusto calle, hominis, è prima quidem nobilitate, sed erga te non bene animati, quadriga occurreret, qui te præibant famuli, retrogredi aurigam, & oppositos famulos, loco vt cedant, iubere; illi contrà, repugnare: minari tuos, contemnere alios, denique venitur ad gladios, iámque excitabatur terribilis pugnæ incendium, ni tu suauissimæ vocis imperio excitatum restingueres, dicens: Absistite illico, terga vertite, & in verbo vestigia torquens, per eandem viam regrederis, superbiam, iracundiam, rixam gloriosè pessundans. O miram animi moderationem! quam vel in Seruatore maximo iure suspicimus, qui Discipulis vltionem in horto parantibus dixit: *Sinite vsque huc*; & Petro gladium vibranti, *Conuerte*, inquit, *gladium tuum in locum suum*; locum gladij, non manum Episcopi, sed vaginam monuit, quia, etsi, ipsius nutu fortasse solùm, non manu euaginandus:

dus: vt rectè monet D.Bernard.scribens ad Eugenium Papam. 4. Lib. de consid.

Sed vrget me similis in dissimili re præclarus euentus. Exarsit apud Pharum aliquando ingens seditio: hinc tuorum famulorum, inde ciuium: pugnabatur vtrinque acriter, clamore, cæde, sanguine plena omnia: composuisti tandem furentium animos autoritate tua: euocatóque vno è famulis, notæ fortitudinis homine, qui Princeps seditionis fuerat, graui, & seuero vultu venientem excepisti, iratíque, & exulcerati personam assumens: Quid tu, inquis, familiæ meæ interturbator es? nostin' cuius famulus sis? nónne Episcopi, qui eius spiritus est, vt si quis eum percusserit in vnam faciem, alteram percutienti præbere debeat? O Præsulem verè Christo indutum! Non dissimiliter enim Dominus Iesus, Petri illa defensione offensus, & planè conuulsus, increpauit digladiantem Discipulum: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? An putas quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plus quàm duodecim legiones Angelorum? quomodo ergo implebuntur Scripturæ?* Perpendit Tertullianus, quomodo hæc quasi dolens dixerit Dominus: Patientia, inquit, Domini in Malcho vulnerata est, quasi diceret: non mirum, si doleat, ad cuius patientiam vulnerandam gladius Petri peruaserat. Expressisti, bone Pastor, diuini Pastoris formam, cùm sensum doloris in seruum rixantem exprompsisti: vulnerauerat enim in te patientiam, ac mansuetudinem Episcopalem. Non possum virtutes cæteras dicendo persequi, ne pro Dedicatoria, immensum Volumen euadat. Ioan. 18. Matth. 26. Lib. de patient.

Solam hospitalitatem, quæ vna in te præ omnibus extat, perstringam paucis. Ac illud primum sese offert eximium, quod nuper accidit. Nam, cùm tres è Mamorensi expeditione Hispanicæ triremes pelago iactatæ, morbísque, ac commeatus penuria laborantes Pharum essent appulsæ, in tempore adfuisti, veluti è machina Deus, corporum videlicet, ac animarum periculis, per conuenientia subsidia, piè simul, ac liberaliter opitulatus. Nam & cibis recreasti, & Sacramẽtis pauisti, & sepulturæ honore decorasti. Opus sanè, & Præsule, & Principe dignum! Eo primùm deuinxisti tibi ducum, militúmque animos, & Regiam ipsam maiestatem excitasti, vt per epistolam tibi, quàm sibi fuerit gratum, magno verborum pondere significaret. Verumenimuero rapit animum, calamúmque, singulare hospitalitatis tuæ non dico monumentum, sed planè prodigium. Pharum delatus vir inprimis nobilis ad te diuerterat, quem apparatu, vt soles, splendido excipiendum curasti, mensæ tuæ magnificentissimè instructæ consortem fecisti, denique omnibus officiis prosecutus es, quæ vel ad honorem, vel ad voluptatem præstantissimi cuiusque hospitis pertinere posse videbantur. Et tamen illud certũ (ô rem mirabilem!) fuisse

apud te id temporis epistolam ab eodem homine conscriptam, qua nominis tui præclaram famam canino dente non rodebat solùm, sed dilacerabat. Quis non miretur animum hunc tuum ampliorem mundo? Amicos adhibuisse mensæ commune est; consanguineos, affines, propinquos, vsitatum; peregrinos oppressos, iactatos, sanctum, & pium; at inimicos fraudulentos, subdolos, Christianæ quidem perfectionis fuerit, sed nouum planè, atque rarum. Quare Tertullianus vnicum illud magnanimitatis exemplum in Christo Seruatore suspicit, quòd proditorem (inquit) suũ secum habuit, nec constanter denotauit: adde, quòd mensæ adhibuit, quòd in eandem paropsidem admisit, quòd sacratissimo cibo pauit. Dei profectò fuerit hæc amplitudo animi; at quòd illius viuã quandã speciem in Præsule homine inspiciamus, id vnũ est, quod illum supra homines, ac etiã supra Angelos meritò euehit.

Lib. de patient.

Transeo iam ad sapiẽtiæ tuæ præclaram lucem, quæ toto orbe solis instar splendet. habuit illa quidem primos ortus suos in Eborensi Academia, vbi post humaniorum literarum læta crepuscula, cœpit per Philosophiæ decursus scintillare ingenium tuum, ac demum in Theologia adulto splendore nitescere, mox felici ascensu, Conimbricensis vniuersitatis contendens verticem, feruẽtiùs inde splendere, ac veluti meridiem facere visum est; tum maximè cùm lux ipsa purior, radiis effusa candentibus omnem in te fugauit ignorantiæ vmbram, ac si nõ ritu scholarum, sanè meritò literarum Doctorem te, hoc est (vt definit August.) scientiæ splendoris fontem declarauit. Scaturiit illico fons iste lucis, ac pluribus ebulliit radiis, cùm Rectorem Academiæ Conimbricæ agens, in omnium scientiarum aulis ita scienter splendebas, ita sciebas splendidè, vt solus in singulis scientiis Sol videreris. Cur Mithridatem miratur Plinius, quòd vigintiduarum gentiũ linguis vnus loqueretur, & earum legatis absque interprete satisfaceret; cùm Præsul illustrissimus in omniũ scientiarũ genere ita versatus fuerit, vt earum priuatis idiomatis seu terminis, vt vocãt, in publicis disputationibus expeditè vsus, omnibus earundem Professoribus non modò faceret satis, sed summã quoque pareret admirationẽ?

D. Aug.

Lib. 7. c. 24.

Etenim ex hoc feruore luminis sol iste declinãs quasi ad alterum hemisphærium Pontificio iam splendore auctus cœpit nouo ortu collustrare Algarbiẽses. Itaque (quod de Augustino testatur Possidonius) non illum Pontificales curæ, nõ quotidiana negotia, non cõcursus populorum frequẽs, à culmine exaggeratę lucis ita deposuerunt, vt creditæ sibi gratiæ præuaricator fuerit. Claruit ea primùm per Cõmentarios egregios in primam secundæ D. Thomæ, quos impius Archipirata sustulit, ceu turbo nascentes rosas; claruit postea per illustrẽ controuersiam de efficacia Diuinæ gratiæ, in qua tenebræ dubitationum longè fugiunt, & nox sicut

dies

dies illuminatur. At verò nunc (quod felix nimirũ, faſtúmque ſit)
nobis rurſum oriris, ac ex Algarbiorũ quaſi antipodibus explicas
latiùs ſplendores tuos, maximus videlicet, qua regna Portugalliæ
patent, fidei Inquiſitor factus: vnde nobis ille iã decurrit, te aucto-
re dies, qui (vt olim prædixit Iſaias) lucem continet ſeptẽ dierum,
non quòd maior inde tibi lux, ſed quòd ( ſicut de Baſilio aſſumpto
teſtatus eſt Nazianzenus) maior inde tibi lucis operatio, ſubmini- Naziauz.
ſtrante nimirum noua, nõ lucem, ſed lucendi materiam, poteſtate.

Sequebatur vt de generis tui claritate dicerem, déque maiorum
tuorum præclarè geſtis, tum domi, tum militiæ panegyricũ texe-
rem, ſed de iis alij ante me plura, & ea quidem, quia vix tua, minus
alacritatis ad dicendum ingerunt, propria tua habemus, etiã mili-
tiæ patrata, quæ miro modo in te (vt Tertullianus loquitur) genti- Tertull.
litiã proprietatem, ac matricem familię repræſentãt. Habent enim
hoc præclara ingenia, & excellẽtes naturæ, vt occaſione pulſante,
prorumpãt illico in virtutes patrias. Vidit te Algarbienſis acies, tã
fortiter, támque peritè imperatorẽ agere, vt non tã ſub leni infula,
quàm ſub dura galea cõſenuiſſe videreris. Glorioſè tu quidẽ certè,
vt qui ſolitus eras formare mẽtes aduersùs hoſtes inuiſibiles, aduer
sùs viſibiles etiã roborares, quod de vno Ioſue perhonorificè canit
Sapiens. *Gloriã, inquit, adeptus eſt, in tollẽdo manus ſuas, & iactãdo cõ-* Eccleſ.46.3.
*tra ciuitates rõphaas; ſtare contra hoſtes, & prohibere gentem à peccatis.*
Cepit nẽpe Ioſue vrbẽ Hai ſola eleuatione manuum ad Deũ, cly-
peíque inſuper, ac rõphææ ſuæ coruſcatione. Non aliter profectò,
optimi Præſulis in te, optimíq; Ducis, pro tuis orãdo, & belligerã-
do, enituit virtus. Nõ explicabo rem ipsã vt euenit, vtpote multo-
rum decantatã eloquentia; hoc vnũ dico: Malo ſuo tũ Tartareas, tũ
Britãnicas phalãges expertas eſſe, quãtũ & manu, & ſpiritu poſſes.

Reſtat illud in te magnũ, totum omnino noſtrũ, nimirum tua er-
ga nos beneuolentia, & perenne ſtudium, quo noſtrum Ordinẽ fo-
ues, amplecteris, ornas. Deus bone! quãtus hoc loco ſeſe mihi aperit
ad dicendũ cãpus, quàm geſtit oratio mea excurrere, quàm perrũ-
pere obiectos carceres? continebo tamen illã, & habenis reuocabo
ad tẽperatiorẽ gyrũ, ne Annales rerum tuarũ facere videar. Mini-
mè quidem nouus iſte amor venit tibi, ô PRÆSVL ILLVSTRISSIME:
hæreditario nos affectu amas, & eo quidem altè ad immortalitatẽ
defixo: amor enim radices primas in bono agens, Diuinũ aliquid
induens (ait Nazianz. Gregorius) idem ſemper eſt, & nõ mutatur. Orat.27. Malach.3.6.
Scitum eſt, præſtãtiſſimum illum Heroem Petrum Maſcareniũ,
cùm legatum Luſitaniæ ageret apud Paulum tertium Põtificem
maximum, qui Societatem noſtrã in lucem tunc editã primus con-
firmauit, conſiderata Beatiſſimi Patris noſtri Ignatij, & primorum
Patrum ſanctitate, vehementer exarſiſſe in amorẽ inſtituti noſtri,
& imis præcordiis inſitũ in poſteros tuos, quaſi hæreditariũ tranſ-
fudiſſe. Itaque duo illa præclara ſemina ſanctitatis Simonem Ro-
dericum

dericum, & Franciſcum Xauerium, & in eis miro quodam modo incluſam Societatẽ noſtram ex præſcripto Sereniſſimi Regis Ioannis tertij, glorioſæ memoriæ, quem eò impulerat, in hoc regnum, ac in Indiam primus inuexit, & familias Maſcarenias quaſi in procliui poſuit, ad eam ſpeciali cultu, & deuotionis affectu proſequendam. Hac verò amoris procliuitate, veluti odore vnguentorum, cucurrimus feliciter non modò in totam Luſitaniam, ſed in Braſiliam, Indiam, Sinas, vltimóſque Iaponios.

Inter familias autem Maſcarenias tuam præcipuè, Antiſtes illuſtriſſime, de nobis benemeritam agnoſcimus: nã & te habemus beneuolentiſſimè nos complectentem, & fundatorem recẽtiſſimè Collegij Algarbienſis, & in poſterũ plura adhuc ſperamus amoris erga nos tui ſingularia monumenta. Habuimus in Oriente Hieronymum Maſcarenium fratrem tuum inſignem Societatis benefactorem, qui cùm ad Ormuſium, quam arcem cum imperio obtinebat, deceſſiſſet, domum noſtram Goanam hæredem ex aſſe relinquens, id effecit, vt templum, cuius vix prima fundamenta iacta, in eam pulchritudinem, ac maieſtatem ſit perductum, qua nõ dicam Orientalibus, ſed Europæis etiã ſacris quibuſlibet ædibus æmulum ſit. Habuimus intra Societatem duos alios fratres tuos Franciſcum egregium virtute adoleſcentem, quem nobis immatura mors præripuit: Petrum grauem pietate, & conſtantia virum, qui ſi eſſet ſuper, non dubium, quin Societatem noſtram egregiis virtutum ſuarum ſplendoribus illuſtrare debuiſſet: illuſtrauit nihilominus morte ſua, quam nouo martyrij genere pro iis iuuandis, qui peſte laborabant, vltrò obiit. Rectè enim Auguſtinus: Siquis, inquit, in ſeruanda iuſtitia, ſeu virtute inter tribulationes, & dolores perſeuerauerit vſque ad mortem, eam ſibi Dominus in martyrium computabit. Habemus denique Prouinciæ noſtræ duo adhuc luminaria, non maius, non minus, ſed duos planè magnos Soles fratres tuos: nam in quolibet manifeſtis argumentis reſidet illuminans Spiritus (vt de Gerardo ſuo affirmauit Bernardus) qui per illuſtres admodum animi dotes, quaſi per radios diem nobis, & mira iucunditate perennem, & mira efficit perennitate iucundum. Dixiſſem verò plura, ni me, & Sapientis vox, viuos laudare vetans, & eorum modeſtia retardaret.

Serm. 1. de Temp.


Per hæc autem, quæ hucuſque dixi, latè patet, quantus, & tuis, tuorum encomiis fulgeas, Antiſtes præclariſſime: vt certa propterea ſpes maneat, tua hac exuberante luce, in fronte libri noſtri eminente, & beneuolas mentes exhilarandas, & prauas, atque inuidas exurendas. Meum autem, quale quale officium hoc, opto gratum habeas, non mihi, qui nihil per me ſum, ſed Societati tuæ, per quam, & nonnihil iam, & tuus ſum.

D. Antonivs Fernandivs.

AD



# AD STVDIOSOS LECTORES.



*IVRE illos de mortalium genere bene mereri dicimus, qui ſparſas per externas gentes opes ad communem vtilitatem nauigando conuehunt; ſic noſtrates Luſitanos Europa celebrat, quòd ad illam locupletandam, ac planè implendam exportant ex Ophir aurum optimum, ex Ormuſio pulchra tapetia, ex ora Malauarica piper, ex inſula Ceilano cinnamomum, ex ora piſcaria margaritas, ex Bengala tenuia byſſina, ex Pegu pyropos, ex Cherſoneſo aurea, ac vicinis inſulis lapides bazares, nucem, & macem, ex Molucis cariophylum, ex Sinis vellera ſerica.*

*Nec iure omittam Caſtellanorum induſtria delatum quotannis ex nouo orbe immenſum argenti pondus, & auri, quod in monetas excuſſum toto orbe ſpargunt in magnam Regis Hiſpaniæ commendationem, qui ſolus inter cæteros Reges, omnibus gentibus dat cõmunes numos. Porro quòd in illas ipſas regiones pro acceptis mercibus tranſuehantur è noſtris quæ maximè auent, vinum, oleum, laneæ veſtes, & ſæpe ridicula aliqua, quæ illis in pretio ſunt, magnum quoque, & gratum toti Orienti ſubſidium eſt; itaque fit, vt per hæc commercia, quemadmodum ait D. Ambroſius, diſtantes copulentur populi, orbiſque terrarum totus vbique adſit, ad communes gentium neceſsitates aptè ſupplendas.* 1. Examer. 5.

*Hæc verò licèt iure optimo mirentur, ac celebrent nationes omnes, non tamen crediderim minùs eſſe bene meritos de Republica literaria, nec verò minùs celebrandos, qui diffuſas per antiqua librorum monumenta ſapientiæ diuitias diligenter exquirunt, exquiſitas in ſinus ſtudioſorum, manúſque congerunt. Cùm autem Scriptura ſacra mundi inſtar habeat, ſacratiſsimarum mercium vbique feraciſsimi; qui illas è variis locis erutas variè concinnat, atque aptat habendo, is iure videri debet vtiliſsimam omnium nauare operam, ac literatorum ſibi præcipuo nomine deuincere animos.*

*Diuinis quidem conſignatum eſt monumentis Salomonem, almæ ſapientiæ notum culmen, & Hiram Tyriorum Regem, humanarum artium laude celebrem, coniunctis olim viribus, tum Iudæorum, tum Tyriorum inſtruxiſſe claſſem, quæ per mare rubrum in Erithræum feliciter euadens, ex variis Orientis plagis varias opes colligeret, collectáſque in Iudæam trãſportarint; ſacrorum verò Interpretum vna mens eſt, per Salomonem, eiúſque ſeruos, ſumendos Apoſtolos, Diſcipulóſque Domini, qui ſanctam IESV Chriſti Seruatoris legem, tanquam aurũ puriſsimũ, luci dederũt: per Hiram, ac Tyrios, Heroas illos è gentilitate conuerſos, videlicet, Dionyſios, Ambroſios, Auguſtinos, ac plures, quos ſecula longa tulerunt, quorũ ſtudium* 3. Reg. 9.

*studium in id maximè incubuit, vt sacratissimæ scientiæ reconditos sinus perlustrarent, indéque variorum sensuum quasi opes cogerent ad illustrandam, locupletandámque Ecclesiam.*

*Quanquam autem grauissimorum Heroum prima hæc maiestas deterrere posteros, ac planè auertere potuisset ab incœpto opere peruestigandi sacras sensuum merces, tamen diuini Pauli voce erigi debent. Nam inter officia Ecclesiæ Scriptorum quoque esse statuit. Primùm enim Apostolos à Deo positos dixit, deinde Prophetas, postea Sapientes, mox Scribas, quorum est (ait D. Hieronymus) sacram legem docere, & interpretari. Quin & illud oportet præ oculis semper habere: maioribus quidem inuidendum non esse, nec interim de minoribus desperandum: quidquid excogitatum ingenio, quidquid elaboratum industria fuerit (vt præclarè monet Augustinus) Exeat, inquit, sub regula fidei.*

1. Corinth. 12.

In caput 23. Matth.

8. de Genes. ad liter. cap. 1.

*His ergo freti ausi quoque sumus in altum Scripturæ sacræ vela pandere, ac primùm non in vnam tantùm eius partem clauum intendere, prorámque dirigere, sed plures eius libros quasi insulas nauigando petere, & quæ in eis pretiosissima sunt, in hoc opus congerere, vt non vnius mercis, sed plurium varietate studiosorum vtilitati simul, & delectationi consuleremus. Est autem in pluribus Scripturæ locis, præcipua Visionum, tanquam sacratissimarum fœtura gemmarum, quæ magno semper in pretio habitæ ob reconditas mysteriorum opes, multorum semper ingeniorum penus locupletarunt. Et quanquam Scriptorum industria, dum aliis Scripturæ libris perlustrandis incumberet, has quoque coëgit, illustrauítque Visionum margaritas, id tamen per transennam, vt aiunt, tantummodo præstiterunt. Qui autem eas omnes in vnum opus congestas aptè concinnauerit, ac mundo dignè visendas exposuerit, huc vsque, quod sciam, extitit nemo.*

*Igitur è Geneseos celebri portu soluens, totum alij veteris Testamenti vastum Oceanum, ac intimos illos librorum sacrorum sinus penetrans, in quibus Visionum hæc præclara stemmata latent, magnis planè laboribus, sed magna quoque intermixta voluptate erui, eruta illustraui, illustrata in vestras manus,* LECTORES STVDIOSI, *libens do.*

*Cœperam id laboris aggredi in Eborensi Academia, cùm annus agebatur millesimus quingentesimus nonagesimusnonus, quod quidem magna cum alacritate, & applausu exceptum est ab auditoribus meis, nec solùm augebatur in dies præsentium studium, sed in absentes quoque persuadebat crebrescens fama: quo factum, vt pluribus in locis per graues literis, & autoritate viros, probatæ, ac laudatæ fuerint nostræ vigiliæ: imò & multorum cœpi excitari monitis, vt quod in scholarum recessibus agitabam, ad omnium studiosorum vtilitatem communi luci darem. Ego, qui nihil minùs curabam quàm priuatorum meorum studiorum celebritatem, à prædictis illis recessibus, imperfecto adhuc opere, Deo sic volente, prodij in remotissimos vsque Indos, tam non auidus lucis, & gloriæ, vt eam, verè dixerim, vltrò elegerim, mei ipsius adhuc viuentis*

verissi

*verißimam sepulturam. Ecce autem illuc etiam sequaci importunitate conuolat ille idem rumor peßimus, qui me tanquam Saül alter, è sepulchri mei claustris inuitum eduxit, cui potui eodem penè iure cum Samuele dicere :* Quare inquietasti me? *Ergo tum sociorum, tum externorũ precibus cogor iterum ( alieno planè in loco, ac tempore ) imperfectum opus ad incudem reuocare, malleóque, ac fornaci incumbere; quo factum, vt per aliquot annos, quibus in ea regione commoratus sum, magna præterito labori acceßio facta fuerit; vltimam verò manum post reditum in Lusitaniam in Olyßipone imposuerim; actúmque, vt per totos ferè quindecim annos operi perficiendo inuigilauerim. Quare non ausim, LECTORES HVMANISSIMI, de hoc opere plus apud vos iactare, quàm labores ipsos meos, & studium quoquo modo placendi vestris ingeniis. quod si minus assequar, dabitis veniam tenuitati nostræ; gratúmque, vt par est, habebitis conatum beneuoli erga vos pectoris : si tamen, vt spero, probaueritis operam nostram, audacem quoque facietis ad repetendam fornacem conflatoriam, ac alia deinceps donanda, si vita sit comes.* 1.Reg.28.15.

*Quod attinet ad scriptionis genus, prior illa nobis fuit cura, vt germanum literæ sensum venaremur, ac explicaremus aptè, sequuti primùm editionem vulgatam, mox adhibitis aliis, si qua ex parte viderentur discrepare; literalem verò sensum studuimus ex similibus Scripturæ locis, Patrúmque accommodatis sententiis illustrare. Posterior deinde cura non displicuit, vt allegorias, & tropologias, cùm res ipsa postulabat, insereremus, iisdem Scripturæ & Patrum luminibus concinnatas. Sed & illud placuit, vt ( quando capita Scripturæ, è quibus Visiones eruendæ erant, oportebat antè præfigere, nec illa per singula verba explicabamus ) non tamen nuda & inter densas literæ tenebras recondita, sed Paraphrasi aliqua enucleata proponeremus. In fronte cuiuslibet Visionis libuit quasdã ipsórum Videntium Præfationes præfigere, vt non solùm quid Abraham, quid Iacob, quid Moyses, & alij viderint, sed etiam quinam illi ipsi fuerint, antè videretur.*


*Denique, quod in lectione Scripturæ, ac Sanctorum Patrum diu obseruatum habemus, necessariò est admonendum, sæpe rerum sententias, quæ vulgò appellantur conceptus, inter densas verborũ syluas sparsim iacere, in quibus eruẽdis duplex cura esse debet: prior, vt superfluitas verborum detruncetur, ac multa transiliendo, hinc inde res ipsa purè presséque detersa exhibeatur. Ostendam id vno Irenæi loco lib.3. contra hæres. cap.22. vbi cùm multa disputet de magnanimitate Dei, peccante primo homine, quoniam in hoc ipso peccato disponebat homini benefacere, illustrat rem ipsam exemplo Ionæ dicens : Sustinuit à ceto absorberi Ionam, móxque plura congerit, quæ legentem detinent, tandem deductus in rem ipsam, claudit ita sententiam : Vt firmam faceret pœnitentiam Niniuitis, aliàs inimicis. integráque sententia ad purum educta sic habet: Sustinuit à ceto absorberi Ionam, vt firmã faceret pœnitentiam Niniuitis. Id ergo inter-* Irenæus.

*dum facimus in hoc opere circa dicta, quæ afferimus, vt colligamus vndequaque, quæ ad substantiam, vt vocant, pertinent, omissis aliis, quæ circunstant, ac non pertinent. Posterior cura illa est, vt sensu autoris retento, numerum, modúmve dicendi proposito nostro accommodatum sequamur. Patebit res exemplo D. Pauli, qui Act.* 17. 23. *citans titulum aræ illius celebris apud Athenienses, sic ad eos inter alia :* Præteriens, & vidés simulachra vestra, inueni aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo. *& tamen constat titulum non sic habuisse, sed in hunc modum (vt autor est D. Hieronymus ad* 1. *cap. epist. ad Tit.)* Diis Asiæ, & Europæ, & Africæ, Diis ignotis, & peregrinis. *Sic ergo ibi D. Hieronymus. Quia Paulus, inquit, non pluribus diis indigebat ignotis, sed vno tantum ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret illum suum esse Deum, quem etiam Athenienses in aræ titulo prænotassent, vt eum scientes colerent, quem ignorantes venerabantur, & nesciri non poterant. Hoc autem Paulus faciebat rarò, vt loci opportunitas exigebat, more apum, quæ è diuersis floribus solent mella componere, & fauorum cellulas coaptare. Sic Hieronymus. Nos quoque non passim, sed vt fert occasio, non mutatis sensibus mutamus numeros, vtut nostro fauo congruit, contra criticos, qui hæc facientes infideliter, aiunt citare Patrum dicta.*

Act. 17. 23.

Hieron.

*Hæc habui quæ ad vos,* LECTORES OPTIMI, *de tota nostri instituti ratione præfarer; illud restat à vobis pro nostro labore exigamus, læto vultu, & beneuolo animo excipiatis, bonique imprimis consulatis, si vestram expectationem pro mea imbecillitate non sum assequutus, rerúmque humanarum id vitij reputetis, quo plerunque mortales (vt Poëta canit) mediis conatibus ægri deficiunt. Faxit Deus, ne in illo, quo ad immortalitatem tendimus, ægrè deficiamus.*



SVMMA



# SVMMA VISIONVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

## *Prima Visio facta Abraham.*

GENES. 15.



E transitu clibani fumantis, & lampadis ardentis inter animalia dissecta, & parata ad sacrificium, ac fœdus ineundum. col. 27. 28.

## *Secunda Visio facta Iacob.*

GENES. 28.

De scala in terram defixa, & pertingente vsque ad cælum, & de Deo in cacumine scalæ apparente, Angelísque ascendentibus, ac descendentibus. col. 47. 48.

## *Tertia Visio facta Ioseph.*

GENES. 37.

De manipulo Ioseph erecto, & de vndecim manipulis fratrum adorantibus eum. col. 101. 102.

## *Quarta Visio facta Ioseph.*

GENES. 37.

De sole, luna, ac vndecim stellis adorantibus dormientem Ioseph. col. 109.

## *Quinta Visio facta Principi pincernarum Pharaonis.*

GENES. 40.

De vite germinante, & vino ex vuis expresso in poculum Pharaonis à Principe pincernarum. col. 111. 112.

## *Sexta Visio facta Principi pistorum.*

GENES. 40.

De tribus canistris farinæ, & vno excelsiori portante cibos regios, & de auibus ad rapiendum conuolantibus. col. 122.

## *Septima Visio facta regi Pharaoni.*

GENES. 41.

De septem bobus pinguibus, ac septem aliis macilentis ad ripam fluminis Nili. col. 125. 126.

## *Octaua Visio facta eidem Pharaoni.*

EODEM CAP.

De septem spicis plenis ac formosis, déque aliis septem tenuibus ac deformibus. c. iisdē.

## *Nona Visio facta Moysi.*

EXOD. 3.



## *Decima Visio facta Moysi.*

EXOD. 33.



## *Vndecima Visio facta Gedeoni.*

IVDIC. 6.



## *Duodecima Visio facta Eliæ.*

3. REG. 19.



## *Decimatertia Visio facta Isaiæ.*

ISA. 6.



## *Decimaquarta Visio facta Ieremiæ.*

IEREM. 1.



## *Decimaquinta Visio facta Ieremiæ.*

EOD. CAP.



## *Decimasexta Visio facta Ieremiæ.*

IEREM. 24.



## *Decimaseptima Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 1.



## *Decimaoctaua Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 8.



## *Decimanona Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 9.



## *Vigesima Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 10.

## *Vigesimaprima Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 37.



## *Vigesimasecunda Visio facta eidem Ezechieli.*

EZECH. 40.



## *Vigesimatertia Visio facta eidem Ezechieli.*

EZECH. 45.



## *Vigesimaquarta Visio eidem Ezechieli facta.*

EZECH. 47.



## *Vigesimaquinta Visio facta Nabuchodonosor.*

DAN. 2.



## *Vigesimasexta Visio facta eidem Nabuchodonosor.*

DAN. 4.



## *Vigesimaseptima Visio facta Baltassari.*

DAN. 5.



## *Vigesimaoctaua Visio facta Danieli.*

DAN. 7.



## *Vigesimanona Visio facta Danieli.*

DAN. 8.



## *Trigesima Visio facta Danieli.*

DAN. 10.



## *Trigesimaprima Visio facta Amos.*

AMOS 7.



## *Trigesimasecunda Visio eidem Amos facta.*

EOD. CAP.

*Trigesimatertia Visio eidem Amos facta.*

EOD. CAP.



*Trigesimaquarta Visio eidem Amos facta.*

AMOS 8.



*Trigesimaquinta Visio facta Zachariæ.*

ZACHAR. 1.



*Trigesimasexta Visio Zachariæ facta.*

ZACHAR. 2.



*Trigesimaseptima Visio eidem Zachariæ facta.*

ZACHAR. 3.



*Trigesimaoctaua Visio eidem Zachariæ facta.*

ZACHAR. 4.



*Trigesimanona Visio eidem Zachariæ facta.*

ZACHAR. 5.



*Quadragesima Visio eidem Zachariæ facta.*

EOD. CAP.




*Quadragesimaprima Visio eidem Zachariæ facta.*

ZACHAR. 6.



*Plures hic numeramus visiones quàm quæ in titulis paginarum numerantur: quoniam hic singulas, illic in aliquibus sub vno titulo plures inclusimus, quòd ad idem omnino tenderent: id videre est in tertia, & vigesima septima visione.*



# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

## EX VETERI TESTAMENTO.

### Ex Genesio.



### Ex Exodo.

Cap.8.

### Ex 2.Regum.



### Ex 3.Regum.



### Ex 4. Regum.



### Ex 1. Paral.



### Ex 1. Esdræ.



### Ex lib. Tobiæ.



### Ex lib. Esther.



### Ex lib. Iob.



Cap.7.

Ex Psalmis.

15. *Holo*

dericum, & Franciſcum Xauerium, & in eis miro quodam modo incluſam Societatẽ noſtram ex præſcripto Sereniſſimi Regis Ioannis tertij,glorioſæ memoriæ, quem eò impulerat, in hoc regnum,ac in Indiam primus inuexit,& familias Maſcarenias quaſi in procliui poſuit,ad eam ſpeciali cultu, & deuotionis affectu proſequendam. Hac verò amoris procliuitate, veluti odore vnguentorum, cucurrimus feliciter non modò in totam Luſitaniam,ſed in Braſiliam,Indiam,Sinas,vltimóſque Iaponios.

Inter familias autem Maſcarenias tuam præcipuè, Antiſtes illuſtriſſime,de nobis benemeritam agnoſcimus: nã & te habemus beneuolentiſſimè nos complectentem,& fundatorem recẽtiſſimè Collegij Algarbienſis,& in poſterũ plura adhuc ſperamus amoris erga nos tui ſingularia monumenta Habuimus in Oriente Hieronymum Maſcarenium fratrem tuum inſignem Societatis benefactorem, qui cùm ad Ormuſium, quam arcem cum imperio obtinebat,deceſſiſſet, domum noſtram Goanam hæredem ex aſſe relinquens,id effecit, vt templum, cuius vix prima fundamenta iacta,in eam pulchritudinem,ac maieſtatem ſit perductum,qua nõ dicam Orientalibus, ſed Europæis etiã ſacris quibuſlibet ædibus æmulum ſit. Habuimus intra Societatem duos alios fratres tuos Franciſcum egregium virtute adoleſcentem, quem nobis immatura mors præripuit:Petrum grauem pietate,& conſtantia virum, qui ſi eſſet ſuper,non dubium, quin Societatem noſtram egregiis virtutum ſuarum ſplendoribus illuſtrare debuiſſet: illuſtrauit nihilominus morte ſua, quam nouo martyrij genere pro iis iuuandis,qui peſte laborabant,vltrò obiit. Rectè enim Auguſtinus: Si-quis,inquit,in ſeruanda iuſtitia,ſeu virtute inter tribulationes, & dolores perſeuerauerit vſque ad mortem, eam ſibi Dominus in martyrium computabit.Habemus denique Prouinciæ noſtræ duo adhuc luminaria, non maius, non minus, ſed duos planè magnos Soles fratres tuos: nam in quolibet manifeſtis argumentis reſidet illuminans Spiritus(vt de Gerardo ſuo affirmauit Bernardus)· qui per illuſtres admodum animi dotes,quaſi per radios diem nobis, & mira iucunditate perennem,& mira efficit perennitate iucundum. Dixiſſem verò plura,ni me,& Sapientis vox,viuos laudare vetans,& eorum modeſtia retardaret.


Serm. 1. de Temp.

Per hæc autem,quæ hucuſque dixi,latè patet,quantus, & tuis, tuorum encomiis fulgeas, Antiſtes præclariſſime: vt certa propterea ſpes maneat,tua hac exuberante luce, in fronte libri noſtri eminente,& beneuolas mentes exhilarandas,& prauas,atque inuidas exurendas. Meum autem, quale quale officium hoc, opto gratum habeas,non mihi,qui nihil per me ſum,ſed Societati tuæ, per quam,& nonnihil iam,& tuus ſum.

D. ANTONIVS FERNANDIVS.



# AD STVDIOSOS LECTORES.



*IVRE illos de mortalium genere bene mereri dicimus, qui sparsas per externas gentes opes ad communem vtilitatem nauigando conuehunt; sic nostrates Lusitanos Europa celebrat, quòd ad illam locupletandam, ac planè implendam exportant ex Ophir aurum optimum, ex Ormusio pulchra tapetia, ex ora Malauarica piper, ex insula Ceilano cinnamomum, ex ora piscaria margaritas, ex Bengala tenuia byßina, ex Pegu pyropos, ex Chersoneso aurea, ac vicinis insulis lapides bazares, nucem, & macem, ex Molucis cariophylum, ex Sinis vellera serica.*

*Nec iure omittam Castellanorum industria delatum quotannis ex nouo orbe immensum argenti pondus, & auri, quod in monetas excussum toto orbe spargunt in magnam Regis Hispaniæ commendationem, qui solus inter cæteros Reges, omnibus gentibus dat cõmunes numos. Porro quòd in illas ipsas regiones pro acceptis mercibus transuehantur è nostris quæ maximè auent, vinum, oleum, laneæ vestes, & sæpe ridicula aliqua, quæ illis in pretio sunt, magnum quoque, & gratum toti Orienti subsidium est; itaque fit, vt per hæc commercia, quemadmodum ait D. Ambrosius, distantes copulentur populi, orbísque terrarum totus vbique adsit, ad communes gentium neceßitates aptè supplendas.* 1. Examer. 5.

*Hæc verò licèt iure optimo mirentur, ac celebrent nationes omnes, non tamen crediderim minùs esse bene meritos de Republica literaria, nec verò minùs celebrandos, qui diffusas per antiqua librorum monumenta sapientiæ diuitias diligenter exquirunt, exquisitas in sinus studiosorum, manúsque congerunt. Cùm autem Scriptura sacra mundi instar habeat, sacratißimarum mercium vbique feracißimi; qui illas è variis locis erutas variè concinnat, atque aptat habendo, is iure videri debet vtilißimam omnium nauare operam, ac literatorum sibi præcipuo nomine deuincere animos.*

*Diuinis quidem consignatum est monumentis Salomonem, almæ sapientiæ notum culmen, & Hiram Tyriorum Regem, humanarum artium laude celebrem, coniunctis olim viribus, tum Iudæorum, tum Tyriorum instruxisse classem, quæ per mare rubrum in Erithræum feliciter euadens, ex variis Orientis plagis varias opes colligeret, collectásque in Iudæam trãsportarint; sacrorum verò Interpretum vna mens est, per Salomonem, eiúsque seruos, sumendos Apostolos, Discipulósque Domini, qui sanctam IESV Christi Seruatoris legem, tanquam aurũ purißimũ, luci dederũt: per Hiram, ac Tyrios, Heroas illos è gentilitate conuersos, videlicet, Dionysios, Ambrosios, Augustinos, ac plures, quos secula longa tulerunt, quorũ* 3. Reg. 9.

studium

studium in id maximè incubuit, vt sacratissimæ scientiæ reconditos sinus perlustrarent, indéque variorum sensuum quasi opes cogerent ad illustrandam, locupletandámque Ecclesiam.

Quanquam autem grauissimorum Heroum prima hæc maiestas deterrere posteros, ac planè auertere potuisset ab incœpto opere peruestigandi sacras sensuum merces, tamen diuini Pauli voce erigi debent. Nam inter officia Ecclesiæ Scriptorum quoque esse statuit. Primùm enim Apostolos à Deo positos dixit, deinde Prophetas, postea Sapientes, mox Scribas, quorum est (ait D. Hieronymus) sacram legem docere, & interpretari. Quin & illud oportet præ oculis semper habere: maioribus quidem inuidendum non esse, nec interim de minoribus desperandum: quidquid excogitatum ingenio, quidquid elaboratum industria fuerit (vt præclarè monet Augustinus) Exeat, inquit, sub regula fidei.

1. Corinth. 12.

In caput 23. Matth.

8. de Genes. ad liter. cap. 1.

His ergo freti ausi quoque sumus in altum Scripturæ sacræ vela pandere, ac primùm non in vnam tantùm eius partem clauum intendere, prorámque dirigere, sed plures eius libros quasi insulas nauigando petere, & quæ in eis pretiosissima sunt, in hoc opus congerere, vt non vnius mercis, sed plurium varietate studiosorum vtilitati simul, & delectationi consuleremus. Est autem in pluribus Scripturæ locis, præcipua Visionum, tanquam sacratissimarum fætura gemmarum, quæ magno semper in pretio habitæ ob reconditas mysteriorum opes, multorum semper ingeniorum penus locupletarunt. Et quanquam Scriptorum industria, dum aliis Scripturæ libris perlustrandis incumberet, has quoque coëgit, illustrauitque Visionum margaritas, id tamen per transennam, vt aiunt, tantummodo præstiterunt. Qui autem eas omnes in vnum opus congestas aptè concinnauerit, ac mundo dignè visendas exposuerit, huc vsque, quod sciam, extitit nemo.

Igitur è Geneseos celebri portu soluens, totum alij veteris Testamenti vastum Oceanum, ac intimos illos librorum sacrorum sinus penetrans, in quibus Visionum hæc præclara stemmata latent, magnis planè laboribus, sed magna quoque intermixta voluptate erui, eruta illustraui, illustrata in vestras manus, LECTORES STVDIOSI, libens do.

Cœperam id laboris aggredi in Eborensi Academia, cùm annus agebatur millesimus quingentesimus nonagesimusnonus, quod quidem magna cum alacritate, & applausu exceptum est ab auditoribus meis, nec solùm augebatur in dies præsentium studium, sed in absentes quoque peruadebat crebrescens fama: quo factum, vt pluribus in locis per graues literis, & autoritate viros, probatæ, ac laudatæ fuerint nostræ vigiliæ: imò & multorum cœpi excitari monitis, vt quod in scholarum recessibus agitabam, ad omnium studiosorum vtilitatem communi luci darem. Ego, qui nihil minùs curabam quàm priuatorum meorum studiorum celebritatem, à prædictis illis recessibus, imperfecto adhuc opere, Deo sic volente, prodij in remotissimos vsque Indos, tam non auidus lucis, & gloriæ, vt eam, verè dixerim, vltrò elegerim, mei ipsius adhuc viuentis

verissi

*verißimam ſepulturam. Ecce autem illuc etiam ſequaci importunitate conuolat ille idem rumor peßimus, qui me tanquam Saül alter, è ſepulchri mei clauſtris inuitum eduxit, cui potui eodem penè iure cum Samuele dicere :* Quare inquietaſti me? *Ergo tum ſociorum, tum externorũ precibus cogor iterum ( alieno planè in loco, ac tempore ) imperfectum opus ad incudem reuocare, malleóque, ac fornaci incumbere; quo factum, vt per aliquot annos, quibus in ea regione commoratus ſum, magna præterito labori acceßio facta fuerit; vltimam verò manum poſt reditum in Luſitaniam in Olyßipone impoſuerim; actúmque, vt per totos ferè quindecim annos operi perficiendo inuigilauerim. Quare non auſim, LECTORES HVMANISSIMI, de hoc opere plus apud vos iactare, quàm labores ipſos meos, & ſtudium quoquo modo placendi veſtris ingeniis. quod ſi minus aſſequar, dabitis veniam tenuitati noſtræ; gratúmque, vt par eſt, habebitis conatum beneuoli erga vos pectoris : ſi tamen, vt ſpero, probaueritis operam noſtram, audacem quoque facietis ad repetendam fornacem conflatoriam, ac alia deinceps donanda, ſi vita ſit comes.* 1.Reg.28.15.

*Quod attinet ad ſcriptionis genus, prior illa nobis fuit cura, vt germanum literæ ſenſum venaremur, ac explicaremus aptè, ſequuti primùm editionem vulgatam, mox adhibitis aliis, ſi qua ex parte viderentur diſcrepare; literalem verò ſenſum ſtuduimus ex ſimilibus Scripturæ locis, Patrúmque accommodatis ſententiis illuſtrare. Poſterior deinde cura non diſplicuit, vt allegorias, & tropologias, cùm res ipſa poſtulabat, insereremus, iiſdem Scripturæ & Patrum luminibus concinnatas. Sed & illud placuit, vt ( quando capita Scripturæ, è quibus Viſiones eruendæ erant, oportebat antè præfigere, nec illa per ſingula verba explicabamus ) non tamen nuda & inter denſas literæ tenebras recondita, ſed Paraphraſi aliqua enucleata proponeremus. In fronte cuiuſlibet Viſionis libuit quaſdã ipſorum Videntium Præfationes præfigere, vt non ſolùm quid Abraham, quid Iacob, quid Moyſes, & alij viderint, ſed etiam quinam illi ipſi fuerint, antè videretur.*

*Denique, quod in lectione Scripturæ, ac Sanctorum Patrum diu obſeruatum habemus, neceſſariò eſt admonendum, ſæpe rerum ſententias, quæ vulgò appellantur conceptus, inter denſas verborũ ſyluas ſparſim iacere, in quibus eruẽdis duplex cura eſſe debet: prior, vt ſuperfluitas verborum detruncetur, ac multa tranſiliendo, hinc inde res ipſa purè preſſéque deterſa exhibeatur. Oſtendam id vno Irenæi loco lib. 3. contra hæreſ. cap. 22.* Irenæus. *vbi cùm multa diſputet de magnanimitate Dei, peccante primo homine, quoniam in hoc ipſo peccato diſponebat homini benefacere, illuſtrat rem ipſam exemplo Ionæ dicens : Suſtinuit à ceto abſorberi Ionam, móxque plura congerit, quæ legentem detinent, tandem deductus in rem ipſam, claudit ita ſententiam : Vt firmam faceret pœnitentiam Niniuitis, aliàs inimicis. integráque ſententia ad purum educta ſic habet: Suſtinuit à ceto abſorberi Ionam, vt firmã faceret pœnitentiam Niniuitis. Id ergo inter-*

dum facimus in hoc opere circa dicta, quæ afferimus, vt colligamus vndequaque, quæ ad substantiam, vt vocant, pertinent, omißis aliis, quæ circunstant, ac non pertinent. Posterior cura illa est, vt sensu autoris retento, numerum, modúmve dicendi proposito nostro accommodatum sequamur. Patebit res exemplo D. Pauli, qui Act. 17. 23. citans titulum aræ illius celebris apud Athenienses, sic ad eos inter alia: Præteriens, & vidēs simulachra vestra, inueni aram, in qua scriptum erat, Ignoto Deo. & tamen constat titulum non sic habuisse, sed in hunc modum (vt autor est D. Hieronymus ad 1. cap. epist. ad Tit.) Diis Asiæ, & Europæ, & Africæ, Diis ignotis, & peregrinis. Sic ergo ibi D. Hieronymus. Quia Paulus, inquit, non pluribus diis indigebat ignotis, sed vno tantum ignoto Deo, singulari verbo vsus est, vt doceret illum suum esse Deum, quem etiam Athenienses in aræ titulo prænotassent, vt eum scientes colerent, quem ignorantes venerabantur, & nesciri non poterant. Hoc autem Paulus faciebat raro, vt loci opportunitas exigebat, more apum, quæ è diuersis floribus solent mella componere, & fauorum cellulas coaptare. Sic Hieronymus. Nos quoque non paßim, sed vt fert occasio, non mutatis sensibus mutamus numeros, vtvt nostro fauo congruit, contra criticos, qui hæc facientes infideliter, aiunt citare Patrum dicta.

Act. 17. 23.

Hieron.

Hæc habui quæ ad vos, LECTORES OPTIMI, de tota nostri instituti ratione præfarer, illud restat à vobis pro nostro labore exigamus, læto vultu, & beneuolo animo excipiatis, boníque imprimis consulatis, si vestram expectationem pro mea imbecillitate non sum assequutus, rerúmque humanarum id vitij reputetis, quo plerunque mortales (vt Poëta canit) mediis conatibus ægri deficiunt. Faxit Deus, ne in illo, quo ad immortalitatem tendimus, ægrè deficiamus.



SVMMA



# SVMMA VISIONVM, QVÆ IN HIS COMMENTARIIS EXPLICANTVR.

## *Prima Visio facta Abraham.*

GENES. 15.


E transitu clibani fumantis, & lampadis ardentis inter animalia dissecta, & parata ad sacrificium, ac fœdus ineundum. col. 27. 28.

## *Secunda Visio facta Iacob.*

GENES. 28.

De scala in terram defixa, & pertingente vsque ad cælum, & de Deo in cacumine scalæ apparente, Angelisque ascendentibus, ac descendentibus. col. 47. 48.

## *Tertia Visio facta Ioseph.*

GENES. 37.

De manipulo Ioseph erecto, & de vndecim manipulis fratrum adorantibus eum. col. 101. 102.

## *Quarta Visio facta Ioseph.*

GENES. 37.

De sole, luna, ac vndecim stellis adorantibus dormientem Ioseph. col. 109.

## *Quinta Visio facta Principi pincernarum Pharaonis.*

GENES. 40.

De vite germinante, & vino ex vuis expresso in poculum Pharaonis à Principe pincernarum. col. 111. 112.

## *Sexta Visio facta Principi pistorum.*

GENES. 40.

De tribus canistris farinæ, & vno excelsiori portante cibos regios, & de auibus ad rapiendum conuolantibus. col. 122.

## *Septima Visio facta regi Pharaoni.*

GENES. 41.

De septem bobus pinguibus, ac septem aliis macilentis ad ripam fluminis Nili. col. 125. 126.

## *Octaua Visio facta eidem Pharaoni.*

EODEM CAP.

De septem spicis plenis ac formosis, déque aliis septem tenuibus ac deformibus. c. iisdẽ.

*Vigesimaprima Visio facta Ezechieli.*

EZECH. 37.



*Vigesimasecunda Visio facta eidem Ezechieli.*

EZECH. 40.



*Vigesimatertia Visio facta eidem Ezechieli.*

EZECH. 45.



*Vigesimaquarta Visio eidem Ezechieli facta.*

EZECH. 47.



*Vigesimaquinta Visio facta Nabuchodonosor.*

DAN. 2.



*Vigesimasexta Visio facta eidem Nabuchodonosor.*

DAN. 4.



*Vigesimaseptima Visio facta Baltassari.*

DAN. 5.



*Vigesimaoctaua Visio facta Danieli.*

DAN. 7.



*Vigesimanona Visio facta Danieli.*

DAN. 8.



*Trigesima Visio facta Danieli.*

DAN. 10.



*Trigesimaprima Visio facta Amos.*


AMOS 7.



*Trigesimasecunda Visio eidem Amos facta.*

EOD. CAP.

*Plures hic numeramus visiones quàm quæ in titulis paginarum numerantur: quoniam hic singulas, illic in aliquibus sub vno titulo plures inclusimus, quòd ad idem omnino tenderent: id videre est in tertia, & vigesima septima visione.*



# INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

## EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Leuitico.



Ex Numeris.



Ex Deuteronomio.



Ex Iosue.



Ex libro Iudicum.



Ex 1.Regum.



Cap.8.

Cap.7.

Ex Psalmis.

15. Holo

20. *Hoc*

## Ex libro Prouerbiorum.



## Ex libro Eccleſiaſtæ.

Ex libro Canticorum.



Ex libro Sapientiæ.



Ex libro Ecclesiastici.



Ex Isaia.

Ex Ieremia.



Ex Threnis.



aquam

Ex

# EX NOVO TESTAMENTO.

Ex Marco.



Ex Luca.



Ex Ioanne.

Ex epistola ad Colossenses.



Ex epistola 1. ad Thessal.



Ex epistola 2.ad Thessal.



Ex 2. epistola ad Timotheum.



Ex epistola ad Titum.



Ex epistola ad Hebræos.



Ex epistola Iacobi.



Ex epistola 1. Petri.



Ex epistola 2. Petri.



Ex epistola 1. Ioannis.



Ex epistola Iudæ.



Ex Apocalypsi.



Cap.


*IVDI*



## *IVDICIVM CENSORIS, EX MANDATO supremi Senatus sanctæ Inquisitionis in regno Lusitaniæ.*

DE mandato supremi sanctæ Inquisitionis Senatus vidi hos Commentarios in Visiones veteris Testamenti, cum Paraphrasibus capitum, ex quibus eruuntur, à Doctore Antonio Fernandio Societatis Iesu, & in Eborensi Academia sacræ Scripturæ doctissimo Professore disertissimè compositos. In quibus nihil reperi aut fidei Catholicæ contrarium, aut Christianis moribus dissentaneum: imò multa insunt, quæ magnam pietatem redolent, quæque accuratum sermonem, & singularem eruditionem continent. Sanctorum Patrum, ac sacræ Scripturæ abstrusos sensus doctissimè illustrat, vnde sacris Prædicatoribus varia exhibetur supellex. Quare librum dignissimum iudico, qui ad vtilitatem publicam excudatur. Olyssipone XIX. Octob. M. DCXV.

Fr. Antonivs de Saldanha.




## *FACVLTAS SVPREMI CONSILII sanctæ Inquisitionis.*

IVxta iudicium Censoris imprimi possunt hi Commentarij in Visiones veteris Testamenti. Olyssipone XIX. Octob. M. DCXV.

Bertholamev da Fonseca. Ant. dias Cardoso.

Salvador de Mesqvita. Fr. Manoel Coelho.

## *FACVLTAS ORDINARII Diœceseos Conimbricensis.*

IVxta præpositam facultatem supremi Senatus sanctæ Inquisitionis, concedimus nostram, vt imprimantur hi Commentarij. Conimbricæ XXIX. Martij, M. DCXVI.

M. Nvnes Dabrev.

APPRO

## APPROBATIO EIVSDEM OPERIS *ex præscripto Regij Senatus Lusitaniæ.*

EX præscripto supremi Regij Senatus, recognoui hoc opus R.P. Antonij Fernandij Societatis Iesu, de Visionibus veteris Testamenti, in quo nihil reperi, quod bonis moribus obesset, aut spirituali, politicóve regimini contrairet. Imò deprehendi facilè, librum esse refertum singulari eruditione, in quo Scriptura sacra declaratur, tum proprietate eximia, tum excellenti congruitate ad sensum communem sanctorum Patrum in Ecclesia Catholica receptum. Quin & auctor grauissimas sententias ponderat, ac profundos Doctorum sensus subtiliter enucleat, perspicuóque ac miro loquendi stylo visendos proponit. Quare iudicio opus dignum, quod typis detur, in communem quidem, maximè verò Concionatorum, ac eruditorum hominum, vtilitatem. Olysippone in cœnobio sancti Vincentij, ordinis sancti Augustini, Congregationis sanctæ Crucis Conimbricensis, VI. Nou. M. DCXV.

DOM. VINCENTE DE SANTA MARIA.

---

IVXTA approbationem præhabitam, potestatem facimus imprimendi Commentarios in Visiones veteris Testamenti. Olysippone VII. Nouemb. M.DCXV.

MACHADO. PINTO. ALMVDA. PRETO.

---

## FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS *Societatis* IESV *in Lusitania.*

FRANCISCVS PEREIRA Prouincialis Societatis Iesu in Prouincia Lusitaniæ, potestate ad hoc mihi facta à R. admodum Patre nostro Mutio Vitillesco Præposito Generali Societatis Iesu, facultatem concedo, vt Commentarij in Visiones veteris Testamenti, à Patre Antonio Fernandio nostræ Societatis, sacræ Theologiæ Doctore, & sacrarum literarum in Eborensi olim Academia eiusdem Societatis Professore compositi, grauiúmque Patrum eiusdem Societatis iudicio approbati, typis mandentur. Eboræ II. Maij, M. DCXVI.

FRANCISCVS PEREIRA.

FACVL

## *FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS Societatis* IESV *in Prouincia Lugdunensi.*

EGO BARTHOLOMÆVS IACQVINOT Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi Præpositus Prouincialis, Opus quod inscribitur, *Doctoris Antonij Fernandij Conimbricensis è Societate IESV, & in Eborensi Academia sacræ Scripturæ quondam Professoris Commentarij in Visiones veteris Testamenti: cum Paraphrasibus capitum, è quibus eruuntur,* iuxta priuilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. & Ludouico XIII. nunc regnante 14. Februarij 1611. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab hominibus nostræ Societatis compositos, absque Superiorum eius permissione imprimant, permitto HORATIO CARDON Lugdunensi Bibliopolæ, vt ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possit. Datum Lugduni die XXVIII. Septembris, M. DCXVI.

BARTHOL. IACQVINOT.

## *APPROBATIO.*

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE, in sacra Theologia Magister, & Diuini verbi Prædicator, in sancti Pauli huiusce ciuitatis Canonicus, atque in hac Lugdunensi Diœcesi librorum Censor designatus: fidem facimus, nos librum qui inscribitur, *Doctoris Antonij Fernandij Conimbricensis è Societate IESV, & in Eborensi Academia sacræ Scripturæ quondam Professoris Commentarij in Visiones veteris Testamenti: cum Paraphrasibus capitum, è quibus eruuntur,* euoluisse, omniáque in illo iuxta orthodoxam Catholicæ Apostolicæ ac Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum sanam doctrinam summa cum eruditione exponi. Lugduni apud sanctum Paulum X. Aprilis, M. DCXVII.

IOANNES CLAVDIVS DEVILLE.

*R. D. D. de Meschatin la Faye huius libri imprimendi facultas.*

THOMAS DE MESCHATIN LA FAYE, Comes, Canonicus, ac Camerarius Ecclesiæ Lugdunensis, & Vicarius Generalis in Archiepiscopatu Lugdunensi, Opus quod inscribitur, *Doctoris Antonij Francisci Conimbricensis è Societate IESV, & in Eborensi Academia sacræ Scripturæ quondam Professoris Commentarij in Visiones veteris Testamenti: cum Paraphrasibus capitum, è quibus eruuntur,* vt in lucem edatur, facultatem concedo. Lugduni XI. Aprilis, M. DCXVII.

MESCHATIN LA FAYE.

SVMMA

## *SVMMA PRIVILEGII A CHRISTIAnissimo Galliarum Rege concessi.*




VDOVICI XIII. Galliæ, & Nauarræ Regis auctoritate sancitum est, atque patentibus literis cautum, ne quis in Regno suo, aliisve locis ditioni suæ subiectis, intra proximos annos decem, à die impressionis primæ inchoandos, ac numerandos excudat, vendat, excudendum, vendendúmque quouis modo, & ratione curet librum, qui inscribitur, *Doctoris Antonij Fernandij Conimbricensis è Societate IESV, & in Eborensi Academia sacræ Scripturæ quondam Professoris, Commentarij in Visiones veteris Testamenti: cùm Paraphrasibus capitum, è quibus eruuntur,* præter HORATIVM CARDON Bibliopolam Lugdunensem, aut illos, quibus ipsemet concesserit. Prohibitum insuper eadem auctoritate Regia omnibus suis subditis, eundem librum extra Regni sui limites imprimendum curare, vel quempiam, vbicunque fuerit, ad id agendum impellere, ac instigare, sine consensu dicti HORATII CARDON. Idque omne sub confiscatione librorum, aliisque pœnis originali Diplomate contra delinquentes expressis. Datum Turonibus die decimanona Aprilis, anno millesimo sexcentesimo decimosexto.

*De mandato Regis,*

Signatum

BERRVYER.

DOCTO



# DOCTORIS ANTONII FERNANDII E SOCIETATE IESV IN COMMENTARIOS VISIONVM,

## *PRÆLVDIA.*



PORTET in re non ludicra necessariò præludere, vt totius operis, & scopus, & ratio constet. Quoniam autem in eo, quod denuo molimur, multa permixta sunt, quæ lectorem aut impedire, aut detinere ingredientem possunt: necessarium duximus ea in primo quasi limine distinguere, vt in liquido maneat, quid solùm pertineat ad institutum nostrum. Est ergo primum quasi chaos, in quo hæc omnia promiscuè iacent: recognitio prophetica, Verbum, Visio, somnium, Ecstasis: de quibus per singula dicendum, vt suum quæque locum sortita, Visiones nostras integras syncerásque relinquant nobis. Inde porro nostrum opus distinctum, liberúmque, Spiritu sancto bene iuuáte, decurret, qui vt mundum distingueret super primigeniam illam aquarum congeriem in principio mundi ferebatur. De quo egregiè D. Ambros. lib. 1. Hexam. cap. 9. Meritò, inquit, præmissus est spiritus Dei, vbi diuina incipere habebat operatio.

*Distinctio prima rerũ à Spiritu sancto.* Genes. 1. 2. D. Ambros.

### PRÆLVDIVM I.

### *De cognitione Prophetica.*

*Quid prophetia?* Isidor.

1. PROPHETIA, si ipsam nominis etymologiam perscrutemur, idem est, ac prædictio eorũ, quæ procul sunt, iuxta Isidor. 7. Etym. cap. 8. à προφημι, quod est *prædico*. Et congruit Hebraico, נבא quod est venire facio, seu venturum prædico. Vnde נביא prædictor, Vatidicus, præfator, seu præfactor, quia verbo quasi venire facit, quæ procul sũt. Et נבואה prædictio, seu præfatio. Hæc autem notatio nominis solùm explicat, quod in ea est secundarium, nimirum pronunciationem prophetiæ, quę etsi prçcipuum quid est, ad vtilitatem & ædificationem, primum tamen & quasi fundamentum est ipsa cognitio prophetica. Vtrumque complexus est D. Paul. 1. Corinth. 12. 7. *Vnicuique data est manifestatio Spiritus ad vtilitatem.* Et Isai. 21. 10. *Quæ audiui à Domino exercituum Deo Israel, annunciaui vobis.*

*Quid primũ in prophetia, quid secũdarium?* 1. Cor. 12. 7. Isai. 21. 10.

*Vates alio nomine Videns.*

2. Quare alio modo Propheta in Scriptura dicitur Videns. Hebr. ראה propriè contemplator: & eodem ferè sono חזה præuisor, prospector, quia longè posita videt. Vnde Eccli. 49. 27. de Isaia. *Spiritu magno vidit vltima, & cõsolatus est lugentes in Siõ vsque in sempiternum: ostẽdit futura, & abscondita antequam euenirent.* Ioan. 8. 56. *Abraham pater vester exultauit, vt videret diẽ meũ. Vidit & gauisus est.* Quod Eucher. in quæstionibus in Ioannem explicat de reuelatione prophetica. Vsa est Scriptura nomine ipso Videntis, & Prophetæ, non semel, 1. Reg. 9. 9. *Olim in Israel sic loquebatur vnusquisque vadens cõsulere Deum: Venite, & eamus ad Videntem: qui enim Propheta dicitur hodie, vocabatur olim Videns.* Et 4. Reg. 17. 13. *Et testificatus est Dominus in Israel & in Iuda per manum omnium Prophetarum & Videntium.* 1. Paralip. 29. 29. *Gesta Dauid priora atque nouissima scripta sunt in libro Samuel Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis.*

Eccli. 49. 27. *Isaias magni Spiritus Videns.* Ioan. 8. 56. Eucher. *Abrahã vidit prophetiçè diem Christi.* 1. Reg. 9. 9. *Vsus Scripturæ appellandi Videntes.* 4. Reg. 17. 13. 1. Paralip. 29. 29.

*Obiicitur, de præteritis quoque & de præsentibus esse prophetiam.* Genes. 1. 1. D. Greg.

3. Contra prædictam tamen etymologiam esse videtur, quòd prophetia esse potest de præteritis, & de præsentibus. Genes. 1. 1. *In principio creauit Deus cælum, & terrã,* & cætera, quæ sex diebus creauit Deus, & Moyses omnino per diuinam reuelationem cognouit. De illo enim tempore (inquit Gregor. homil. 1. in Ezechiel.) dixit homo, quo non erat homo. Et Elizabeth Luc. 1. 42. *repleta Spiritu sancto exclamauit voce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui;* &, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Imò infra vers. 45. prophetat de præteritis, & de futuris. *Beata,* inquit, *quæ credidisti; quia perficientur in te, quæ dicta sunt à Domino.* Itaque vno Spiritu Elizabeth præterita, præsentia, & futura complexa est, vt rectè notauit idem Gregor. homil. prædicta in Ezechiel. & Beda Luc. 1. Ad hoc respõdet sanctus Doctor eadem homil. ad hunc modum: Sciendum, inquit, est, quòd in duobus temporibus prophetia etymologiam perdit, quia cùm ideo prophetia dicta sit, quòd futura prædicat, quãdo de præterito, vel præsenti loquitur, rationem sui nominis amittit. Itaque iuxta Gregorium, ratio prophetiæ strictè sumpta est ad futura dumtaxat, iuxta ea quæ de

Luc. 1. 42. *Elizabeth prophetat in omne tẽpus vno spiritu.* D. Greg. Beda. *Stricta prophetia solùm est de futuris.*

*Prophetia latè etiam de præsentibus & præteritis habetur.* illius etymologia diximus. Vtrùm vsus iam obtinuit, & recta ratio probat, etiam de præteritis, & præsentibus prophetiam esse: quoniam (vt notauit Maldonatus Luc. 1.) cùm res eiusmodi sunt, vt non nisi reuelante Deo cognosci possint, de illis haberi potest prophetia. Maldon. Luc. 1.

D.Thom. 4. Recte ergo iuxta prædicta docet D.Th. 2. 2. q.171. art. 1. Prophetiam etsi importet eleuationem intentionis ad percipiēdam diuinam loquutionem, quæ eleuatio fit per inspirationem, tamen primò & principaliter consistere in cognitione eorum quæ sunt procul, & remota à cognitione hominum, qualia sunt principaliter futura contingentia, quia sunt per se remota à cognitione omnium hominum. Vnde art. 3. docet cognitionem propheticam extendi etiam minùs principaliter ad præterita, & præsentia, quatenus procul sunt à cognitione hominum, licèt non omnium; idque non sine emolumento prophetiæ: nam (vt rectè ait ex D.Greg. loco citato) prophetiæ tempora inuicem sibi concinunt ad probationem, vt aliquando ex futuris præterita, aliquando verò ex præteritis probentur futura, vt exemplis ostendit. Imò per id excusat factum Nabuchodonosor, quod Ariolos cogebat, non solùm interpretationem somnij sui edicere, sed etiã ipsum somnium. Vt nimirum, ait, ex præterito colligeret, si quid in eorum responsionibus de futuro certum teneret.


*Prophetia primò & principaliter in iis quæ sūt procul à cognitione hominū consistit. Minùs principaliter de præteritis ac præsentibus. Prophetia tempora sibi concinūt ad probationē.*

*Definitio prophetiæ ex D.Thom.* 5. Itaque Prophetia in tota sua latitudine, iuxta D.Thom. vbi suprà, est certa cognitio per diuinam inspirationem, & reuelationem habita, & exhibita de rebus futuris, vel ignotis. Cùm dicitur cognitio, intelligitur iudicatiua. Nam, vt ait D.Th. 2. 2. q.173. art. 2. in corpore, licèt ad Prophetiam requiratur repræsentatio eorum quæ videntur; iudicium tamen de Visis est principalius, & quod complet rationem cognitionis propheticæ. Quod autem debeat esse certa, certum est: nam prophetiæ non potest subesse falsum, sicut nec diuinæ præscientiæ, vnde illa manat. Ideo enim dicit B.Hieronymus (vt refert D.Th. illa q.171. art.6.) Prophetiam esse signum diuinæ præscientiæ. Cùm dicitur haberi per diuinam inspirationem, & reuelationem, ostenditur necessariam esse inspirationem diuinam, qua eleuetur anima, & reuelationem, qua doceatur. ibid. q.171. art.1. ad 4. Exhibita cùm dicitur, indicat, prophetiam, cùm ad vtilitatem & ædificationem referatur, esse omnino exhibendam, seu verbis, seu rebus. Vnde illud D.Th. de Veritate quæst.12. art.2. omnia, quorum cognitio potest esse vtilis ad salutem, sunt materia prophetiæ, cætera extranea. Denique hæc ipsa debent esse futura, vel ignota saltem aliquibus ad complectenda omnia, quæ remota, & quouis modo procul sunt, qualia secundùm se futura contingentia, & mysteria aliqua altissima, vtpote Trinitatis, & Incarnationis. Item præterita, & præsentia, vti diximus.

D.Thom. *Prophetia cōpletur cognitione iudicatiua.* D.Hieron. D.Thom. *Diuina inspiratio eleuat animū, reuelatio docet.* D.Thom. *Materia prophetiæ.*

## PRÆLVDIVM II.


### *Diuisio cognitionis Propheticæ.*

D.Greg. 1.  Ac de re nemo distinctiùs loquutus est vno Greg. Magno lib.28. Moral. cap. 2. & seq. cuius doctrina in summam redacta sic habet: Prophetia multiformiter exprimitur, videlicet, aliquando verbis, aliquando rebus; aliquando simul verbis & rebus; aliquando item imaginibus: iisque, aut ante oculos corporis, aut ante ipsam mentis aciem propositis; denique hoc ipsum euenire potest, vel immissis in phantasiam imaginibus, vel in ipsam dumtaxat mentem.

2. Aliquando etiam (ait Greg.) humanis cordibus loquitur Deus per Angelos, idque euenit, vel per verba; per per res; vel per vtrumque simul: aliquando per imagines cordis oculis ostēsas; aliquando per spectra ante corporeos oculos ad tēpus ex aëre formata; aliquando cælestibus substantiis, aliquando terrestribus; aliquando vtrisque assumptis. Nonnunquam ita per Angelos humanis cordibus loquitur Deus, vt ipse quoque Angelus mentis obtutibus præsentetur. Hæc ferè ex D.Gregorio, quæ singula explicanda sunt.

## PRÆLVDIVM III.

### *Quid sit loqui Propheticè.*

1.  ERTVM est ex Scriptura loqui Deum ad Prophetas, & Prophetas rursum respondere Deo; facit autem hoc Deus, vel per se immediatè, vel per Angelos: passim enim in Scriptura ait Propheta: *Loquutus est Dominus ad me*: & sæpe idem de Angelis Zacharias non semel: *Dixit Angelus qui loquebatur in me.* Similiter aliàs. Vtrumque expressit Gregor.28. Moral. c.2. Loquutio, inquit, diuina duobus modis distinguitur: aut enim per semetipsum Dominus loquitur, aut per creaturam Angelicam eius ad nos verba formantur. Eiusmodi autem loquutiones non exteriùs, sed interiùs fiunt, vt ait D.Hier. in cap.1. Habac. & in Psalm. 84. ad illa verba: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, prope initium; vel certè autor eius operis. Sic ergo ait: Multi putant, quando loquitur Moyses, & dicit: *Hæc dicit Dominus.* & cùm dicitur: *Factum est verbum Domini ad Isaiam*, siue ad Ezechiel prophetam, quòd forinsecus sermo fiat, & per istas aures audiat Propheta. Non est ita. Nam & Dominus noster, quid loquitur ad Pharisæos? *qui habet aures audiendi audiat.* Et Isaias ait: *Dominus addidit mihi auriculam.* Viden' quid dicat: quoniam non habebam illam auriculā quæ in corde est, addidit mihi, vt Dei possim audire sermones: & nunc ergo Propheta quodcumque audit, audit in corde. Quando ergo clamamus in cordibus nostris: *Abba Pater*, clamor iste silentij est, & silentium hoc auditur à Domino. Ideo nunc dicit Propheta; *Audiam quid loquatur ad me Dominus Deus.* Et tale quid Habacuc Propheta: *Contemplabor vt videam quid dicatur mihi; & quid respondeam ad arguentem me.* Ita ibi.

*Deum loqui ad Prophetas, per se, per Angelos.* D.Greg. *Deus loquitur interiùs.* D.Hieron. Psal. 84. Luc 8. Isai. 1. *Auricula cordis.* Rom. 8. 15. *Clamor silentij quis.* Habac. 1.

2. Priuatim verò de eiusmodi loquutionibus, quæ inter Deum & Prophetas interueniūt, quæri potest quomodo fiant? Et quidem hac in re subtiliter philosophatur D. Gregor. loco citato. Cùm per semetipsum, ait, loquitur Deus, sola nobis vis internæ inspirationis aperitur, & de verbo eius sine verbis & syllabis cor docetur, quia virtus eius intima quadam subleuatione cognoscitur. Ita Gregor. Et apparet ex eius verbis, loquutionem Dei cōsistere in ea vi qua Deus per inspirationem sese aperit, & quid velit explicat menti. Aliter D.Bern. serm.45. in Cant. vbi & linguam Dei ad animam, &

D.Greg. *Loquitur Deus, cùm virtus eius intima quadam subleuatione se aperit. Vis, qua Deus se aperit menti, loquutio eius est.* D.Bern.

& animæ ad Deum sic exprimit. Verbum & anima habent linguas suas, quibus se alterutrum alloquantur, præsentésque indicent. Verbi lingua fauor dignationis eius; animæ verò, deuotionis feruor. Elinguis est anima atque infans, quæ hunc non habet, & non potest illi sermocinatio esse cum verbo; ergo cùm huiusmodi linguam suam verbum mouet volens ad animam loqui non potest anima non sentire. *Viuus est enim sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vsque ad diuisionem animæ*; & rursum cùm suam linguam anima mouet, verbum latere multò minùs potest, non solùm quia vbique præsens, sed quia nisi ipso stimulante, deuotionis lingua minimè ad loquendum mouetur. Verbo ergo dicere animæ, pulchra es, & appellare amicam, infundere est, vnde amet, & se præsumat amari.

*Verbi lingua, & animæ, quæ.* — Heb.4.12. — *Verbo stimulante animæ lingua ad loquendum mouetur.*

3. In quibus verbis illud notandum, loquente verbo non posse non sentire animam, quoniã ipsamet perceptio animæ est operatio Dei; & quatenus dirigitur ad eam illuminandam ac docendam, dicitur loquutio ad illam, & illius ad eam rursus cùm admirando gratias agit. Vnde rectè etiam dixit Bernard. loqui in verbo esse infundere. Et concludendo infrà, conformiter ait. Itaque loquutio verbi infusio doni, responsio animæ cum gratiarum actione admiratio. Itaque non est existimandum, animam dum loquitur ad eam Deus subsistere, & quasi quiescere ab omni actu, tum mentis, tum voluntatis. Vtile tamen ac ferè necessarium est, ab exterioribus vacare; quo pacto intelligendus Gregorius ad illa verba capitis quarti Iob: *Quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurri eius.* Venas, inquit, superni susurri auris cordis furtiuè suscipit, quia subtilitatem loquutionis intimæ afflata mens, & raptim, & occultè cognoscit: nisi enim se ab exterioribus desideriis abscondat, interna non penetrat, occultatur autem, vt audiat, & audit vt occultetur. quia & subtracta à visibilibus inuisibilia conspicit, & repleta inuisibilibus visibilia perfectè contemnit.

*Operatio Dei quatenus dirigitur ad illuminandam animam, est loquutio ad illã, & ipsius ad eum responsio, cùm admirando gratias agit. Anima loquente Deo non subsistit cessans ab omni actu.* — D.Greg. — *Vacare ab exterioribus vtile est animæ Deũ percipturæ.*

4. Illud etiam annotandum, cùm probabile sit Deum ipsum apparuisse interdum per se in veteri Testamento per assumptum ex aëre corpus, de quo dicemus ad Visionem sextam, probabile quoque fieri per voces corporeas in eodem aëre formatas, loquutum interdum ad Patriarchas illos, & Prophetas. fortè enim id sibi vult quod dicitur Exod. 33. 11. *Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* Et illud Domini Numer. 12. 7. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in Visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum: at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est: os enim ad os loquar ei.* haud dubiè enim voluit exprimere discrimen, quo loquebatur cum Moyse, & cum cæteris, nempe, vt appareret cum Moyse familiarissimè, os ad os. videlicet, assingendo sibi os, vt ori Moysis congrueret.

*Deus loquutus aliquãdo formatis corporis vocibus in aëre.* — Exod.33.11. — Num.12.7.

5. Ex dictis manifestè patet, quomodo Deus per se loquatur ad Prophetas, & quomodo rursum Prophetæ loquantur ad Deum. Sed aduertendum loquente Deo ad hominẽ, & eo respondente non esse duas actiones, sed eandem conceptionem, quæ vt à Deo proficiscitur, dicitur loquutio, vt recipitur in homine, est auditio; & hic modus loquendi Dei, est incommunicabilis, quoniam est illabi in mentem, quod soli Deo competit. Postquam verò anima prædicto modo audit Deum, respondet illi: idque facit, ordinando per voluntatem desideria, ac postulata sua ad ipsum Deum. Vnde illud Psalmi 10. 16. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Præparatio, iuxta Hebræum, est firma, seu contenta votorum directio ad Deum. Quod illico Dei auris percipit. Quidni verò, si ipsamet præparatio, & contentio à Deo est? Nunc videndum: quomodo per Angelos cum eisdem loquatur, iuxta doctrinam D. Gregorij sæpe citati. Interdum per Angelos loquitur Deus ad Prophetas, vel formatis eorum ministerio in aëre corporeis vocibus, vt cùm baptizato Domino sonuit vox de nube dicens: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui*; vel cùm ad corripiendum Balaam, in ore asinæ humana verba audita sunt: vtrumque enim Angelorum ministerio factum constat. Interdum etiam humanis cordibus per Angelos loquitur Deus, cùm per secretam eorum præsentiam virtutem suæ aspirationis infundit. Vnde Zacharias ait cap. 14. *Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me.* Ostendens (ait Gregor.) dum ad se quidem, sed in se loquitur Angelus, per corpoream speciem extra se non esse. Ita ferè D. Gregor. Hæc autem interna loquutio Angelorum fit in parte sensitiua per motum spirituum, seu humorum, in quibus deferuntur species, ex quarum commistione immutatur phantasia, & per eam intellectus ad ea percipienda, quæ Deus ipse vult per Angelos intimare Prophetæ.


*Eadẽ actio vt à Deo prouenit, loquutio Dei, vt in anima recipitur, auditio animæ. Modus hic loquendi incommunicabilis.* — *Quo modo anima respõdeat Deo.* — Psal. 10.16. — *Quomodo Deus loquatur per Angelos.* — Matth. 3. 17. — Zachar. 1. 14. — D.Greg. — *Quomodo fiat interna loquutio per Angelos.*

6. Ab his ergo Dei loquendi modis ad Prophetas suos, ortum habent apud eos loquutiones illæ frequentissimæ, *Hæc dicit Dominus: Verbum Domini*, &c. quibus vti solent ad conciliandam autoritatem dictis suis, vt homines alacriùs aures accommodent, quando sibi non Prophetæ, sed Dei verba proponuntur. Huc spectauit Paul. ad Galat. 1. 11. cùm dixit: *Notum vobis facio Euangelium, quod euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem; neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Qui dignatus est (ait Chrys.) omnem sibi cogitationem patefacere. Credebant autem auditores ita esse, ob præteritam conuersationem Pauli alienam à Christo, à qua mutatus, altissimorum mysteriorum subitò factus est prædicator, quod fieri non potuit, nisi per Dei reuelationem. Fiunt autem eiusmodi loquutiones propheticæ, vel in perfecta vigilia, etiam interdum cum ecstasi, vel in somniis; & proprio vocabulo dicuntur apud Latinos oracula, apud Græcos λαλητήριον, apud Hebræos דביר, vt Hieronymus ait in caput 2. epistolæ ad Ephes.

*Hæc dicit Dominus & similia vsurpant Vates, ad conciliãdam autoritatem.* — Ad Galat. 1. 11. — D.Chrys. — *Omnis cognitio patefacta Paulo. Credebant Paulo reuelatam prædicationem, ob præteritam conuersationem. Loquutiones propheticæ apud Latinos oracula.*

## PRÆLVD. IV.

### *De verbo Prophetico.*

1. X prædictis de loquutione prophetica colligi facilè potest, quid sit verbum propheticũ; nimirum terminus eiusdem locutionis iuxta doctrinam S.Thom. 1. p. q. 27. art. 1. vbi sic: Verbum importat aliquid procedens ab intellectu, vt constitutum per operationem eius. quia tamen edu-

*Prophetici verbũ, terminus loquutionis propheticæ.* — D.Thom.

citur foras per ora Prophetarum, placuit de illo breuiter agere, quoniam sæpe cum onere, visione, somnio, ecstasi, reperitur implicitum, fiet enim, vt de his quoque expeditiùs postmodum agere possimus. A

*Cum onere, visione, somnio, ecstasi mixtum.*

2. Quòd igitur illa omnia permista sæpe reperiantur, facilè quis deprehendat in libris propheticis; dicitur enim Isai. 1. 1. *Visio Isaiæ filij Amos, quam vidit super Iudam, & Hierusalem.* cùm tamen vsque ad caput sextum nulla ponatur Visio; sed tantùm variæ Prophetæ conciones ad populum; & specialiter capite ipso primo, quod à Visione incœpit verba solùm proponens, statim addit: *Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.* Sicut Abdiæ 1. 1. *Visio Abdiæ: Hæc dicit Dominus Deus ad Edom.* Ad hæc cap. 2. incipit Isaias: *Verbum quod vidit Isaias filius Amos super Iudam, & Hierusalem:* cùm tamen aptiùs dici posse videatur: *Verbum quod audiuit Isaias*, &c. Similiter Amos 1. dicitur: *Verba Amos, qui fuit in pastoribus Thecue, quæ vidit super Israel.* Deinde Nahum 1. eadem prophetia dicitur onus, & Visio: *Onus*, inquit, *Niniue, liber Visionis Nahum Elcesæi.* B

*Isai. 1. 1. Visio & verbū aliquando idem.* Abd. 1. 1. Amos 1. 1. *Eadem prophetia interdū onus & Visio.* Nahum 1.

3. Huius permistionis, & implicationis rationem reddere operosum est. D. Hier. lib. 5. in Isai. cap. 15. in principio, ita admonet: Onus semper tristia consequi, visionem, vel statim læta, vel in fine læta post tristia; quod etiam repetit in cap. 13. Ierem. prope finem, coniungens cum Visione verbum, quasi idem significans. Verùm (vt rectè ad 1. Oseæ animaduertit Ribera) noluit Hieronymus proprietatem vocabuli Visionis, aut verbi exprimere, sed docere quid aliquando fieri soleat; cùm prophetia verbum dicitur, aut Visio, & à minaci, tristique vaticinio diuiditur, quod onus appellatur à Prophetis. Quare vtroque loco oneris meminit Hieronymus, & quasi membra diuisionis opposita proponit, ac si diceret: Etsi Visio, vel verbum generalia nomina sint, & onus quoque comprehendant, tamen cùm eorum significatio contrahitur, ita vt ab onere distinguantur, lætam prophetiam significant, aut certè post comminationem læta promittentem. Nam sæpe verbum, aut Visio nihil lætum habent, sed omnia tristia, & tunc generaliter accipiuntur, & onus includunt, Ierem. 1. 14. 21. 35. Ioel. 1. Amos 1. Nahum 1. Hæc ex Ribera. Similiter notandum, D. Basilium super. Isaiam, quæsiuisse cap. eius 2. Cur in eo dixit: *Verbum quod vidit Isaias*, cùm primo capite dixisset: *Visio Isaiæ?* Et respondisse, prophetiam primi capitis, rectè dictam fuisse Visionem, quoniam de rebus præsentibus erat, vt de peccatis populi: eam verò, quæ in secundo capite continetur, à se dictam verbum, quoniam futura prænuntiabat. Rectè verò id quidem; si non de perpetua differentia agatur: ex capite enim primo constat Isaiam pro vtroque accipere vtrumque: sed Basilius nomina pro eodem poni solita aptè detorsit in rem suam.

*D. Hieron. Huius permistionis ratio non facilè redditur. Quid D. Hieronymus sentiat? ex Ribera.* Ribera. Ierem. 1. 14. Ioel. 1. Amos 1. Nahum 1. D. Basil. *Quid D. Basilius?*

4. Igitur propria, & stricta differentia verbi à Visione est illa, quam suprà tetigimus Præludio 3. quòd verbum est ex loquutione Prophetica, & propriè ac simpliciter respicit Deum, & Prophetam loquentem. Visio est prophetia exhibita per speciales imagines, vt inferiùs explicabitur. Nam licèt in loquutione etiam interueniant imagines, eæ tamen cùm ad loquutionem tantùm per se tendant, loquutiuæ, & quasi audibiles dici debent; iuxta vsum Scripturæ, quæ propterea vtitur ad hoc verbo audiendi, & aurium tantùm, vt ex supradictis patet. Aptè autem ad rem præsentem D. Thom. 1. d. 27. q. 2. art. 2. vbi sic: Verbum importat relationem originis à dicente, vt propriè tantùm sit verbum loquentis. Et Procopius in 2. caput Isaiæ, Verbum ibi positum dixit, quia Propheta concionabatur ad populum. Et Caiet. ad eundem locum, Verbum sumi pro re expressa verbo. Vbi ergo sola Verba Dei siue Oracula, aut solæ conciones Prophetarum ponuntur; nihil omnino est admistum Visionis propriè sumptæ, vt statim clariùs elucescit.

*Stricta ratio Verbi & Visionis.* D. Thom. Caietan.

---

## PRÆLVDIVM V.

### *Quid sit videre Propheticè.*

1. VISIONES propheticæ, vt suprà ostendimus ex D. Gregorio, aut fiunt per imagines externas, aut per internas: idque vel in solis mentibus diuino illapsu, vel primò in phantasiis, & inde secundariò in mentibus Prophetarum. Verbi causa. Visio illa rubi ardentis, & non combusti, quæ facta est Moysi, Exod. 3. & illa scripturæ in pariete facta Balthazari regi, Daniel. 5. per imagines exteriùs demonstratas contigerunt; at verò illa de quatuor animalibus, & throno Dei, Ezechiel. 1. & illa de quatuor bestiis ascendentibus è mari, Daniel. 7. & plures aliæ, per internas exhibitæ sunt imagines, vel dormientibus, vel vigilantibus raptis in ecstasim. Vnde illud Theophyl. Matth. 1. Prophetæ futura videbant, Spiritu sancto apparitiones in eorum mentibus faciente. C

*Modi quibus fiunt Visiones.* Exod. 3. Dan. 5. Ezech. 1. Daniel. 7. Theophyl. *In Prophetarum mentibus Spiritus sanctus apparitiones faciebat.*

2. Hæ autem imagines, quæ in Visionibus eiusmodi monstrantur, debent esse non qualescumque, aut quouis modo significatiuæ, quales diximus interuenire necessariò ad loquutiones propheticas, & solùm inseruiunt ad eas formandas, sicut in nobis species audibiles: sed nec est satis, simplices sint; aut personarum aut rerum demonstrationes: nisi eædem ex diuina ordinatione ac placito assumantur ad repræsentandas res alias, modo quasi hieroglyphico, vt apud Ægyptios figuræ rerum ad significationes assumebantur: modo itē ænigmatico, quo res aliud quidem sunt, & alind repræsentant. Quamobrem & hoc genus Visionum appellauit D. Aug. 15. de Trinit. grandius ænigma, videlicet exhibitum, non per quasuis imagines rerum ænigmaticas, sed per sacratiores, ac diuiniores ex beneplacito Dei. Præterea eiusmodi imagines in ipsa Scriptura necesse est exprimantur: nec enim dubitamus, quin Adamo in ecstasi signa rerum altissimarum monstrata fuerint; at Scriptura id non declarat. Omnes autem illæ, de quibus agemus in hoc opere, signa continent verè hieroglyphica, & ænigmata grandia ex diuino placito altissimarum rerum significatiua: quamobrem simplices quædam apparitiones Dei, aut Angelorum, vt illa qua tres viri apparuerunt Abrahamo ad ilicem Mambre, Genes. 18. & illa de viro, qui apparuit Iacob reuertenti è Mesopotamia, cum quo tota nocte luctatus est, Genes. 32. D E

*Imagines Visionum ordinatæ modo hieroglyphico ad repræsentandum.* *Imagines sunt ænigmaticæ.* D. August. *Visio, grandius ænigma.* *In Scriptura sint expressæ exhibeantur.* *Non agendū de simplicibus apparitionibus.*

Exod. 19. 2. Et illa, qua Deus apparuit Moysi in monte Sina daturus legem, Exod. 19. & 24. & similes aliæ, nullo modo pertinent ad præsens institutum, etiamsi exprimantur in eis præclara mysteria; id enim solum fit per simplices loquutiones ac oracula, quæ per se modò non curamus.

*Demonstrationes quædam rerum faciendarũ non tractantur.* 3. Ratio etiam grandioris ænigmatis necessariò excludit demonstrationes quasdam, quæ solùm fiunt ad ostendendum, quid pro re nata faciendum, aut significandum sit, quamuis alioqui sacri Interpretes sensus in eis erigant allegoricos. Quale est illud visum, quod populo ex iussu Dei demonstrauit Isaias, videlicet se ipsum nudum & discalceatum, in signum Ægypti, quæ cũ Æthiopia ab Assyriis nuda & spoliata magna cum ignominia ducenda erat in captiuitatem. Et
Ezech. 12. Ezechiel. cap. 12. Præcepit Deus, vt faceret vasa transmigrationis, & transmigraret per diem in cõspectu populi: in signum, quòd populus trans-
Ierem. 28. migrare debebat. Et Ierem. cap. 28. Catenam ligneam iussus est à Deo collo imponere, & per vrbem incedere, in signum, quòd populus catenatus, & vinctus abducendus erat à terra sua in Babylonem. Similiter cap. 18. ingressus est idem Vates iussu Domini in officinam figuli, vt videret, quomodo vas, quod figulus faciebat è luto super rotam, manu eius dissipabatur, & rursum reficiebatur: in signum, quòd ita Deus facere poterat in populo suo, quem etiam si priùs dissipatum in captiuitate, facilè poterat restituere in patriam suam. Præterea Ahias Silonites 3.
3. Reg. 11. Reg. 11. scidit coram Ieroboam iubente Domino pallium suum nouum in duodecim scissuras, & dedit Ieroboam decem, in signum, quòd regnaturus esset super decem tribus, & duę tantùm sequuturæ Roboam. Denique demonstratio illa arietis facta Abrahamo, vt eum sacrificaret pro filio, Genes. 22. quod multi signum accipiunt Christi crucifigendi, ac immolandi pro humano genere; & si quæ sunt alia similis generis, ab sphæra Visionum nostratum excluduntur.

*Paruæ Visiones non curantur.* 4. Rursum ob defectum grandioris ænigma-
Esther 10. tis paruæ quædam Visiones, seu Visiunculæ valde perspicuæ plus minus vna vel altera, dimittendæ sunt, qualis illa Mardochæi Esther 10. de fonte paruo, qui creuit in fluuium, & in lucem, solémque conuersus est; & de duobus draconibus; quam Mardochæus ipse totam enucleauit, nec quicquam explicandum reliquit. Nec verò ob id solum, sed etiam quia non est in Hebræo, & tantùm in Græco extat, vt testatur D. Hieron. ibidem, inexplicata dimittitur ab omnibus ferè
Isai. 21. Autoribus. Item illa Isai. 21. de Ascensore asini, & de Ascensore cameli, & de Leone clamante ab specula sua. Quo significatur ipse Propheta concionabundus ad Babylonios, contra quos, duo Reges, Cyrus & Darius, ille asino ob regni humilitatem, hic camelo ob fortitudinem imperij equitans, iam castra mouebant. Et ecce totum habes enodatum paucis verbis. Has & similes alias, si quæ sunt, consultò omisimus, quòd in eis non multum operæpretium collocaturi videbamur: & fastidium in lectore oportebat fu-
*Obscuritatē Scripturæ sequitur fames.* gere, quod necessariò sequitur importunum cõmentarium rei perspicuæ, sicut fames obscuritatem Scripturæ sequitur, vt rectè August. 2. de
D. August. doctrina Christiana, cap. 6. potiúsque optare decebat auditores famelicos, quàm fastidiosos: nam in istis languorem, & stuporem odimus; in illis alacritatem, & studium amamus. His igitur tam

A paucis ac tam leuibus Visionibus quasi detritis, parum imò nihil detrimenti subibit opus hoc nostrum: nam remanet nobis Visionum corpus integrum, ac expurgatum vndique, grandes materiæ, scilicet, ænigmata grandia.

5. Quæ proinde difficillima cognitu semper fuerunt, tum apud eos, quibus primùm proposita sunt, tum apud posteros interpretes. Ac primùm quod ad illos attinet, animaduertere oportet cum D. Aug. 12. de Genes. ad literam, cap. 9. D. August.
Visionem propheticam non esse talem ex simplici propositione aut repræsentatione imaginum, *Ratio completa Visionis est in ipsa eius penetratione.*
sed ex intellectu eiusdem. Itaque ratio completa Visionis est in ipsa eius penetratione, quam
B non semper assequitur is qui videt, sed quiuis alius dono Dei. Verba Augustini sunt. Quibus, inquit, signa per aliquas rerum corporalium similitudines repræsentabantur in spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nondum erat Propheta; magísque Propheta erat, qui interpretabatur, quod alius vidisset, quàm ipse, qui vidisset. Itaque magis Ioseph Propheta, qui intellexit, quid significarēt septem spicæ & septem boues, quàm Pharao, qui eas vidit in somnis. Illius enim spiritus informatus est, vt videret; huius mens illuminata, vt intelligeret: ac per hoc in illo erat lingua, in isto prophetia, quia in illo rerum imaginatio; in isto imaginationum interpretatio. Minùs ergo Propheta, *Quis sit minus Propheta, quis magis, quis maximè.*
C qui rerum quæ significãtur sola ipsa signa in spiritu per rerum corporalium imagines videt: & magis Propheta, qui solo earum intellectu præditus est: sed & maximè Propheta, qui vtroque præcellit, vt & videat in spiritu corporaliũ rerum significatiuas similitudines, & eas viuacitate mẽtis intelligat: sicut Danielis excellentia tentata & probata, qui Regi & somnium, quod viderat, dixit, & quid significaret, aperuit. Et ipsæ quippe imagines corporales in spiritu eius expressę sunt, & earum intellectus reuelatus in mente. Hæc
Aug. Quibus etiam consonat illa Danielis sen- Dan. 10.
tentia cap. 10. 1. *Intelligentia opus est in Visione.* quasi dicat: absque intelligentia Visionis non con-
D stat Visio, completa scilicet, & perfecta.


6. Quod verò attinet ad communes interpretes, illud planè certum, duplex studium requiri in qualibet Visione; vnum, vt ex historia Visionis elicias veram ideam rei, quæ narratur, qualẽ ipse Vates, qui scripsit in monte habuit, antequam scriberet: alterum, vt significationem eius ideæ, quoad fieri potest, assequaris, & vtrunque per se *Duplex studium necessarium interpreti Visionum.*
difficile est: nam quantum (Deus immortalis!) opus est laboris impendere ad formandã ideam, Visionis primæ Ezechielis (vt cæteras omittamus) de quatuor animalibus sub throno Dei? tot facies expedire in quolibet animali, tot alas faciebus respõdentes, tot sub alis manus, tot crura? quid rotarum opus implicatissimum? Vbi ro- *Ostenditur difficultas vtriusque studij.*
E ta in medio rotæ? Vbi facies rotarum? Vbi oculi? quid sedens in throno homo electrinus, quomodo ardeat, dimidium intus, dimidium foris? vt taceamus interim theatrum Visionis, nubem adglomeratam, turbinem conuoluentem, ignem reciprocantem. Quamquam autem hæc intra mentem architectari sit difficillimum, mysteriorum tamen latentium arcana assequi, ac explicare lõgè est difficilius. Hinc est illud ex Hebræorum adytis, de duabus legibus in sacra Scriptura, quarum vna erat de conditione rerum scripta, & vocabatur *Bereschith*, seu liber Geneseos: altera secre- *Duæ leges circa interpretationem Scripturæ apud Hebræos celebres.*

tò Moysi data de specie diuinitatis dicta *Mercabach*, quam throno Ezechielis contineri dicunt, & à solis sapientibus tractari permittitur. Cuius rei meminit D.Hieron.proœmio in Ezechiel. ob hanc difficultatem Visionum non solùm contédimus earum primum ideas mente complecti,ac mysteriorum sensus deinde exponere, sed oppidò desideramus, vt ante quamlibet Visionem paragogus archetypi, siue exceptio primi exemplaris, per excussas imagines exprimatur. Nouimus enim non frustra dictum Ezechieli ab Angelo cùm de Visione templi difficillima, quam ostentabat, loqueretur Ezechiel. 40. 4. *Vide oculis tuis,& auribus tuis audi,& pone cor tuũ ad omnia, quæ ego ostendam tibi*,&c. Videlicet sciebat Angelus non satis esse audire verba, nisi etiam oculis, & corde, tota scilicet & mentis, & corporis attentione perciperet ostensorũ figuras,quátitates, colores,ordines,gestus,habitus,proportiones.

D.Hieron. — Ezech.40. 4. — *Visiones requirunt totam mentis & corporis attentioné.*

## PRÆLVDIVM VI.

### *De Prophetica Visione.*

1.  IXIMVS de Visione, vt consistit in actu, sequitur similiter, vt de ipsa Visione,qua terminus est,siue vt obiectiuè sumitur,disseramus.In sacra enim Scriptura non semel ita vsurpatur, Ioel.2.28. *Iuuenes vestri Visiones videbunt.* Isai. 6. 9. *Videte Visionem, & nolite cognoscere.* Ierem.23. 16. *Visionem cordis sui loquuntur.* Ezechiel.1.1. *Aperti sunt cæli, & vidi Visiones.* Atque hæ loquendi formæ passim occurrunt, iisque præcipuè significatur, Prophetas non quouis modo ad Visiones diuinas ex priuilegio gratiæ vocari, sed earum simul intelligentiam apertè sortiri,vt perspiciuntur ea, quæ beneficio solis acies oculorum penetrat.Ex quo ( vt inquit Hier.in cap.1.Isai.) Montani deliramenta conticeant,qui in cordis amentia Prophetas putat ventura dixisse,nihil eorum, quæ dicebant, intelligentes; nam si illa non intelligebant,quomodo videre dicuntur,& Videntes vocantur? Ita Hier.

*Visio obiectiuè sumitur interdum in Scriptura.* Ioel.2.28. Isa.6.9. Ierem.23. 16. Ezech.1.1. — D.Hiero. *Montani error, quòd Prophetæ non intelligerent quæ dicebant.*

2. Quia verò inter omnes sensus certissimus est visus,idcirco omnis Prophetia,etiamsi solùm audita narret, nec aliquid vlteriùs obiectiuis imaginibus expresũ repræsentet, Visio dici solet in sacris literis ob solam certitudinem. Hinc est, quod Isaias incipit: *Visio Isaiæ,filij Amos,* cùm tamen id solum addat, quod à Deo prædicandum accepit: *Audite*, inquit, *quæ loquor, audiat terra verba oris mei,quoniam Dominus loquutus est.*Ita passim apud alios Prophetas. Huius rei causa communiter assignari solet certitudo ipsa prophetiæ: nam quæ oculis percipimus, certissima reputamus. Vnde Theophrastus apud Rhodiginum lib. 10. cap. 28. visum scitè appellauit formam sensuum: quia scilicet experimenta illorum imperfecta ipse solus quasi actuat,atque perficit.Et D.Aug. rem magis explicans Confes. lib.10. experientiam ait sensuũ, & eorum quasi fidei resolutionem in visu sitam esse, quare omnes sensus quasi oculatos exhibens: dicere solemus,inquit, Vide, vt sapiat, vide vt sonet,&c. Vnde est illud D.Basilij ad primũ caput Isaiæ.Inter sẽsuum nostrorum organa euidentissimam cognitionem & intelligentiam obtinet visus. Quo factũ,vt eorũ, quæ veritate nitũtur,speculatio appellata sit Visio,ob euidentiam,ac ratam certitudiné.sic ille.

*Visio sic dicta ob certitudinem.* — Theophras. *Visus,forma sensus.* — D.August. — *Fidei sensuum resolutio in visu sita.* — D.Basil. *Euidentissima cognitio visus.*

3. Hinc natũ,vt Visio,seu res visa vbique vltimum sit,in quo iure requiescitur:nã vt humanæ scientiæ veritatem indagát per varios discursus, & in sola eius euidenti cognitione, seu Visione vltimo stant: Aristotelis placitũ est 2. Metaph. textu 3.finem contéplationis esse veritatem visã. Videlicet non iam per inquietas discursuum ambages,sed per fixã,firmámque adhæsioné. Id ipsũ docet D.Th.2.2.q.180.art.1.& 3. Simili ratione philosophari oportet de beatitudine naturali humanæ vitæ,quæ iuxta Philosophũ 10.Ethic. cap. 6.7.& 8.consistit in cótemplatione optimi intelligibilis,hoc est,Dei.Vnde ait D.Th.eadem q.art. 4.vitam contemplatiuam principaliter consistere in inspectione diuinæ veritatis,sed per speculum in ænigmate.Et hûc esse dicit finé humanæ vitæ.

*Res visa, vltimum,in quo quiescitur.* — Aristot. *Finis contéplationis,veritas visa.* — D.Thom. — *Beatitudo naturalis in contemplatione optimi intelligibilis.*

4. Quin & supernaturalis beatitudo (cùm iuxta D.Bern.ad milit. templi, possumus dicere cum omni fiducia:*Spiritus testimonium tradit spiritui nostro,quòd simus filij Dei*, Roman.8. qui est propriè status contemplatiuæ vitæ) in eo est tota,vt verbo intendat.Huc illa spectat vniformis in Deum conuolutio intellectualium virtutum D.Dionys. cap.4.de diuinis nominibus;quod explicat D.Th. 2.2.q.180.art.6. vt scilicet cessante discursu figatur mentis intuitus in cõtemplatione vnius simplicis veritatis. Ita D.Thom. & addit; in hoc intuitu non esse errorem,quia est intuitus fidei,cui non potest subesse falsum.

*Beatitudo supernaturalis, verbo intendere.* — Rom.8. — *Quis status contemplatiua vitæ.* — *Vniformis conuolutio virium intellectus in Deum.* — D.Dionys. — D.Thom. — *Intuitus simplicis veritatis, cui non potest subesse falsum.*

5. Denique summa illa,ac æterna beatitudo in Visione Dei consistit, 1. Corinth.13.12. *Videmus nunc per speculũ in ænigmate: tunc autem facie ad faciem.*Ad quæ verba D.Aug.1.de Trinit.cap.8.Hîc nobis,inquit,contemplatio promittitur, actionũ omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorũ. *Filij enim Dei sumus,& nondũ apparuit quid erimus. Scimus autem,quia cùm apparuerit,similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Quod enim dixit famulo suo Moysi:*Ego sum qui sum*,hoc contéplabimur cùm viuemus in æternum. Ita quippe ait: *Hæc est vita æterna, vt cognoscát te solum verũ Deum, & quem misisti Iesum Christum.*Hoc fiet,cùm venerit Dominus,& illuminauerit occulta tenebrarũ, cùm tenebræ mortalitatis huius corruptionisque transierint. Tunc erit mane nostrum, de quo in Psalmo dicitur: *Mane astabo tibi,& videbo.* Non quæremus aliud cùm ad illius Visionem peruenerimus.Tunc erit quod scriptũ est: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.* Illa lætitia nihil amplius requiretur, quia nec erit,quod amplius requiratur. Ostendetur enim nobis Pater, & sufficiet nobis. Ita D.Aug.abundè significans quantum instar futurum sit in illa vltima Visione,quæ omnes in se colliget ac consummabit Visiones. Vtinam fiat nobis ex omnibus Visionibus nostris scala vna, qua ad illam gradatim perueniamus. Quod sanè ardebat Moyses, qui plenus Visionibus Dei adhuc dicebat Deo: *Ostende mihi faciem tuam.*

*Beatitudo æterna in visione Dei.* 1.Cor.13. 12. — *Visio Dei est contemplatio,actionũ finis, & æterna perfectio gaudiorum.* 1.Ioan.3.2. Exod.3.14. Ioan.17.3. 1.Cor.4.5. — *Mane nostrum, Visio Dei.* Psalm.5.5. Psal.15.12. — *Illa lætitia nihil amplius requiretur, quia nec erit.* Ioan.14.8. — *Illa Visio omnes consummabit Visiones.* — *Eam plenus Visionibus ardebat Moyses.* Exod.33.

## PRÆLVDIVM VII.

### *De somniis Propheticis.*

1.  OMNIA prophetica nihil aliud sunt, quàm Visiones, seu sermones Dei, qui dormientibus accidunt. De quo est illud D. Hieronymi ad significandam excellentiam Danielis ad caput eius

D.Hieron.

*Somnia per ænigmata & symbola monstrata explicabat Daniel.*

eius prophetiæ primum. Daniel, inquit, hoc extra tres pueros habebat insigne, quòd Visiones & somnia, quibus per symbola quædam, & ænigmata futura monstrabantur, sagaci mente cernebat, vt quod alij videbant in phantasmate, hic oculis cordis aspiceret. Sagaci mente cùm dixit, non est intelligendum de sola sagacitate naturali, qua possit assequi somniorum diuinorum interpretationes; sed de illa eleuata à Deo supernaturali dono prophetiæ. Nam idcirco ad cognoscendum, & interpretandum somnium primum Nabuchodonosor Daniel. 2. Orauit cum sociis Deum, & impetrauit donum illud eleuationis Propheticæ, quod postulauit. Quoniam verò pleræque Visiones, de quibus à nobis agendum est, per somnia contigerunt, necessarium omnino duximus certam de eiusmodi somniis doctrinam præmittere, quam in singulorum somniorum expositionibus supponamus.

*Sagaci mente, supernaturali eleuatione.* Dan. 2.

*Pleraque Visiones per somnia.*

*Somnia cōmunia vana.* Eccli. 34. 2.

2. Etsi autē pleraque somnia vana sunt, iuxta illud Eccles. 5. 6. *Vbi sunt multa somnia, plurimæ sunt vanitates.* & Ecclesiastici 34. 2. *Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia*; tamen esse omnia, quæ aduertere, & curare oportet, tum experientia, tum ratio, tum denique fides ipsa docet. Primum ergo supponendum ex communi doctrina esse somnia naturalia, animalia, diuina, dæmoniaca, latiùs hoc nomine vsurpato, vt comprehendat quæ à bonis ac malis Angelis emittuntur somnia. Naturalia sunt, quæ oriuntur ex varia affectione corporum. Vnde melancholici funesta vident somnia. Idcirco Medici somnia obseruant iuxta Galen. in lib. de præsagiis somniorum. Animalia sunt, quæ sequuntur exercitationes diurnas, & officia vitæ varia: propterea qui militiæ vacant, bella somniant: qui venationi, syluas. Vnde illud Tibul. 3. Elegiarum 4.

*Somniorum diuisio.*

*Naturalia, ex varia affectione corporum.* Galen.

*Animalia, quæ sequuntur exercitationes diurnas.* Tibull.

*Venator cùm membra toro defessa reponit,*
*Mens tamen ad syluas, & sua lustra redit.*
*Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,*
*Vanaque nocturnis meta cauetur equis.*

D. August.

Vtrumque genus videtur D. Augustinus attigisse 12. Genes. ad literam cap. 30. Sunt, inquit, alia visa vsitata humana, quæ siue ex ipso spiritu nostro multipliciter existunt: siue ex corpore spiritui quodammodo suggeruntur, sicut fuerimus affecti, vel carne, vel animo: non solùm enim vigilantes homines curas suas cogitando versant, verùm etiam dormientes hoc sæpe somniāt, quo indigent; nam & negotia sua gerunt ex animi cupiditate, & epulis, poculisque inhiantes insistunt, si forte esurientes, sitientésque dormierunt. Sic Augustinus.

*Somnia diuina, quæ à Deo immittuntur.*

*Epicurei diuina somnia tollebant.*

3. Somnia diuina sunt, quæ à Deo immittuntur, vel per nouas species intelligibiles in mentem, vel per nouas imagines in phantasiam, aut certè per nouam earum, quæ in ea iam inerant, compositionem: atque hoc contra Epicureos, qui omniū quidem, sed maximè diuinorum somniorum sustulère fidem: indignum scilicet reputantes obire Deum lectos dormientium, vt stertentibus iniiciat somnia. Verùm diuina somnia narrat Scriptura sacra, & Sancti omnes meritò obseruant, eritque id non minima pars laboris nostri. Ne autem dubitatio aliqua circa diuina somnia haberet in nobis locum, Deus ipse disertis verbis ea promisit Numer. 12. 6. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in Visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum.* Et Ioel. 2. 28. *Effundam spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia sōniabunt, & iuuenes vestri Visiones videbunt.* Denique somnia dæmoniaca (vt diximus accepta) à bono & à malo Angelo immitti posse, certum est, idque præstant, non per nouas species, quas immittant in phantasiam, sed mediante commotione spirituum, variè componendo, & permiscendo eas, quibus antea informata erat. Quomodo autem hæc somnia à malo & à bono Angelo discernenda sint, docet D. Greg. 8. Moral. 13. Idem ostendit Pererius lib. 1. in Daniel. & Petrus Tyræus ex professo.

*Somnia diuina esse, ex Scriptura constat.* Num. 12. 6.

Ioel. 2. 28.

*Somnia dæmoniaca, & quomodo eueniant.*

D. Greg. Pererius. Petr. Tyr.

*Somnia diuina sæpe ex cogitatione hominis, & reuelatione Dei.* Dan. 2. 29.

4. Illud porro magnopere notandum ex D. Greg. vbi proximè, somnia diuina sæpe oriri ex cogitatione hominis, & reuelatione Dei: & ponit exemplū in somnio Nabuchodonosor, quod, inquit, Daniel à radice cogitationis inchoauit dicens: *Tu rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc.* id est, cœpisti hæc inter somniandum voluere animo. *Et qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.* quasi dicat: Tibi cogitanti de futuro statu regni tui, quasi in tempore, & in ipso, vt aiunt, rei cardine, cogitationi tuæ inseruit suam, accommodánsque reuelationem diuinam cogitationi Regiæ, statuū ostendit tibi multiformium regnorum. Similiter Pharaoni regia cura dignum somnium monstratum est de futura vbertate, & sterilitate Ægypti, Genes. 40. nec non Pistorum ac Pincernarum Principes agnata muneribus suis vidêre sōnia. Quòd si quæras, an omnia hæc somnia fuerint diuina? Respondendum est, diuina quidem fuisse, quoniam à Deo immissa, ob fines à se præstitutos; sed simul etiam fuisse animalia, quoniam erant conformia muneribus somniantium, quibus se Deus in diuinis somniis solet accommodare. Imò & secundùm Philosophos naturale somnium aliquando potest esse diuinum, quoniam potest se Deus accōmodare affectioni corporis, vnde habet somnium, vt sit naturale. Tu collige naturale hoc modo, non contraponi diuino, & supernaturali: non enim dicitur naturale, quòd naturæ viribus habeatur, sed quòd naturali compositioni respondeat.

Genes. 40. Genes. 41. *Somnia pincernæ, & pistoris, & similia, diuina fuerunt. Simul etiā animalia.*

*Naturale somniū aliquando potest esse diuinum, & quomodo.*

5. Quæri verò potest, Num quando Deus dormienti somnium infert diuinum, eleuando eius mentem & phantasiam ad cognoscendum aliquid, id fiat in dormiente cum vsu liberi arbitrij? Respondendum est affirmatiuè, quod attinet ad prophetica somnia, quod expressè sentit D. Th. 1. 2. q. 113. art. 3. ad 2. vbi apertè docet, in casu prophetiæ vsum liberi arbitrij habere Prophetā in somnis. Est ergo vera sententia, per Dei potētiam fieri, vt dormiens Propheta, solutus tamen & liber sit ad exercendas actiones tum rationis, tum liberi arbitrij. Vnde constat, quod suprà ex Hieronymo attulimus, errasse Montanum, qui asserebat Prophetam non intelligere quæ videt, vel loquitur, sed veluti insanum & amentem prophetare. In quo etiam errore fuit Tertullian. vt cōstat ex D. Hieronymo de Script. Eccles. Verùm hoc meritò vocat idem Hieronym. meram insaniam, vt conuincit ex Paulo 1. Corinth. 14. & ex modo loquendi, & scribendi Prophetarum. Vnde D. Basil. procemio in Isaiā, Quid consentaneū, inquit, est, vt quis ex sapiētiæ spiritu insanus fiat? Veriùs videndi vim à natura inditam expergefacit. Ita Basilius; sentiens videlicet Prophetam spiritu præsente, & sanum magis, magisque

*Prophetica somnia cum vsu liberi arbitrij.* D. Thom.

*Iterum reiicitur error Montani de insania Prophetarum. Tertullianus in eodē errauit.* D. Hieron. 1. Cor. 14.

D. Basil. *Spiritus sapientiæ non potest efficere insaniā.*

vigilantem animo esse etiam si corporaliter dormiat. De quibusdam tamen somnijs propositis in Scriptura sacra res non ita liquet; maximè verò controuertitur in somnio Salomonis, 3. Reg. 3. de quo breuiter dicendum.

3.Reg.3.

*Num Salomon in somnio suo 3. Reg. 3. habuerit spiritum libertatis.*

6. Narratur loco citato, Salomonem inter dormiendum petijsse à Deo solam sapientiam,& valde placuisse Domino hanc eius petitionem. Ratio ergo dubitandi est, quòd libertas videatur esse non posse,nisi intercedente perfecto iudicio, atque vsu libero voluntatis: & tamen perfectum iudicium & vsus libertatis non videtur absque perfecta vigilia esse posse. Quare partem quæ negat libertatem in somno Salomonis asserit D. Thom.1.2.q.1.art.3.ad 2. & 2.2.q.154.art.5.ad 1. & de Verit. q.28. art.3.Abul.3.Reg.3. q.4.12 13. Videtúrque esse D.Augustini 12. de Genes.ad literam cap.15. Idem sequitur Benedictus Perer. in Daniel. disputat. de veritate & varietate somniorum, q. 7. Pineda lib. 3. de rebus Salomonis cap.5.Idem videtur sentire Salmeron,sed obscurè,tom.3.tract.30.

*Negant Auctores aliqui, quòd perfecta libertas esse nequeat nisi in perfecta vigilia.*
D.Thom. Abulens. D.August. Pererius. Pineda. Salmer.

*Propositio historia.*

7. Operæpretium fuerit ipsa Scripturæ verba proponere. Sic ergo loco Regum citato: *Apparuit autem Dominus Salomoni per somnium nocte dicens: Postula quod vis,vt dem tibi. Et ait Salomon: Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam,* & cætera, quæ de patre commemorat. Addit autem de se: *Et nunc Domine Deus tu regnare fecisti & seruum tuum,* & reliqua de sui assumptione in regnum:accedénsque ad petendum ait: *Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit,& discernere inter bonum & malum. Quis enim poterit iudicare populum istum,populum tuum hunc multum? Placuit ergo sermo coram Domino, quòd Salomon postulasset huiuscemodi rem. Et dixit Dominus ad Salomonem: Quia postulasti verbum hoc,*&c. *feci tibi secundùm sermones tuos,*&c.

*Potest Deus in perfecto somno eleuare animã ad perfectã libertatem.*

8. Considerantibus ergo rationem narrationis huius, videtur certum, posse Deum eleuare intellectum, & phantasiam hominis dormientis ad perfectam intelligentiam, & iudicium rationis cum perfecta libertate; quia potest Deus tam perfectè purgare & disponere phantasiã, támque fortiter, ac dilucidè eleuare mentem dormientis, vt clarè, & cum affectu agat de Deo,& cum Deo circa res suas, quod egregiè significauit Rupertus agens de sopore Adam Genes. 2. 21. ( quod somnium fuisse corporale sentit D.Thom. 1.p.q. 97.art.2. ) Sopor, inquit Rupertus, quem Deus Adamo immisit, non claudere vigilias rationis debuit, sed obseratis quinque sensibus corporis sensum mentis liberum reliquit, vt scire posset, quid erga se faceret omnium artifex sapientia.Ita Rupertus.Idem asserit Nyssenus Greg. super Cãtica ad illa verba capitis 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Inducit enim sponsam rationem de hoc suo somnio reddentem adolescentulis. Dormiebam, inquit, amore sponsi, & expectatione oppressa: mens tamen vinculis corporeis soluta, suique iuris animus,de sponsi absentia solicitus, solitas suas cogitationes voluere non desinebat. Idem existimo certùm in somnio Salomonis; quoniam petitio eius placere non potuit Deo,vt narratur, nisi voluntaria foret, ac adeò meriti apud Deum capax. Vnde Beatus Ambrosius ad Psalm. 118. de Salomonis hoc somnio agens, Orasse eum tunc & promeruisse, disertè asserit. Et Tertul.4.aduersùs Marcionem 15. idem apertè sentit. Quia permissa, inquit, sibi optione, maluit ea postulare, quæ sciebat Deo grata, sapientiam,meruit etiam diuitias consequi.

D.Thom. Rupertus.
*Sciuit Adamus dormiens quid circa se faceret sapientia Dei.*
D.Greg. Nyss. Cant.5.2.
*Animus sui iuris in sõnio.*
*Placuit petitio Salomonis Deo, ergo libera fuit,& meriti capax.*
D.Ambros.
*Non datur optio,nisi liberè agentibus.*
Tertull.

*Ex serie narrationis probatur.*

9. Idem ostenditur ex ipsa ratione contextus sacri: nam ex more Scripturæ tam minuta, & syncera narratio, rem vt iacet intelligendam cogit. Quod verò aliqui asserunt, meruisse Salomonem ex præcedenti desiderio ante somnium, non videtur satisfacere: quoniam tale desiderium non exprimitur in Scriptura; ac adeò liberè assumitur. Vnde D. Thom. cùm id asseruisset 1.2. q.113. art.3. ad 2. quod videret non planè satisfactum, addidit; Vel potest dici, quòd ille somnus non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ,secundum quod dicitur Num.12. *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium,aut in Visione loquar ad illum.* In quo casu aliquis vsum liberi arbitrij habet. Sic D.Thom. Sed nec illi rem absoluunt dicendo,meruisse Salomonem sapientiam, ex dispositione quidem præsenti non libera, sed orta ex libero desiderio in vigilia, quam responsionem videtur assignare D.August.12. de Genes. ad literam 15. Verùm nec prædicta illa dispositio habet fundamenta in Scriptura; nec D.Aug.liquidò illam posuit. Denique & illi non satisfaciunt,qui Salomonem aiunt tantummodo somniasse se à Deo petiuisse sapientiam,& Deum concessisse; non tamen verè cum eo colloquutum. Ita sentit Abulens.3.Reg.3.q.4.12. & 13.At hæc responsio non est congruens proprietati, & synceritati contextus, qui planè exhibet Deum loquentem cum Salomone, & Salomonem respondentem,& placentem Deo. Præterea, quia iuxta placitum Abulensis omnia somnia diuinitus infusa eneruari possunt. Verbi causa Iacob non vidisse reuera scalam, & Deum sibi loquentem audiuisse, sed id tantùm somniasse; & similiter de cæteris somnijs,quod est valde perniciosum.

*Nõ meruisse Salomonẽ ex desiderio præcedenti.*
D.Thom. Num.12.
*Non ex dispositione præsenti nõ libera in se, sed ex libero desiderio in vigilia.*
D.August.
*Non placere eos, qui Salomoné negant cum Deo colloquutum verè, sed id somniasse.*
Abulens.

10. Hæc sententia est Dionysij Carthusiani, Hugo. Cardinal. & innuitur ab vtraque Glossa & Lyrano,3.Reg 3. Alex.Alens. Bonau. Richard. Eandem latè defendit, sequitúrque Soar. tom.2. de religione. lib.2. de oratio. cap.19. Quod verò attinet ad rationem dubitandi, perfectam scilicet libertatem requirere solutionem omnium sensuum, verum quidem est in communibus somnijs: in hoc autem est speciale priuilegium, quoniam omnino fuit extraordinarius, & diuinam habuit præstò opem, quæ confortauit, illustrauítque intellectum, phantasiámque Salomonis ad perfectè intelligendum, non obstante impedimento sensuum externorum,quo factum, vt conseruato interim vero somno corporali,habere potuerit Rex perfectum discursum, & colloquium cum Deo liberum.

*Auctores pro hac parte.*
Dionys. Carth. Glossa. Lyran. Alex.Alen. Bonau. Richard. Soarius.
*Requiritur perfecta vigilia in cõmunibus sõnijs vt sint libera, non tamẽ in extraordinarijs.*

## PRÆLVDIVM VIII.

### *De Ecstasi Prophetica.*

1. SAPIENTER admodum dixisse videtur Magnus ille Greg. lib.5. moralis expositionis in Iob cap.22.sanctos viros,qui non corpore, sed virtute sopiuntur, laboriosiùs dormire, quàm vigilare; quoniam ab huius mundi inquieta concupiscentia penitus subtrahuntur: ac dum terrenarum actionum strepitum deserunt per quietis studium,

D.Greg.M.
*Sancti laboriosiùs dormiunt, quàm vigilant.*

*Mens quomodo vigilãs dormiat. Ecstasis, dormitio vigilãs, seu vigilia dormiens.*

ſtudium, eorum mens virtutibus intenta, vigilans dormit. Significauit verè ſanctus Doctor, quid eſſet per ſe ecſtaſis, nimirum dormitio quædam vigilans, ſeu vigilia dormiens, qua videlicet anima à ſenſibus abſtracta, diuináque ſentiens, & dormire videatur mundo, & vigilare Deo; rapta videlicet ad amandum, vel ad auſcultandum. Prius illud expreſſit ad literam Sponſa Cant. 5. 2. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Vera planè amoris ecſtaſis (vt agnoſcit Legionenſis) in qua mens ita dulciter quieſcit, vt dormire, ita certò ac prudenter diuina agitat, vt planè vigilare videatur. Ita & ſenſus in amoris exceſſu noctem quietiſſimam, & mens diem agit ſereniſſimum.

Cant. 5. 2. *Sponsa dormis corpore, corde vigilat.*

2. Huius autem prioris exceſſus cauſa amor ipſe eſt, iuxta illud Dionyſij 4. cap. de diuinis nominibus. Eſt autem ecſtaſim faciens diuinus amor, quia quò ex diuina gratia maior eſt erga Deum amor, eò magis alienat animam ab omnibus, quæ non ſunt ipſe Deus, fitque Deo ipſi præſentior, quàm ſibi: neque enim (ait Bernard. de præcepto, & diſpenſat.) præſentior ſpiritus noſter eſt vbi animat, quàm vbi amat, niſi fortè putetur eſſe magis vbi inuitus & neceſſitate tenetur, quàm quò ſponte & alacri fertur voluntate. Denique vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Item, ſi Deum amans anima, ex ipſo viuit, vti corpus ex ipſa, quo pacto quæſo præſentior eſſe cenſentur vbi dat, quàm vnde accipit vitam? Fons ſiquidem vitæ charitas eſt: nec viuere animam dixerim, quæ de illo non hauſerit: haurire verò quomodo poteſt, niſi fuerit præſens ipſi fonti, qui charitas eſt, quæ Deus eſt? Præſens igitur eſt, qui Deum amat, in quantum amat: in quo enim minùs amat, abſens profectò eſt. Ita Bernar. Sentiens videlicet, amorem perfectiſſimum, perfectiſſimam ecſtaſim facere, eo magis alienando à ſenſibilibus, quo diuinis magis vnit. Cui rectè concinit Bonauentura tom. 2. opuſculorum tractat. de gradibus contemplation. cùm ait: Ecſtaſis eſt, deſerto exteriori homine, ſui ipſius ſupra ſe voluptuoſa quædam eleuatio ad ſuperintellectualem diuini amoris fontem. Ita Bonau. intelligit deuotiſſimus Doctor animam tunc perfectiſſima raptam ecſtaſi, cùm ipſi omnium rerum fonti Deo adeſt, indicio planè manifeſto, quòd omnium mundanarum rerum tranſilierit riuos.

D. Dionyſ. Areop. *Diuinus amor ecstasim facit.*

D. Bern. *Spiritus noster præsentior vbi animat, quàm vbi amat.*

*Fons vitæ, charitas.*

*Anima absens inde, vbi non amat.*

D. Bonau.

*Ecstasis, deserto exteriori homine, voluptuosa eleuatio animæ.*

*Cùm Deo fonti adest anima, tunc ecstasi gaudet.*

3. Sed enim modo alio ſupernaturali rapitur anima ad diuinas reuelationes, quod in Prophetis vſu venit. Idcirco Ezechiel cap. 8. 3. raptum ſe memorat in cincinno capitis ad inſpiciendas Viſiones magnas. *Et emiſſa*, inquit, *ſimilitudo manus apprehẽdit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me ſpiritus inter terram & cælum, & adduxiſti me Ieruſalem in Viſione Dei.* Cùm Propheta eſſet tunc in captiuitate Babylonica, corpore non eſt tranſlatus in Ieruſalem, ſed ſolo ſpiritu quaſi vno cincinno capitis, ad ſignificandam perfectam intenſionem ſpiritus in vnum Deum. Iuxta literam, non vnus capillus, ſed pars capillorum comprehenſa ſignificatur. D. Hieron. Pars comprehenditur capillorum, quia totius comprehenſionem capitis humana natura non ſuſtinet. Ita Hieronymus, planè ſignificans, in qualibet contemplatione, quantumuis perfecta, & in qualibet ecſtaſi partem aliquam cognitionum rapi, & ſopiri poſſe, omnes omnino non poſſe: ſemper enim mens quantumuis rapta, pediſſecas habet ſaltem cogitationes phantaſiæ. His conſentaneus eſt commentarius eorundem verborum traditus à Gregor. Magn. lib. 31. Moralium cap. 7. Quid eſt, inquit, cincinnus capitis, niſi collectæ cogitationes mentis, vt non ſparſæ diffluant, ſed per diſciplinam cõſtrictæ ſubſiſtant? Manus ergo deſuper mittitur, & Propheta per cincinnum capitis eleuatur, quia cùm noſtra mens ſeſe per cuſtodiam colligit, vis ſuperna ſeorſum nos ab infimis trahit. Ita Gregor. declarátque optimè quomodo anima eleuanda colligat, rapiátque ſecum partem illam cogitationum internarum, quas habet annexas à natura; alteram autem partem externorum ſenſuum opus eſt omnino in perfecta ecſtaſi deſtitui, & feriari. Loquimur autem de communi lege; nam ex priuilegio Dei, poterit mens per ſpecies de ſe infuſas ſic eleuari, vt ſola ipſa operetur, nihil interim cooperante ſenſitiua parte. Verùm hoc excepto vno Chriſto Domino, nulli alij à Deo datum certò conſtat, licèt probabilius ſit, Deiparam Virginem eo priuilegio gauiſam etiam permanenter: quin & Ioannem Baptiſtam & Beatum Paulum eodem donatos aliquando, credi par eſt. De cæteris ſiue Prophetis, ſiue Apoſtolis, ſiue aliis quibuſuis id affirmari cum fundamento non poteſt.

*Ecstasis prophetica, ad diuinas reuelationes.* Ezech. 8. 3.

*In cincinno raptus Ezechiel, id est, perfecta spiritus intensione.*

D. Hieron. *Pars capillorũ rapta, quia omnis cognitio sopiri non potest.*

D. Greg. M.

*In cincinno, quia non sparsæ cogitationes, sed collectæ in ecstasi.*

*Ex priuilegio potest rapi anima, vt sola ipsa operetur.*

*Soli Christo datum, & probabiliter Deiparæ. Ioanni Baptistæ, & D. Paulo id priuilegium fortè datũ.*

4. Non oportet plura Prophetarum loca percurrere. Vnus Ezechiel eſſe poteſt hac in re ſpeculum cæterorum: omnes enim ſimiliter aliquam in ſe patiuntur ecſtaſim, cùm aſſumuntur ad diuinas reuelationes. Vnde illa definitio ecſtaſis apud Auguſt. in quæſtionibus ad Simplicianum q. 1. eſt alienatio à ſenſibus corporis, vt ſpiritus hominis diuino Spiritu aſſumptus capiendis, atque intuendis imaginibus vacet. Quod non eodem modo contingit, vt ibidem oſtendit Auguſtinus. *Spiritus enim*, ait, *vbi vult ſpirat:* & in Scriptura dicitur ſæpe, *Inſiluit in eum Spiritus Domini*, quo tanquam ex abdito diuinitatis ſecreto repentinus ſignificatur afflatus. Et ſpiritum Prophetię nullarum animarum poteſt maculare contactus. Attingit enim vbique propter ſuã munditiam. Afficit ergo omnes non eodem modo: ſed alios per informationem ſpiritus eorundẽ hominum, vbi rerum demonſtrantur imagines; alios per fructum mentis ad intelligentiam; alios vtraque inſpiratione: alios etiam neſcientes, per informationem ſpiritus, duobus modis, aut per ſomnium, ſicut non ſolùm plerique Sancti, ſed & Pharao, & Nabuchodonoſor, vterque enim vidit, quod intelligere non valebat, ſed tamen vterque videre poterat, aut per demonſtrationem in ecſtaſi, ſicut Danieli demonſtratum eſt, quod non intelligebat; & Petro illud vas ſubmiſſum de cælo quatuor linteis: nam & ipſe quid illa demonſtratio figuraret, poſtea cognouit. Per fructum autem mentis ad intelligentiam vno modo: cùm hæc ipſa, quæ demonſtrantur imaginibus, quid ſignificent, & quò pertineant, reuelantur. quæ certior prophetia eſt. Nam magis ipſam vocat Apoſtolus Prophetiam. Ita Ioſeph meruit intelligere, quod Pharao non niſi videre: & Daniel exponit Regi, quod ille cernit, & neſcit. Neſcientes autem afficit prophetiæ ſpiritus, ſicut Caiphas cùm eſſet Pontifex prophetauit de Domino neſciens quid diceret. Hæc ex Auguſtino. quibus concinunt quæ Prælud. 5. attulimus ex eodem Auguſtino ex lib. de Geneſ. ad literam; eum eſſe minùs Prophetam, qui ſolas videt imagines rerum; eum magis Prophetam, qui eaſdem,

D. Auguſt. *Definitio ecstasis ex Augustino.*

Ioan. 3. 3. 1. Reg. 10. 10.

*Spiritum prophetiæ nullarum animarum potest maculare contactus.*

*Explicat Augustinus varios modos, quibus spiritus propheticus mẽtes afflat.*

1. Cor. 13.

Ioan. 11. 51.

easdem, etsi non videt, interpretatur; eum maximè Prophetā, qui & videt, & interpretatur, quare iuxta Augustinum, & Pharao, qui solùm videt vaccas, & spicas, Propheta fuit, sed minùs Propheta; Ioseph, interpretans, magis Propheta; Daniel videns & interpretans, maximè Propheta.

*Omnis, qui quoquomodo Propheta est, ecstasis aliquem modum habet.*

5. Ex quibus efficitur id, omnes Prophetas secundùm Augustinum genere ipso communi ecstases subire, raptúsque diuinos, plus, minus, iuxta gradum prophetiæ ad quem assumuntur: omnes enim diuinus Spiritus, quatenus vult, agit; ita Caiphas impius, vt prophetaret Dominum Iesum moriturum pro populo, assumptus à Spiritu sancto est, non quòd dignus esset, vt per eum loqueretur, sed quòd Pontifex anni illius esset; itaque non eius meritis, sed sacerdotali officio datum est, vt prophetaret. Vnde à Chrysostomo egregiè dictum ad illa verba: *A semetipso non dixit.* Vide, inquit, quanta Spiritus potentia: à mala mente verba prophetica, & admirationis plena elicere potuit. Ita Chrys. Quatenus ergo (ait Maldonat.) alienatus est à proprio ac humano spiritu, vt illa loqueretur, eatenus excessum Propheticum habuit. Idem de similibus asserendum, Pharaone, scilicet, Nabuchodonozor, Balaam, & aliis, censent Patres: quantò id verò magis de consummatis, perfectísque Prophetis, quorum mentes rapiebantur, per actus, ac species supernaturales, aut supernaturaliter quasi motas? De quo est illud ab Augustino dictum 12. de Genes. ad liter. cap. 26. Cùm rapitur, inquit, anima ad ea visa, quæ spiritu cernuntur, similia corporalibus, omnino à sensibus corporis auertitur ampliùs, quàm in somno solet, sed minùs quàm in morte. quia videlicet in somno communi auertitur quidem anima à sensibus externis, sed non ita potenter, vt applicato sensibili forti non illico aduertat: at in ecstasi ita sopitur altè, vt vel applicato vehementissimo obiecto sentire non soleat: præterea in morte abstrahitur anima ab internis pariter externísque sensibus, in ecstasi solùm ab externis.

*D.Chrys. Ioan. 11. 51. Magna Spiritus sancti potentia à mala anima Caiphæ verba prophetica educere. Maldon.*

*D.August.*

*Discrimen inter ecstasim & mortem, ex August.*

6. Progreditur autem Augustinus: In ecstasi, si videntur futura, ita vt omnino futura noscantur, quorum imagines præsentes videntur, siue per ipsam hominis mentem diuinitus adiutam, siue aliquo inter ipsa visa exponente, sicut in Apocalypsi Ioannis, magna reuelatio est; etiam si is, qui videt, ignoret, à corpore exierit, an sit in corpore: videlicet est eiusmodi ecstasis, quædam veluti mors, qualem in ecstasi Petri Actor. 10. 10. agnoscit D.Chrys. ad illa verba, *Irruit super eum mentis excessus.* Quid est, inquit, ἔκστασις? Spiritualis nimirum contemplatio facta est in illo. quasi diceret quis: anima excessit è corpore. & D.Bernard. de illa Sponsæ quiete, Cant. 2. 7. Ego, inquit, non absurdè Sponsæ ecstasim vocauerim mortem, quæ tamen non vita, sed vitæ eripiet laqueis, vt possit dicere: *Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium:* inter medios namque laqueos in hac vita inceditur, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua & vehementi cogitatione anima à semetipsa abripitur. si tamen eò vsque mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi. Etenim *frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Quid enim formidetur luxuria, vbi nec visa sentitur? excedente quippe anima, & si non vita, certè vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. *Quis dabit mihi pennas, sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis. Hæc Bernard. Ex quibus perfecta ecstasis ratio non potuit meliùs, quàm per similitudinem mortis explicari.

*Petri ecstasis veluti quædā mors. D.Chrys. Act. 10. 10. Explicatur eiusmodi mors à Chrysostomo, & Bernardo. D. Bernard. Psal. 123. 7.*

*Prou. 1. 17.*

*Psal. 54. 7.*

*Per similitudinem mortis perfecta ecstasis explicatur.*

7. Addit vltimò Augustinus euentum illum, in quo per Angelos administratur ecstasis, & circa modum dubitabundus hæret. Sic enim cap. 30. Sicut in ista luce corporea est cælum, quod super terras suspicimus, vnde luminaria clarent & sydera, quæ corpora longè sunt meliora terrestribus: sic in genere spiritali, in quo videntur corporum similitudines, luce quadam incorporali ac sua, sunt quædam excellentia, & meritò diuina, quæ demonstrant Angeli miris modis: verùm visa sua facili quadam & præpotenti coniunctione, vel commistione; etiam nostra esse facientes, an scientes, nescio quomodo, nostram in spiritu nostro informare Visionem, difficilis perceptu, & difficilior dictu res est. Sic August. Modum verò, quo sciunt Angeli nostras informare Visiones, explicat D.Thom. 1. p. q. 111. art. 3. in corpore, vt suprà diximus, videlicet mouendo spiritus sensitiuos, in quibus conseruantur species sensibilium obiectorum: nam sicut, inquit, per naturalem commotionem humorum, aut etiam per voluntatem hominis, qui voluntariè imaginatur, quod priùs senserat, ita etiam hoc potest fieri virtute Angeli boni, imò & mali, quandoque quidem cum alienatione à corporis sensibus, quandoque quidem absque tali alienatione. Ita D.Thom. ex quibus patet, posse quoque Angelos efficere in nobis aliqualem ecstasim. Denique manet in aperto, quot modis Visiones diuinæ in Prophetis euenerint; quæque sint præcipuæ instituti nostri.

*D.August. Quomodo per Angelos contingat ecstasis, explicatu difficili ostendit Aug.*

*D.Thomas explicat modum. D.Thom.*

8. Visiones igitur prædictis modis sumptas Deo auspice tractandas aggredimur; sperantes in primis eiusmodi tractatione non solùm delectationi ob spectaculorum varietatem, sed vtilitati etiam ob reconditam fœcunditatem magnopere consultum iri. Has enim præcipuè Visiones, atque loca alia difficilia Scripturæ comparauit Dominus, Matth. 13. 44. thesauro abscondito in agro. Cur enim non domi, aut alio quouis loco, sed in eo, qui ad fructus fœcundos inseruit, absconditus dicitur? Nimirum, vt significetur huiusmodi loca occulta, ac obscura per se non modò pretiosa esse, sed fœcunda sensuum.

*Visiones Scripturæ thesaurus absconditus in agro. Matth. 13. 44.*

*Visiones pretiosa, & fœcunda sensuum.*

DOCTO




DOCTORIS

# ANTONII FERNANDII

## E SOCIETATE IESV COMMENTARII IN VISIONES VETERIS TESTAMENTI.

## *Visio prima, Cap. 15. Genes.*




## PRÆFATIO.




*De Abraham Vidente.*

1. OPERÆPRETIVM me facturum duxi, si, vt Visiones veteris Testamenti ordine suo percurrere commentando statui; ita omnes Videntes, qui videlicet huius nominis rationem perfectè participant, pariter ordinatè proponerem; non sub nudis nominibus, sed propriis, vt aiunt, coloribus effigiatos. prima enim commendatio Visionis, autoritas debet esse Videntis; &, vt rectè animaduertit D. Gregor. ad primum caput Ezechielis; prima radix prophetiæ, ipsa est persona Prophetæ, quam propterea oportet curare primùm, ac altè in animorum quasi terram depangere, quo alacriùs ab ea doctrinæ fructus expectentur, tum bonitate, tum perennitate præstantes.

*Prima commendatio Visionis, autoritas Videntis.* D. Gregor. *Prima radix prophetiæ, persona Prophetæ.*

2. Primus ergo occurrit Abraham genere Chaldæus, natus Vr Ciuitate Chaldææ, ex Patre Thare, Genes. 11. 28. & 15. 7. à condito orbe 1978. à Diluuio Noë 292. Anno verò ætatis suæ 75. primam habuit apparitionem Dei iubentis eum discedere ex Vr Chaldæorum, Genes. 12. Postea magnificam aliam, quæ narratur hoc capite Genes. 15. & à nobis explicatur. Itaque Abraham primitias tulit Visionum Dei; ac de illo primùm dicitur loco Genes. 12. 7. *Apparuit Deus Abram*, vel, vt legit D. Chrys. Visus est Deus Abram. Rarum (inquit Chrysost.) & admirabile procemium. Nunc primum inuenimus in Scriptura dictum, quòd visus sit Deus, non est vsa hoc verbo Scriptura diuina, cùm de Adam, vel de Abel, vel de Noe, vel de alio quopiam loquuta est. Ita Chrysost.

*Quis Abraham?*

*Chronologia Abraham.*

*Abraham primitias tulit Visionum Dei.* Genes. 12. 7. D. Chrys.

3. Porro dictus primùm Abram est, quod idem valet, ac pater excelsus. Nam *ab* Latinè Pater est; *ram*, excelsus. Postea addita est nomini particula *hamon*, sed *on*

*De primo nomine Abraham.*

A detracto propter cacophoniam, molliori pronunciatione, vocatus à Deo est Abraham; hoc est, Pater multarum gentium, Genes. 17. 5. Et licèt in Hebræo non sit, *gentium*, tamen subauditur. Philo primam illam significationem nominis Abram agnoscit, celebrátque eleganti allegoria in lib. de gigantibus, & in libro de Abrahamo: Abram, inquit, quandiu hærebat in terra Chaldæorum, homo cæli erat, sublimis, & æthereæ naturæ scrutator, ex

Genes. 17. 5.

Philo.

B quo studio appellationem acquisiuit, vt Abram diceretur: quippe id nominis significat Patrem sublimem, appellatione, scilicet, homini consideranti sublimia, & cælestia, perquàm accommodata. Ita Philo. Sed de mutatione, & incremento nominis Abraham, aliter sentit, interpretatur enim Patrem electum vocis: Quando, inquit, iam se ipso melior, nomen erat mutaturùs, ex homine cæli, factus est homo Dei, iuxta redditum sibi oraculum:

*Abrā iuxta Philonem, Pater sublimis, quòd sublimia consideraret.*

*Abraham iuxta eundem, Pater electus vocis.*

C *Ego sum Deus tuus*; da operam, vt te mihi probes, & esto inculpabilis. Quòd si vnus totius mundi Deus, singulariter dictus est, Deus Abraham, necesse est præcipua quadam; & propria ratione, hominem Dei fuisse ipsum Abraham. Neque id non indicauit mutatum eius nomen, Abraham, quod est, pater electus vocis. Id autem est intellectus probi viri; est enim electus, purgatus, & Pater vocis, qua

Genes. 17. 1.

D & Dei laudes personamus, eíque in omni vita, dictis factísque nostris consonamus. Et libro de Abraham addit; Prius nomen, inquit, indicat virum astrologicum, posterius verò sapientem: nam per vocem significatur sermo, qui foras profertur, per Patrem, mens ipsa principatum hominis tenens: si quidem sermo, qui concipitur intus, naturaliter Pater est, quasi generans,

*Intellectus probi viri, purgatus in se, & moderator verborum.*

*Sermo internus naturaliter pater est, dū verba quasi generat.*

&

& pariens verba, quæ foras eduntur. Dicitur electus, id est, egregiè bonus, malum enim confusum, & indigestum est, bonum eligitur, vt præcipuum inter omnia; ergo mutatio nominis ex Abram, in Abraham, significauit, fuisse iam mutatum ex homine philosopho, in virum sapientem, & planè diuinum. Hæc ex Philone.

*Hebræorum opinio de nomine Abrã.*

4. Grauiùs sanè ac magnificentiùs in eodem nomine philosophantur Hebræi, vt refert D. Hieron. in traditionibus Hebraicis in Genesim; quod alij latè explicant additis etiam mysteriis mutationis nominis Abraham. Inter quos est Lippomanus, & Ioannes Ferus. Ornatum ergo nomen volunt, ac veluti diuinum redditum interpositione literæ ה, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est, bisque reperitur in nomine tetragrammaton יהוה. Itaque Deus suo de nomine quasi detractam literam dedit Abraham: primò; vt ostenderet, non modò se illi bona sua largiturum, verùm & seipsum, faciendo illum singulari modo consortem naturæ suæ. Sed illud planè diuinissimum adiectione hac literæ suæ, significasse Deum fore aliquando, vt ipsemet Deus ex semine Abraham carnem assumeret. Iámque tunc præsignificabatur factum iri, quod iam factum admirabũdus prædicauit Paulus ad Hebr. 2. 19. Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Denique & quarto loco posita litera ה in nomine Abraham significat, quarto annorum millenario, post orbem conditum, Filium Dei humanitatem nostram ex Abrahæ semine aditurum, quod certè accidit finito quarto millenario, quintóque paucis annis inchoato. ם quoque clausum sequens literam ה, interminabile Christi regnum repræsentat. Hæc ferè Lippomanus citatus, ex quibus patet, interpretationem nominis Abram, traditam à D. Chrysost. & à D. Augustino, super Genes. 19. 29. vt scilicet significet transitorem, seu transfluuialem, non esse legitimam. Videntur quidem existimasse, nomen Abram idem significare ac nomen Hebræus, quod multi sumunt pro transitore, seu transfluuiali, verùm longè alia est significatio, vt patet ex dictis.

Lippom. Ioa. Fer. *Nomen Abrahã quasi diuinum.*

*Deus suo de nomine detractam literam dedit Abraham.*

*In signum consortij per gratiam. Maximè in signum Incarnationis.*

Hebr. 2. 19.

*In nomine Abraham, tempus Incarnationis.*

*Item Christi æternum regnum.*

D. Chrys. D. August. Genes. 19. 29. *Interpretatio nominis Abraham non legitima.*

5. Porro cæteras laudes Abraham breui epilogo complexus est Ecclesiasticus cap. 44. 20. vbi sic: *Abraham magnus Pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruaret legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum; & in tentatione inuentus est fidelis, ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua; crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, & hæreditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.*

Eccli. 44. 20. *Commendatio Abrahã ex Ecclesiastico.*

6. Prima Abrahami laus, fuisse Patrem multitudinis gentium, desumpta ex illo Genes. 17. 5. vbi Dominus illi immutans nomen, ait: *Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham, quia Patrem multarum gentium constitui te.* Expresserat idem paulò antè Deus vers. 3. *Multiplicabo te vehementer nimis.* Vtrumque verò ponderans D. Chrys. duplicationem, inquit, aduerbij non frustra adiecit, sed vt significet, iusto miram multitudinem daudam: proinde, & in nomine, quasi in columna quadam indelebili promissionem inscripsit. Videlicet nomen Abraham addita illa litera nominis Dei, vt suprà diximus, quasi diuinum ac adeò immutabile redditum, columnæ instar habebat nullo vnquam tempore ruituræ, vnde habebat promissio, vt æterna esset.

Genes. 17. 5. *Prima laus, esse patrem multarum gentium.*

D. Chrys. *Duplicatio aduerbij exaggerat.*

*Nomen Abraham, quasi colũna, in qua promissio inscripta ad æternitatẽ.*

7. At quomodo Abraham Pater gentium efficiendus erat? Hebræorum responsio carnalis est, nimirum, quia Abraham per Isaac, & Ismaëlem multas gentes proseminauit: videlicet Hebræos, Idumæos, Ismaëlitas, Madianitas. Verùm amplior fuit promissio interprete Paulo ad Roman. 4. 13. videlicet, *vt heres esset mundi.* id ergo assequutus non natura, sed gratia, vt ibidem Paul. vers. 16. *Ex fide*, inquit, *vt secundùm gratiam firma sit promissio omni semini, non ei, qui ex lege est solùm, sed & ei, qui ex fide est, Abrahæ, qui pater est omnium nostrùm.* Quare mysterio non vacat, quòd Abraham declaratus fuerit Pater gẽtium, priusquam à Deo circuncisionis præceptum acciperet: siquidem eo significatum est, gentes incircuncisas carne, quarum ille futurus erat Pater, non per circuncisionem carnalem, sed per fidem inserendas Abrahæ, qui per eandem fidem ante circuncisionem placuit Deo: de quo dictum Genes. 15. 6. *Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.* Ex quo Paulus loco citato ad Rom. argumentatur, etiam gentibus absque circuncisione reputatum iri ad iustitiam.

*Pater gentium quomodo Abraham ex Hebræorum opinione.*

Rom. 4. 13. *Pater multarum gentium ex fide, iuxta Paulum.*

*Priusquam iuberetur circumcidi, vocatur Pater multarũ gentium, vt ex sola fide id habeat.*

Genes. 15. 6.

8. Quod verò ait: *Non est inuentus similis illi in gloria*; explicat Glosa minor, quia suo tempore maximus fuit; quod aliqui ostendunt in plurimis, vt videre est apud Hugonem Cardinalem. Verùm series ipsa contextus hanc gloriam contrahit ad obseruantiam legis naturæ. *Non est inuentus similis illi in gloria, qui conseruaret legem Excelsi:* quasi in eo fuerit Abraham omnium hominum, qui tunc erant, gloriosissimus: qui

*Abraham maximus in plurimis.*

*In eo gloriosissimus, quòd legem naturæ seruauerit omniũ optimè.*

*Lex naturæ quare dicatur lex Excelsi.*

Psal. 4. 7.

qui conseruaret legem Excelsi. Legem Excelsi vocauit, quia desuper in hominum mentes infixa est, iuxta illud Psal. 4. 7. *Quis ostendit nobis bona? signatū est super nos lumen vultus tui Domine*, iuxta Hebræ. propriè; vexillatum vexilli instar erectū est lumen naturale in cordibus nostris: vt hac signi ostẽsione, & quasi face eleuata in turre rationis, qua in Deū tendendū via sit certò sciatur. Vnde Tertullianus de Corona militis, legẽ naturę in publico mundi pẽdere ait, ad cōmunem hominū notitiam, vt quantumuis auertere mentẽ quis velit, nō tamen possit. Hac igitur lege primò instructus est Abraham, de quo Tertull. lib. aduersùs Iudæos. Ante legem Moysis, inquit, scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, quæ naturaliter intelligebatur, & à patribus custodiebatur. Nam vnde Noë iustus inuentus, si non illum naturalis legis iustitia præcedebat? Vnde Abraham amicus Dei deputatus, si nō de æquitate & iustitia legis naturalis? Ita Tertul. Sequitur,

*Lumen naturale quasi fax, quasi vexillum erectum in turre rationis.*

*Lex naturæ in publico mundi pendet.*

Tertul.

*Lex naturæ naturaliter intelligebatur.*

9. *Et fuit in testamento cum illo: in carne eius fecit stare testamentum.* Dicitur Deus fuisse in testamento cum ipso; hoc est, iniisse fœdus cum Abraham, quod intelligitur de fœdere illo Genes. 15. primo loco à nobis explicando. At illud: *In carne eius fecit stare testamentum*, intelligitur de fœdere eodem per circuncisionem cōfirmato Genes. 17. 11. vbi Dominus sic: *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me, & vos*, &c. Et paulò pòst: *Eritque pactum meum in carne vestra, in fœdus æternum.* Beatus quidem Chrys. homil. 39. in Genes. adhibitam ait circuncisionem, quasi frænum ad continendum populum, ne se gentibus immisceret. Theod. q. 67. in Gen. datam fuisse ad custodiam pietatis inter gentes, inter quas prænouerat Deus commoraturos Hebræos per multa secula. Vera quidem hæc, sed germana ratio ex textu patet, in signum fœderis datam circuncisionem. In contractibus namque debent intercedere signa obligationis mutuæ. Obligauerat se Deus Abraham primò, promiserátque, posteros eius aucturūm, sicut stellas cæli, & sicut terræ puluerem: item traditurum terram Chanaan in possessionem: denique filium suum daturum, vt ex genere eius carnem sumeret: signum verò huius obligationis dedit, cùm lucis instar transiit per medias diuisiones animalium, vt latiùs videbimus ad Visionem primam sequẽtem. Oportuit ergo Abraham, & posteros eius obligationem suam subire quoquo modo diuinæ respondẽtem, primò vt Deum adorarent, leges eius custodirent, crederéntque indubitáter promissionibus eius; in signum verò obligationis suæ, car-

Genes. 15.

Genes. 17. 11.

D. Chrysost.

*Circuncisio, quasi frenū ad continendum populū.*

Theodor.

*Circuncisio, custodia pietatis.*

*Signum fœderis, ex conditione communium cōtractuum.*

*Quomodo se Deus, & Abrahā obligauerint, & signa vtrinque se obligantium?*



A nē præputij circuncīderent. Ideo ad Rom. 4. 11. dicitur, *Circuncisio signaculū iustitiæ fidei.* hoc est, datū ad ratificandā iustitiā fœderis initi. Vbi Caiet. Per hoc, ait, quòd circuncisionē accepit in signū pacti fœderis, accepit ipsā in signaculū, siue charactērē iustitiæ.

*Ad Rom. 4. 11.*

*Circuncisio, signaculum seu character iustitiæ fœderis.*

Caiet.

10. Denique illud, quod Ecclesiasticus addit, imposuit in Abrahamo sanctitatis colophonem: *Et in tentatione inuentus est fidelis.* Intelligitur de præclara illa obedientiæ specie, qua filium, iuxta mādatum Dei, B immolare parauit, de quo Genes. 22. *Tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum: Abraham, Abraham? at ille respondit: Adsum. Ait illi: Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac, & vade in terram Visionis: atque ibi offeres eū in holocaustum super vnum montem, quem monstrauero tibi. Igitur Abraham de nocte consurgens*, & cætera, vsque ad actum ipsum, quo gladium pater filij sanguine penè iam imbuisset, nisi retraheretur ab Angelo. E plurimis Patrum encomiis vnum Zenonis locum hîc apponam aptissimū pręsentis facti commentarium. Mira, inquit, Patriarchæ C tentatio, quę illum aut sacrilegum faceret, si contemneret Deum, aut crudelem, si occideret filium: nisi quadam singulari, ac verè diuina patientia, inter religionem pietatémque negotium temperasset, in spe non denegans Deo, quod contra spem acceperat à Deo; ideo Isaac dulcissimum filium, Deo victimam dulciorem, contemnit, vt seruet: destinat iugulare, ne iugulet: securus illo se non posse displicere facinore, quod Deo gerebatur autore: O nouū spectaculum, ac verè Deo dignum, in quo definire D difficile est, verùm sit patientior Sacerdos, an victima! Nō percussoris, non percutiendi variat color: non mēbra tremore vibrātur: non demissi, nō torui sunt oculi: nemo rogat, nemo trepidat, nemo se excusat, nemo turbatur. Ille erexit gladium, iste ceruicem obtulit: vno voto, vna deuotione, ne quid profanum sit, diligenter, ac patienter geritur, quod ab altero celebratur. Ille lignum, quo exuratur, sibi portat, iste aram construit. Sub tanto non dicā humanitatis, sed ipsius naturæ metu, læti sunt. Soli cedit E affectus pietati, pietas religioni fauet, vtriq; religio. Medius stupet gladius, nullo impedimēto suspēsus, mactationi terribili gloriā se præstitisse, nō crimē. Quid hoc est? Ecce immanitas in fidē, & scelus transit in sacramentū. Parricida redit incruētus, & qui immolatus est, viuit. Ambo igitur gloriæ caritatis exēplū, ambo Dei cultus admirabile seculi testimoniū: felix orbis foret, si omnes sic fierent parricidæ. Ita Zeno. Ob hoc igitur tam nouū facinus (quemadmodum appellat Chrysost.) addit Ecclesiasticus: *Ideo iureiurando dedit illi gloriam in gente sua,*

*Præclara Abrahami obedientia.*

Genes. 22.

Zeno.

*Laboriosa tentatio Abrahami.*

*In spe nō denegat, quod contra spem accepit.*

*Filium contemnit, vt seruet.*

*Difficile, patientior sit Sacerdos, an victima.*

*Opus diligenter ac patienter ab vtroque factum, nihil profanum habet.*

*Sub naturæ metu læti sunt.*

*Stupet gladius nullo impedimento suspensus.*

Chrysost.

*crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare nomē ei⁹, & hæreditare illos à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos terræ.*

11. Deficiens ergo Abraham, mortuus est in senectute bona, plenúsque dierum, sepultus autem in spelunca illa duplici, quam in Ephron emerat à filiis Het, in sepulturam Saræ vxoris suæ, Genes. 23. 16. De spelunca duplici variæ sunt opiniones. Prima est autoris historiæ Scholasticæ, cap. 50. in Gen. duplicem dictam speluncam, quòd duæ essent, vna inferior, altera superior, & in superiori quidem corpora virorum, in inferiori fœminarum condi solita: alij eo tantùm distinguunt hæc loca, vt cadauer in superiori sedens pedes haberet in inferiorem pendentes. quem modum tribuit Tostatus cuidam Ioanni Beleth: Rabbi Salomon vnam speluncam tradit, sed quæ vel in superiori parte haberet quasi cœnaculum, seu conclaue, vel duo concamerata receptacula duobus cadaueribus recipiendis apta. Aben Esra tradit fuisse duas speluncas, vnam interiorem, alteram exteriorē, vnico ad vtramque aditu: eo, vt apparet, modo, quo apud nos templa exteriorem partem habent, quam vocant corpus Ecclesiæ, & interiorem, quæ dicitur adytum Guilielmus Harmerus duas ponit speluncas, vnam intra aliam, maiorem videlicet, & minorem. Hæ duæ posteriores sententiæ probabiles sunt, probabilior aliquantulùm quam tradit Aben Esra, quæ ideo magis placuit Caietano.

Genes. 23. 16. *De spelunca duplici variis opiniones.* Autor historiæ Scholast. Tostatus. Ioā. Beleth. Rabbi Salomon. Aben Esra. Guilielmus Harm.

## ARGVMENTVM CAPITIS XV.

INDVCITVR *Abram solicitè cum Deo agens de futuro sibi hærede, ægrè ferens, cogi se pro hærede relinquere filium Præpositi domus suæ. Hoc minimè futurum testatur Deus, facta primùm de Isaac filio, & de possidenda terra Chanaan, promissione, post longam tamen in Ægypto captiuitatem adimplenda. Iubet tandem parari animalia in sacrificium, & celebrationem fœderis, quod mirabili Visione præmonstrata solenniter sancitum est.*

| CAPVT XV. | PARAPHRASIS. |
|---|---|
| 1. His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram per Visionem dicens: Noli timere, Abram: ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. | 1. *Post victoriam, quam de quatuor regibus tulit Abram, & post occursum Melchisedech, acceptámque ab eo benedictionem: post decimas illi persolutas, Dominus ad Abram, monstratis etiam futurarum rerum per vigiliam imaginibus, ita loquutus est: Ne timeas tibi à regibus, quos vicisti, quasi refectis viribus redintegraturi sint bellum, nec verò ob id aliò migrare satagas: nam ego tibi adsum, & scuto opis meæ contra omnes aduersitates protego, ac pro impensis in mei honorem officiis ego ipse tibi ero merces exuberans, longéque ac latè ad omnia sufficiens.* (Deus quomodo merces magna nimis.) |
| 2. Dixitque Abram: Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absque liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. | 2. *At verò Abram, cùm & senio se confectum, & vxorem sterilem nosset, ita respondit: Quid prodest, si bona plurima in me conferas, cùm filium non habeam, qui mihi decedenti succedat in hæreditatem: atque idcirco statutum habeam, hæredem meum relinquere filium œconomi Damascum Eliezer? Magna autem miseria, bona plurima habere, quæ extraneus deuoret.* (Eccles. 6. 2. Filium hæredem non habere, magna miseria.) |
| 3. Addiditque Abram: Mihi autem non dedisti semen: & ecce vernaculus meus, hæres meus erit. | 3. *Planè autem exulceratum animum præ se ferens Abram, addidit: Mihi ergo non dedisti filium, qui futuræ posteritati semen esset: quamobrem coactus sum domi natum ex ancilla puerum omnium bonorum meorum hæredem constituere.* |
| 4. Statimque sermo Domini factus est | 4. *Non passus autem Deus vlteriùs affligi Abram* |

est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem.

A *Abram ob defectum prolis, hunc ad eum habuit valde consolatorium sermonem: Nequaquam filius œconomi tui hæres tuus erit, sed quem tu ipse generabis: decedes, ne dubita, lætus, legitimum tibi substituens in hæredem filium.*

5. Exduxítque eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum.

*5. Non contentus autem verbo promisisse, oculis etiam eius subiicere voluit Deus promissionem. Nocturnum igitur tempus cùm esset, puróque, ac sereno cælo stellæ decurrerent, educto extra tabernaculum Abram, ait: Vides innumeras stellas? Sic omnino habebis posteros innumerabiles, ac cælesti planè felicitate sublimes.* B

Posteri Abram stellis comparantur, quia futuri cælestes.

6. Credidit Abram Deo, & reputatum est ei ad iustitiam.

*6. Deo promittenti, & Visione promissum declaranti, nihil moratus Abram, nec vllo modo ambigens, fidem habuit. Cùm tamen incredibilia, & supra naturam polliceretur: videlicet, seni decrepito posteros, continuata per omnes ætates sobole, quo sibi perfectæ, & consummatæ virtutis famam conciliauit in omnes pariter annos consequentes.*

Abram per fidem consummatæ virtutis famam adeptus.

7. Dixítque ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum, vt darem tibi terram istam, & possideres eam.

*7. Aitque Deus ad Abram: Ego, qui in terras omnes legitimè dominor, ego ille sum, qui te de Vr patria tua apud Chaldæos, exire iussi,* C *vt te magnarum gentium parentem facerem. Hæc terra Chanaan, quam modò incolis, terra illa est, quam pollicitus sum tibi. Hanc tu olim per tuos posteros feliciter ac tutò posidebis.*

8. At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum quòd possessurus sim eam?

*8. Minimè autem diffidens Abram diuino promisso, sed pro fide posterorum satagens, qui tum propter ipsius rei difficultatem, tum propter calamitates superuenturas dubitare poterant de futuro euentu, rogat ita Deum: Vnde mihi erit adeundæ possessionis certitudo? Petit ergo, confirmet dictum ingenti aliquo portento, siue solenni pacto, & iuramento, quo veluti præmuniatur posterorum fides.* D

Abram satagens pro fide posterorum.

9. Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam.

*9. Porro Deus optimè inspiciens Abræ animum, ratúmque in posteros volens promissum suum, magno apparatu præparare iubet animalia, tum fœderi ineundo, tum sacrificio peragendo. Sume, ait, vaccam vnam trium annorum, caprámque similiter, & arietem, singulos annorum trium, sed & turturem, & columbam.*

Abram parat animalia pro sacrificio & fœdere.

10. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit: aues autem non diuisit.

*10. Obsequutus autem Deo Abram, animalia, quæ imperauit, non in plura frusta, sicut moris erat in sacrificiis, sed singula in duas medietates dissecuit, quas ita disposuit, vt vna comparem sibi ex aduerso respiceret, interiecto inter vtrasque spatio, quà facilè transiri posset. Aues autem etsi occidit, non tamen medias secuit, sed integras posuit sibi ex aduerso respondentes.* E

11. Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abram.

*11. Cùm verò hæc extra tabernaculum sub dio facta fuerint, illud quoque necessariò sequutum, vt aues carniuoræ ad prædam vndique aduolauerint, quas solicitè abigebat Abram, ne, vel contactu fœdarent, vel etiam deuorarent.*

12. Cúmque sol occumberet, sopor irruit

*12. Transacto toto illo die, qui proximè subsequutus*

rruit super Abram, & horror magnus, & tenebrosus inuasit eum.

A *sequutus est eam noctem, in qua Deus cum Abram loquutus iussit numerare stellas, sub ipsum occasum solis, sensibus omnibus graui somno correptis, mens Abrami ecstasim passa; est, raptúmque ad diuinam contemplationem.*

13. Dictúmque est ad eum: Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis.

13. *At verò Deus menti eius per oraculum illapsus, ita loquutus est: Lubet multò antè prædicere tibi tuorum posterorum futuros euentus. Illud in primis certò scies, gentem à te ortam peregrinorum more commoraturam in aliena terra: videlicet inter Chananæos, & Aegyptios, totos ipsos quadringentos annos: per magnam verò eius temporis partem affligendam, & seruituti subiiciendam ab Aegyptiis.*

Posteri Abram quadringentis annis inter Chananæos & Ægyptios.

14. Veruntamen gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo: & post hæc egredientur cum magna substantia.

B 14. *At enim non impunè ferent Aegyptij seruitutis onera, quibus nepotes tuos oppriment: manet eos iudicij mei seueritas, iuxta quam plagæ decernentur, quibus à me puniendi sunt. Fiet autem, vt exacto duræ seruitutis tempore ab Aegypto exeant, non modò liberi, sed & locupletes, spoliis videlicet Aegyptiorum onusti.*

15. Tu autem ibis ad Patres tuos in pace, sepultus in senectute bona.

15. *Quod verò ad te attinet, decedes quidem è vita, ac maiorum tuorum fidelium numero pacificè aggregaberis: & post bene actam senectutem, in sepulchro tuo requiesces.*

16. Generatione autem quarta reuertentur huc: necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum vsque ad præsens tempus.

16. *Posteri verò tui post quatuor generationes in Aegypto factas, siue clausas, in hanc ipsam terram Chanaan regredientur, vt eam me autore possideant. differam enim tandiu possessionem istam, quia nondum completus*
C *est numerus peccatorum earum gentium, quæ terram hanc incolunt: finietur autem is numerus post annos abhinc quadringentos: & tunc exterminabuntur, tuíque nepotes in earum locum sufficientur.*

17. Cùm ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas.

17. *Igitur occidente sole obscurissima terræ incubuit nox, atque inter densissimas tenebras vidit Abram fumantem clibanum, & igneam quandam facem transire inter illa animalium dissecta membra, quæ paulò antè disposuerat: fuítque id, ex communi more, signum initi pacti inter se, ac Deum.*

18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphratem.

18. *Igitur per id signum Deus eo die manifestauit Abræ mentem suam: insuper addens hæc verba, quibus pacti ipsius rationem expres-*
D *sit: Posteris tuis dabo terram hanc possidendam: erúntque termini eius, quoad meridiem, hinc riuus, qui à Nilo manat: quoad Septentrionem verò Euphrates, vnus è magnis terrarum fluminibus.*

19. Cinæos, & Cenezæos, &c.

19. *Quam terram hodie incolunt decem gentes: nimirum Cinæi, Cenezæi, &c.*

---

C O M M E N T A R I V S.

TRIA sunt discutienda; primum, quid illa diuisio animalium mysterij contineat? Deinde, num Hebræi per quadringentos annos in Ægypto morati sint? Denique, quid clibanus fumans, & lampas transiens repræsentet?

Quid

## *Quid sibi velit animalium diuisio, quidve Abram volucres abigens?*

### SECTIO PRIMA.

1. *Ritus feriendi fœderis etiam apud Hebræos, per cæsam victimam in execrationem.*
2. *Vtrumque, & ritus fœderis, & sacrificij coniunguntur. Explicatur locus Psal. 19. & Luc. 22.*
3. *Non tres vaccas (similiter de aliis animalibus) sed trium annorum vnam vaccam intelligendam.*
4. *Animalia dissecta Hebræos significant captiuitatis oneribus concisos. Muscarum per Abram expulsio, meritis eius leuatam captiuitatem.*
5. *Mortuorum iustorum merita viuis patrocinari. Explicatur locus Psal. 105. & Isa. 37.*

A

1. DOMINVS initurus pactum cum Abram hæc imperat. Vers. 9. *Sume mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. 10. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuit, aues autem nō diuisit. 11. Descenderúntque volucres super cadauera, & abigebat eas Abrā.*

*Varia lectio.* Hebr. pro, columbā, pullum columbarū. Septuaginta pro, abigebat eas Abrā, & cōsedit cis Abrā.

Constat animalium diuisionem non fuisse factam sacrificij tantùm causa. Nam quæ immolanda erant, in minutiora frusta secabantur: at hæc in solas medietates. Sed & illa constitutio partium è regione, pręter ritus sacrificiorum fuit.

*D. Ambros. Nulla hinc aruspicinæ commendatio, ex D. Ambr.*

Plus ergo aliquid mysterij in facto latet. D. Ambrosius 2. de Abraham. 8. quorundam scrupulum fuisse memorat, Gentilicæ hinc aruspicinæ commendationem aliquam desumi posse (in quo & Vallesium non puduit gentilizare cap. 30. suæ Philosophiæ sacræ, qui meritò proinde expungitur in Romano catalogo) quem scrupulum, vt tollat, varia de his mysteria piè commentus est, quæ legere poteris ad prædictum locum.

*Abul. Sola fœderis ceremonia ex Abul.*

Ergo Abulens. & alij, solam hîc agnoscunt ceremoniā paciscendi fœderis, solebant enim inituri fœdera, animalia secare execrationis causa: nimirum, vt illis similiter eueniret, qui pacta rescinderent.

*Ierem. 34. 18.*

Vnde illud apud Ierem. cap. 34. 18. *Dabo*, inquit, *viros, qui præuaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in conspectu meo. Vitulum, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius*, &c.

*Ritus fœderis, secare animalia execrationis gratia apud Hebr. & Ro. Theodoret. Liuius. Virgil.*

Quo loco ritum hunc celebrandi fœderis apud Hebræos agnoscit Theodoret. Eundem verò morem postea seruasse Romanos, testis est Liuius, 1. Decad. lib. 1. Vnde illud Poëtæ 8. Æneid.

——— *Et cæsa iungebant fœdera porca.*

*Et fœdus, & sacrificium intelligendū. Psal. 49. 5.*

2. Credibile est, vtrumque voluisse Deum, primum, vt sibi sacrificaretur; deinde, vt eo modo fœdus cum Abramo percuteret. Vtrumque enim, quasi ex more videmus coniunctum, Psal. 49. 5. *Congregate illi Sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* Verti potest: qui feriunt pactū eius super sacrificiis, id est, qui cæsis victimis fœdus cum Deo ineunt; ita hæc erit ordinatio, quā Septuaginta expresserunt: vt præmissum sacrificium sequatur ordine suo solennitas fœderis.

*Luc. 22. 20. Amoris Christi exaggeratio.*

Ad quem ritum haud dubiè Dominus allusit, Luc. 22. cùm dixit, *Hic est calix, nouum testamentum in meo sanguine.* Vbi longè patens, & magna quędam latet exaggeratio amoris Christi. Quasi dixerit Dominus: In veteribus sacrificiis pacta firmabā-



A tur, proprium quidem sanguinem obligando, sed offerendo alienum: at ego proprium statim exhibendo vobis: ideo nouum testamentum, quia non in victimarum, sed in meo sanguine. *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine.*

*Testamentum Christi proprio eius sanguine formatum. Hebr. 9. 12. Ioan. 13. 34.*

Concinit his locus Pauli Hebr. 9. 12. de Christo: *Non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit in Sancta, & ideo noui testamēti mediator est.* Vnde & noui mandati amoris institutor, Ioan. 13. 34. *Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* Idem fuerat in lege mandatum, sed ipse denuo addidit, vt suo sibi staret sanguine. Talem nobis commendat amorem.

*Triennem vaccam sumendam, similiter alia animalia.*

B 3. Aliqui opinati sunt non triennem vaccam (similitérque de capra, & de ariete) sed triplicatam legendum, vt tres vaccas sumptas esse constet, trésque capras, ac totidem arietes; licet verò ex Hebræo ita verti possit; sitque pro versione hac Paraphrastes Chaldæus: præualere tamen debet autoritas nostri Interpretis, & Septuaginta, qui triennem verterunt, eodémque modo acceperunt Iosephus & Rabbi Abraham, & Patres communi consensu.

*Animalia dissecta, Hebræi vexati. D. Hieron. Theodoret. Rupert. Rapaces volucres, Ægyptij vexatores. Exod. 5. Abraham abigens, suis meritis leuans Hebræos.*

5. Sed enim illa dissectio partium, & Abrami cura in abigendis ab eis volucribus, aliquid ampliùs ænigmatis continent. Igitur D. Hier. in quæstion. Hebraicis, Theod. Rupert. & alij cùm veteres, tum recentiores communiter existimāt,
C per animalia dissecta significari Hebræos captiuitatis futuræ laboribus miserè dilaceratos: rapaces autem volucres notare Ægyptios reges, vel magistratus molestantes insuper ac affligentes populum operibus illis duris, Exod. 5. ac denique fœdantes turpissimæ idololatriæ exemplo. Denique Abram has volucres abigendo, innuere, suis meritis olim leuandos Hebræos, atque à captiuitatis oneribus liberandos.

*Exod. 3. 15. Ideo Moysem mittens ad liberandum eos, nominat se Deum Abraham.*

Et quidem cùm Deus Moysem mitteret in Ægyptum, vt educeret populum, Exod. 3. 15. nihil aliud illi ad hoc faciendum proposuit, quàm seipsum, & Abraham, cum Isaac, & Iacob patriarchis. *Sic dices* (inquit) *filiis Israel: Qui est, misit me ad vos: Dominus Deus patrum*
D *vestrorū, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Hoc nomen meū in æternum, & hoc memoriale meum in generationē, & generationem.* Rectè enim in rem præsentē diuisisse videtur; vt prius illud. *Qui est, misit me ad vos*, vocauerit nomen suū quasi proprium;

*De Abraham memoriale misericordia Dei.*

posterius autem, nempe, *Deus Abraham*, &c. dixerit memoriale suum in generationem, & generationem; vt significaret, hoc sibi nomen esse monumentum, siue memoriale quoddam misericordiæ erga populum Israëliticum.

*Exod. 32. 10. Moyses tenuit Deum furētem, reuocando ad memoriam, quòd esset Deus Abraham.*

5. Quod quidem cùm optimè teneret Moyses Exod. 32. 10. indignatum Deum aduersùs populum, ac dicentem: *Dimitte me, vt deleam eos.* placauit dicēs: *Cur Domine irascitur furor tuus in populum tuum?* Nec aliud, quo placaret, opposuit, quàm
E id, quod sequitur: *Memento Abraham, Isaac, & Iacob*, &c.

*Psalm. 105. 23. Moyses quasi ad præruptionē muri se opposuit.*

Huc verò alludens Dauid Psal. 105. 23. & *dixit*, inquit, *vt disperderet eos, si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.* Est enim metaphora bellica, cùm hostis rupto muro vrbē adoritur; è contrario in ipsa præruptione ciues sese opponunt, ac irrumpentē animosè propellūt clypeis, hastis, missilibus: Ita Moyses sua illa vehemēti interpellatione Abrahami quasi impacto clypeo Deum auertit, qui in populū, vt ferox quidam hostis, impetum faciebat.

*Rupert.*

Vnde Rupert. ad hunc locum Genes. de quo agimus, citans etiam verba Psalmi prædicti. Cùm diceret, inquit, Deus:

*Homo tenet Deum viriliter.*

Dimitte me, vt deleam eos: tenuit homo viriliter dicens: Memento Abraham, &c. Mirum profectò tantum valere apud Deum Sanctorum merita, etiam post mortem. Quam rem D. Chrys. egregiè notauit in Dauide super illa verba Dei ad Ezechiam Isai. 37. 35. *Protegam hanc ciuitatem propter me, & propter Dauid.* Dauid, inquit, mortuus est, & merita eius vigent. O rem admirandam, homo mortuus viuo patrocinatur! O iustorum etiam post consummationem inexpugnabilis pugna! Ita Chrys. Rectè verò inexpugnabilis pugna meritorum Sanctorum, quando & ipsum Deum expugnat. Sed hoc loco illud adhuc mirabilius: quòd Abram populo nondum nato patronus est, abigendo ab eo importunos Ægyptios.

*D. Chrys. Isai. 37. 35. Dauidis mortui merita viuebant. Iusti mortui pugnant. Pugna meritorum inexpugnabilis.*


---

## *Num Hebræi per quadringentos annos in Ægypto sint morati?*

### SECTIO II.

1. *Mora Abram à mane vsque ad vesperam in sacrificio, quid significet. Quæstio celebris de tempore captiuitatis Ægyptiæ.*
2. *Probatur fuisse quadringentos annos ex locis Actor. 13. & Exod. 12. Opinio Genebrardi in Chronol.*
3. *Confutat Genebrardus opinionem Rabbinorum existimantium mansisse tantùm 200 annis.*
4. *Vera sententia; mansisse annos paulò plus 200. ex loco Pauli Hebræor. 3.*
5. *Obiectio Genebrardi confutatur.*
6. *Non mansisse totos quadringentos annos, probatur ex annis Caath, & Amram.*
7. *Quomodo explicandus sit locus præsens, explicat Augustinus.*
8. *Diluitur argumentum de incredibili multiplicatione Hebræorum. Et probatur loco Genes. 22. & Exod. 1.*
9. *Iudicium de quæstione, problematicè defendi posse.*

*Caiet. Mora Abrã in sacrificando quid significet?*

1. BRAM ab ipso mane, quæ hora sacrificandi erat, vsque ad vesperam expectauit, vt Caiet. annotat. Hæc autem mora significauit eam, qua Hebræi seruituri erant in Ægypto, quam Deus statim per oraculum explicauit, dicens, Vers. 13. *Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, & subiicient eos seruituti, & affligent eos quadringentis annis.* Vers. 14. *Veruntamen gentem cui seruituri sunt ego iudicabo. Et post hæc egredientur cum magna substantia.* Vers. 15. *Tu autem ibis ad patres tuos in pace sepultus in senectute bona.* Vers. 16. *Generatione autem quarta reuertentur huc.* Hebr. Pro futuro iudicabo, præsens, iudico, ad exprimendam certitudinem, more linguæ. Septuaginta. Pro, Cum multa substantia. Cum apparatu multo. Et pro, Sepultus in senectute bona: Nutritus in senectute bona.

*Varia lectio. Præsens apud Hebræos certitudinẽ innuit.*

Magna hoc loco, atque celebris difficultas est: nimirum an sit verum, Hebræos in Ægypto seruiisse totos quadringentos annos? Nam quòd ita dicendum sit, videbitur alicui citra controuersiam: primum, quia hic disertis verbis dicitur: *Subiicient eos seruituti, & affligent quadringentis annis*: nam vna generatio, est vnum seculum ex vi etiam vocabuli. Atque hic locus totidem verbis citatur ab Stephano Actor. 7.

*Celebris difficultas; an Hebræi seruierint in Ægypto quadringentis annis? Pars affirmatiua probatur à Genebrardo. Act. 7. 6. Act. 13. 17.*

2. Confirmatur deinde ex illo Actor. 13. *Cum* A *essent in Ægypto, in brachio excelso eduxit eos, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto, & destruens septem gentes in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram, quasi post quadringentos, & quinquaginta annos.* Vbi ad commorationem in Ægypto, addidit quadraginta annos in deserto consumptos, & ferè decem alios subiugandis Chananæis transactos, quibus detractis manent quadringenti habitationis Ægyptiacæ. Præterea Exod. 12. ita dicitur: *Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* Quo nihil dici potuit clarius; nec conturbare debet, quòd addat triginta annos, qui omittuntur hîc; numerus enim minor in B Scriptura, sæpe non curatur. Ita sentit Geneb. *lib. 2. suæ Chronologiæ.*

*Exod. 12. 40.*

3. Reiicitur ergo iuxta hanc sententiam commune assertum Rabbinorum: Hebræos scilicet mansisse in Ægypto ducentos duntaxat ac decem annos, quod contendit Genebrard. Primò, quia videtur repugnare disertis Scripturæ verbis; præterea rationi; quia verisimile non est, intra tam breue tempus adeò excreuisse genus Hebræorum in Ægypto, vt in egressu, præter fœminas, atque pueros, numerari potuerint sexies centena millia bellatorum, Exod. 12. sed & illud prodigiosius sequitur: è septuaginta viris, qui dicuntur in Ægyptum ingressi, Genes. 46. duabus tan- C tùm generationibus, quas aiũt intercessisse inter ingressum in Ægyptum, ac egressum, nimirum Caath filij Leui, & Amram patris Moysis, tam immensam hominum pullulasse segetem. Vt enim demus quinquagenos singulis filios, & in singulos filios centenos nepotes; nepotes pariter atque filij, millia trecenta, & quinquaginta tria ad summum conficient, vt bene supputanti manifestum euadit. Hæc Genebr. Qui etiam Augustinum, Eugubinum suffragatorem sibi adsciscit, nec ab eius sententia multùm abesse videtur ex antiquis scriptoribus Cyrillus Alexand.

*Commune assertũ Hebræorum reiicitur à Genebrardo.*

*Exod. 12. 37. Genes. 46. 27.*

*August. Eugub. Cyril. Alex.*

Est tamen omnino certum, Hebræos in Ægypto moratos esse paulo plus ducentis annis. D Primum, quia D. Paul. ad Gal. 3. 17. agens de promissione Abrahæ facta, Genes. 12. 3. ita loquitur: *Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuãdam promissionem.* Id est, cùm præcesserit pactum Dei cum Abrahamo, quòd per eius semen omnes gentes essent benedicendæ; lex quæ post hanc promissionem Iudæis solùm data est, non ideo data est, vt in ea contingeret hæc generalis benedictio, alioquin irritum maneret primum illud pactum. Iam sic si à promissione facta Abrahæ ad datam legem fluxerunt anni 430. aut Hebræi non manserunt in Ægypto ipsos 400. annos; aut certè locus Pauli E fallitatem continet, quod dici nefas est. Ostenditur euidenter: quoniam à promissione ad ingressum in Ægyptum quindecim supra ducentos fluxêre anni, vt apertè colligitur ex Genes. 12. 21. 25. & 47. Nam vt hæc loca diligenter collata inter se demonstrant à prima promissione vsque ad natum Isaac intercesserũt anni viginti quinque, & Isaac 60. annos natus genuit Iacob: ergo à promissione ad Iacob natum anni 85. numerantur. Iacob autem trigesimum supra centesimum agens ingressus est Ægyptum, igitur à promissione ad ingressum colliguntur anni quindecim supra ducentos. Rursus, si commoratio Ægyptiaca fuit quadringentorum annorum, apertum est

*Assertum Hebræorum valde probabile: mansisse Hebr. ducentos annos. Gal. 3. 17. Genes. 12. 3. Confirmatur hæc pars.*

*Genes. 12. 21. 25 & 47*

est à promissione ad exitum, siue ad datam legem fluxisse annos quindecim supra sexcentos, quod Pauli dictum omnino destruit, qui solos quadringentos triginta ponit.

*Obiectio Genebr.* At est obiectio Genebrardi: Paulum loco citato nos tantùm remittere ad Scripturam, Exod. 12. idque solum velle, se non de quolibet testamento loqui, sed de illo tantùm, quo scribitur esse lex facta post 430. annos, non vtique à promissione: nam repugnat locus Exod.12. ad quem alludit; sed de descensu Israëlitarum in Ægyptum: illud enim, post, non retulit ad promissionem, sed ad legem factam eo tempore, quod Moyses designauerat, quasi dicat Paulus: Lex quæ post 430. annos facta legitur Exod.12. testamentum Dei priùs Abrahæ factum, irritum non potest facere. *Refutatur obiectio.* Verùm hæc interpretatio longè abest à mente Pauli, qui in eo est totus vt doceat promissionem præcessisse, legislationem securam esse, & prius à posteriori abrogatum non esse. non liqueret autem antecessisse promissionem, si illa annorum supputatio non à promissione, sed ab ingressu in Ægyptum sumenda esset; quo modo enim (dicet aliquis) ex tuis verbis, ô Paule, constat, ingressum promissione esse posteriorem? Præterea de promissione facta fuerat mentio; de ingressu nulla. Conuenientissimè ergo ad ipsam loquendi seriem facienda est à promissione computatio. Quod si ab ingressu, cur non ab ingressu Abrahæ, de quo sermo proximè præcesserat, cùm constet, ipsum à Palæstina in Ægyptum aliquando etiam descendisse? Si ergo à promissione potiùs numerari oportet, manifestè sequitur, Hebræos in Ægypto tantùm mansisse annos quindecim & ducentos; nam sublatis aliis ducentis & quindecim, quos diximus fluxisse à promissione ad ingressum vsque, è quadringentis triginta remanent quindecim, similiter, ac ducenti in Ægypto transacti.

*Non mansisse in Aegypto totos ipsos 400. annos.* 6. Adhæc & si demus, non mansisse prædictos quindecim ac ducentos, quod tamen apertè monstratum est, illud certè obtineri non potest; mansisse scilicet in Ægypto totos ipsos quadringentos annos. Nam Caath adhuc puer ingressus est in Ægyptum cum patre Leui, vt dicitur Gen. 46. 11. *Genes.46. 11.* Demus autem ingressum fuisse trimum, is vixit annos 133. Exod.6.19. *Exod.6. 19* Deinde Caath fuit pater Amram, quem quidem (vt res meliùs constet) genuerit vltimo suæ ætatis anno, quod tamen credibile non est. Fluxerunt ergo ab ingressu, vsque ad natum Amram 130. anni; Amram verò, vt scribitur ibidem, vixit annos 137. cuius filius fuit Moyses, quem demus etiam extrema ætate sustulisse: & Moyses octoginta annos natus eduxit populum, igitur legitimè computando ab ingressu ad exitum fluxerunt anni duntaxat 347. nullo verò modo quadringenti. *Genebr. Exod.6. 20. Obiicit Genebr.* Opponit Genebr. Amram plures annos vixisse; cùm enim dicitur Exod.6. 20. *fuerunt anni vitæ Amram* 137. intelligendum est quando genuit Moysem; licèt plures adhuc vixerit. Amram quippe inter illos 7. viuacissimos numeratur. Deinde, quia fortè Scriptura transiliit aliquot inter medios obscuriores more suo, & nihilominus gignendi verbo vsa est; quòd nepotes sint filiorum loco, vt Matth.1. Iosias genuit Ieconiam, qui tamen non filius eius; sed nepos fuit. *Math.1. Refutatur.* Sed prius illud liberè assumptum videtur, & cõtra morem Scripturæ: quando enim totam hominis ætatem complectitur, ita loquitur; fuerúntque anni vitæ

A N. centum, &c. Cùm verò tantùm tempus generationis, addit etiam gignendi verbum. Deinde, quia, etiam si demus multos adhuc vixisse annos post genitum Moysem, parum refert, quoniam huiusmodi tempus censeri non debet inter ingressum, & egressum; reliquum autem quod manet vix tercentum quadraginta conficit, vti vidimus, quod verò comminiscitur de prætermissis aliis auis, non minùs liberè dictum est. Primum, quia 1. Parali. 6. vbi Leuiticæ familiæ omnes *1.Paral.6.* ordine recensentur, hi ipsi nec præterea alij Moysis numerantur parentes, atque aui. Deinde, quia iam plures intercessissent generationes, quàm quatuor inter Caath, & Moysem, vt facilè probari posset.

B 7. Sed vehementiùs vrget primum locus præsens: futurum scilicet semen Abrahæ peregrinum in terra non sua, & affligendum quadringentis annis, & quarta generatione reuersurum. *Præsens locus, & Exod.12. fauet Genebr.* Deinde locus Exod.12. 40. habitationem filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuisse quadringentorum triginta annorum; *Exod.12. 40.* quæ duo loca quomodo concilianda sunt cum superiori Pauli ad Galat.2. nescire se prorsus ingenuè fassus est D. Hieron. ad Galat.3. August. tamen 16. de Ciuita.24. & in quæst. super Exod. vtrique loco satisfieri abundè credit, si dicatur, quadringentos illos annos non quidem in Ægypto consumptos, sed seruientibus illis in Ægypto completos esse; *Ad Galat.2. D.Hieron. D.August. D. Augustini responsio.* & adducit pro exemplo, quod de Thare Abrahæ patre dicitur Genes.11. 32. *& fuerunt* C *dies Thare in Caram quinque, & ducenti anni*; *Gen.11. 32.* non quia in Caram omnes acti fuerunt, sed quia completi ibi: quare, & Græci interpretes ita vertunt: incolatus, quem incoluerunt filij Israël in Ægypto; & in terra Chanaan, ipsi & patres eorum, fuit 430. annorum: similiter de hoc præsenti loco: Scito prænoscens, quòd peregrinum erit semen tuum in terra non sua. intelligitur pro terra Chanaan, & Ægypto: nam licet Deus terram Chanaan promiserit Abrahæ, id intelligitur, post completam peregrinationem. Vnde illud Act.7. 4. de Abraham: *Transtulit illum in terram istam, in qua vos nunc habitatis, & non dedit* *Act.7 4.* D *illi hæreditatem in ea, nec passum pedis: & repromisit dare illi eam in possessionem.* Deinde cùm additur: *& subiicient eos seruituti, & affligent quadringẽtis annis*, intelligendum, partim de seruitute Ægyptiaca, partim de afflictione extra Ægyptum, ibi tamen vltimo completa. Similiter intelligendum de reuersione post quartam generationem, scilicet, completam in Ægypto.

8. Denique illud de multiplicatione incredibili in tã breui tempore ita soluitur: inter Caath quidem ac Moysem duas tantùm generationes intercessisse; at inter eos, qui vnà cum Caath ingressi Ægyptum sunt, & ipsorum posteros, qui cum Moysi egressi sunt, potuisse intercedere plures, è quibus intra paucos annos succreuerit magnus ille Israëlitarum numerus, *Quid respondendum ad illud de multiplicatione Israelitarũ.* E Deo præcipuè multiplicationem istam promouente, iuxta promissum Genes.22.17: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam*, &c. *Gen 22. 17.* Quod vel in ipsa captiuitate maximè apparuit. Vnde Exod.1. 7. *Filij autem Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.* *Multiplicatio filiorum Israel, vt fœtura piscium ebullientium.* Nam Hebraicum שרץ quod noster multiplicare vertit, de fœtura piscium propriè dicitur, itaque ebullire in morem piscium significat. *Exod.1.7. שרץ* Vnde alij vertunt: vermium more scaturiebant aucti in immensum.

[illegible] pro ista opinione quæ vera est, quám- [illegible] ex antiquioribus D. August. locis ci- [illegible] bius in Chronicis, vtraque glossa, Ru- [illegible] tens. Ex recentioribus verò Lyranus, [illegible] t. Legionensis, Lippomanus in cate- [illegible] dictus Pereira ad hoc caput, Salmeron [illegible] tam ad Galat. & Rabbini communiter. [illegible] verò responsiones Genebrardi non sa- [illegible] tunt, fit profectò, vt eius opinio admitten- [illegible] non sit, vt mitiùs dicamus. Nam Benedictus [illegible] ssam pronuntiat.

---

## Quid significet clibanus fumans, & lampas ignis transiens per medias diuisiones?

### SECTIO III.

1. *Igne cælitus misso in sacrificium significatur diuina acceptatio. Explicatur locus Genes. 4. & verbum deuorandi in igne sacrificij.*
2. *Ritus transeundi inter partes diuisas in fœdere confirmabat fœdus. Vult Deus obligari nobis.*
3. *Quid clibanus sit, explicatur: quid lampas transiens. Vtraque populi confirmatio & illustris liberatio significatur.*
4. *Clibano alij Dei vindictam in Ægyptios, lampade securitatem Hebræorum significant. Iudicare punire publicè. Explicatur locus Psal. 77. securitas explicatur loco Exod. 14. Alij clibano, & lampade timore, & spe ductos Hebræos, ostenditur in columna ductrice.*
5. *Alij clibano iudicium extremum. de iusti salute difficili. locus Bern. & de Iehu 4. Reg. 10.*
6. *Iusti horrent iudicij diem. locus Chrysostomi, alter Ephrem Syri explicatur celebri emblemate.*
7. *Quomodo clibano, & lampade iudicium repræsentetur? Ira Dei per ignē. Locus Hieronymi, quia in igne vis discernēdi vtile ab inutili. Locus 1. Cor. 3. Quomodo lampas transiens erga iustos.*

1. POST solis occubitū exhibita sunt Abram quæ sequūtur. Vers. 17. *Cum ergo occubuisset Sol, facta est caligo tenebrosa, & apparuit clibanus fumās, & lāpas ignis transiens inter diuisiones illas. 18. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, à fluuio Ægypti, vsque ad fluuium magnum Euphratem.*

Theodoretus in apparitione clibani, & lampadis, significari putat, acceptationem sacrificij Abrahæ. Nam igne cælitus misso id solitum demonstrari, sacræ literæ prodiderunt. Nec aliud sibi vult illud Gen. 4. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* vt docet Hieron. lib. de traditionib. Hebra. in Gen. idque declarauit in sua versione Theodotio, sic legens: & inflammauit Dominus super Abel. Similiter Leuit. 9. ad primum sacrificium Aaron; *Apparuit gloria Domini omni multitudini.* Vt verò qualiter apparuerit innotesceret, additur: *Et ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum.* In eo, scilicet, visa est gloria Domini, quòd ignis repentè descenderit, ac absorbuerit holocaustum: ita illud gratissimum sibi esse significauit, cùm in eius deuoratione, gloriam suam constituerit. Quin & deuorandi, siue comedendi metaphora, iuxta Hebræum, innuit gustum quendam, ac auiditatem circa idem sacrificium. Eadem porro significatio diuini per ignem beneplaciti data est in sacrificio Gedeonis, Salomonis, & Eliæ.

*Theodoret. Sacrificij acceptatio per ignem cælitus missum. Genes. 4. 4. D. Hieron. Theodoret. Leuit. 9. Respectus Domini ad sacrificium Abel per inflammationem. Deuoratio sacrificij per ignem gratū illud esse significat. Iud. 6. 11. 2. Paral. 7. 1. 3. Reg. 18. 38.*

2. In transitu lampadis ostenditur ritus ineundi fœderis. Solebant enim inter diuisas animalium partes transire paciscentes, & hoc transitu ratum manebat pactum: vt videre est loco illo superiori sectione citato. *Vitulum, inquit, quem conciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius Principes Iuda,* &c. Deus igitur sub specie lampadis ad firmandum cum Abram pactum inter medias diuisiones transit. Ecce (inquit Caiet.) quò Deus cura sua descenderit, vt ad similitudinem paciscentis hominis se gesserit cum homine, & tanquam ex contractu obligatum se exhibuerit, quod ideo facit, vt confidentiores nos erga se reddat. Notauit Bernard. homil. 4. super Missus est, Multa, quæ dare disposuit Deus, priùs polliceri, vt ex promissione deuotio excitetur. Sicque, ait, gratis tribuendo, prouenit, vt postea non tribuat gratis. & Chrys. homil. 15. super Matth. Ipsum, ait, tene debitorem, ipsum exige: hac enim exactione delectatur: nam ideo toties in Scripturis se vadem exhibet, vt præbeat occasiones exigendi. ita ibi. Hinc illa querimonia D. Chrysologi serm. 25. Homo, inquit, homini exiguæ cartulæ obligatione constringitur: Deus tot ac tantis voluminibus cauet, & tamen debitor non tenebitur? Sic ille.

*In transitu lampadis ritus ineundi fœderis. Deus sub forma ignis transit ad firmandum pactum. Caiet. Deus se obligare vult ex fœdere inito. D. Bern. Deus promittit, vt obligatum se ostendat. D. Chrys. Deus debitor noster. D. Petr. Chrysolog. Deus nō vna carta, sed omnibus Scripturæ voluminibus cauet.*

3. Verum enimuero, clibanus fumans, vel seruitutem Ægyptiacam significat, iuxta illud Deut. 4. 20. *Duxi vos de fornace ferrea Ægypti;* vel ipsum feruientem in Ægypto populum. Clibanus enim in Scriptura sacra laboribus, ac tribulationibus vexatos significat, Psal. 20. 10. *Pones eos vt clibanum ignis.* Loquitur cum Deo de hominibus malis, hoc sensu: Exures eos, ita vt maneant veluti incensus clibanus, id est, vtiliter exusti, vnde sibi ipsi caueant, & exempla alij melioris vitæ sumāt; sicut clibanus ad plures vitæ vsus incendi solet: non enim Deus frustra punit; quod rectè Isaias de populo à Deo percusso ait cap. 27. 7. *Nunquid iuxta plagam percutientis se, percussit eum?* est Hebraismus æquè, ac Lusitanismus significans meram percussionem, & reddi potest: Nunquid percussit eum vt percuteret? & subintelligitur: non nisi, vt erudiret illum magis. Ad eundem ergo modum posuit Deus Hebræos in Ægypto, vt clibanum ignis; comburendos scilicet, sed non perdendos, imò corroborandos ampliùs: sicut clibanum ignis ipse corroborat, quod Theodoretus eruit, ex eo quòd Abram iussus est hîc animalia cætera diuidere, aues autem minimè. Vt significaretur, Hebræos licèt multis modis vexatos, integros tamen auolaturos ex Ægypto. Lampas igitur transiens in hoc sensu repræsentat illustrem illā populi ex Ægypto liberationem. Deus enim quasi in tenebris oberrantibus prætendit facem, vt tutò exirent: ideo & lampas transiens ponitur; quasi ipso transitu inuitans ad exitum: vt de populo sic exeunte verè dicatur illud Eccl. 50. 31. *Lux Dei, vestigium eius,* id est, præeuntis lucis vestigia sequitur.

*Deut. 4. 20. Clibanus laborantes significat. Ps. 20. 10. Laborantes vtiliter exusti. Isai. 27. 7. Deus non percutit, vt percutiat, sed vt erudiat. Hebraismus. Tribulatio corroborat. Theodoret. Iusti inter labores integri. Hebræorum illustris liberatio. Deus facem prætendit suis. Ecclesiast. 50. 31.*

4. Alij verò ita diuidunt, vt clibanus fumans significet Dei vindictam in Ægyptios; lampas transiens securitatem, ac lætitiam Hebræorum etiam sæuientibus plagis. Ac primum quidem statim hoc loco minatur Deus dicens ad Abram: *Gentem, cui seruituri sunt, ego iudicabo,* id est, puniam: quæ

*Clibanus vindictam, lampas securitatem innuit. Iudicare, vlcisci palā.*

quæ significatio in Scriptura frequens est,& propriè est vlcisci palàm, quasi adhibita iudiciali pompa, quod rectè quadrat in Ægyptiorum plagas, de quibus agens Dauid Psal. 77. 50. per exaggerationem: *Viam*, inquit, *fecit semitæ iræ suæ*, &c. Vbi August. Erat enim semita iræ Dei, qua Ægyptiorum impietatem occulta æquitate puniret, sed eidem semitæ viam fecit, vt eos tamquam ex abditis, per malos Angelos in manifesta scelera perducens, in euidentissimos impios euidentissimè vindicaret. Ita Aug. & de Hebræorum interim securitate idem in serm. 89. Stabant Hebræi, vindicta dominante illæsi, quos & propria salus lætos reddebat, & plaga hostium lætiores; eràntque Domino ipso protegente inuicti. Vtrũque verò, nempe Ægyptiorum tribulatio, & felicitas Hebræorum, in transitu maris rubri manifestè apparuit: sic enim Exod. 14. 19. *Columna nubis priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorum, & castra Israel; & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* quod explicans Chaldæus: Erat nubes, inquit, & obscuritas Ægyptiis; Israëli autem lux tota nocte. Denique, sunt etiam, qui clibani, & lampadis mysterium, solos Hebræos concernere dicant, vt futurum ex Ægypto per columnam ignis ductum repræsentet, ostendátque Hebræos, & timore supplicij, & pollicitatione præmij per desertum ductandos, quod egregiè rimatus Alex. Clem. in adhortatoria ad gentes paulò post principium, in ipsa columna ignis; quæ ardorem præferebat, pariter, atque lucem, inducit Deum quasi ita loquentem ad populum rebellem: Si obedieris, lucem; si non obedieris, ignem.

*Ps. 77. 50.*
*Peccata maiora permittuntur, vt euidentius puniantur.*
*Hebræi inter Ægyptios laborantes, læti & inuicti.*
*Exod. 14. 19.*
*Nubes tenebrosa & lucida, quomodo.*
*Timore pœnæ, & spe præmij administrat Deus.*
*Clemens Alex.*
*Lux, obedientia præmii: pœna inobedientia, ignis.*

5. Denique Patres aliqui, inter quos est August. 16 de Ciuitate cap. 24. ponderantes, quomodo ad vesperam ingenti caligine tenebrosam, apparuerit clibanus, ac eo viso totus cohorruerit Abram, dixeritque Deus: *Gentem cui seruituri sunt, ego iudicabo*: extremum hîc iudicium intentari putant. ac primum horror Abrami iusti sequitur ex illo 1. Petri 4. 18. *Iustus vix saluabitur.* Nam Bern. serm. 55. in Cant. illud Psalm. 47. 3. *Cùm accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Vias iustorum, inquit, ni fallor, & actus eorum, qui videbantur iusti, examinaturum se dicit: nunc enim ego quidem videor, sed non video. vereor exploratoris illius visum, qui post parietem stat: de hoc enim ideo Scriptura addit: quòd ex acumine visus capreæ similis sit: nimirum vt visu etiam transmittat parietem. Ita ferè Bern. Huius districti iudicij, etiam super actus iustos, exemplum insigne habemus in Iehu, quem Deus elegit ad puniendum Achab propter mortem Naboth. Is enim, post occisum Achab in agro Iezrael iuxta præceptum Domini, egregiè laudatur ab eo, 4. Reg. 10. 30. *Quia studiosè*, inquit, *egisti quod rectum erat, & placebat in oculis meis, & omnia, quæ erãt in corde meo fecisti contra domum Achab, filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel.* Ecce factum Iehu ex testimonio Domini, non modò studiosum prædicatur, sed præclaro remuneratur præmio, & tamen Oseæ 1. 4. ait idem Dominus: *Adhuc modicũ, & visitabo sanguinem Iezrael super domum Iehu.* id est, post paululum vindictam sumam de domo Iehu ob sanguinem, quem effudit in agro Iezrael. Hic locus comparatus ad præcedentem, crux est multorum ingeniorum; nam si tot verbis laudauit Dominus factum Iehu, quomodo est adhuc in eo quòd vlciscatur? Multi multa dicunt, sed Ruperti optima videtur responsio; Iehu in ea

*D. Aug.*
*Iudiciũ extremum.*
*1. Petr. 4. 18.*
*D. Bern.*
*Ps. 47. 3.*
*Iustitia, actus iustorũ optimi.*
*Visus Dei exploratur, etiam per parietes.*
*4. Regũ 10. 30.*
*Iehu in eo, quo laudatur à Deo, simul increpatur.*
*Oseæ 1. 4.*
*Rupert.*

A vltione ex peculiari odio multa gessisse, quibus mandati Domini metas transiliit: præsertim, quia non solùm zelo Dei, sed etiam cupiditate regnãdi executus est eius sententiam; ac adeò factum ipsius post mortem ad exactam iudicij diuini libram iure damnatum esse, ac postea in eius posteros seuerè vindicatum. Hæc sola iudicij districtio penes Deum terrorem etiam iustis parere solet; rectè enim pronunciatum est à Nazianz. de plaga grandinis. In die, inquit, iudicij terroris plenum tribunal, magísque etiam iustum, quàm terribile; imò, vt rectiùs dicam, idcirco terribile, quia iustum.

*Iehu quoad substantiam obediẽs laudatur. Quoad excessum odij, cupiditatisque increpatur.*
*D. Nazian.*
*Tribunal Dei magis iustũ, quàm terribile.*

6. Merito igitur Abram horrore perterritus est, sola eius rei imaginaria visione. *Horror*, inquit,
B *magnus, & tenebrosus inuasit eum*; quin & sanctissimos quoque viros magnopere semper perculisse compertum habemus; hinc illa Chrysostomi vox super cap. 24. Matth. Nam me, inquit, cùm ista (quæ scilicet in extremo iudicio contingent) in mentem veniunt, horror inuadit terribilis, & amarissimè perflens ex profundo corde ingemisco. ita Chrysost. Ephrem Syrus serm. de extrem. Iudicio, & compunctione. Corde, ait, se tremere ob exactam discussionem cordium, quæ tũc fiet. Omitto cæteros. Quòd si harum rerum sola recordatio ita concutit, quid faciet veritas? Scitè profectò quidam arborem pinum, è qua naues fieri solent, in tabella pinxisse dicitur ea forma,
C vt ventorum flatibus hinc inde ingruentibus concussa tremeret, ac toto vertice nutabunda perstreperet, cum hac inscriptione: Quid erit in pelago? id est, si pinus hæc ita quatitur, cùm fixo adhuc stat supra terram stipite, quid patietur, cùm in formam nauis redacta supra instabiles feretur vndas? Si manentes adhuc in hoc mundo sola iudicij memoria tam fortiter concutit, quid erit in pelago, id est, in procelloso iudicij tremendi die? Hæc de horrore Abrami.

*D. Chrysost.*
*D. Chrysostomus horret iudiciũ.*
*D. Ephrem.*
*S. Ephrem timet discussionem cordium.*
*Veritas iudicij longè maior quauis exaggeratione.*
*Ostenditur picto emblemate.*
*Iudicij dies, procellosum pelagus.*

7. Iam verò clibanus fumans, & lampas ardens ipsummet iudicium significat; idque primùm propter iram, qua totus Deus ardebit in peccatores. Vnde illud Hieron. in regula Mona-
D chorum; Quid faciemus in illa die miseri, quando reuoluto cælo cũ Angelicis virtutibus igneus Dominus totus aduenerit? Præterea ob formam indicandi; quia sicut in igne est quædam discernendi vis, inter id quod vtile est, atque reprobum, ita erit in extremo iudicio, quod optimè declarat illud 1. Corint. 3. 12. *Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulas: vniuscuiusque opus manifestum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur*, &c. Vbi Theod. Acris, inquit, ac vehemens examinatio, eos quidem, qui rectè vixerunt, tanquam aurum, & argentum, reddet splendidiores, eos verò, qui iniquitatem
E fecerint, instar ligni, fœni, stipulæ in cineres vertet: materiæ namque differentiam non vita præsens, sed futura coarguit. Ita Theodoret. Hoc etiã videtur innuere illa visio clibani, ac lampadis: erit enim iudex clibanus fumans aduersùs impios, molestans vehementer, ac miserè contorquens illorum conscientias; sed erga bonos erit lampas transiens: id est, fax quidem ignea, quæ, si quid purgãdum fuerit, breuiter excoquat, & spẽ certam gignat transeundi ad vitã æternã. Hæc de prima Visione, cuius literalẽ sensum studuimus huc vsque exprimere. Mysticos excursus, & latè fluẽtes allegorias cõsultò omisimus. Lege D. Ambrosium toto secundo libro de Abraham.

*Deus totus ardens in iudicio.*
*D. Hier.*
*Iudicium habebit vim discernendi sicut ignis.*
*1. Cor. 3. 12.*
*Quid ædificare aurum, stipulas, &c.*
*Theodor.*
*Materiæ differentiam sola vita futura coarguit.*
*Clibanus fumans, iudex molestans: lampas transiẽs, purgatoriũ breue.*

VISIO



# VISIO SECVNDA, QVAM HABVIT IACOB.

*Geneſ.28.*

## PRÆFATIO.

*De Iacob Vidente.*

[*Chronologia Iacob.*] [Gen.24.62.]

1. IAcob filius Iſaac & Rebeccæ, natus Berſabee, ad puteum Videntis, & Viuentis, Geneſ. 24. 62. anno à mundi primordio bis milleſimo centeſimo octauo: & à diluuio Noëtico, anno quadringenteſimo quinquageſimo ſecundo. Sortitus id nominis, ex eo quod accidit in vtero matris: nam cùm duos geſtaret, egreſſo vno rufo & hiſpido, alter plantam eius manu apprehendens ſequutus eſt; [*Notatio nominis Eſau & Iacob.*] propterea prior vocatus eſt Eſau, hoc eſt, piloſus, poſterior Iacob, quaſi ſupplantator, ab vſu luctantium, qui, vt ſuperiores euadant, plantas alterius, vel manu iniecta, vel pede ſuppoſito, impellunt ad caſum; aliquando ſupplantator, metaphoricè pro doloſo & fraudulento, in qua ſignificatione nomen vſurpauit Eſau [Gen.27.] Geneſ.27. cùm dolens, quòd per fraudem Iacob ſurripuerat benedictionem; *Iuſtè*, inquit, *vocatum eſt nomen eius Iacob, ſupplantauit enim me en altera vice.* Verùm impoſitio nominis priorem ſignificationem reſpicit, in qua (vt ait D. Chryſ.) demonſtrata eſt prophetia, quòd maior ſeruiturus erat minori, Geneſ.25.23. [D.Chryſ. Gen.25.23. *In nomine Iacob, prælatio eius ſupra fratrē.*] Nam plantam apprehendiſſe manu, inquit, ſignum eſt defatigantis eum, qui fortior videbatur: ac adeò ſuperioris quoad vires corporis, ac fortitudinem animi. Quin & Rupertus, Vtriuſque, ait, habitus oſtendit, quis intus fuerit princeps duelli: [Rupert. *Habitus vtriuſque in egreſſu, oſtēdit, quis fuerit princeps intus.*] videlicet Eſau colliſus à Iacob, quaſi fugere videtur, íſque manu tenens pedem inſequentis, ac terga deuicta pulſantis ſchema præfert. ita Rupert.

2. Victoriam hanc probauit euentus; nā Iacob tulit ab Eſau primogenituram: primùm quidem iure emptionis, poſtea iure benedictionis paternæ, quam matris bonis artibus præripuit. [*Primogenitura, ius ſucceſſionis in principatum familiæ, &c.* Lippom.] Erat primogenitura (vt ait Lippomanus in catena Geneſ.) ius ſucceſſionis in principatum familiæ; item in duplicem portionem bonorum patris; præterea ad benedicendum publicè ac ſacrificandum, quod priuatim inſtitutum eſſe poſt diluuium docet D.Hieron. in traditionibus Hebraicis ſuper Geneſ.cap.27. [D.Hier.] Itaque habebat tunc primogenitura annexū aliquid ſpirituale, ſicut habet apud nos ius patronatus. [*In primogenitura annexum aliquid ſpirituale.*] Eſau igitur parui pendens hæc omnia, vili edulio commutauit: homo ſanè ſtolidus, ac verè profanus, vt vocat Paulus ad Hebræos 12.16. hoc eſt, expers pietatis, & irreligioſus. [Ad Hebr. 12.16. *Eſau homo profanus, hoc eſt, expers pietatis.*] At Iacob hæc ipſa non emit propriè, ſed ex diuina reuelatione per matrem edoctus eſſe ſua (nam illa à Deo audiuit, *Maior ſeruiet minori*, Geneſ. 25.23.) acquiſiuit eo modo, quo potuit, redimendo (ait D.Thomas 2.2.quæſt.100. art.4.) ſuam vexationem ab iniquo occupatore iuris ſui: [*Iacob non emit propriè primogenituram, ſed acquiſiuit ab iniquo occupatore.* D.Thom. Caiet.] eo meliùs ignorante (annotat Caiet.) quàm ſciente, quo, etiamſi ſciret, difficiliùs cederet: nam cognita Dei, & patris ordinatione circa benedictionem datam Iacob, adhuc illi minatus eſt mortem, Geneſ.27.41. [Gen.27.41.] *Venient*, inquit, *dies luctus patris mei, & interficiam Iacob.*

3. Iure etiam benedictionis paternæ legitimè adiit primogenituram: non enim dolo eam præſumpſit, ſed myſterio, vt loquitur Auguſtinus: [D.Aug. *Benedictionem rapuit, non dolo, ſed myſterio.*] nam 6. de Ciuitat.cap.37. expendens quomodo Iacob Geneſ.25. appelletur homo ſimplex, ita ſcribit: Dolus Iacob, ne putaretur fraudulentus dolus, ſed in eo potiùs magnæ cuiuſpiam rei myſterium quæreretur, ſuperiùs prædixit Scriptura: Erat Eſau homo ſciens venari, & agreſtis, Iacob autem homo ſimplex, habitans domum. [*Eſau doli artifex, Iacob ſine dolo.*] Hoc noſtri quidam interpretati ſunt, ſine dolo; ſiue autem ſine dolo, ſiue ſimplex, ſiue potiùs ſine fictione dicatur; quod eſt Græcè ἄπλαστος, quis eſt in præripienda benedictione patris dolus, hominis ſine dolo? quis eſt dolus ſimplicis? quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis? Hæc Auguſt. Erat ergo Eſau venator, & quaſi doli artifex: Iacob domi habitans, hoc eſt, nemini noxius.

*Iacob sub veris Esau vestibus, verus ostendebatur.* D. Ambros. *Iacob seniore fratre senior.*

A noxius. Videlicet repræsentabat sub veris Esau vestibus verum, & qualem oportebat esse primogenitum Esau, ideo D. Ambros. 2. de Iacob & vita beata, cap. 2. Iunior frater, inquit, seniorem exuit, quia senili præstabat sapientia. Senior ergo ipse reuera frater, Esau verò iunior; quare is illi cedat, & ius veritatis, & Dei voluntas pronunciat. Apparet ergo (inquit Caiet.) bona intentio Iacob, qui non animo fallendi patrem, sed assequendi diuinum promissum, ad percipiendam benedictionem accedebat.

Caiet.

B 4. Verùm prudens mater verita ne Esau cogitata sua de nece Iacob compleret, ex consilio patris Isaac misit eum in Mesopotamiam, Genes. 27. Isque peregrè abiens scalæ Visionem hausit, de qua mox dicendum. Perueniens autem in Mesopotamiam, & exceptus domo à Laban, duas eius filias Liam, & Rachelem, quatuordecim annorum seruitute, quasi iusto pretio, in vxores comparauit. Moris quippe apud Hebræos, ac plurimas alias nationes fuit, vt vxor dotem afferret, virque munera pro dote, quibus sese inuicem quasi coemerent. Vnde apud Romanos vnum genus matrimonij erat per coemptionem, vt videre est apud Brissonium lib. de ritu nuptiarum; quòd si maritus pauper erat, locabat operam suam socero pro filia, quod fecit Iacob. Et Saul Dauidi pauperi imposuit, vt pro sponsalibus Michol offerret sibi centum præputia Philistinorum, 1. Reg. 18. *Non habet*, inquit, *rex sponsalia necesse, nisi tantùm centum præputia Philisthinorum.* Ad hunc morem respiciens Deus Oseæ 2. 19. ait: *Desponsabo te mihi in miserationibus*; & Paul. Act. 20. 28. *Ecclesiam*, inquit, *quā acquisiuit sanguine suo.* Ita significatur, pluris stetisse Deo Ecclesiam, quàm Synagogam; hanc enim beneficiis emit, illam sanguine redemit in sponsam, quod similiter adumbrauit factum Iacob. nam Liam, per quam significata est Synagoga, priori septennio seruitutis coactus est emere Rachelem, quæ Ecclesiam designauit, addito insuper posteriori; & tamen, *videbantur ei pauci dies præ amoris magnitudine*, Genes. 29. 20. Videbantur æstimata videlicet per iudicium, magnitudine rei amatæ, ob quam non solùm quatuordecim, sed viginti, & eo ampliùs, si oporteret, seruisset annos.

*Coniuges olim se inuicem coemebant.*

*Romanis vnum genus matrimonij per coemptionem.* Brisson.

1. Regū 18.

Oseæ 2. 19.

Act. 20. 28. *Quare Ecclesia pluris steterit Deo, quàm Synagoga.*

Gen. 29. 20. *Videbantur Iacob pauci dies seruitutis pro Rachele, quomodo intelligendum?*

5. Ergo post connubia legitima, post susceptos liberos, post amplificatam rem familiarem, regressus est Iacob in terram Chanaan, cúmque timeret obuium fratrem Esau, nocte ipsa antecedente occursum eius, luctatus cum Deo est, quasi cum viro aliquo, nec vllo modo victus, probauit vires suas aduersùs fratrem. Et ob id mutauit vir ille luctator nomen Iacob in Israel. *Nequaquam*, inquit, *Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel; quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines præualebis?* Genes. 32. 28. Israel quippe interpretatur, Vidēs Deum, aut fortis cum Deo. Consonat locus Oseæ 12. 3. vbi de Iacob sic: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit.* Iure ergo Israël dicitur, hoc est, dirigens se cum Deo. Non quouis scilicet modo, sed imperterrito vultu, & pectore, vt vel ex nominis prærogatiua intrepidè se præberet aduersùs quēlibet hominem. D. Hieron nomen Israël variè interpretatur in tradition. Hebraic. 1. vt idem sit ac Princeps cum Deo. Quasi dicat Deus: Quomodo Princeps ego sum, sic & tu, qui mecum luctari potuisti, princeps vocaberis. Si autem mecum, qui Deus sum, pugnare potuisti, quantò magis cum hominibus, hoc est, cum Esau, quem propterea formidare non debes? Hæc Hieronym. ibi. Sed paulò infrà aliam adhibet interpretationem; vt idem sit, ac rectus Dei, seu rectissimus Dei. Priorem interpretationem sequuntur recentiores aliqui. Sed veterum communis est interpretatio, vt Israël idem sit, ac Videns Deum: Philo. lib. de temulentia, & alibi. Origen. homil. 2. in Numer. Basil. ad 5. cap. Isaiæ, Nazianz. Orat. 2. de Theolo. Chrysost homil. 58. in Genes. D. Aug. 16. de Ciuit. 39. Greg. lib. 3. in cap. 3. lib. 1. Reg. quin & ipse Hier. communem hanc sæpe adhibet interpretationem.

Gen. 32. 28.

Oseæ 12. 3. *Israel, dirigens se cum Deo, id est, imperterrito vultu Deū aggressus.*

D. Hieron.

*Israel, Princeps cū Deo, id est similis Deo in principatu.*

C

*Videns Deū ex veterum sententia.* Phil. Orig. D. Basil. Naz. Chrys. Aug. Greg.

D 6. Igitur Iacob ingressus Chanaan, reliquum vitæ exegit inter variantis (vt aliàs expertus) fortunæ casus: benedictiones enim Dei amplas plurimis laboribus quasi dilutas hausit. Vnde credit Abulensis duo illa nomina sortitum, Iacob, & Israël: Luctator scilicet, ac Videns Deum: nam velut alter Hercules luctatus est cum pluribus laboribus, cū fratris minis, cum ingratitudine Laban: rursum cum timore fratris, cum Angelo tota nocte, cum seditionibus liberorum apud Sichimitas, cum nece Ioseph illata, vt putauit, à fera pessima, cum famis acerbitate, cum dolore ob Benjamin ductum pro alimonia, vt omittā alia. Verus planè Iacob, verus Luctator. Sed nihilominus Israël verus, verus Deum videns: nam septies Deum, siue Angelum vidit. Primò, cùm apparuit ei in scala, Genes. 28. Secundò, in Mesopotamia, cùm demonstrauit fœturam pecorum, Genes. 30. Tertiò, cùm iussit eum Deus abire à Mesopotamia, Genes. 31. Quartò, cùm castra Angelorum vidit ad sui defensionem parata, Genes. 32. Quintò, cùm sub specie viri luctantem

*Iacob varia fortuna exercitus, omen habens in duplici nomine.* Abul.

*Herculis instar luctatus cum laboribus.*

E

Genes. 28. Genes. 30.


Genes. 31.

Genes. 32.

Gen. 25. Gen. 25. *Iacob Visiones cum magnis fauoribus Dei cõiunctæ.* *Iacob, statera luctarũ, & Visionũ.*

ctantem expertus est. Sextò, cùm post cædem Sichimitarum iussit eum Deus abire Bethel, & ibi sacrificare, Genes. 25. Septimò, cùm iterum imposuit illi nomen Israël, Genes. 25. Fuerunt autem huiusmodi Visiones cum specialibus gratiæ fauoribus coniunctæ, quibus Deus laborum intermistas amaritudines egregiè temperabat; adeóque factum est, vt idem homo Iacob simul, & Israël, quasi quædam luctarum, Visionúmque Dei statera fuerit: donec in Ægypto inter brachia filiorum plenus die- A rum decessit, sepultúsque est in spelunca illa duplici terræ Chanaan è regione Mambre cum patribus suis, Gen. 50. Nam quod cap. 50. 5. Iacob ad Ioseph ait: *En morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan, sepelies me*, intelligendum de eodem illo sepulchro patrum, intra quod, vtpote amplum, locum sibi designauerat, ac præparauerat antè Iacob. Nam eodem capite vers. 13. dicitur: *Sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abram cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo.* Gen. 50. 5.

## ARGVMENTVM CAPITIS XXVIII.



*IACOB ex præcepto patris Isaac pergens in Mesopotamiam Syriæ, vt vxorem inde accipiat, appetente nocte diuertit in vicinum locum, vbi subiecto ad caput lapide somnum capit. Inter dormiendum scalam videt stantem, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam; & Dominum innixum scalæ, sibique benigno oraculo pollicentem, primò quidem terram ipsam, in qua dormit, deinde gentis suæ ad omnes mundi cardines propagationem, postea ex eodem genere Messiam, denique certam ipsius, ac posterorum vbicunque gentium custodiam. Euigilans autem Iacob, Dei primùm eo in loco præsentiam stupens agnoscit; mox lapidem, quem capiti supposuerat, vnctum oleo erigit in monumentum, & imponit loco nomen Bethel: tandem voto se Deo religiosè obstringit.*

CAPVT XXVIII.

1. VOcauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan. C

2. Sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Labam auunculi tui. D

3. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat, atque multiplicet, vt sis in turbas populorum.

4. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. E

5. Cùm

PARAPHRASIS.

1. *ESau minatus fuerat Iacob necem ob raptam sibi benedictionem, idcirco Rebecca mater pro Iacob solicita, egit cum patre Isaac, vt mitteret eum in Mesopotamiam, specie quidem sumendi sibi inde vxorem, re autem vera, vt eum ab Esau fratre seiungeret. Igitur vocat Isaac Iacob filium, & bene ei precatus præceptum imponit de non accipienda vxore Chananæa, dicens: Ego Chananæas vxores ob pessimos earum mores odi; quare te quoque velim earum coniugia fugere.*

2. *Abi ergo hinc, & pete citò Mesopotamiam Syriæ, vbi habitat Bathuel auus tuus maternus, quem adibis, ac apud eum manens curabis vxorem tibi diligere, vnam è filiabus auunculi tui Labam.*

3. *Precor autem omnipotentem Deum, vt is te, bonorum omnium cumulis augeat, multáque filiorum prole felicem reddat, ac latè amplificet, vt euadas olim multarum gentium parens auctórque.*

4. *Adimpleat verò in te omnes illas promissiones, quas Abrahæ auo tuo præstitit, ac easdem sua liberalitate transmittat ad posteros tuos; maximè verò illam quæ est de possessione terræ Chanaan, in qua tu modò, vtpote non tua, peregrini in morem habitas. Hæc illa est Dei insignis per maiores transmissa* polli

A *pollicitatio, qua nostrum genus fraudari non potest.*

5. Cúmque dimisisset eum Isaac, profectus peruenit in Mesopotamiam Syriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ.

*5. Dimissus Iacob à patre Isaac iter suum aggressus est in Mesopotamiam Syriæ, rectáque tetendit in domum Laban filium Bathuelis, auunculum videlicet suum, matris Rebeccæ fratrem.*

6. Videns autem Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret, & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus Chanaan.

*6. Atenim Esau considerans, quomodo pater Isaac denuo benedictionem elargitus esset fratri suo Iacob, & in Mesopotamiam Syriæ destinasset, vt vxorem sibi è genere suo deligeret, & quòd præcepto imposito commonuisset,* B *ne se commisceret Chananæorum moribus vxore inde petita.*

7. Quódque obediens Iacob parentibus suis, isset in Syriam.

*7. Et quod Iacob patris mandata capessens in Mesopotamiam illico fuisset profectus.*

8. Probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus.

*8. Factóque ipso comperiens, patrem suum Chananæas vxores odisse.*

9. Iuit ad Ismaëlem, & duxit vxorem absque iis, quas priùs habebat, Maheleth filiam Ismaël filij Abraham, sororem Nabaioch.

*9. Maheleth filiam Ismaëlis, sororémque Nabaioch vxorem accepit, vel gratum id fore ratus patri, quòd è genere quoque suo vxorem duceret, vel, quod apparet verosimilius, vt parentes offenderet malè de se meritos ob sibi ablatam primogenituram, & denegatam bene-* C *dictionem.*

10. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran.

*10. Iacob igitur profugus iræ fratris (ait Sapiens) ac vel ob id solus, viæ se accingit: relinquénsque Bersabee, primos quasi carceres sui cursus, ad præfixam quasi metam contendebat Haran inter Euphratem, Tigrímque sitam.*

11. Cúmque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.

*11. Casu verò incidit, vt in locum quendam quasi singularem deuenisset, per id tempus, quo Sol occumberet, coactúsque est eò diuertere somni capiendi causa: ad quem ita se com-* D *posuit; de lapidibus loci sumpsit vnum, quem sibi, vt puluinar capiti, supposuit; statimque somno correptus dormiuit, id vel maximè innuens, assuetum se duræ vitæ, & facili rerum paratui, nec enim molles, ac effæminati tam facilè somnium capiunt extra delicias suas.*

Iacob assuetus duræ vitæ.

Extra delicias non facilè quisq; dormit.

12. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.

*12. Vidit ergo inter dormiendum regnum Dei, in hunc modum; scalam è terra ad cælum vsque pertingentem, sanctos Angelos ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ: qui Visione hac firmauit eum aduersùs omnes persecutores suos: se enim præstò esse, & per se, & per Angelos suos demonstra-* E *uit, vt Iacob fidentiùs inter pericula, ac labores versaretur.*

Apparatus scalæ regnũ Dei ostẽdit.

Deus prestò adest laborantibus.

13. Et Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac: terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo.

*13. Dominus ergo stantem scalam sustinens, ac prouidentiam suam ratam faciens, ita locutus est cum Iacob: En ego tibi adsum Dominus Deus Abraham, & Isaac patrum tuorum. Terram hanc ipsam, quam nunc profugus relinquere cogeris, tibi iam nunc propriam facio, ac posteris tuis vtendam largior.*

Deus certã facit prouidentiam suam.

14. Eritque semen tuum quasi puluis terræ; dilataberis ad Orientem & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem: & be

*14. Excrescere autem faciam posteros tuos in tantam multitudinem, vt pulueri terræ exæquari possit: quare, vt capiat eos terra, ad qua- tuor*

& benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ.

15. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam, nisi compleuero vniuersa, quæ dixi.

16. Cúmque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.

17. Pauénsque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hîc aliud, nisi domus Dei, & porta cæli.

18. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper.

19. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur.

20. Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.

21. Et lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei, cunctorúmque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

A *tuor mundi cardines dilatabuntur. At enim inter hos tuos posteros, vnus erit Meßias, verus nimirum Filius Dei, qui carnem ex tuo genere assumens, largam in omnes gentes benedictionem effundet: ita vt & tibi electo patri, & illi tuo electißimo filio magnam hanc felicitatem acceptam referant.*

*15. Et ecce ego tecum sum, videlicet cognatione coniunctus, & præstò ad custodiendum te quocunque ieris, polliceórque tibi, reducturum te saluum, & incolumem in hanc ipsam terram, tibíque semper adhærens, non solùm manu mea protegam, sed ab ea non priùs dimit-* B *tam, quàm opere ipso comprobem quæ promitto tibi.*

*16. Euigilans autem Iacob, in iis quæ loquutus est, manifestè declarauit, Visionem aliquam se in somnis hausisse. Sic enim secum loquutus ait: Certè quidem speciali modo, ac minimè communi Deus ipse hoc in loco est, quod planè ignorabam antea, cùm in eum diuerti.*

*17. Iusto autem timore perculsus, ob loci religionem, ac Dei specialem præsentiam, Quanto horrore, inquit, plenus est locus iste? quanta est* C *reuerentia, ac animi summißione colendus? Nihil visu dignum in eo est ampliùs, quàm quòd ex peculiari Dei præsentia domus ipsius dici & poßit, & debeat. Item quòd ex imposita scala in cælum porta cæli iure dici queat, qua scilicet in cælum ingredi, egredíque è cælo liceat.*

*18. Rem ergo adeò illustrem ac nouam noluit Iacob in obscuro relinquere, sed manè surgens, lapidem illum ipsum, cui acclinatus dormierat, in monumentum erexit, ac infuso oleo quasi consecrauit, vt diuinæ Visioni, ac mysteriis in ea reconditis venerabilem memoriam con-* D *ciliaret.*

Iacob oleo infuso consecrauit locum Visionis.

*19. Ex eo autem quòd locum prænotauerat, appellans domum Dei, siue Bethel, vicinam loco vrbem Bethel vocauit, cùm antea Luza vocaretur.*

*20. Addidit & Iacob solenne votum: Si Dominus suum mihi comitatum, præsentiámque præstiterit, atque in hoc itinere meo ab omnibus periculis sartum, tectúmque custodierit, necessariáque ad victum suppeditauerit, & eo autore, ac protectore, cum prosperitate regressus fuero ad patrios lares, Dominum ipsum nihilominus adorabo; nec committam vt inter prospe-* E *ra ac læta obliuiscar beneficiorum eius.*

Iacob inter prospera Dei memor.

*21. Erítque in futura secula nomen huic loco, in quo lapidem pro monumento vnxi, Domus Dei. Præterea omnium bonorum, quæ mihi te autore obuenerint, solennes decimas tibi persoluam.*

COM

# COMMENTARIVS.


HÆc Visio mysteriis scatet. In ea primò considerabimus egredientem Iacob de terra sua. Secundò, secessum eius ad dormiendum. Tertiò, scalam ipsam cum iis quæ circunstant. Quartò, promissiones à Deo factas. Quintò, vigilantis stuporem, atque dicta. Sextò, lapidem ipsum pro monumento erectum. Septimò denique, votum pro reditu.

## *De peregrinatione Iacob.*

## SECTIO I.



*Termini peregrinationis Iacob.*

1. Hi sunt termini peregrinationis Iacob; Bersabee, & Haran. Vers. 10. *Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran.* Haran inter Euphratē, & Tigrim versus Orientem terræ Sanctæ sita est: Bersabee in vltimis finibus eiusdem versùs Austrū, cui opponitur Dan ad Aquilonem longissimus eiusdem terræ limes. Vnde in Scriptura; A Dan vsque Bersabee, est expressio longitudinis Palæstinæ. A Bersabee igitur, vbi Isaac post Abrahamum patrem morabatur, proficiscitur Iacob. Rectè quidem Irenæus 4. contra hæreses 38. dixit omnes actus Iacob plenos esse dispositionum. In Iacob enim (vt hic annotauit Chrysost.) delineauit Deus omnem Christianæ vitæ philosophiam: maximè verò id in præsenti Visione.

*Haran, & Bersabee situs.*

*Bersabee, & Dan longissimi limites terræ Sāctæ.*

Irenæus. *Iacob delineatio Christianæ vitæ.*

2. Primum ergo quòd Isaac dilectum filiū peregrè miserit in Mesopotamiam ad accipiendam vxorem, significat (ait August. serm. 79. de Tempore) æternum Patrem peregrè misisse in terras Filium suum, vt sibi Ecclesiam desponsaret. Huc respicere videtur Irenæus 4. cōtra hæres. 38. cùm ait: Peregrè nascebantur duodecim tribus; genus Israël, quoniam & Christus peregrè incipiebat duodecastylum formam Ecclesiæ generare, id est, sicut Iacob extra patriam agens duodecim Patriarchas genuit, è quibus eius soboles propaganda erat, ita Christus extra cælum patriā suam duodecim sibi coëgit Apostolos, quasi duodecim columnas, è quibus erat Christianorum Ecclesia nascitura. En igitur è cælo egreditur, peregrinī in morem, Diuinum Verbum, baculo misericordiæ nitens. Sed illico erumpit obiectio, quomodo de Deo, qui vbique est, conueniat peregrinatio? Nusquam est peregrinus (ait August. super Psalm. 149.) qui condidit omnia. Respondetur tamen id esse propterea, quia status Verbi diuinī ante Incarnationem ab statu mortalitatis, quem adiuit, longissime distabat. Vnde illud Isai. 28. 21. *Vt faciat opus suum, alienū opus eius, vt operetur opus suum; peregrinum est opus eius ab eo.* Quod explicat Greg. Magn. homil. 16. in Ezechielem, Hugo Cardin. & alij de opere Incarnationis. Videbitur autem alicui non modò mirum, sed ænigmati par, opus suum & alienum, opus suum, & peregrinum, ac adeò opus suum, & non suum: sed opus Incarnationis vtrumque Deo est: si enim spectes amorē eius ac misericordiam, nullum ei magis affine dixeris: si naturam; ita alienum atque distans ab eo, vt ad illud mirum non sit, si non nisi longa peregrinatione peruenerit: longā verò peregrinationem, longam dignationē accipimus, cum Aug. serm. 9. de Tēpore: vt, nimirum, ita veniēs ad homines Dei filius, non gressu corporis fuerit; sed amoris affectu peregrinus; iuxta sententiam eiusdem Aug. ad Psal. 120. Corpus peregrinatur locis, anima peregrinatur affectibus.

D. August. *Æternus Pater mittit peregrè filiū suum.*

Irenæus. *Iacob peregrè agens duodecim Patriarchas Christus duodecim Apostolos peregrè erēāt*

*Duodecastylum, 12. columnæ Apostolicæ.*

*Deus quare non possit dici peregrinus?*

D. August.

*Status Verbi diuini ante Incarnationē longè distans.*

Isai. 28. 21.

Greg. Mag. Hug. Card.

*Ideo opus Incarnationis dicitur peregrinū Deo.*

*Longa peregrinatio Verbi D. longa dignatio eius.*

D. August.

*Verbum D. affectu peregrinum, non pedibus.*

*Anima peregrinatur affectibus.*

3. Aliter intelligitur Pater æternus Filiū suum peregrè misisse, ratione scilicet humanitatis assumptæ, cùm nobis illum visibilem præbuit; ad nos enim Deus quasi accedere dicitur, autore Aug. 16. de Ciuit. cùm se facit apparere nobis, aliquid extraordinarium operando: quod contigit in prima exhibitione suæ humanitatis. Hinc illud Isai. 51. 14. de aduentu Messiæ: *Cito veniet,* inquit, *gradiens ad aperiendum*; siue, vt aperiatur: quasi velit, eò ad homines gradi, quò se illis aperit auxiliaturus. Imò propterea, vt primo se proderet mundo, cùm nondum communes vias adire peregrinando posset, in via tamen nascitur; vt iam tum, scilicet, solam carnem passibilem præferendo ostenderet se peregrinantem; de quo est illud Augustini serm. 24. de Tempor. Nascens, inquid, Christus non inuenit locum in diuersorio, per quem omnis creatus est locus: & velut peregrinus nascitur, qui totius orbis est Dominus, vt nos cælestis patriæ faceret esse municipes. Vbi notandum, neminem humano iure posse nasci peregrinum, quia vbi quisque nascitur, ibi ex rigore eiusdē iuris, patria eius est; si ergo Christus nascitur peregrinus, inde profectò est, quia tū primū, quasi peregre adit labores mortalitatis nostræ.

*Peregrè misit Filium Pater, dum visibilem fecit.*

D. August.

Isai. 51. 14.

*In via nascitur, vt ostendat se peregrinum.*

D. August.

*Nemo nascitur peregrinus.*

*Christus nascitur peregrinus, quia denuo adit mortalitatem.*

4. Sed est adhuc modus alius, quo Christus, quatenus homo, peregrinus agnoscitur ab Autore imperfecti operis in Matth. homil. 53. de homine, qui peregrè proficiscens talenta distribuit seruis suis, vbi sic: Quando venit in mundum Dominus Iesus; adhuc peregrinus erat, neminē, scilicet, habens sui nominis confessorem: postquam autem discipulos acquisiuit, iam paterfamilias

Imperfectus in Matth.

*Christus peregrinus, quandiu discipulos non habuit.*

milias erat,& ideo proficiscens quoque de mundo peregrè proficiscebatur. Hæc ibi. Magnopere autem notandum est,quod addit, peregrè etiam profectum de mundo Christum;cuius rationem ita proponit: Ad regna, inquit, cælestia ascendens,& ad Patrem suum iturus, vnde descenderat, peregrè se iturum dicit, propter charitatem Sanctorum,quos relinquebat in terris,itaque antequam nobiscum ageret,& postquam agere desiit, peregrinatur Dominus. Magna profectò amoris significatio,vt sine nobis solum se,ac peregrinum vbique reputet, etiam in cælo, quæ propria eius patria est! Itaque antequam nobiscum ageret,& postquam agere desiit, peregrinatur Dominus.

*Proficiscitur peregrè in cælum, quia suos relinquit in terra.*

5. Vlteriùs in Iacob ita egresso,ex Bersabee in Haran multa Patres admirando congerunt, maximè Chrysost. Rupert. Aug. Primum quomodo parentes, maximè Rebecca mater, quæ tenerrimè illum amabat, tam longè à se ablegauerint. Prima ratio literalis est, vt separarent illum ab Esau, qui ob raptam benedictionem puero moliebatur insidias: deinde quoniam huiusmodi Patriarchæ in iis, quæ diuinas ordinationes spectabant,nihil curabant ampliùs. Vnde Chrysost. de Abraham immolaturo Isaac rectè ait,ita se ad id opus accinxisse, quasi naturam humanam ignoraret.

D.Chrys. Rupert. D.August.

*Iacob peregrè mittitur,vt separetur ab Esau.*

*Patriarchæ in Dei ordinationibus, non curabãt naturam.*

6. Deinde mirantur, quomodo puer delicatè nutritus patrem habens diuitem,maternæ assuetus indulgentiæ,nunc se pedes in viã det,sine famulis, solùm baculo nixus!O profugũ(exclamat Rupertus)cælestis asyli protectione dignum, qui sola fide, absque lectione Scripturarum edoctus erat, quòd ad possidendam benedictionis hæreditatem, ad seminandam beati seminis expectationem non põpaticè sed humiliter,& conscientia supplici esset ingrediendum! Vultque Rupertus in hac humili perfectione Iacob, significari primùm diuinarum promissionum executionẽ, humilitate vel maximè obtineri. Exemplum est in Virgine Deipara, quæ post ingentes illas promissiones à Gabriele Dei nomine factas,profundè se inclinãs dixit:Ecce ancilla Domini,fiat mihi secundùm verbũ tuum. Vbi appositè D.Bern. Respõdet,inquit,humiliter, vt sedes gratiæ præparetur:nimirum, quia propria sedes,propriúsq; locus,atque(vt rectiùs dicam)naturale centrum, ad quod suopte pondere feruntur diuinæ gratiæ, vna est humilitatis virtus. Hinc illa præclara exhortatio Tertulliani in lib.de patientia. Igitur si probos,inquit,seruos ac bonæ mentis,pro ingenio dominico conuersari videmus(siquidem artificium promerendi obsequium est,obsequij verò disciplina,morigera subiectio) quantò magis nos secundùm moratos inueniri oportet;seruos, scilicet,Dei viui, cuius iudicium in suos, non in compede,aut pileo vertitur,sed in æternitate aut pœnæ,aut salutis,cui seueritati declinandæ, aut inuitandæ liberalitati, tanta obsequij diligentia opus est,quanta sunt ipsa quæ aut seueritas comminatur, aut liberalitas pollicetur? Ita Tertul. Qui locus tot ferè sententias, quot verba continet. Et egregiè demonstrat nulla re meliùs ad promerendas diuinas promissiones viam muniri,quàm morigera subiectione,& obsequio, quo artificio vsus etiam Iacob, in hac profectione sua,ita se gerit, vt humilitate magis,quàm pedibus iter facere videatur in Haran.

*Cur puer delicatus peregrè mittatur?*

*Impletio diuinarũ promissionũ humilitate obtinetur.*

D.Bern. *Humilitas in Virgine Deipara, sedes gratiæ promissæ.*

Tertul.

*Obsequium, artificium promerendi.*

*Iudiciũ Dei non in cõpede,aut pileo, sed in æternitate aut pœnæ, aut salutis.*

7. Præcipuè tamen Iacob ita peregrè abiens, A ac rerum omnium humanarum præsidio destitutus,præter vnum baculum,quo vestigia sustentabat, summam virtutis perfectionem ad viuum repræsentat. Vnde illud D.Chrysost. homil. 24. epistol. ad Hebræos. Prima virtus est, & tota virtus est,peregrinum esse mundi huius. quid verò hoc sit declarans:addit,nihil commune habere cum rebus huius seculi,ita summa hæc perfectio,summa quædam est singularitas,atque independentia à rebus omnibus. Talem se Dauid expressit vltimo versu Psalm.4. cui ideo pro titulo posuit; In finem. supernæ,scilicet, beatitudinis: nam cùm præmisisset, nihil se in Deo requiescẽtem posse vllo modo conturbare, addit pro ratione: Quoniam tu Domine singulariter in spe B constituisti me. quasi dicat:nihil curo res omnes humanas, siue prosperæ illæ sint, siue aduersæ, quoniam tu me iamdiu seorsum ab illis in absolutissima quadam, atque remotissima tui spe ita constituisti solitarium, vt à nulla omnino alia re dependeam in hac vita,quàm à te vno. Hanc verò singularem dependentiam,a sola spe supernorum optimè credo exaggerauit August. serm.16. de Verb. Apostol.cùm dixit:Spem,quæ nunc est, ad iustitiam pertinere peregrinationis nostræ; videlicet, quia ne ad momentum quidem consistere potest sine tali spe. Huic autem egregiè cõcinit Gregor.Nyss.seni dictum in lib.de beatitudinibus,vbi de perfectione Christianorum agẽs, ita loquitur:Quid opus est iis inferna terra,quo- C rum vita spe suspensa est? Concinit & serm.12. Ambros.qui dicto Christi Matth.19.21.ad iuuenem diuitem, & communia iam præcepta seruantem,*Si vis perfectus esse,vende omnia,& da pauperibus,&c.* hoc epiphonemate applaudit: Vsque adeò nuda virtus,apta est cælo. nudam verò virtutem intelligit ab omnibus caducarum rerum impedimentis absolutam,vt hęc sola quia perfectissima est proprissimè congruat cælo. Hinc est, quod idem Ambros. in hac Iacob peregrinatione, vbi noster cap.29. habet: Profectus ergo Iacob venit in terram Orientalem, ita legit: Eleuans Iacob pedes, abiit in terram Orientis. & explicat. Separatus à peccatore Esau, eleuari statim,ac cælo appropinquare cœpit.

*Iacob peregrè abiens, summã virtutis perfectionem significat.*

D.Chrysost. *Prima & tota virtus, peregrinum esse mundi.*

Psalm.4.9.

*Dauid singulariter in spe constitutus, id est, omnino dependens à Deo.*

D.August. *Spes nostra ad iustitiã, id est,ad omnimodam independentiam.*

Greg.Nyss. *Christianorum vita spe suspensa.*

D.Ambros. Matth.19.21.

*Nuda virtus,quid sit?*

D.Ambr.

*Separatus à peccatore, appropinquat Deo.*

D 8. Idcirco igitur & Christus Discipulos suos peregrè ad prædicandum mittens Matth.10.9.vt in eis Apostolicam perfectionem exprimeret,nõ aliter ad iter accinxit, quam Isaac filium Iacob, qui verè huius Apostolicæ missionis propterea figura fuit. *Nolite*,inquit,*possidere aurum,neque argentum,neque pecuniam in zonis vestris,non peram in via,neque duas tunicas,neque calceamenta,neque virgam:dignus enim est operarius cibo suo.* Rectè Chrysost. homil.33. in Matthæ. ponderans quomodo illos rebus etiam ad vitam necessariis penè nudauerit: Ipsos, inquit, ad vniuersi magisterium missurus,ad Angelicam,vt ita dixerim, disciplinam ex humana vita traducit, ab omni cura rerum secularium liberos reddens, quasi dicat E Chrysostomus,ita suos Apostolos instruxit, ac si non homines,sed Angelos,nullius indigentes instrueret. Non minùs grauiter idem exaggerauit Remigius relatus in catena D.Thomæ. Redegit eos, inquit, ad primi hominis dignitatem, vt nulla re indigerent. Ita Remigius. Indigetes ergo, & quosdam quasi Deos, fecit Christus: nam hæc dignitas Adami in eo statu, vt nullius rei indigus, quasi quidam esset terrenus Deus.

*Christus instruxit Discipulos,vt Rebecca Iacob.*

Matth.10.9.

D.Chrys.

*Christus mittens Discipulos,ad Angelicam vitam traducit.*

*Angelos,hoc est, nullius indigentes.*

Remigius. *Apostoli redacti ad primi hominis dignitatem, quomodo? Indigetes facti.*

9. Cur

*Via Christi angusta non capit oneratos.* Matth. 7. 13. D.Chrys.

9. Cur autem Christus peregrinos suos ita vacuos dimiserit, ea causa est, quoniam angustam nimis in cælum viam ipse initiauerat, quæ proinde multis rebus oneratos capere non poterat. Rectè quidem Chrysost. ad cap. 7. 13. Matth. rationem reddit, quare via perditionis lata sit, angusta verò, quæ ducit ad vitam: quia diabolus, inquit, tumore illo, quo se toto cælo extendere voluit, primus aperuit perditionis viam, ac postmodum omnibus peccatis inuolutos, & vniuersam mundi sarcinam baiulantes in eam recepit. Contra verò angusta est via Domini, quia Christus omni humilitatis ratione collectus, primus eam patefecit, proinde solos eos, qui subtiles, ac spirituales fuerint, admittit. Ita Chrysost.

*Via perditionis lata, quia facta à dæmone tumente. Via Christi angusta, quia aperta per humilitatem eius. Omnes fideles peregrini sunt.* 2.Cor. 5. 6. Ad Hebr. 13. 14. D.Aug. *Patres antiqui solebant peregrinos se dicere.* Psal. 38. 13. D.Ambros.

10. Denique Iacob in hac peregrinatione sua fideles omnes repræsentauit, qui omnes peregrini sunt, quandiu in hac vita mortali degunt, iuxta illud 2. Cor. 5. 6. *Quandiu sumus in corpore peregrinamur a Domino.* Et ad Hebr. 13. 14. *Non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus.* Vnde pignus, id est, animam accepimus. Addit August. ad Psalm. 118. & veteribus quidem illis patribus familiarissimum fuit, vt se peregrinos dicerent. Vnde illud Dauidis Psal. 38. 13. *Aduena ego sum apud te, sicut omnes patres mei.* Spiritualiter autem de Christianis est illud D. Ambros. serm. 51. de agro figuli, Christi pretio in sepulturam peregrinorum empto, quod mysticè interpretans ait: Istos peregrinos quos ille dicimus, nisi deuotissimos Christianos, qui renunciantes seculo, & nihil possidẽtes in mundo, in Christi sanguine requiescunt? Christianus enim, qui mundum non possidet, hic totum possidet Saluatorem. Sic ille. Christianum denique peregrinum graphicè nobis ad viam instruxit Nyssen. Greg. in vita Moysis, de illo, quòd Hebræi stantes, ac baculos tenentes, edebant Paschalem agnum: Ab spinis, inquit, peccatorum calceus defendat continentissimæ, tenuis, ac duræ vitæ: talaris vestis, & effusa, hoc est, voluptuosa viuendi ratio, quæ latissime patet, impedimento est, quare cingulo quodam, id est, modestia coarctanda est, quæ moneat ad necessitatem, non ad voluptatem rebus vti; baculus verò, quo & feras hæreticorum repellimus, & sustentamur, spes est, &c. Ita ferè Gregor.

*Christianus totum possidet Saluatorem. Christiani peregrini graphica instructio.* Greg.Nyss.

---

## *De secessu Iacob ad dormiendum.*

### SECTIO II.

1. *Num locus in quo quieuit Iacob, fuerit mons Moria? Hebræi affirmant, & alij ex nostris.*
2. *Diuersa est Bethel à mõte Moria. Probatur in duplici Bethel, ea, de qua hic sermo fuit, in sorte Ephraim.*
3. *Diuertit eò Iacob, vt oraret, & requiesceret. Noctis pars orationi danda, ex Chrysostomo, & Ieremia.*
4. *Locus solitarius orationi aptus. Ex Gregor. Nazian. & Hieron.*

1. NON caret magnis mysteriis secessus Iacob, de quo sic Moyses: Vers. 11. *Cùmque venisset ad quendã locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitũ, tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponẽs capiti suo, dormiuit in eodem loco.* Hic nobis complananda est breuiter vna difficultas: nimirum, qualis fuerit hic locus, in quo dicitur requieuisse Iacob?

*Qui fuerit iste locus?*



A Hebræi opinantur fuisse montẽ Moria, vbi Isaac immolandus fuerat, & in quo postea ædificatum est à Salomone templum, eo autem diuertisse Iacob, vt in loco sacro oraret paululum ante quietem: in eam, scilicet, spem, vt suscepti laboris leuamen aliquod cælitus acciperet. Hebræis adhæret Lyranus, Caiet. Vatablus, Carthusian. & probari potest ex eo, quod 1. Paralip. 22. 1. mons Moria dicitur domus Dei: quod idem est, atque Bethel. Congruit & locus, quia Bethel (quæ & Luza hic dicitur) est in sorte Benjamin, vbi etiã mons Moria Iosue 18. 13. vbi sic: *Terminus pertransiens iuxta Luzam ad Meridie, ipsa est Bethel.* Et significatur, quod iste terminus ab Aquilone descendens, B Meridionalis est respectu Bethel, ac adeò relinquens illam intra sortem Benjamin, quæ tota Aquilonaris est.

*Hebræi, mõtem Moria.* Lyr. Caiet. Vatabl. Carthus. 1.Paral. 22. 1. *Probatur, esse montem Moria.* Iosue 18. 13.

2. Verùm hæc opinio sustineri non potest. Primò, quia duplex est Bethel; vna in sorte Ephraim, altera in Benjamin, vt constat Iosue 16. 2. 18. 13. Vtraque autem diuersa est omnino ab Ierusalẽ, in qua erat mons Moria; igitur mons Moria, & Bethel quouis modo sumatur omnino distant. Probatur assumptio primò quoad Bethel Benjamin, quoniam in hac sorte, Bethel, & Ierusalem vt duæ ciuitates distinctæ numerantur Iosue 18. Deinde quoad Bethel Ephraim, quia, vt Ieroboã in sua illa seditione separaret omnino decẽ tribus suas, C à duabus, scilicet, Iuda, & Benjamin, fecit duos vitulos aureos, quorum alterum posuit in Bethel, alterum in Dan. 3. Reg. 12. 29. Igitur hæc etiam Bethel diuersa prorsus fuit à Ierusalẽ, quæ erat in tribu Benjamin. Quòd autem ea, de qua agimus, fuerit in sorte Ephraim, colligitur primò ex loco Iosue citato, vbi illud de termino Benjamin, *Pertransiens iuxta Luzam ad Meridiem,* apertè significat, Luzam respectu eius termini Meridionalem esse, ac adeò citra illum. Cõfirmatur ex 1. Iud. vbi sic: *Domus Ioseph, id est, Ephraim, ascendit in Bethel, & percusserũt vrbẽ, quæ prius dicebatur Luza,* &c. Item Oseæ 5. 8. *Vlulate in Bethauen, post tergum tuum Benjamin.* Vbi Hieronymus præfatus, Bethauen esse eandem cum hac Bethel D ait: Pulchrè dixit quòd Bethauen post tergum sit Benjamin, vbi enim finitur tribus Benjamin, haud procul in tribu Ephraim vrbs Bethel cõdita est. Hæc Hieron. corrigens, videlicet, quæ priùs in cõtrarium opinatus fuerat, de locis Hebr. Quod autem 1. Paralip. 22. 1. mons Moria dicitur domus Dei, nihil probat, quia in Hebræo non est Bethel: sed Beth, Iehouah, nec verò illa interpretatio loci Iosue 18. germana est, vt paulò antè vidimus. Hæc est sententia Abul. ad hunc locum, D. Hieron. Oseæ 5. 8. Riberæ, & aliorum.

*Reiicitur opinio Hebræorum.* Iosue 16. 2. 18. 13. *Bethel vna in sorte Ephraim, altera in sorte Benjamin. Vtraque Bethel distat ab Ierusalẽ, in qua mons Moria.* 3. Reg. 12. 29. 1. Iud. 22. Oseæ 5. 8. 1 Paral. 22. 1. Abulens. D.Hieron. Ribera.

3. Illud certè cum Hebræis piè credimus, Iacob allectum opportunitate loci diuertisse ad illum, non tamen ad montem Moria. E Primò, vt oraret post itineris laborem: deinde vt reliquum tẽpus requiesceret. Qua in re docemur primùm, non totam noctem somno impẽdere: sic enim queritur Alexand. Clem. 2. pædagog. 9. somnum non secus ac publicanum dimidium vitæ tempus nobiscum diuidere. Quanto foret æquius, si noctem orationi, in partem quoque dimidiam locaremus; non dubium quin inde natura euaderet bonis auctior vsuris: in quibus vel illa fuerit à Chrysostom. notata homil. 26. in Actib. Apostol. Post vigilias orationis dulciores somni sunt, ac Visiones mirabiles: vt nostro contigit Iacob, qui post nocturnas preces etiam in duro solo

*Iacob diuertit ad orandum, & dormiendum.* Clem. Alex. *Somnus publicanus vitæ.* D.Chrys. *Post vigilias orationis, dulciores somni, & Visiones mirabiles.*

dulciter dormiuit, & scalæ mirabilis Visionem hausit. Noctis ergo quietem orationi peropportunam esse inprimis docuit. cuius rationem reddit Chrys. vbi proximè. quia tunc, ait, purior anima, leuiórque sublimia videt, astrorum choreas, profundum silentium, &c. Et infrà: Tunc officina quoque spiritualis tibi seruiat, vt reformetur anima. Ita Chrys. alluditque ad opifices, qui noctu opera ad fabrilia surgunt. Certè quidem procliuitatem animæ ad vacandum orationi nocturno tempore nemo expressit meliùs vno Ieremia Thren. 2. 19. *Consurge nocte*, inquit, *& effunde sicut aquam, cor tuum in conspectu Domini.* Ad literam, Surge nocte ad orandum, & comperies tam facilè totum cor tuum ante Dominum cadere, quàm facilè aqua suopte impetu è vase procidit.

*Nox orationi congrua.*

*Officina spiritualis noctu seruiat.*

Thren. 2. 19.

*Facilitas ad orandum noctu.*

4. Præterea, dum Iacob in secretiora montis Bethel abditus orat, secretum orationis locum nobis commendat. De quo Christus Matth. 6. 6. *Tu autem cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito.* Quo loco propriè vult solitudinem externam esse orationi valde congruam, vtpote alienam à tumultu, ac vana gloria. Vnde illud egregiè pronunciatum est à Nazianz. Orat. 2. Solitudo mater diuinæ ascensionis, id est, orationis, Deum ex homine faciens, &c. Et paulò infrà vocat illam, arcem suam, ad quam scilicet malignorum hostium vexatus incursibus, se recipere solebat. idcirco & D. Hieron. de custodia virginitatis ad Eustoch. ita de se ipso: Sicubi igitur concaua vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam, ibi meæ orationis locus, &, vt ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnunquam videbat mihi agminibus interesse Angelorum, & lætus cantabam: *Post te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, &c. Denique orans Iacob post itineris laborẽ, & recreatus præsentia Dei; docet, orationem efficax esse remedium contra labores; quod rectè illustratur dicto Nysseni Gregor. super clamore illo Ionæ intra cetum. Pulchrè enim dixit in expositione Orationis Dominicæ: Oratio Ionæ, cetum domum effecit, id est, venter ipse ceti, qui Ionam consumpturus exceperat, in concameratum quietis cubiculum orationis efficacia mutatus est.

*Locus orationis secretus sit.* Matth. 6. 6.

D. Gregor. Naz. *Solitudo mater ascẽsionis diuinæ. Deum ex homine faciens. Oratio arx.*

D. Hier. *Locus orationis D. Hieronymi.*

*Oratio remedium cõtra labores.* D. Gregor. Nyss. *Oratio Ionæ ex ventre ceti domum facit.*

---

## *Quomodo Iacob aptauerit sibi locum ad orandum?*

### SECTIO III.

1. *Iacob duriter se gerens. Dei aulici durum vitæ genus sectantur. ex Chrysost.*
2. *Persequutionem pati est pertinere ad Deum. ex Paulo ad Gal. 6. Explicat Theod. & Anselm.*
3. *Reiiciuntur duæ opiniones. Lapis suppositus capiti significat Christum. Quomodo lapis Christus ex Irenæo, & August. & Hieronymo?*
4. *Somnus Sanctorum non otiosus, gymnasium ex Clemen. Alexandrino, Ambrosio, Hieron. Explicatur locus Canticorum 5. Explicatur locus Clemen. Alexandrini.*
5. *Explicatur sensus spiritualis ex D. Greg. & D. Bernardo. Locus Canticor. 2. exponitur de somno extatico, ex Bernardo.*

1. FINITA oratione locum sibi ad quietem aptauit, qualem habere decebat peregrinum. Vers. 11. *Tulit de lapidibus, qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco.* Vide (inquit Chrysost.) pueri robur, qui lapidibus pro puluinari vtitur! vide masculum spiritum, super pauimentum dormit! similia loquitur D. Hieron. in consolatione ad Iulianum. Cur autem Deus ad se primò venientem ita duriter excipit? quia qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt: at verò cæli aulicos, durus lectus, durus victus, dura omnia inprimis decent. Vnde illud à Chrysost. rectè dictum homil. 10. in Matth. de Ioannis Baptistæ asperitate. Ille, inquit, habitus pœnitentiæ pariter, & regni cælorum indicia præferebat; quanta porro nouitas, vt Deus ad insignia regni sui assumpserit instrumenta laborum ac pœnitentiæ, iisque tanquam propriis notis voluerit, vt cælestes aulici à mundanis secernerentur?

D. Chrys. *Iacob durũ lectũ parat ob spiritum masculum.* D. Hieron. *Cæli aulicos dura omnia decent.* D. Chrys. *Deus insignia regni sui assumpsit instrumenta laborum.*

2. Quod ergo Iacob persecutorem Esau fugiat, ac adeò dura fugæ mala experiatur libens, ostendit manifestè, ad Deum se iam speciali titulo pertinere. Hoc ipsum vult grauis illa D. Pauli sententia ad Galat. 6. 17. *De cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini IESV in corpore meo porto.* Non dixit *habeo*, sed *porto*, tanquam trophæa, & signa regalia de quibus gloriatur. Theodor. Non ampliùs, inquit, ad vos scribam, sed pro literis vibices ostendam, & plagarum signa, ea veritatis prædicationi ferant testimonium. Probauerat multis, in lege veteri non esse salutem, vt verò ea manerent omnino rata, suam interponit autoritatem, ostendens se Christi seruum ab euidenti signo, nempe à vulneribus toto corpore pro Christo acceptis, vel ab inimicis, vel à se ipso castigatione voluntaria, vt vel propterea simpliciter asserenti habenda sit fides. Ego enim stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Explicat Anselmus, Ego sum de familia Christi Domini, Ego sum annumeratus in militia regis æterni. Putat enim Anselmus alludere Paulum ad milites Romanos, qui in manibus impressa gestabant insignia suorum Imperatorum, vt per ea ad quem quisque pertineret discerneretur. Se ergo domesticum Dei per stigmata plagarum reputat Paulus: ne quis iam miretur, Deum Iacob cùm primùm ad se venit, duriter excipere: id enim est, sua illi stigmata inurere; ac adeò in suum domesticum, ac familiarem cooptare. In cuius signum super stratum solo aperitur cælum, & ostenditur scala, vt intelligat Iacob, aditum sibi iam patere in cælum, tanquam familiari; Angelos autem ascendentes, & descendentes, ostendere, sibi iam quemadmodum illis, ingredi, atque egredi liberum esse. Dominum autem nixum scalæ præ se ferre alacritatem, qua suis laborantibus veluti in occursum venit, vt nihil iam durum perhorrescant præsente Deo. Rectè ergo D. Hieron. exhortans Heliodorum ad monasticæ disciplinæ rigorem, ait: Super nudam metuis humum exesa ieiuniis membra collidere: sed Dominus tecum iacet.

*Labores iustorum ostẽdunt eos pertinere ad Deum.* Ad Galat. 6. 17. *Labores trophæa & signa regalia.* Theodoret. *Plagæ testimonium prædicationis D. Pauli.* D. Ansel. *Militia Christi insigna ex more Rom. iuxta Ansel.* *Deus duriter excipit Iacob, in domesticum cooptat.* *Dominus innixus scalæ, quia adest laborantibus.* D. Hieron.

3. Nunc lapidem illum, quem Iacob supposuit capiti, breuiter consideremus. Ac primùm curanda non est Rabbinorum fabula; videlicet lapides, qui eo in loco iacebant, certatim accurrisse, vt illius se capiti subiicerent; Deum verò, vt litem dirimeret, omnes eos conuertisse in vnum

*Rabbinorum fabula reiicitur.*

vnum lapidem. Cur autem hæc commenti sunt? quia primo loco dictum est: *Tulit de lapidibus, qui iacebant,* &c. Et infrà, *Tulit lapidem, quem supposuerat capiti,* &c. Sed & quorundam Catholicorum existimatio nobis minime placet: Iacob scilicet tres lapides supposuisse capiti, & postea sustulisse vnum, quem capiti supposuerat, vt significaretur mysterium Trinitatis, ac vnitatis diuinarum personarum. Sensus enim mystici, qui aberrant à serie, ac proprietate literæ, omnino reiiciendi sunt; propositos autem esse tales, liquidò constat. Nam illud, *Tulit de lapidibus,* non significat plures assumptos, sed de pluribus vnum, & eum ipsum postea sublatum pro monumento. Congruentiùs ergo qui in hoc lapide Christum rimantur, de quo 1. Corinth. 10. 4. *Petra erat Christus.* Chrysost. Conc. 1. de Lazar. Iacob, inquit, solum habebat pro strato, & lapidem capiti suppositum: & ideo vidit illum intelligibilem lapidem, &c. Ita Hier. Greg. Mag. Rupert. & alij. Cur autem Christus dicatur lapis, satis fuerit vnam vel alteram tetigisse causam.

*Non probatur existimatio quorundam Catholicorum.*

*Hoc lapide repræsentari Christum.* 1. Cor. 10. 4. D. Chrys. D. Hier. D. Greg. M. Rupert.

Primam quidem assignat Irenæus 3. contra hæres. cap. 28. explicans illud Daniel. 2. *Abscissus est lapis sine manibus.* Hic lapis, inquit, è terra, & ex virtute, ac arte constat Dei. Quibus verbis Irenæus huius lapidis cum cæteris conuenientiam, & discrimen significat; quasi dicat, cæteri lapides, non quidem virtute humana, sed à sola terra, ac cæli virtute gignuntur, artificiosam tamen figuram ab homine sculptore mutuantur: at hic lapis ita est diuinus, vt non solùm ex vteri Virginei terra, & à superueniente Spiritu sancto genitus fuerit, sed omnes præterea dotes in eo, & insignia virtutum, quibus mirabiliter quasi insculptus est, sola arte Dei constent: ex quo habemus Christum dici lapidem ob similitudinem ortus, siue natiuitatis.

Irenæus. *Christus lapis ob similitudinem ortus sui.*

*Lapis etiam ob similitudinem compositionis.*

Secundã causam ex ipsa natura lapidis eliciunt alij, nimirum, vt significetur compositio Christi ex infirmitate nostra, & ex robore diuinitatis. Sicut enim lapis terræ conditioni addit soliditatem, ita carni Christi, quæ per se fluxa est, additur diuinitas, vt ea quasi contineatur, & solidescat. Vnde illud ab August. dictum in 6. cap. Ioan. Petra Christus in signo, verus Christus in carne & verbo.

D. August.

Hinc verò nascitur alia ratio nominis lapidis in Christo, quæ huic loco Genes. apta est, nempe dici lapidem, quia omnes ad se duris in rebus confugientes aduersùs omnes impetus stabiles reddit. Vnde Hieronym. ad Psalm. 133. lapidem istum Iacob vocat lapidem adiutorij, qui talem, inquit, habebat puluillum, in quo refrigerabat æstum, scilicet, persecutionis, videt scalam, qua videlicet, si opus foret, in cælum reciperetur. Itaque iuxta Hieron. Christus est veluti puluillus laborantium, in quo dulciter requiescunt, ac refrigeria cæli capiunt. Similiter & Nyssen. Gregor. de vita Moysis. Lapidem, ex quo visus est contemplari gloriam Dei, Christum intelligens; Christus, inquit, lapis confirmatorum, & domus quiescentium; denique Chrysostom. Matthæi 7. illum, qui ædificauit domum suam super petram, & eum, qui super arenam, Eliæ, & Achab accommodans. Elias, inquit, super petram Christum ædificauerat sibi domum; Achab super arenam mundi, ideirco ille diademate coruscus, ac purpura, contremiscebat Prophetam sola certè pelle circundatum, ita ibi sola pelle

*Lapis item, quia confugientes ad se firmat.*

D. Hier.

*Christus puluillus laborantium.*

*Christus lapis cõfirmatorum.*

Chrysost.

*Elias sola pelle circundatus, vt totum robur esset à Deo.*

A circundatum, vt totum, scilicet, robur sortiretur à petra.

4. Sed iam contemplemur dormientem Iacob; *& dormiuit,* inquit, *in eodem loco,* nulla interposita mora, solutus est somno; idque meritò, quia, vt rectè ait Alex. Clem. 2. Pædagog. 9. planus, & æquatus decubitus, est somni veluti naturale gymnasium: quo, scilicet, facilè ventitat: quod autem somni gymnasium vocat, somnum intelligit non otiantem, sed operatorium: qualis fuit somnus Iacob, vt videas, non esse vanum de illo agere. Lecti ergo aurei, atque molles quædam quasi sunt sepulchra somni, contrà verò rudes ac duri, gymnasia, atque exercitatoriæ palæstræ. Vnde Ambros. 2. lib. de Iacob, & vita

Clemens Alex. *Planus decubitus somni naturale gymnasium.* *Somnus operatorius.* *Lecti aurei, sepulchra sunt.* D. Ambr.

B beata. Iacob, ait, bonus in somno operarius, &c. & iure quidem id, quoniam plus negotij cum Deo peregit dormiendo, quàm vigilando: nam in Visione hac diuinas consolationes, ac plenissimæ illius benedictionis oraculum accepit. Verè ergo Hieron. de custodia virginitatis. Et Sanctis, inquit, etiam ipse somnus est oratio; quod ex effectu impetrandi colligi debet. Hinc sponsa Cant. 5. 2. postquam ad multam vsque noctem Sponsum expectans vigilat, expectando fessa ait: *Ego dormio:* paululum, videlicet, dum moram facit Sponsus: ne verò vel in somno vacare ab eius desiderio videretur, adiungit: *Cor autem meum vigilat,* quasi dicat corporis licèt sensus ab

D. Hier. *Sanctis ipse somnus est oratio.* Cant. 5. 2.

C opere cessent, non tamen cordis erga Sponsum desideria feriantur; sed continuata quadam vigilia præstolãtur absentem. *Cor autem meum vigilat.* Indicio est, quod statim sequitur: *Vox dilecti mei.* quod est arrectæ mentis, aut percipientis reuera, aut fingentis se percipere, quod desiderat: nam qui amant (vt Poëta concinit) *Ipsi sibi somnia fingunt.* quasi ita mente sint ad fingendum soluti, ac si perfectè vigilarent. Rectè igitur hanc Sponsæ vigiliam vocat Nyssen. Greg. super Cant. sublimiorem libertatem, non vsitatam videlicet apud hæc inferiora: vnde Clemens citatus, ita sobriè dormientem exæquat nunquam dormientibus Angelis; Animæ, inquit, interitus est, si

*Vigilia cordis in somno.*

Greg. Nyss. *Vigilia Spõsa dormientis, sublimior libertas.* *Animæ interitus qualis.*

D ipsa apud se omnino quiescat. & ideo Deum semper mente versans per continuam consuetudinem corpori vigiliam inserens, exæquat hominem Angelicæ gratiæ, vitæ æternitatem ex meditatione vigiliæ suscipiens. Ita Clemens. Qui locus tametsi obscurus, id velle videtur: animam, siue dum in somno sublimiùs per meditationem à corpore quasi abstrahitur, siue dum expergefacto identidem sese admiscet, Deum semper mente versare, atque in hoc Angelorum gratiæ parem esse, qui siue ad hæc infima veniant, siue repetant sublimia, vident semper faciem Dei: & cùm in hoc solùm anima mori posse videatur, si à meditatione cesset, fit profectò, vt ex hac somni, ac vigiliæ continuata meditatione, vitæ sibi

*Anima Deũ semper versans similis Angelicæ gratiæ.* *Explicatur.*

*Animã quasi mori, si cesset à meditando.*

E æternitatem ratam faciat. Vt verò hoc ipsum in nostro Iacob ostenderetur, eo dormiente Angeli ascendentes ad Deum atque descendentes, ab scala tamen, qua cum Deo cohærent, nunquam discedentes visi sunt; vt Iacob huic gratiæ parem se agnoscat; quandoquidem, siue dormiat, siue vigilet, semper Deum vigili mente contempletur.

*Animæ æternitas colligitur à continuata meditatione.*

5. Tandem, quod in somno Iacob mysticè latet, omitti non debet. Gregorius ergo Magn. 5. Moral. 22. ita philosophatur: In itinere (inquit) dormire, est in hoc seculo à rerum præsentium

Greg. Mag.

 amore

*Ab amore præsentium rerum quiescere, dormire est.*
*Cant. 2. 6.*
*Læua sponsi, bona temporalia, dextera, æterna.*
*Prou. 3. 16.*
*Temporalia transcendere, sperare æterna.*

amore quiescere, & in dierum labentium cursu A ab appetitu visibilium mentis oculos claudere. Hic ille somnus Sponsæ Cant. 2. 6. inter ipsius Sponsi brachia: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: nam per læuam sponsi omnia temporalia; per dexteram intelliguntur æterna, iuxta illud Prou. 3. 16. *Longitudo dierum in dextera eius, in sinistra illius, diuitiæ, & gloria.* Rectè igitur in rem nostram, læua sponsi supposita dicitur sponsæ capiti; quia, vt Theodoret. annotat, omnia temporalia sublimiori mente transcendit. Dextera verò sponsi amplexabitur sponsam, quoniam in sola futuræ æternitatis spe dulciter conquiescet. Idcirco, vt hanc sibi quietem gratissimam ostenderet, addit illico sponsus contra obstrepentes: *Adiuro vos filiæ Ierusalem, per* B *capreas ceruósque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, quousque ipsa velit.* Quæ vltima verba suauitatem huius somni valde exaggerant; securus enim sponsus nunquam volituram sponsam, vt ab eo excitetur, liberè permittit, vt, *tantum*, si velit ipsa, excitetur, vel meliùs cum Bernard. *ne suscitetis*, quoadusque ipsa velit. Nouit sponsus (inquit) matrem propria charitate solicitari erga filios, & ideo, ne suscitetis (inquit) ô filiæ, ipsa mater amat vos, & opportuno tempore quietem interrumpet, vt vobis adsit. itaque amor excitabit illam; ideo enim Sponsa alibi clamat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Psal. 54. 7. Columba enim, ait C August. à molestiis quærit auolationem, sed non amittit dilectionem. Porro autem somnus iste, cùm sola sit quies ab amore temporalium, in perfecta vigilia corporis euenire solet. Vnde Bernard. ad prædicta Cantic. verba: Quies sponsæ dormitio est, quæ sensum non sopiat, sed abducat.

*Quietem in Deo, nunquam finiri vult sponsa.*
*D. Bern.*
*Amor excitat Spõsam, vt filiis adsit.*
*Ps. 54. 7.*
*D. Aug.*
*Somnus in perfecta vigilia, quies à temporalibus.*
*D. Bern.*

Est alius somnus dormitioni Iacob meliùs respondens, quem spirituales ecstasim vocant, in qua animus ab ipsis sensibus abductus, Deo per meditationem adhæret. Declaratur optimè à D. Bern. serm. 85. in Cant. Meditando, inquit, interdum exceditur, & seceditur etiam à corporeis sensibus, vt sese non sentiat, quæ verbum sentit. Hoc fit, cùm mens ineffabili verbi illecta D dulcedine quodammodo sese sibi furatur, imò rapitur, & elabitur à se ipsa, vt verbo fruatur. Ita Bernardus.

*Ecstasis quid?*
*D. Bern.*
*Anima se non sentit, quæ verbũ sentit.*
*Anima se sibi furatur, cùm amat.*

---

## *De scala, & prima eius significatione.*

### SECTIO IV.

1. *Prima significatio scalæ vniuersitatis prouidentia. Explicatur locus Sapientiæ 8. illustratur sententia Tertul. in duplici sensu.*
2. *Prouidentia à summis ad infima venit, ex Alexandrin. Clement. Primus fons prouidentiæ Deus, ex D. Chrysost.* E
3. *Prouidentia Dei in minimis magis rata est, ex Matthæi 6. Ps. 138.*
4. *Duo latera scalæ duo prouidentiæ diuinæ media: attingit fortiter, disponit suauiter. Illustratur Cant. loco c. 8. & explicatur gradus scalæ media naturalia, & supernaturalia.*
5. *Non alienauit se Deus ab exequutione prouidentiæ suæ, sed incumbit illi. ex Tertul. & D. August. explicatur locus Apocal. 6.*
6. *Angeli ministri Dei circa rerum prouidentiam. ex Apoc. 5. Stare in Scriptura est ministrare illustratur.*
7. *Explicatur Clemens Alexandrin. de numero Angelorum; qui sunt ministri prouidentiæ; septem dicũtur, qui vniuersalius eam curant. Eos quoque aliquando mitti ad maiora negotia, ex Bernardo.*
8. *Heroibus specialiori cura adest Deus, ex Psal. 138. explicatur locus. illustratur ex Clement. Alex.*
9. *Custodia Angelorum acrior, cùm laborant ii, quos custodiunt, ex Act. 12. explicatur à Chrysostomo.*
10. *Deus innixus scalæ prouidentiam specialem in suos electos ostendit, illustratur loco Cantic. 2. Bernardo explicante.*

1\. SEQVITVR ipsa Visio, de qua Moyses. Vers. 12. *Viditque in somnis scalam stantem super terram; & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoque Dei ascendentes, & descendentes per eam.* 13. *Et Dominum innixum scalæ.* Hebr. *Et Dominus stabat iuxta eam.* Septuaginta. *Et Dominus incumbebat super eam.*

*Varia lectio.*

E magna sensuum sylua potiores tantùm seligemus. Primus est Hebræorum communiter, quibus adhæret è nostris Theodoret. & recentiores aliqui; nimirum tota hac Visione significari vniuersalem Dei prouidentiam. Nam in scala è cælo ad terram vsque demissa, ostenditur, C illam ad omnia pertinere. Quod egregiè explicatur in illo Sapient. 8. 1. *Attingit a fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Duobus modis interpretatur D. Bernard. de gratia, & libero arbitrio. Primò, *à fine vsque ad finem*, id est, a cælo vsque ad inferiores partes terræ: a maximo Angelo, vsque ad minimum vermiculum. *Fortiter* autem, id est, substantiali quadam, & vbique præsenti fortitudine. Secundò, *à fine vsque ad finem*, id est, ab ortu creaturæ, vsque ad finem destinatum a Creatore; siue, in quem vrget natura, siue quem accelerat causa, siue quem concedit gratia. *Fortiter* item, id est, potenti prouidentia, per suauem tamen dispositionem ad opus emollita. Huc ergo tendit vtraque explicatio Bernar-D di, vt ad prouidentiam diuinam spectet, omnes rerum fines, non modò perspicere, sed ad illos conuenienter dirigere. Vnde illud Tertul. in lib. de pœnitentia: Deus in omnia sufficit: nec potest esse suæ perspicaciæ præuaricator. ita ille. Non potest esse suæ perspicaciæ præuaricator, vt videat, scilicet, sed non prouideat; si enim rectè perspecto, quid naturis rerum opus esset, eas tamen aut desereret, aut certè aliter administraret, perspicaciæ suæ præuaricator esset, & quasi peccaret contra huiusmodi, vt ita dicam, conscientiam. Suam ergo perspicaciam Deus, quasi legem sibi constituit, quam (si ordinariè loquamur) transgredi illi nefas sit: quæ est radix illius sententiæ apud eundem Tertullianum 2. contra E Marcio. Bonitas Dei operata est mundum, iustitia modulata est, id est, quasi normas faciendi, legésque præscripsit. Sed est alius sensus non minùs in prouidentiam quadrans; non potest esse suæ perspicaciæ præuaricator; id est; non potest dissimulare, & conniuere in cura rerum. Vnde illud Psalm. 138. 7. *Quò ibo a spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam?* vbi Chrysost. simpliciter in spiritu, & facie Dei, sequacem eius præsentiam; & quolibet permeantes oculos interpretatur. Tu clarè

*Vniue. salis Dei prouidentia per hanc Visionem.*
*Prouidentia Dei pertinere ad omnia.*
*Sapient. 8. 1.*
*D. Bern.*
*Prouidentia substantialiter præsẽs.*
*Fines rerum perspicit, & ad eos dirigit.*
*Tertul.*
*Deus quomodo non sit suæ perspicaciæ præuaricator.*
*Iustitia normas dedit faciendi res, quas Deus non trãsgreditur.*
*Quasi præuaricaretur Deus, si conniueret in cura rerum.*
*Ps. 138.*
*D. Chrys.*

clarè rem intelliges exemplo imaginum quarundam, quas pictores eo artificio formant, vt quocunque te verteris intentis oculis sequantur: ita prorsus, quò ibo à spiritu, & facie tua? Vude rectè addit: *Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades*, &c. id est, quocunque abiero, oculis me tuæ prouidentiæ semper sequeris.

*Similitudo imaginum oculis quasi sequentium.*

2. Quod verò scala cælum primò tangens, per intermedia elementa ad terram vsque descendat, ordinem generalis prouidentiæ designat, vtpote, quæ à summis ad infima veniat. Quod demōstrauit Alexand. Clemens Strom. 6. ad verba Ps. 132. 2. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbā, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*, &c. quia diuina prouidentia, inquit, desuper ex iis, quæ sunt principaliter, tanquam ex capite peruadit ad omnia. Sed enim cur prouidentia ista omnia complectatur, causa est Deus innixus scalæ. Vnde Chrysost. ad Psalm. 45. prouidentiam comparauit fluuio ab altissimo Deo, tanquam à fonte impetum trahenti. Inde, inquit, fluuius hic profusam, & inoffensam trahit bonorum suppeditationem, & cum susurro profluens implet omnia. ita Chrysost. Rectè verò inoffensam dixit, & cum susurro profluentem, vt potenter simul ac suauiter in omnia penetrantem exprimeret.

*Ordo generalis prouidentiæ per gradus.* Clem. Alex. Ps. 132. 2. D. Chrys. *Prouidentia similis fluuio.* *Prouidentia potens, & suauis.*

3. Scala verò cur dicitur stare super terram; vel iuxta Hebraicum, firmitatem habere in terra? designat prouidentiam in infimis, à quibus falsò exulare putatur, magis esse ratam. Vnde illa liliorum, fœni & passerum cura, Matth. 6. 28. Dauid etiam rectè expressit in ea, quam habet Deus circa imperfectissima nostra, Psal. 138. 16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis*, id est, non solùm à natiuitate mea, sed à prima illa occultissima formatione in vtero matris curam mei suscepisti. Itaque imperfectum meum vidisti propriè embrionem meum; cùm nihil adhuc essem, quàm massa quædam informis, tu ibi iam aderas. *In libro tuo scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis*; id est, omnes artus meos, quos in præscientia tua, tanquam in libro scripto habebas, per incrementa dierum formandos, ita iam præsciebas, vt ne capillus quidem vnus hanc tuam effugeret prouidentiam. Hæc explicatio germana est, si Hebræum fontem respicias, si verborum consequentiam, denique si illud Christi Luc. 12. 7. *Vestri autem omnes capilli capitis numerati sunt.* quæ fuit magna commendatio curæ Dei, etiam circa minima nostra: quia, quæ seruare cupimus, in numerato habemus; vt notauit Ambrosius.

*In infimis magis rata.* Matth. 6. 28. Ps. 138. 16. *A prima formatione embrionis.* *Omnes artus nostros præscit Deus.* Luc. 12. 7. *Per numerationem capillorum exprimitur æstimatio.*

4. Duo verò latera scalæ, duæ illæ conditiones sunt in diuina prouidentia, quas expressit Sapiens, scilicet: *attingens fortiter, & disponens suauiter*: inter hæc enim duo quasi prouidentiæ diuinæ latera, per accommodata cuilibet naturæ media, tanquam per gradus descendit, nósque vicissim ad eum per eosdem ascendimus. quod quidem in descensu sponsi ad sponsam pulchrè effigiatum est, Cant. 2. 8. Nam primò præfortis gigantis instar, *venit saliens in montibus, transiliens colles.* Postmodum, *per fenestras, cancellósque prospiciens.* Vbi Hebræa venustam habent metaphoram, quam noster non expressit: nam ציץ quod vertit, prospiciens, propriè de rosa, & floribus dicitur, cùm è folliculorum

*Duo latera scalæ, potentia, & suauitas.* Cant. 2. 8. ציץ

A quasi cancellis, non toti, sed summis paulatim capitulis verecundè erumpunt: tum vel maximè formosi, ac nitidi, primogeniáque suaueolentia præstantia. Sponsus ergo, qui priùs Gigantis in morem per montes, & colles, mox per cancellos, rosæ instar, emicat ad prospiciendum, apertè significat, sponsæ se suæ, non solùm fortiter, sed suauiter etiam prospicere, seu prouidere. Gradus autem ad hæc quasi latera coaptans, ait: *Surge, propera amica mea, & veni, iam enim hyems transiit, imber abiit, flores apparuerunt, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes*, &c. *Veni in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, &c. Significat verò mediis partim naturalibus (qualia sunt

*Fortiter, vt gigas adest, suauiter vt flos erūpens.*

B vicissitudines temporum, vbertas fructuum, & his similia) partim supernaturalibus (qualis passio Christi, & vulnerum eius, sanguinísque pretium) promouendam sponsam esse ad supernam beatitudinem.

*Prouidentia media partim naturalia, partim supernaturalia.*

5. Non ergo Deus post conditum orbem in cælum se recepit, res, quas condidit, non ampliùs curaturus, imò incubuit semper earum & conseruationi, & augmento: idcirco apparet hîc innixus scalæ, & iuxta vim Hebraicam, stare faciens scalam: vt significetur, Deum prouidentiæ suæ executioni manus etiam adhibere; ita vt sine hoc stare nequeat. Atque hæc contra Aristotelem, vel quicumque est autor, in lib. de mundo ad Alexandrum, & alios, quos Tertul. in lib. aduersùs Hermogenem tacitè reprehen-

*Deus innixus scalæ, quia curat res humanas.* Aristotel. Tertul.

C dens: Nunquid cùm facere desiit, inquit, apparere cessauit? atqui magis apparere cœpit, & conueniri Deus, intelligitque per ipsa opera diuinæ prouidentiæ, tanquam per quosdam gradus, faciliores patuisse aditus ad ipsum Deum. Mirum autem quomodò nobis eum circa mundi administrationem satagentem exhibeat D. August. lib. 5. de Genes. ad liter. cap. 10. Vbi postquam disseruit de cura Dei circa res conditas, grauiter ait: Quæ quia, cùm primùm condita sunt, tanquam implicita ediderat; secula explicat, id est, per cælorum motus, ac vicissitudines temporum mundum inuolutum paulatim euoluit: eductis scilicet aliis, & aliis,

*Per opera prouidentiæ, tāquam per gradus itur ad Deum.* D. Aug. *Deus quomodo dicatur explicare secula.*

D è capacitate specierum, indiuiduis: aliis, ac aliis effectibus è causarum suarum sinubus. Secula explicat. Quæ tamen, ait August. in suos cursus non explicarentur, si ea ille, qui condidit, prouido motu administrare cessaret. Vnde, quia hoc motu cessante, generalis circa mundum prouidentia cessabit, dicitur Apocal. 6. 14. fore vt in die Iudicij *cælum recedat, tanquam liber inuolutus.* vt idem sit, Deum explicare, & inuoluere mundum, ac exercere in illo, vel non exercere communem istam prouidentiam. Nemo igitur sana mente negauerit, hanc Dei sic explicatam administrationem. Nam propterea Christus in Euangelio per eam nobis de-

Apoc. 6. 14. *Mundus post diem iudicij vt liber inuolutus, quid?* Matt. 5. 45. *Descriptio Dei prouidentis.*

E scripsit Deum, dicens Matth. 5. 45. *Vt sitis filij Patris vestri, qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos.* Vnde illud Tertul. contra Marc. qui de prouidētia Dei malè sentiens, hoc testimonium eradere de Euangelio ausus est. Eradere, inquit, ausus est. Sed ipse mundus inscriptus est, & ab omni conscientia legitur.

Tertull. *Mundus inscriptus, tāquam liber.*

6. Porro autem ascendentes, ac descendentes Angeli repræsentant frequens suum circa mundi prouidentiam ministerium, de quibus ad literam Apocal. 5. 6. *Vidi Agnum in medio throni*

*Ascendentes, & descēdētes Angeli, quia ministri prouidentiæ.* Apoc. 5. 6.

*ni habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem spiritus Dei missi in omnem terram.* vbi septẽ spiritus ad vniuersi custodiam destinatos congruentissimè vocat Ioannes Christi oculos: quoniam eos suæ generalis prouidentiæ ministros habet. Et notandum, quòd in Græco est articulus, vt verti possit: qui sunt septem illi spiritus de quibus videlicet cap. 1. dixerat: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt,* id est, qui Deo ministrant in potestate, qua toti mundo præsidet. nam stare in conspectu alicuius, in Scriptura sacra, significat, ministrare alicui, 1. Reg. 16. 22. Misit Saul ad Isai. dicens: *Stet Dauid in conspectu meo, inuenit enim gratiam in oculis meis,* id est, veniat, vt mihi ministret. Similiter & illud Raphaëlis ad Tobiam: *Ego sum Raphael vnus de septem, qui astamus ante Dominum.* Et idem repetitur de septem his Angelis Apocal. 8. 15. 16. & 17. Cùm ergo hi spiritus toties dicantur septem, non dubium, quin certus hic numerus destinatus sit administrationi vniuersitatis. Confirmatur autoritate Alex. Clem. Strom. 6. vbi sic: Septem quidem sunt, quorum est maxima potentia, primogeniti Angelorum principes, per quos Deus omnibus hominibus præsidet: ideoque oculi Dei dicuntur in Apocal.

*Angeli oculi Dei, quia per eos prospicit.*
*Stare in conspectu, hoc est, ministrare.*
1. Reg. 16. 22.
Tob. 12. 15.
Apoc. 8. 15. 16. 17.
Clemens Alex.
*Septem Angeli, hoc est, principes, per quos Deus præsidet mũdo.*

7. Sed obstare videntur verba alia eiusdem Clem. Alexand. in eodem lib. sic enim loquitur: Nam per gentes, & ciuitates distributæ sunt Angelorum præfecturæ: fortasse autem ex iis sunt deputati singulis. Ita Clem. si enim singulis gentibus, ciuitatibus, hominibus singuli destinati sunt Angeli, quomodo septem duntaxat numerantur? & augeo difficultatem: quoniam, vt communis Theologorum fert opinio cum D. Thom. ad 1. p. q. 15. singulis quoque rerum speciebus assignati sunt in custodiam singuli Angeli, iuxta illud D. August. lib. 83. quæst. q. 74. Vnaquæque res, inquit, visibilis in hoc mundo habet Angelicam potestatem sibi præpositam; quæ verba etiam ad singula singularum specierum indiuidua, quidam extendunt: sed cordatiùs alij ad solas species accommodant. de hominibus est alia ratio, de quo statim attingemus. Vnde Apocal. 14. 18. fit mentio Angeli habentis potestatem super ignem. & cap. 16. Alius vocatur *Angelus aquarum.* Quæ cùm ita sint, quomodo septem tantùm Angeli dicuntur missi in omnem terram? Non ausim cum Lyrano respondere numerum hîc septenarium, vt alibi sæpe in Scriptura, esse numerum vniuersitatis: ac adeò multos indiscretè significare; quoniam, vt vidimus, quoties de mundi custodia sermo est, nuncupatim assignantur septem. Patres nihil hac in re definiunt. Illud interim probabiliter affirmauerim, hos septem esse vniuersaliores quosdam rerum mundanarum administratores, quibus quasi cæteri subordinati sint, vt ab eis illuminentur, quo ad ea quæ in inferioribus curanda sunt. Ideo Clemens citatus de illis ait: Quorum est potentia maxima, primogeniti Angelorum Principes, &c. Sed præterea eosdem septem aliquando mitti ad vniuersaliora negotia, ex Scriptura colligitur, Dan. 10. 11. & ex Bern. homil. 1. super Missus est: post D. Greg. hom. 34. in Euan. vbi hæc de Gabriele Incarnationis legato: Non arbitror hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras legatione fungi. Cùm ergo Deus primò quidem voluerit ostendere Iacob in hac Visione imaginem quandam suæ generalis prouidentiæ, non temere affirmari potest, hos ipsos ascendentes, ac descendẽtes Angelos esse septem, de quibus hactenus. Angelos autem esse administratores diuinæ prouidentiæ, latè ostendit Nyssen. de vita Moyseos post medium.

*Obiectio ex Clemente Alex. de numero Angelorum per quos Deus prouidet.*
D. Thom.
*Plures esse Angelos, quàm septẽ, ostenditur.*
D. August.
Apoc. 14. 18.
Lyranus.
*Reiicitur Lyranus.*
*Hi septem sunt vniuersaliores præsides.*
*Eos aliquãdo mitti ad maiora negotia.*
Daniel. 10.
D. Bern.
*Angelos ascendentes & descendẽtes esse septẽ illos.*
Greg. Nyss.

8. Deinde per hoc etiam Deus bene sperare voluit Iacob, quandoquidem totum cælum sibi adesse monstrabatur. Nam licèt verum sit, iuxta doctrinam Patrum & Scholasticorũ communiter cum D. Thom. vbi suprà, singulis hominibus à die natiuitatis destinari à Deo singulos Angelos in custodiam: præclaros tamen heroes specialiori cura prosequitur Deus, vt suprà iam vidimus apud Clem. Certè quidem in Psalmo illo 138. 17. præmittẽs Dauid multa de generali prouidẽtia, notanter ait: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* iuxta Hebraicum: capita eorum nimis confortata sunt. nimirum tua desuper prouidentia protegente (nam, & principatus tertiæ Hierarchiæ capita sunt) iuxta aliam vim, quia nimis cõfortati sunt Principes, seu duces eorum, id est, principales Angeli, qui Deo imperante pro illis in acie versantur, nimis, & multitudine, & dignitate præstant communibus aliis custodibus. qua de re Clem. vbi suprà: Deus quidem, vt pastor singularum ouium curam gerit, eos verò maximè prouidendi, ac visendi tenet studium, qui sunt, & præclaro ingenio, & populo multùm prodesse possunt: ij autem sunt, qui ad regendum, ac docendum sunt apti: per hos enim cura prouidentiæ latè eminet. Ita Clem. iuxta quam sententiam, credibile est, magnis quibusdam viris plures Angelos, atque ex præcipuis in custodiam dari, maximè si ad statum eminentem, ac mundo vtilem assumantur: in quibus Iacob insignis Patriarcha numerandum, vel præsens conuincit Visio.

*Præclaros heroes specialiùs curat Deus.*
Ps. 138. 17.
*Principatus eorum, hoc est, principes Angeli eorũ.*
Cl. Alex.
*Eos, qui gubernant, & docent, maiori cura prosequitur Deus.*

9. Iam verò Angelorum ascendentium, ac descendentium feruor supra Iacob profugum, ac ab itineris labore quiescentem significat Angelorum tum maximè satagere, ac feruere custodiam, cùm alumnos suos laborantes, ac in angusto positos vident, tunc enim crebras eunt, redeúntque vias, vt eos liberent: cuius rei insigne exemplum habemus Act. 12. 16. Nam cùm D. Petrus iussu Herodis iaceret in carcere, totáque Ecclesia solicitè pro illo oraret, eius tamen, vt videtur custos Angelus multò solicitior, noctu intrauit carcerem; cúmque solutis vinculis, & apertis ianuis eduxit foras: ad domum verò Mariæ matris Ioannis cùm veniret, ac pulsaret ianuam, puella agnita voce Petri nunciauit adesse illum pro foribus: at illi non credentes dixerunt: *Insanis, Angelus eius est.* Hîc ergo prodit Chrys. & iure interrogãs; Vnde, inquit, venit illis in mentẽ, adesse Angelum Petri? æquè autem breuiter, ac grauiter respondet; à tempore, inquit, illud coniectabant. quasi dicat; sciebant, tempus esse persecutionis, periclitari in ea Petrum, detineri in carcere, de vita eius ab Herode agi: idcirco, & Angelum eius solicitum debere vagari, excubias agere, feruere in tempore, ne quid mali patiatur: à tempore illud coniectabant. Non aliter igitur in hac fuga Iacob, illo præ solicitudine dormiente, vigilant Angeli, ascendunt ad Deum, ac descendunt, solicitè cum Deo agentes de liberatione ac securitate Iacob.

*Angelos tũc magis satagere, cùm sui laborãt.*
Act. 12. 16.
*Custos Petri magis solicitus eo vinclo.*
D. Chrys.
*A tempore persecutionis coniectarũt esse Angelũ Petri.*
*Deo in fuga Iacob, Angeli ascendunt, & descendunt.*

10. Deni

*Cur Deus totus incũbat Iacob, ac si alia non curet.*
D. Bernard.
Cant. 2. 16.

10. Denique illud occurrit considerandum: quomodo Deus innixus scalæ totus incumbat in dormientem Iacob, ac si id solum, ac nihil amplius, curet in mundo? Quod similiter admiratur Bern. serm. 68. considerans Sponsæ gloriationem illam Cant. 2. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Qui locus hunc nostrum egregiè declarabit. Quid sibi vult, inquit, ista inter tam dispares comparatio? aut illa in immensum gloriatur; aut is in immensum amat: quàm admirabile est, quòd illius intentionem ista sibi quasi propriam vendicat dicens: *Dilectus meus mihi!* Itáne huic intéta est illa maiestas, cui gubernatio vniuersitatis incumbit? & cura seculorum ad sola transfertur negotia, imò otia amoris? ita planè. Ipsa est enim Ecclesia electorum, de quibus Apostolus: *Omnia*, inquit, *propter electos.* Ergo prouidentiam cæteris creaturis non negamus, curam Dei sola Sponsa vendicat sibi. Hæc à Bernardo. Cùm ergo Iacob speciali nomine electus à Deo, ac dilectus esset, Malach. 1. *Iacob dilexi*, iure sibi diuinæ prouidentiæ specialiter intentos vendicat oculos.

*Prouidet omnibus rebus, curat solam Sponsam.*


---

## *In scalæ Visione significari etiam Incarnationem.*

### SECTIO V.

1. *Visionum intelligentia maximè deducitur ex adiũcto oraculo. Ex præsenti autem, melius deducitur mysterium Incarnationis exprimi in scala.*
2. *In scala, & gradibus eius ostenditur genealogia Saluatoris. eam melius prosecutus est Lucas ad Deum tendens.*
3. *Formatio Adami sine patre homine figura formationis Christi per Deum absque opera viri. Ex Tertulliano. quomodo Christus pignus Dei. Pignoris nomine etiam filius significatur.*
4. *Adamus quomodo filius Dei, & sit figura Christi, ex Ambros. & Irenæo. Lucas in Adam & Deum desinit, quia Christus suos parentes regenerauit Deo, ex Theophyl.*
5. *Desinit Lucas in Adamo, & Deo, vt formationem Christi è Virgine Matre probet, per formationem Adami ex virgine terra virtute Dei. Ex Tertulliano, & Ambr. Incarnatio quare dicitur recapitulatio?*
6. *Ad Deum ascenditur etiam vt ostendatur, causas Incarnationis ad diuinam prædestinationem reuocãdas esse, quod fecit Gabriel apud Virginem. Spiritus sanctus superueniet in te, explicat Bern.*
7. *Quomodo beata Virgo ad vnionem hypostaticam concurrisse dici potest, explicatur S. Irenæus, & D. Thom. 2. 2. Fines diuinitatis, qui dicantur:*
8. *Deus inhærens scalæ ostendit eosdem se auos sortiri cum Virgine in Incarnatione, ex Gen. 3. Semen Euæ dicitur Christus. Explicatur locus Pauli Eph. 3.*
9. *Quomodo Christus nepos Euæ peccatricis, explicat Augustinus secundùm substantiam. Explicatur locus Psal. 84.* Veritas de terra orta est.
10. *Locus Isaiæ 11.* Egredietur virga, *&c. explicatur à Tertulliano. Quomodo Ioan. 15. Christus se vitem appellet? explicat Tertul.*
11. *Scala præbens transitum Angelis significat, per Incarnationẽ patuisse aditum in cælum. Illustrat Chrysologus. Explicatur, quare Gabrielem vocet portiorem. Cur Incarnatio in Scriptura aliquãdo dicitur introitus, & aliquãdo exitus: ex communi Hebraismo, qui explicatur.*
12. *Idem ostendunt ascendẽtes, & descendentes Angeli. Locus Pauli ad Hebr. 10. explicatur. Aug. illustrat. Incarnatio, & ipsum Verbum incarnatum compendium veniendi ad Deum.*
13. *Angeli curabant preces hominum, & vota Incarnationis deferre ad Deum, Apoc. 8. qui locus explicatur. Angeli sunt quasi gradus ad Deum.*
14. *Incarnatio negotiũ omniũ seculorũ, ex D. Chrysol.*
15. *Per Angelos prædicatũ est mysteriũ Incarnationis, ex August. & per populũ Hebræũ. Locus Cypriani.*

*Germana Visionis significatio ex adiuncto oraculo.*

1. VLLA alia ex re meliùs eruere possumus germanã alicuius Visionis interpretationem, quàm ex adiuncto oraculo: plerumque enim sibi respondent, quæ imaginibus, & quæ verbis à Deo proponuntur. Cùm ergo Deus post scalæ huius Visionem, subiunxerit statim promissionẽ futuri Messię ex semine Iacob: *Benedicẽtur*, inquit, *in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ*: id certe videtur in ipsa Visione significare voluisse. Igitur interpretationem pro Incarnatione Verbi diuini, nostri communiter superiori præferendam putant; maxime Abulensis hoc loco. Vatablus, Hugo Cardin. Carthus. & alij, quam proinde per se illustrandam suscepimus.

*Incarnationem hic significari: patet ex promissione Messiæ.*
Abulens.
Vatab.
Hug. Card.
Carthus.

2. Primùm ergo, quòd scala dicatur à terra in cælum vsque protendi, ac adeò in ipsum Deum desinere, significatur genealogia Saluatoris, quam Lucas 3. cap. à Virgine, per spõsum Ioseph, ac plurium auorum quasi gradus, vsque ad ipsum Adamũ; imò & Deum prosequutus est. *Et ipse* IESVS, inquit, *erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur, filius Ioseph, qui fuit Heli, &c. qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Non dubium autẽ, quin superior Lucas hac in re euaserit, quàm Matthæus, qui per descensum à Dauide & Abrahã contexuit genealogiã. Hinc est quòd Matthæus (vt notauit Glossa) verbum, *genuit*, crebrò adhibuit, quia solas, inquit, narrabat carnis successiones: Lucas verò hoc identidem iterat, *qui fuit*, &c. quoniã ad diuiniora tendebat, quæ quidem varij variè rimãtur. Theophylactus id primum latere putat in eo, quòd Euangelista genealogiam Christi in Adamum, Deumque ducat: quia cùm difficilis creditu esset generatio illius tẽporalis absque homine patre, voluit ostendere, alium quoque fuisse hominem sine patre, nempe Adamũ à solo Deo formatum è limo terræ: id significat illud, *qui fuit Dei*, id est, qui nõ alium habuit plasmatorem, quàm Deum.

*In scala genealogia Saluatoris.*

*Matthæus solas narrauit generationes carnis.*

*Quare Lucas desierit in Deum.*

3. Quod quidem eius quod futurum erat in Christo per allusionem quandam fuisse agnouit Tertullianus in lib. de resurrectione carnis, vbi sic: Recogita, inquit, totum illic Deũ occupatum, ac dedicatum manu, sensu, opere, consilio, sapientia, prouidentia, & ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat: quodcunque enim limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus: ita limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri in carne, non tantùm Dei opus erat; sed & pignus. Sic Tertullianus. In quibus verbis illud pulchrè dictum; Deum occupatum ipsa in primis affectione, quæ lineamenta ducebat: intellige autem lineamenta futuri Christi, quia nimirum Deus exemplar tunc effigiabat futuri Christi, vt sicut è limo formabat Adamum, sine opera viri, ita Christum formaturus esset sine patre homine in vtero Virginis. Idcirco quasi ex eo, quod tunc operabatur, modum faciendi

Tertull.
*Occupatio Dei in formãdo Adã.*

*Limus Adami nõ tãtùm opus Dei, sed & pignus.*

*Adamus formatus ad exemplar Christi.*

educe

educeret, rectè additur: quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Rectissimè verò claudit: ita limus ille iam tum imaginem induens Christi futuri, non tantùm Dei opus erat, sed & pignus. quasi dicat: non illud fuit solummodo opus Dei simplex, sed oppigneratio formandi Christi, ad instar illius; vel per pignus intelligit filium, qui pignoris etiam vocabulo apud Latinos significatur. Vnde illud ingeniosi Poetæ:

*In Adamo, oppigneratio formandi Christi.*

*Dulcia sollicitæ gestabant pignora matres.*

4. Adamus ergo dicatur filius Dei, quia non alium habuit patrem, quàm Deum: idque in figuram Christi. Vnde Ambros. Quid pulchrius potuit conuenire, quàm vt sancta generatio à Dei filio inciperet, & vsque ad Dei Filium duceretur, creatúsque præcederet in figura, vt natus in veritate sequeretur, ad imaginem factus præiret, propter quem Dei imago descenderet? Ita Ambros. Confirmat hæc Irenæus 3. contra hæreses 33. Propter hoc, ait, Lucas genealogiam Domini ad Adamum vsque numerat, finem coniungens initio. Vnde & a Paulo typus futuri dictus est Adã: quoniam futuri humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium præformauerat. in semetipsum dixit Irenæus, quia se ipsum futurum in Adamo præfigurabat. Addam & alium à Theophylacto expressum modum, quo Euangelista ad Deum, per intermedios patres ascendentem interpretatur: vt discamus, inquit, quòd Verbum incarnatum patres omnes intermedios in Deum reducat, & filios Dei faciat. De quo similiter pronuncians Irenæus loco citato. Primogenitus, inquit, mortuorum natus Dominus, & in sinum suum recipiens pristinos patres, regenerauit eos in vitam Dei. Ita ille.

*Adamus filius Dei, quare? D. Ambr.*

*Adam filius Dei figura Christi.*

*Irenæus.*

*Verbum incarnatũ patres medios ad Deũ reducit.*

*Regenerati per Christũ in vitã Dei.*

5. Sed ob alium adhuc modum formationis Adam factus est ille progressus Euangelicus sursum versus, scalæ Iacob instar, ab Adam vsque ad Deum, vt quia difficile etiam creditu erat, Christu e Virgine Matre fuisse natum, per ipsius Virginis maiores, tanquam per gradus ascenderetur in Adamum, qui à Deo similiter formatus est è virgine terra. Quod quidem rectè obseruauit Tertullian. in lib. de carne Christi; nam ponderans miraculum Virginis matris: Tota, inquit, nouitas ista de veteri figurata est, rationabili per Virginem dispositione Domino nascente. Virgo erat adhuc terra, nondum opere compressa, nondum sementi subacta: ex ea hominem factum accipimus à Deo in animam viuam. Igitur si primus Adam è terra traditur, meritò nouissimus de terra proinde, id est, carne non generationi resignata in spiritum viuificantem à Deo prolatus est. ita Tertullian. Sed & Tertulliani vestigiis insistens Ambros. in sermon. 37. In creatione primi Adami, iacta fuerunt, ait, præiudicia futuri. Doctè è Iurisconsultorum schola dixit, *præiudicia*, quasi præiudicatas dispositiones faciendorũ; inter eas autem hæc numerat: Adam, inquit, natus de terra virgine, Christus de Maria virgine: illius maternum solum necdum scissum fuerat; istius maternum secretum nunquam concupiscentia violatum: Adam Dei manibus plasmatur è limo, Christus Dei spiritu formatur in vtero. Vterque ergo oritur cum patre: vterque Virgine vtitur matre. Sic Ambros. Concinit Irenæus 3. contra hæres. 31. Antiquam, inquit, plasmationem in se recapitulatus est, vt sicut protoplastus è rudi terra, & adhuc virgine substantiam

*Vt Christus è Virgine natus crederetur.*

*Ponitur Adã è virgine terra formatus.*

*Tertul.*

*D. Ambr. In primo Adam præiudicia secũdi.*

*Irenæus. Prima plasmatio in Christo recapitulata.*

A habuit, manu, id est, verbo Dei: ita recapitulans in se Adam ipsum Verbum existens ex Maria Virgine, rectè acciperet generationem recapitulationis Adæ. Sic Irenæus; vbi nota generationem Adæ vocare generationem recapitulationis: quia re vera compendio facta est, id est, sine patre. at verò hanc ita recapitulatam generationem in se adhuc recapitulatus est Christus: quoniam præterquam quòd sine patre conceptus est, non à terra primùm, deinde ex carne: sed statim ex carne extitit: tandem suum ipsum corpus in vtero plasmauit: vnde verè mansit verbum abbreuiatum iuxta Paulum ad Rom. 9. 28. ex Isai. 10. 22.

*Generatio Adam quare dicatur recapitulationis? Generationẽ suam abbreuiauit Christus.*

*Ad Rom. 9. 28. Isai. 10. 22.*

6. Denique quod scala in Deum desinat, & B quòd genealogia Christi conformiter ad scalam, Deo claudatur, significat Christi aduentum, non ad causas naturales, sed omnino ad æternam prædestinationem reuocandum esse. Hoc est illud, *qui fuit Dei*; prædestinatus scilicet Dei Filius ab æternitate. Vnde Gabriel rogatus à Virgine: *Quomodo fiet istud*, id est, opus Incarnationis? totum id retulit in Deum. *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* quasi dicat Gabriel (inquit Bern. homil. 4. super Missus est) quid à me requiris, quod ipsa in te mox experieris? sciens scies, & feliciter scies: sed illo doctore, quo & autore. Ego enim missus sum nunciare Virginalem conceptum non creare. Ita Bern. & sumit illud, *obumbrabit* C *tibi*, pro, quasi ad aurem secretò dicet, vtpote rem omni naturæ occultissimam. Hinc illud rectè pronunciatum in sermone de Assumptione Virgini, qui falsò tribuitur Hieronymo, & creditur esse Sophronij. Post salutationis obsequium, ait, deinceps totum diuinum est. Id est, vterque, siue Angelus, siue Beata Virgo, qui duo maximè videri poterant opus ipsum Incarnationis effecisse, vltra naturæ terminos non sunt progressi: Angelus quidem mandata exposuit: Virgo obsecuta est; deinceps totum diuinum est. Rectè ergo obseruauit Ambros. ad obsequia illa Virginis, *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Ancillam, inquit, se dicendo, nullam sibi D prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quæ faceret, quod iuberetur. At omnem prærogatiuam cùm à Virgine tollit Ambros. intelligendum est quoad gratiam vnionis immediatè: nam mediatè negare non potest aliquid in illam contulisse, per ipsam scilicet generationem, ad quam probabilius est, effectiuè concurrisse.

*Christi aduentum ad diuinã prædestinationẽ reducendũ.*

*Luc. 1. 34. Virgo opus Incarnationis à Deo didicit. D. Bern.*

*Incarnationis doctor, qui & autor.*

*Obumbrare, quid Bernardo.*

*D. Hier.*

*Incarnatio tota diuina. D. Ambr.*

*Ancillam se Virgo nominat, hoc est, nullius prærogatiuæ ad Incarnationem immediatè.*

7. Atque id sibi velle puto illud Epiphan. in serm. de laudibus Virg. qui habetur tom. 6. Bibliothecæ. O cæli, ac terræ mediatrix, quæ vnionem Verbi naturaliter peregit! vbi non est sensus, quòd Virgo naturali vi perfecerit vnionem hypostaticam, sed quòd ad eam contulerit quidquid naturaliter conferri poterat; nimirum præbendo sanguinem purissimum ad formationem corporis, fouendóque, ac præparando materiam E illam ad vnionem cum anima Christi: sed quidquid deinceps secutum est, id totum diuinum fuit. Atque ex hoc liquidius manet dictum illud D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. vbi definiens causam quare Virgini Deiparæ excellẽtior, quàm cæteris Sanctis adoratio debeatur: ita loquitur: Quia sua operatione fines diuinitatis propinquiùs attigit. Fines cùm audis, noli diuinitatem aliquibus terminis definitã comminisci, sed in toto opere Incarnationis considera, quatenus

*Epiphan. Quomodo Virgo vnionem Verbi naturaliter peregit? Quia ad eã contulit quidquid naturaliter conferre potuit.*

*D. Thom.*

*Virgo in Incarnatione fines Diuinitatis propinquius attigit.*

se

se extendere potuerit vis naturæ, ita vt ea nihil amplius conari valente, successerit diuinitas, vt ipsam substantiam operis deinceps sola perficeret. Hi ergo sunt fines diuinitatis in Incarnatione, vnde scilicet, ipsa totum sibi negotium assumens vnionem sui cum humanitate peregit: & hos fines omnium proximè pulsauit operatione sua Virgo Deipara eo modo, quo diximus. Non immeritò igitur solus Deus hic dicitur sustinere cacumen scalæ, id est, principale Incarnationis Christi: terra verò, id est, vterus Virginis, infimum scalæ, id est, quidquid corporeæ subministrationis ad tale opus perficiendum opus erat.

*Finis diuinitatis, vnde ipsa cœpit in Incarnatione, deficiente natura.*

*Cacumen scalæ, quia principale in Incarnatione, solus sustinet Deus.*

8. Præterea Deus inhærēs summæ scalæ, significat ortum se habere secundùm carnem ex Virgine, ac per eandemmet lineam, ac adeò eosdem auos cum Virgine ad Adamum vsque verè sortiri. Ob hæc igitur initio statim mundi promittitur Christus. Nam Deus serpenti maledicens, ait: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen tuum, & semen illius.* Vbi grauiores quique Patres per semen Euæ intelligunt Christum è Virgine nasciturum. Vnde illud Eusebij Cæsariens. Deum in eo quòd Christum semen Euæ dixerit, aperuisse fontem generis Christi, qui scilicet, ab ea per consequentes posteros ad Christum vsque deriuaretur. Quæ sententia rectè illustrari potest illo Pauli ad Ephes. 3. 1. *Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cælo, & in terra nominatur, vt det nobis virtutem corroborari per Spiritū eius in interiori homine,* &c. quorū verborum scopus est, persuadere Gentilibus ad fidem conuersis, non esse vllos illa in re inferiores Iudæis, sed vtrosque in gremium Ecclesiæ cooptatos, æqualis nobilitatis esse apud Deum. *A quo*, inquit, *omnis paternitas*, id est, familia in cælis, & in terra nominatur, id est, nomen ortúmque habet: quia omnis, siue Angelorum, siue hominum cœtus, & familia Deum habet communem, ac primùm progenitorem. Mirum ergo non sit, si Christi cognationem per intermedios Patres, tanquam per gradus suos ad Deum vsque deducamus. Quare Andræas Hierosolym. ludens in verbo Aue, quo Gabriel suam legationem ad Virginem auspicatus est: Aue, inquit, vt gaudium, quod perdiderat auia, recuperet filia: per nepotem scilicet, Christum.

*Deus inhærens scalæ, quia per eādem lineam ac Virgo secūdùm carnem descendit.*

*Eufeb. Cæs. Semen Euæ Christus, quòd ab ea descenderit. Ad Ephes. 3. 1.*

*Omnes fideles æqualis nobilitatis propter Deū communem progenitorē.*

*Andræ. Hierosl. Gaudium, quod perdidit Eua, recuperauit Maria.*

9. Illud facere potest scrupulum, quomodo ex Eua peccatrice deductum fuerit semen vsque ad Christum? Theologi respondere solent cum D. Aug. 10. de Genes. cap. 21. factum id, non secundùm virtutem seminalem, sed secundùm corpulentam substantiam. Hinc illud August. eodem loco diligenter obseruandum: Eadem, inquit, caro primi hominis simul habebat vulnus præuaricationis, & medicamentum vulneris: illud in lege membrorum repugnante legi mentis, hoc verò in substantia, quæ sine opere concupiscentiali, per diuinam conceptionem in Virgine, formanda erat in corpus Christi, qui nostra salus est. Ita August. Elucet autem hæc ab Adamo ad Christum generis propagatio, in Regibus, ac Patriarchis maximè: vnde non temere crediderim commentari eum, qui in illo Psalm. 84. 12. *Veritas de terra orta est*, significari dicat, Christum ab illa prima Adami terra oriundum esse: quoniam iam tum cùm Adamus è limo terræ formaretur, prima futuri Christi semina iacta sunt, iuxta locum Tertulliani paulò antè citatum: Quodcumque limus exprimebatur, Christus cogitabatur homo futurus. Rectè autem oritur sub nomēclatura veritatis, contra mendacia, scilicet, hæreticorū, quorum alij è sideribus, alij ex tenui aëre phantasticum aiunt assumpsisse corpus. Vnde illa vox Tertul. de carne Christi, contra Marcionem solam animam veram concedentem in Christo: Quid dimidias (inquit) mendacio Christum? totus veritas est.

*Ex Eua deductus Christus secundùm solam corpulētam substantiā.*

*Caro primi hominis simul habebat vulnus, & medicamentum Christum futurum.*

*Christus à prima Adami terra oriundus. Psal. 84. 12.*

*Christi prima semina iacta in Adamo.*

*Christus Veritas oritur contra mendacia hæreticorū. Tertul. Christus totus veritas.*

10. Huc pertinet illa quasi gradatio apud Isai. c. 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse: & flos de radice eius ascendet*, &c. quē locū egregie ponderat, explicátque Tertul. contra Valent. & alios hæreticos in lib. de carne Christi: Virga, inquit, ex radice, Maria ex Dauid: flos ex virga, filius Mariæ: flos enim fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum, quid ergo negant, & fructui suū florem, & flori suā virgam, & virgæ suam radicem, quominus radix sibi vendicet per virgam proprietatē eī, quod ex virga est floris, & fructus: siquidē omnis gradus generis ab vltimo ad principalem recenseatur: vt iam nunc carnem Christi non tantùm Mariæ, sed & Dauid per Mariā sciant adhærere Deo. Ita Tertul. Congruit antè his, quod Christus Ioan. 15. 1. se vitem appellat veram, & Patrem suum, agricolam. Vtpote, à quo, nascente mundo in primis parentibus, iam tū plantatus, & per consequentes generationes continuo traduce, in Virgine tandem perfectissimè floruerit, ac fructificauerit. Qua de re idem eodem loco Tertul. eleganter explicat verba illa Matth. 1. 1. *Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abrahā*, &c. His, inquit, originis fontibus genere manante, cū gradatim ordo deducitur à Christi natiuitate, quid aliud, quàm caro ipsa Abrahæ & Dauid, per singulos traducem sui faciens, in Virginem vsque describitur inferens Christum, &c.

*Optima gradatione virgæ, floris, fructus, ostēditur caro Christi per Virginem adhærere Deo.*

*Ioan. 15. 1. Christus quomodo vitis à primo Adam vsque ad Virginem. Tertul. Matth. 1. 1.*

*Caro Christi traducē faciens vsque ad Virginem.*

11. Præterea, scala à terra in cælum præbens transitum, significat per Verbi Incarnationē faciles patuisse hominibus ad Deū aditus. Vnde Chrysologus serm. 3. de Annūciatione Virginis, Incarnationem iure dixit, cōmercium esse diuinitatis, & carnis: id est, liberā vltro, citróque cōmeandi, ac mercium vtrinque cōmutandi facultatē. quare idem Chrysol. in probationē sui dicti, respiciens illud: *Aue gratia plena*; & illud: *Ecce ancilla Domini*, Ad Virginem, inquit, aligerum Deus portitorem mittit, qui dat arrham, dotem suscipit, fert gratiā, refert fidem, &c. Portitorē Angelum, accōmodatē in rem præsentem: est enim propriè, qui per apertos, ac liberos portus mercibus inuehendis, ac euehendis incūbit. Deus ergo Angelū portitorē mittens, apertos deinceps vtrobique portus esse voluit, in cælo scilicet, & in terra ad familiaria cōmercia. Hinc via se aperit, qua illā quæstionem à Chrysostomo primū, deinde ab Ambrosio propositā enodare possimus. Cur, scilicet, Incarnationē Scriptura aliquando introitū dicat, aliquādo exitum? Nam ad Hebr. 1. 6. dicitur: *Cùm introducit primogenitū in orbem terræ*, &c. & Ioan. 16. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum*, &c. Igitur D. Chrys. homil. 3. super epistolam ad Hebræos, agnoscit hîc opus reconciliationis à Christo factæ inter Deum & homines: exiens enim à Patre, & introiēs ad nos, facilè ostēdit fore deinceps inter Deū, & homines cōmeatū, & familiares cōgressus. quæ explicatio radicē habet in cōmuni Hebraismo. Nam in Scriptura sacra, per introitus, & exitus, significat familiarē conuersandi consuetudinem,

*Scala à terra in cælum, vt ostendat faciles aditus in cælum per Incarnationē. Chrysolog. Incarnatio commerciū Diuinitatis & carnis. Gabriel portitor quare.*

*Aperti porti per Incarnationem.*

*Incarnatio aliquando introitus, aliquando exitus cur dicatur? Ad Hebr. 1. 6. Ioan. 16. 28. D. Chrys. Hebraismus, intrare & egredi, id est, liberè cōuersari.*

1.Reg.18.13. Act.1.21. *Intrare & exire in Incarnatione significat initam reconciliationem inter Deum & homines. Idem ostendunt ascendentes & descendentes Angeli.*

nem, 1.Reg.18.13. de Dauid: *Ingrediebatur, & egrediebatur in conspectu populi;* id est, familiariter, ac liberè conuersabatur. & Actor.1.21. de Christo Domino: *In omni tempore, quo intrauit,& exiuit inter nos Dominus Iesus*, id est, quo nobiscum in terris familiariter egit. Sic ergo, intrare Christum, & exire in Incarnatione, ostendit, initam à se reconciliationem inter Deum & homines, liberósque esse iam familiares vtrolibet cursus atque recursus.

12. Quod idem in scala ostendunt ascendentes ad Deum, ac descendentes in terram Angeli: nam duas inter se familias amicitia coniunctas esse, inde agnoscimus, si crebros hinc inde videmus, cum mandatis, ac muneribus nuncios intercurrere. Idcirco exstimauerim D. Paulum ad Hebræos 10. 19. liberiorem hanc communicandi cum Deo facultatem post Incarnationem Christi, appellasse viam viuentem. *Habentes*, inquit, *fiduciam fratres in introitu Sanctorum, in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam,& viuentem per velamen, id est, carnem suam.* Viuentem viam, egregia metaphora: vt enim mortuam viam dixeris, quæ, nemine per eam incedente, succrescentibus interim herbis, extinguitur, & quasi emoritur: ita quæ cursu attrita est plurimorum, quaque frequenter itur, reditur: ea scilicet via viuere dicitur. Viam igitur simili modo viuam nobis initiauit Christus, per velamen, id est, carnem suam; per hanc enim vnitam diuinitati facilem habemus accessum ad hanc ipsam diuinitatem. de quo est illud ab Augustino graue dictum 9.Ciuit.15. Beatus, inquit, ac beatificus Deus, particeps humanitatis nostræ compendium præbuit participandæ diuinitatis suæ. videlicet ante Incarnationem, via quidem erat ad diuinitatem, sed longissima, siue naturalem, siue scriptam legem consideres: nam in lege naturæ, inuisibilia Dei per visibilia cognoscebantur, post longas tamen discursuum ambages, quibus sæpe mens periculosissimè distrahebatur: nec minus in lege scripta, per infinita penè præcepta, ac ceremonias longo pòst tempore vix deducebatur in portum diuinæ participationis: at postquam Verbum Caro factum est, ipsa Incarnatio compendium factum est ad Deum, imò ipsum Incarnatum Verbum, quod est summum erga nos dilectionis indicium. Vnde idem Aug. 10. Ciuit. 28. Gratia Dei non potuit gratiùs commendari, quàm vt ipse vnicus Dei Filius in se incommutabiliter manens, indueret hominem; vt spem dilectionis suæ daret hominibus hoc medio, quo ad illum ab hominibus veniretur. Ita Aug.

Ad Hebræ. 10.19. *Viua via apud Paulum idem significat.*

*Humanitas Christi compendium ad Deum.*

*In lege naturæ,& scripta longa via ad Deū.*

D.August.

*Christus medium, quo itur ad Deum.*

13. Vltimò in Angelis ascendentibus, ac descendentibus significantur omnium Patriarcharum, qui ab initio mundi fuerunt, vota ac preces de Incarnando Verbo ad Deum per Angelos delatas: id enim muneris proprium Angelorum est, iuxta illud Apocal.8.3. *Angelus*, inquit, *venit,& stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei.* Vbi non sine mysterio nostrarum precum oblatio attribuitur Angelo, tanquam Sacerdoti, vt scilicet, quasi ex officio id præstare intelligatur. Porro autem thuribula aurea, Ruperto interprete, sunt ipsa orantium corda, quæ igne charitatis incensa suauissimos affectus exhalant. Pulchra verò, inquit, gradatione ascendunt de orationibus Sanctorum ad manum Angeli; de manu Angeli ad conspectum Dei: vt sicut gradus functio est eleuare corpora, ita Angelorum sit attollere corda. Hinc est enim, quod Greg. Nyss. allegoricè tractans in vita Moysis, de tabernaculo veteri, annulos aureos, quibus eleuabatur arca, Angelos ipsos interpretatur: qui sicut quidam annuli, inquit, in animos saluandorum immittuntur, vt ad sublimia eleuentur. Idcirco Bern. serm. 7. super Cant. illud Psalm. 67. 26. *Præuenerunt Principes coniuncti psallentibus*, explicat de Angelorum circa orantes cura. Credimus, inquit, Angelos astare orantibus, vt deuotionem nostram in superna ferant, referant gratiam. Ita Bernard. Hoc igitur præ se ferunt Angeli ascendentes ac descendentes super Iacob. Eius, scilicet, sicut & cæterorum Patriarcharum de Incarnando Verbo desideria offerre Deo, ac pro ea re satagere in conspectu Dei.

*Angeli ascendentes, & descendentes vota deferunt de Incarnando Deo.* Apoc.8.3.

*Preces nostra offeruntur ab Angelo tanquā Sacerdote, & quare? Thuribula aurea, corda orantium.*

*Angelorum est attollere corda, vt gradus corpora.* Greg. Nyss. *Annuli aurei in arca, Angeli & quare?* D.Bernard. Psal.67.26. *Angeli astant orantibus.*

14. Præclarè quidem D. Chrysost. serm. 3. de Annunciat. Virg. Incarnationem appellauit negotium omnium seculorum. Nimirum, quoniam hac in re singulis ætatibus insudatum est, ac per Angelos actum acriter cum Deo, de communi hoc remedio mundi: donec intra Virginis domum (ait idem Chrysolog.) negotium cæleste completur per Gabrielem. sicque factum est, quod ait Epiphanius in serm. de laudibus Virginis, vt Gabriel effectus hospes Virginis, cæli, terræque incensum vnà copulauerit: quia Angelorum, ac hominum desideria ad hoc mysterium pari studio anhelantium copulauit in vtero Virginis completa Incarnatione Verbi.

D.Chrys. *Incarnatio negotium omnium seculorum.*

D.Epiphan. *Gabriel iūxit incensum Angelorū & hominum, id est, vota de Incarnatione.*

15. Denique Angeli ascendentes, & descendentes significant mysterium Incarnationis, per eos prædicatum in omnibus ætatibus. Vnde illud Aug. 7. Ciuit. 32. Hoc mysterium, inquit, iam inde ab exordio generis humani, per quædam signa, & sacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per Angelos prædicatum est. Deinde populus Hebræus in vnam quandam rempublicam, quæ hoc sacramentum ageret, congregatus est. Ita August. Quæ hoc sacramentum ageret, rectè dictum, id est, quæ id negotiaretur coram Deo, quæ vrgeret acriùs per vota, per orationes, per prophetias. Hinc est, quod primum diuini Verbi ingressum in Virginis vterū: & primum eiusdem in hanc lucem egressum nunciarunt Angeli, quod notauit Cyprian. de Natiuit. Domini. A supernis, inquit, legationibus incipit Euangelium: eius primi dictatores Angeli. Respicit salutationem Angelicam item illud ad Pastores: *Ecce euangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis Saluator.*

*Angeli prædicatores Incarnationis.* D.August.

*Resp. Hebræorum agebat hoc sacramentum. quid?*

D.Cyprian. *Euangeliū ab Angelis incipit.*

Luc.2.10.

---

## *Eadem scala significari Ecclesiam.*

### SECTIO VI.

1. *Ecclesia vniuersalis per scalam. Id colligitur ex dilatatione similiter vniuersali. Quòd cælo hæreat, cælestis per gratiam origo significatur. Illustratur ex Apocal.21.& ex Patribus.*
2. *Significatur etiam origo cōuersationis cælestis ex 3. ad Philippenses. explicat Tertullianus,& Bernard.*

3. *Ipsa*

3. *Ipsa terra conuersatione cælesti cælum fit, & homo Deus quadam veluti vnione hypostatica, quod explicatur ex Clem. Alexandr.*
4. *Scala terram vna parte tangens, altera cælum, Ecclesiam signat, quatenus iustos, & peccatores cōtinet. Ex loco Iob. 15. Pleonasmus communis in Scriptura, & quid sit. Cælorum nomine heroes iusti in Ecclesia, per terram peccatores signantur.*
5. *Variis locis Scripturæ significari permistionem malorum, & bonorū in Ecclesia. Explicatur locus Cant. 2. iuxta Bern. & alter Cant. 1. iuxta August. illustratur loco Psal. 86. & Psal. 119.*
6. *Boni quid præstent malis, quid item mali bonis, iuxta Augustinum, illustratur loco Cant. 2. & loco Ambrosij.*
7. *Boni in eo sunt vtiles malis, quòd eorum vel aspectu corrigantur, ex D. Ambros. Imò quòd vexantes proficiant ab ipsismet Sanctis, quos vexant. Bernard. Cant. 2. & Chrysost. serm. de Apostolis. quatenus duret hæc permixtio, ex August.*
8. *Scala in terram defixa significatur stabilitas Ecclesiæ in ipso Christi latere fundata ex loco Isai. 26. illustratur loco Pauli Ephes. 5. & loco Isai. 49.*
9. *Quomodo Christus, & Apostoli dicantur fundamenta Ecclesiæ, ex D. Thom. iuxta Paulum Ephes. 2. explicat Ambros. de firmitate Ecclesiæ, mirum Chrysostomi dictum Explicatur locus Matth. 16. de portis inferi, illustratur loco Chrysost. & loco Matth. 28.*
10. *Quomodo terra dicatur præstitisse Ecclesiæ firmitatem exponitur, primùm quòd Christi humanitas, quæ dicitur terra mysticè, id fecerit: deinde, quòd Reges terræ ad eam firmandam adiuuarint, ex loco Apocal. 12.*
11. *Angeli ascendentes, & descendentes per gradus, significant Angelos adesse omnibus gradibus Ecclesiæ ad custodiam, ex loco Cant. 7. qui explicatur. Illustratur ex Nyssen. Greg.*
12. *Iidem Angeli significant Doctores Ecclesiæ, qui modò diuina, modò humana docent, ex Chrysostomo, & loco Malachiæ 2. Futura apud Hebræos significant obligationem officij, quomodo Angeli dicantur nuncij, explicatur locus 1. Timot.*
13. *Quid significet, Sacerdotem custodire scientiam, ex loco Isaiæ 7. & Iob. 16. sobria est traditio doctrinæ, exemplum in D. Paul. 2. ad Cor. Explicat D. Thom. illustrat Chrys. Explicatur idem ex Psal. 71. interprete Aug. Item exemplo D. Ioann. explicante Ruperto nouum Incarnationis modum in Ioanne.*
14. *Plures alij scalæ sensus non sunt literales, sed priuatæ accommodationis.*

*Scala significari Ecclesiam.*

1.  S T etiam hic sensus maximè conueniens literæ, vt in scala Iacob significetur vniuersalis Ecclesia. Id sibi vult (vt Rupertus annotat) dilatatio illa promissa in Oraculo: *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, ad Septentrionem, & Meridiem*; quod non semini Iacob, sed solùm Ecclesiæ contigit post Christum natum. Placuit sensus Caiet. & aliis. Primùm ergo, quòd scala dicatur stare supra terram, & cacumine suo tangere cælum, ostendit quidem Ecclesiam in terris agere; sed origine, & conuersatione contingere cælum. Apocal. 21.2. dicitur ad literam de Ecclesia militante: *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam descendentem de cælo à Deo.* Hugo Cardin. Vidi altissimè inhærentem originem: non enim satis habuit dicere, *à cælo*, vt putaretur Angelica, sed profundiùs scrutans, addit, *à Deo*; vt prorsus diuina cognosceretur. Vnde prædicta verba ita explicat

Caietan. *Ecclesia in terris, origine & conuersatione cōtingit cælum.* Apoc. 21.2. *Ostenditur in Ierusalē descendente de cælo. Ecclesia quomodo diuina?* HugoCard.

A D. August. 20. de Ciuit. 17. De cælo, inquit, descendere ista ciuitas dicitur, quoniam cælestis est gratia, qua Deus illam fecit. Cùm igitur iuxta D. Petrum epist. 2. cap. 1. 4. gratia sit, *per quam efficimur diuinæ consortes naturæ*: apertè iā liquet, quomodo Ecclesia, quam Deus ex gratia, tanquam ex materia fecit, diuinam sibi originem sortiatur. Meritò igitur Chrysost. dixit, Ecclesiam ex hoc diuino semine, diuinas editam esse in auras: vt scilicet, non tam ex hac communi aura, quàm ex illa diuina, hoc est, Spiritu sancto, viuere censenda sit. Quocirca & D. Paul. cùm ad Galat. 4.26. dixit, *Ierusalem*, id est, Ecclesiam militantem, *desursum* esse, in probationem addit illud

D. August. *Cælestis quare dicatur, & quare diuina?* 2. Petr. 1. 4. D. Chrys. *Cælestis ex Spiritu vnis.* Gal. 4. 26.

B Isaiæ 54.1. *Lætare sterilis, quæ non paris, quia multi filij desertæ*, &c. Quibus verbis per contrapositionem Synagogæ, gratulatur Ecclesiæ de futura multitudine filiorum, quomodo enim sterilem simul, ac fœcundam appellet, dubium facit, cuius hæc vltima resolutio vera est: sterilem dicere, non quòd nullum ediderit fœtum, sed quòd is quem edidit, non naturæ fœcunditati, sed cælitùs acceptæ gratiæ tribuendus sit. Nemo quippe pertinet ad Ecclesiam, familiæ, aut sanguinis iure, quomodo ad Synagogam omnes orti à Iacob, sed Christianorum genus omnino est à Deo. Vnde illud Ioan. 1. 13. *Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Id mihi significare videtur, vt quis in Ecclesiam cooptetur, non posse, aut carnis, aut

Isai. 54. 1. *Quare sterilis, & fœcunda dicatur? Nemo pertinet ad Ecclesiam iure sanguinis, vt in Synagoga.* Ioan. 1. 13.

C sanguinis allegare prærogatiuas: ibi enim *non est Gentilis, & Iudæus, Barbarus, & Scytha, seruus, & liber, sed omnia, & in omnibus Christus*, ad Coloss. 3.11. Aptè verò quis hoc loco concionabitur aduersùs eos, qui in Ecclesia satagunt, vt prædictæ valeant prærogatiuæ sanguinis, inducendo consanguineos ad beneficia Ecclesiastica, cui bene quadrat, quod Mich. 3. 10. dicitur: *Qui ædificatis Sion in sanguinibus.* ij nempe consanguineos asciscendo ad Ecclesiæ præfecturas, sanguinibus eam suis, pessimo exemplo, ædificare contendunt.

Ad Coloss. 3. 11. Mich. 3. 10.

2. Cæterùm præter hanc originem gratiæ, est alia conuersationis in cælis, quæ Ecclesiæ cacumen etiam cælo inserit: iuxta illud ad Philip. 3.

D 20. *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Tertul. de Corona militis, ita vertit: Noster autem municipatus in cælis est. Rectè quidem ad vim Græcam nominis πολίτευμα. Rectiùs autem ad rem nostram; est enim allusio ad Romana municipia, id est, ciuitates, quæ suis quidem legibus viuebant, muneribus autem, ac priuilegiis Vrbis Romæ vtebantur: vt iam appareat, quàm bene cum nostro vulgato Tertullianus conueniat. Verè enim municipatus cæli Ecclesia est: nam licèt in terra sit, ac adeò terrenis, dum in ea viuit, legibus vtatur, cæli tamen habet priuilegia, ac participatam politiam. Secundùm quam

*Cælestis ob conuersatio-nē in cælis.* Ad Philip. 3. 20. Tertull. *πολίτευμα municipatus. Municipia qualia Romanis? Ecclesia municipiū, quia cùm terrena sit, cæli habet priuilegia.*

E ita suos in terris componit mores, vt nihilominus in cælis agere videatur. Conuersatio nostra, municipatus noster, in cælis est, videlicet, cum Angelis, congruenter ad eorum mores. Vnde illud Bern. serm. 27. super Cant. Quod euidentius cælestis insigne originis, quàm in corpore viuere Angelum? hoc ipsum est scala super terram quidem stans, sed cacumen habens, quod tangit cælum. Rectè igitur D. Ambros. 2. de Spiritu sancto. Magna, inquit, gratia, quæ cælo terras mutauit, vt conuersatio nostra in cælis sit, qui antè sicut feræ errabamus in syluis. Ita ille.

D. Bern. *Euidens insigne cælestis originis.* D. Ambros. *Cælo terra mutata.*

*Benedictio Christi vt terra fieret cælum.* Clem.Alex. Luc.14.50. 51.

3. Hanc benedictionem immisit in terram A Christus, cùm ascendit in cælum, vt scilicet, ipsa possit conuersatione fieri cælum. Sententia est Alex. Clem. in sua hortatoria: respiciens enim illud de ascendente Christo, Luc.24.50.51. *Benedixit eis, & ferebatur in cælum:* terram, inquit, mutat in cælum Dei agricola, dextra significans, populos ad bona opera excitans, ac cælesti doctrina hominem Deum faciens. Ita ille. Hæc nẽpe est causa tam diuinæ metamorphoseos: docuit hominem in terris viuere iuxta cæli normas, eóque factum est, vt terra cælum manserit, homo Deus: vel meliùs: Deus homo, alter scilicet à se, qui in terris viuens, verus Deus homo, efficiebat, vt instar cæli esset. Nunc igitur cælum ascendẽs, B ac terram relinquens cælesti doctrina hominem Deum fecit: nimirum, vt nunquã esset terra sine homine Deo. Et quemadmodum ipse verus homo est, & erat, ac verus Deus: ita veros homines, per cælestem doctrinã faceret participatione Deos. Hæc vis cælestis conuersationis, vt alteram quasi vnionem hypostaticam in terris faciat, adeóque Christianus diuina lege imbutus, & secundùm eã conuersans, quodammodo non videatur homo purus, sed homo Deus, cælesti doctrina hominẽ Deum faciens. Hoc autem credo respicere tres Patres apud Theodoret. Cant.1.13. Nam ad illa verba, *Botrus cypri dilectus meus*, ita pronunciant: Vmbra omnino Christi est Christiana Respublica. quomodo enim aliter Christum adumbrare potest, nisi quia sicut ille duas naturas, diuinam scilicet, ac humanam coniunctas habebat hypostaticè: ita quilibet perfectus Christianus easdem duas in se habeat cælesti conuersatione copulatas? Ita manet Ecclesia diuinissimè contemperata, vt natura quidem terrestris, conuersatione autem cælestis sit, conformiter ad scalam stantem quidem super terram, sed cacumine cælo inhærentem, imò ipsi Deo, qui in summo cacumine innixus hæret.

*Fecit Christus similes sibi, homines Deos.*

*Terra nunquam sine homine Deo. Cælestis cõuersatio quandam fecit vnionem hypostaticam. Christianus homo Deus.* Theodoretus. Cant.1.13.

*Christiana res quomodo vmbra Christi sit*

*Ecclesiam continere bonos & malos. Sancti in Scriptura cæli.* Iob 15.15. *Pleonasmus in Scriptura frequens.* Iob 11. 5. D.Thom. *Labia Dei, Doctores sãcti, per quos loquitur nobis.*

4. Vlteriùs scala infima sui parte terram tangens, summa verò cælum, significat, Ecclesiam continere bonos & malos. Nam cæli vocabulo significari perfectos viros, non semel in Scriptura reperitur, Iob 15. 15. cùm dicitur, *Ecce inter Sanctos eius, nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius.* pleonasmus est, eadem enim sententia duobus modis effertur; quod est apud Hebræos frequentissimum, & gratis sæpe exercet imperitos idiomatis: quale apud eundem Iob 11. 5. *Atque vtinam Deus loqueretur tecum, & aperiret labia sua tibi.* Vbi D. Thom. ingeniosè distinguit, quòd Deus aut per se loquatur, aut aperiat labia sua, cùm per alios loquitur. Optimè quidem: sed nihil opus est ea distinctione: ipsa enim locutio diuina vtrobique significatur, more linguæ. Similia passim occurrent, in iis autem censuerim reponendum esse locum citatum in rem præsentem: *Ecce inter Sanctos eius nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu eius.* nimirum, vt iidemmet Sancti cælorum nomine designentur: nam cùm sermo sit inter homines, qui de sanctitate præsumunt, alienè detorqueri potest sententia in ipsos materiales cælos. Vtrobique ergo D. August. cum Græcis intelligit præclaros illos Patriarchas, & posteros in Ecclesia perfectos heroas, quos D. Bernard. serm.28. super Cant. ad illa verba cap.1.4. *Formosa sicut pelles Salomonis*, elegãter describens, Exemplo (inquit) eius quæ sursum est mater nostra, hæc quoque, quæ adhuc peregrinatur, habet cælos suos, homines spirituales, vita, & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, charitate latos, contemplatione suspensos, qui quidem verbum salutare pluunt, increpationibus tonant, coruscant miraculis. Ita Bernard. Sed & per terram significari in sacris literis peccatores, in comperto est, maximè verò ex illo Genes.3.14. in maledictione serpentis: *Et terram comedes.* Vbi literales nomine terræ, peccatores ipsos interpretantur ad hunc sensum: terram comedes, id est, peccatores incorporabis tibi; vt non solùm malus ipse, sed & malorum caput sis. Rectè igitur scala cælum, ac terram comprehendens, Ecclesiam ostendit, quatenus peccatores simul atque iustos eodem gremio continet.

D. Bernard. Cant.1.4.

*Homines spirituales cæli, & quomodo?*

*Per terram in Scriptura significãtur peccatores.* Genes.3.14. *Dæmõ quomodo dicitur comedere terram?*

5. Hoc sibi vult illa fatuarum, ac prudentium virginum parabola, Matth.25.1. hoc illa zizaniorum in medio tritici, Matth.13.25. hoc illa sagenæ omni genere piscium, eodem cap.13.47. hoc area paleam habens & triticum, Matth.3.12. hoc illa differentia vasorum in domo patrisfamilias, Roman.9. 21. quibus ostenditur Ecclesia non ad purum adhuc educta, sed aliquibus etiam nunc turpata maculis ob consortia peccatorum. Huc ergo tendit illa Sponsæ vocatio Cant 2.10. *Surge formosa mea, & veni.* Notat enim Bernard. Etiam formosam, inquit, monet, vt veniat, quia nondum peruenerat ad summũ scilicet pulchritudinis, in quo nullus omnino sit næuus malè com- C uersantium. Hinc patet literalis sensus eius sentẽtiæ, quam Sponsa ipsa de se protulit: *Nigra sum, sed formosa*, Cant. 1. 4. Quare rationem reddens suæ nigredinis, statim addit, *decolorauit me sol.* quo significatur metaphoricè, communis & publica viuendi ratio: qui enim vitam priuatam degent, in tenebris viuere, qui communem, in luce versari dicuntur. Hinc illud Psalm.18.6. *In sole posuit tabernaculum suum*, explicat August. de Ecclesia, quam Deus non in latebras compulit, sed in illustrem quandam reipublicæ formam disposuit. Ecclesia igitur inde agnoscit in se obfuscatam pulchritudinem, quia communis quædam est D respublica, in qua necesse est permixtos esse cum bonis malos. Vnde Psalm.86.5. qui totus est de Ecclesiæ proprietatibus, postquam asseritur, in ea habitare alienigenas, Tyros, Æthiopes: hæc specialiter assignatur: *Nunquid Sion dicet: Homo, & homo natus est in ea?* id est, dicetur de Sione (nam interrogationes apud Hebræos sæpe affirmant, & impersonalia pro passiuis ponuntur) quòd multa genera hominum amplectatur, sapientes, barbaros, malos, bonos, homo, & homo. hoc igitur commune, siue publicum me decolorat, inquit, ob hoc nigra sum. decolorauit me Sol. Nam si distinguere adhuc velim, quæ in me permista sunt, apparebit in plurimis defæcata venustas. Quadrant Hebræa: ibi enim non est, *nigra, sed formosa*, E verùm *nigra, & formosa*, quasi diuisim, in his quidem nigra, in his formosa; sed hæc interim perplexa sunt, quod Ecclesia iure lacrymatur Psal. 119.5. *Habitaui*, inquit, *cum habitãtibus Cedar, multùm incola fuit anima mea.* Est allusio ad notationem nominis, *Cedar*, quo significatur nigredo, & Cedarenos, siue Saracenos innuit, qui à Cedar filio Ismaëlis ortum habent. quasi dicat: quid mirum si nigra sum, quæ cum habitantibus nigredinem ipsa cohabito? illi quidem habitant, & quasi propriam possident nigredinem; ergo quantumuis formosa ex proprio, alienæ

Matth.25. 1. Matth.13. 25. Matth.13. 47. Rom.9. 21. *Ecclesia maculis turpata ob peccatores.* Cant.2.10. D.Bernard. *Sponsa quare iubetur venire?*

Cant.1.4. *Per solẽ cõmunis viuendi ratio.* Psal.18.6. D.August. *Ecclesia illustris respub.*

*Obfuscata per malos.* Psal.86.5.

*Hebraismus. Interrogationes sæpe affirmant. Impersonalia pro passiuis. Publicum decolorat. Nigra & formosa Hebr. in his nigra, in illis formosa.* Psal.119.5.

*Cum nigredine infectis quomodo nõ nigra.*

alienæ tamen nigra existimor conuersatione nigredinis. Multùm incola fuit anima mea, id est, iam diu potior mei pars, nimirū electi, nō sine iactura patriç virtutis, inter reprobos peregrinatur.

*Cælum & terra mutuis stant auxiliis.*

6. Sed enim sicut terra, & cælum mutuis stant auxiliis, quamuis secundùm naturas longè distent: cælum enim influentiis fouet terram: terra per eas fructificans cæli potentiam, ac diuitias prædicat: Dei singulare circa hoc consilium est, vt Ecclesia sinu suo probos, atque reprobos simul contineat: nam vtraque pars suos habet ex hac consuetudine non leues fructus. 1. fuerit, autore August. vt per malos boni exerceantur. Rectè enim D. Chrysost. homil. 4. ad populum, malos homines vocat iustorum agricolas, qui scilicet tribulationum aratris non tam eos scindant, quàm ad vberes virtutum fructus exerceant. Idcirco & Ecclesia ita permixtos habens cum malis bonos, comparatur lilio inter spinas. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cant. 2. 2. Videlicet, quia vel circumfusæ spinæ lilia pungant, ipsis punctionibus suauiùs spirant; vel non pungant, ad honorem earum pulchriùs eminent. vt planè ita in iustis eueniat comparatione malorum. Atque hinc est quod D. Ambros. 2. de Spiritu sancto 11. non aliò referat sponsæ illam nigredinem, & pulchritudinem, quàm ad laborem exercitationis sponsæ, quo ipso non deformis, sed omnino pulchra est, vt propterea dicatur simul nigra, & formosa. Nigra est, inquit, exercitij puluere, & decora ab insignibus victoriæ. Itaque vultus sponsæ puluere exercitationis conspersus, gratiùs ac decentiùs victricia portat insignia, iuxta illud eiusdem Ambrosij ad illa verba Psalm. 118. 137. *Iustus es Domine.* Non decet, inquit, redimitos floribus corona, sed puluerulentos. Quasi dicat: Nullius capiti gratiùs insidet corona victoriæ quàm puluerulento: puluis in acie collectus tantum abest, vt faciem dehonestet, vt præcipuum decorem addat, & duplo maiorem gratiam, ipsis etiam ornamentis victoriæ. Possit ergo sponsa malorum exercita pugnis, dicere: *Pulnerulenta sum, sed formosa.* quod de Hippolyto suo dixit Phædra, apud Ouid.

*Boni & mali inuicem sibi prosunt.* D. August. D. Chrys. *Mali bonorum agricolæ.* Cant. 2. 2. *Pulchriùs apparent & suauiùs spirant inter malos.* D. Ambros. *Puluis exercitationis gratiores reddit.* D. Ambros. Psalm. 118. 137. *Puluis in ore victoris magis decet, quàm corona.*

*Et lenis egregio puluis in ore decet.*

7. E contrario verò eodem Augustino teste, in hoc bonorum, ac malorum intra Ecclesiam conuictu, intendit Deus, vt bonorum exemplo corrigantur mali, quod rectè videtur exaggerasse Ambros. ad illa verba Psalmi 118. 74. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur.* Plerisque, ait, iusti aspectus admonitio correctionis est, quàm pulchrum ergo si videaris, & prosis! Sic ille. Non modò autem visus ab improbis prodest iustus, sed, quod maius est, suis etiam vexatoribus per ipsammet vexationem proficuus est. Idcirco D. Bernard. ad prædicta verba Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Si amicum (inquit) te præbeas inimicis, iure proprietatis, lilium es: quòd ipsas vtique pungentes spinas candore proprio illustrare, & venustare non cessas. Ita Bernard. Sicut ergo spinæ pungentes lilia, summas inde cuspides retrahunt suaui succo illitas, ac necessario fragrantes odore liliorum, quem si quis hauriat, lilia putet: ita mali bonorum, quibuscum viuunt, præsentia non modò afflantur fœliciter, sed amarè etiam pungentes, ipsis miro quodā modo punctionibus dulcescūt, quin & sanguine conspersi pulchriores euadunt, feliciùs nimirum compuncti, quàm pungentes

*Mali conuictu bonorum corriguntur.* D. Ambros. Psalm. 118. 74. *Iusti aspectus admonitio correctionis.* *Iustus ipsa vexatione prodest vexatoribus.* D. Bern. Cant. 2. 2.



A crudeliter. & in hanc rem illud ex Chrysostomo afferre lubet, quo Apostolos erga persecutores suos egregiè beneficos fuisse ostendit. Sic enim in sermon. de duodecim Apostolis: O incudes, inquit, animatæ, quæ dum feriremini, eos, qui feriebant, ad intelligentiam fabrefecistis! quasi dicat: percussorum furentes animos vestra patientia composuistis, miro videlicet modo patiendo artifices, ac si incudes essetis, quæ nō agendo, sed ictus malleorum perferendo, operi faciundo inseruiunt. O incudes animatæ! Ita planè iusti peccatorum etiam pedibus in Ecclesia conculcati, peccatoribus prosunt. Vt iam quæri non oporteat, quare peccatores Deus in Ecclesia sua patia-
B tur? atque in aperto maneat; cur scala figuram Ecclesiæ continens, hinc cælum, inde terram contineat. Quamuis autem (vt notauit August. de vera Religione) in hoc mundo impius pio viuat, & iustus impio, vt eodem modo, quo diximus, sibi inuicem ad salutem prosint: hæc tamen bonorum, ac malorum in Ecclesia coniunctio finienda est cum hac vita: bonis, quasi per scalam in cælum receptis; malis verò detrusis in sempiterna supplicia. Vnde in parabola sagenæ rectè D. Aug. notauit lib. 15. contra Faust. cap. 16. In hoc mundo, inquit, boni ac mali, quasi in retibus indiscretè natant, donec perueniatur ad littus. Idem August. ad illa verba Psalm. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea*, de vasorum illa differentia in domo patris
C familias. Rom. 9. 21. *Sunt vasa*, inquit, *in honorem & contumeliam*; sed vsque ad virgam ferream: in iudicio scilicet finali vibrandam.

*D. Chrys.* *Apostoli incudes, qua suos malefactores fabrefaciebāt.* *Coniunctio malorum & bonorum finienda in iudicio.* D. August. Psal. 2. 9. Rom. 9. 21.

8. Nunc etiam illud consideremus, quod ex Hebræo iam notauimus; nam quod noster dixit scalam stātem in fonte est, מצב propriè statutam; iuxta Septuaginta, firmatam: Chaldæus, defixam dixit super terram, & intelligendum, visam esse scalam infima sui parte aliquantulùm in terram defossam ad firmitatē. Significatur autem stabilitas Ecclesiæ aduersùs omnes impetus. Hinc est illud Isaiæ 28. 16. *Ecce ego mitto in fundamētis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum.* Ad literam est sermo de Ecclesiæ prima fundatione in Christo vero lapide,
D Matth. 21. 42. ad Ephes. 2. 21. Et illud, mitto in Siō lapidem; inuersio est Hebræis familiaris, pro, mitto Sion in lapidem: vt significetur fundata Ecclesia non ad superficiē lapidis, quod certè abundè sufficeret ad firmitatem, sed ipsum quoque lapidem excauatum profundiùs, vt eam omnino immobilem contineret, complent hunc sensum vltima illa verba, *in fundamento fundatum.* Nā iuxta vim Hebraicam dicendum foret: *fundamenti fundati*, seu, *fundamenti fundamenti*; alteruter autē versionis modus magna exaggeratione significat lapidem non simpliciter substratum ædificio, sed altè procisum, vt fundamentum exhibeat iterum,
E atque iterum fundatum ad ipsam æternitatem. Admirabili autem mysterio significatur Ecclesia, non quomodocunque fundata in Christo, sed in eo vulneribus altè confosso, ac præcipuè excauato in profundum latere, Ioan. 19. 34. vt ipsis diuini lapidis visceribus firmiter inhærens, in hanc ædificij molem, quam videmus hodie, feliciter consurgeret. Huc autem omnino respicit D. Paul. ad Hebræos 5. 30. cùm ait: *Quia membra sumus Christi de carne eius, & de ossibus eius.* Qua in re alludens apertè ad ædificationem Euæ ex latere Adami dormientis, formationem Ecclesiæ ex latere Christi mortui in eo principaliùs

מצב *Scala aliquantulùm in terram defossa ad firmitatem.* Isai. 28. 16. Matth. 21. 42. Ad Ephes. 2. 21. *Hebraismus.* *Inuersio familiaris Hebræis.* *Ecclesia in lapide excauato.* *In Christo vulneribus altè defosso.* Ioan. 19. 34. Ad Hebræ. 5. 30.

 figura

figuratam agnoscens, addit: *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* quasi dicat: cùm Moyses dixit: *Et ædificauit costam in mulierem.* eo modo loquendi præcipuè vsus est ad magnum sacramentum, scilicet ædificationis Ecclesiæ ex latere Christi. Vlteriùs autem illustrari possunt quæ diximus ex illo Isai. cap. 49.16. vbi agens de conuersione gentium, ac de spirituali Sione, id est, Ecclesia Christiana, ita loquitur in persona Christi: *In manibus meis descripsi te.* propriè autem ex Hebræo: Situm, ac fundamentalem tui constitutionem in manibus meis metatus sum, nimirum per exceptas in eis plagas, quarum deductione apertus est locus ad futurum ædificium. Itaque Christus vndequaque perfossus est, latere, manibus, pedibus, magno videlicet sacramento, vt firmum præberet solum, è quo primùm nasceretur Ecclesiæ fabrica.

*Figura ædificatio Euæ ex costa Adami.*

Isai 49.16.

*Situs Ecclesiæ manus Christi, & totum corpus perforatum plagis.*

9. Dubitari autem potest, quomodo Christus sit hoc modo fundamentum Ecclesiæ, cùm Apocal. 21.14. dicatur, murum ciuitatis, id est, Ecclesiæ habere *fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina Apostolorum?* Vnde colligi videtur, solos Apostolos esse fundamenta Ecclesiæ. Augetur autem dubitatio, quoniam 1. Corinth. 3.11. dicitur: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus* IESVS. Respondet D. Thom. ad hunc locum Pauli. Fundamentum esse duplex; alterum, quod à se habet soliditatem: sicut rupes aliqua, supra quam ædificium construitur, & huic fundamento comparari Christum, qui ideo dicitur Matth. 7.24. firma petra, supra quam ædificatur domus: alterum fundamentum est, quod habet soliditatem non à se, sed ab alio, hoc est, à solo firmo, seu rupe aliqua subiecta, & hoc modo dici Apostolos fundamenta Ecclesiæ: quia ipsi primò superædificati sunt Christo per fidem, Ephes. 2.20. *superædificati supra fundamentum Apostolorum*, id est, Christum, qui est fundamentum Apostolorum. Fortè autem id sibi vult Isai. cùm Christum dixit, lapidem esse fundamenti fundati: id est, imi fundamenti, supra quod, scilicet, cæteri quasi lapides fundamentales constituuntur: vel lapidem fundamenti fundamenti; vt nimirum duplex fundamentum, sicut diximus, significetur, primum Christi, secundum Apostolorum. Rectè igitur D. Ambros. Apocal. loco citato hanc eandem quæstionem claudit: Vnum inquiens est fundamentum, id est, Christus; à quo continentur omnia fundamenta. Apertè autem & D. Aug. ad Psalm. 86. vocat Christum fundamentum fundamentorum. Ob hæc autem multa firma fundamenta, multa Patres de immobilitate Ecclesiæ, in quibus D. Chrysost. in serm. de expulsione sua, tom. 5. mirum quid dicat: Ecclesiam, ait, vincere nulla vis potest. Deus est Ecclesia, qui fortior omnibus est. mira, & noua ratio. quomodo enim Deus Ecclesia est? nunquid ad eum modum quo D. Bern. serm. 27. super Cant. de Christo ait, Vnus idémque Dominus, & sponsus in capite est, & sponsa in corpore? & de Christianis August. sermon. 61. de verbis Domini secundùm Ioannem. Nos omnis, inquit, cum capite nostro Christo Christus sumus? Verùm id in Christo facile intellectu est propter communicationem carnis, secundùm quam veram sortitur rationem capitis mystici: at Deus cùm secundùm naturam longè distet à nobis, ac adeò caput nostrum dici nequeat: quomodo Ecclesia dicatur, aut ipsa Ecclesia

*Christúsne solus, an etiã Apostoli sit fundamentum Ecclesiæ.*

Apocal. 21. 14.

1. Cor. 3.11.

Matth. 7. 24.

*Christus fundamentum à se, Apostoli fundamentum à Christo.*

Ephes. 2.10.

Isai. 28.

*Cur Christus fundamenti fundatum, seu lapis fundamenti fundamenti?*

D. Ambros.

*Christus fundamentum fundamentorum.*

D. August. Psal. 86.

D. Chrys.

*Deus est Ecclesia, quid apud Chrysostomum.*

D. Bern.

D. August.

A sia Deus, non facilè apparet. Verùm si velimus ad libram exigere prædictam Chrysost. sententiam, magnificam reperiemus continere exaggerationem immobilitatis Ecclesiæ: nam Christus, qui quatenus homo, est caput Ecclesiæ, cùm sit etiam verus Deus, id profectò efficit, vt vigorem prorsus diuinum influat in totam Ecclesiam, quo aduersùs omnes impiorum ictus inuicta persistat: quod meliùs intelligitur, si ad nostram scalam recurramus: nam Deus ipse stans in summitate, diuinam vim admotis manibus imprimens, sustentat illam, ne corruat. Quia verò immobilitas est maximè propria Deo: ita vt vel ea vnica differentia se quasi definierit Malach. 3.

B 6. *Ego Deus*, inquiens, *& non mutor*, in luce iam manet, quare D. Chrysost. dixerit; Ecclesiam vincere nulla vis potest: Deus est Ecclesia, qui fortior omnibus est: quasi dicat: quidquid sit de cæteris, in hoc Ecclesia Deus est: quòd nulla vi conuelli possit. Qui igitur Ecclesiam oppugnare aggreditur; non minùs insanit, quàm qui moueret arma contra Deum, aut, qui scalam, quam Deus sua manu sustentat, deturbare conaretur in terram. In tuto res est. hanc securitatem innuit illa vox Ecclesiæ Psal. 128.1. *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi. expugnauerunt*, pro, impugnauerunt. *à iuuentute*, à pueritia, à primis initiis & incunabulis meis oppugnauerunt me hostes mei, & tamen non præ-

C ualuerunt, videlicet per annos præsertim 300. vsque ad Constantinum oppugnata est Ecclesia. & nomina quidem oppugnatorum elicere nititur Geneb. ex voce רבת vide locum.

*Ecclesia dicitur Deus, quia Deus eam immobilem facit in Christo, qui est caput eius.*

Malach 3. 6.

D. Chrys.

*Qui pugnat contra Ecclesiam, contra Deum pugnat.*

*Per annos trecentos oppugnata est Ecclesia.*

Idcirco Dominus ipse Matth. 16.18. *Portæ*, inquit, *inferi non præualebunt aduersùs eam.* Per portas inferi significantur omnes omnium dæmonum vires. Metaphora ducta à portis vrbium, in quibus plures coaceruantur munitiones, ac robur ipsum exercitus ad resistendum consistit, vt gloriosior sit verborum Christi sententia: portæ inferi non præualebunt aduersùs eam. Non enim tam est sensus, quòd Ecclesia mole sua stans impetus infernorum hostium immobilis sustineat: quàm quòd ipsa irrumpat animosè, & aggredia-

D tur portas inferi, & quantumuis munitas solo æquet, vt nunquam præualere, id est, tota Ecclesia superiores euadere hac in pugna possint. Atque huius inuictæ virtutis rationem reddens Chrysost. in serm. quòd Christus sit Deus, Quoniam, inquit, adiutricem habet, & commilitantem inuictam virtutem Dei, non sola videlicet contra dæmones Ecclesia militat, sed Deum habet commilitantem. ingens profectò gloria, & consolatio militantis Ecclesiæ, quòd Deus non iam ducem se illi exhibeat aduersùs Tartarum, sed quasi vnum de eodem exercitus corpore mi-

E litem: vt hinc appareat, quomodo virtus diuina in Christo, qui est caput Ecclesiæ, infusa per omnia eius membra, diuina illa quodammodo reddat vigore operandi & excellentia: nihil enim aliud sibi vult Chrysost. cùm eam Ecclesiæ adiutricem, & commilitantem appellat. Hoc ipsum autem promisit Dominus ascensurus in cælum, cùm ad Discipulos ait: *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Illud enim, *vobiscum*, significat non solùm intimam ac familiarem præsentiam, sed inuiscerationem, vt ita loquar, in sacramento Eucharistiæ, cuius proprium est, deificare homines. idcirco apud Chrysost. vbi suprà, audacter loquitur Ecclesia ad prædicta verba,

Matth. 16. 18.

*Portæ inferi omnes omnium dæmonum vires.*

*Portæ inferi non præualebũt, id est, oppugnatæ ab Ecclesia cadent.*

D. Chrys.

*Ecclesia habet Dei vim commilitãtem.*

*Deus quasi vnus miles in Ecclesia.*

*Vobiscum sum, quasi inuisceratus per Eucharistiam.*

D. Chrys.

ba,

ba, *vobiscum sum*, Teneo, inquit, manum Domini mei, hæc mihi cautio, satis tuta sum. Ita ille.

10. Ex dictis vna manet dubitatio: videlicet, ea quæ hucusque attulimus ad Ecclesiæ firmitatem asserendam, vel omnino, vel præcipua ex parte referenda esse ad Deum sustentantem scalam, non verò ad terram continentem ipsam defixam intra se. Respondetur, humanitatem Christi, supra quam fundatam, & firmatam diximus Ecclesiam, mysticè vocari terram in Scriptura. Vnde illud Cant. 2. 12. *Flores apparuerunt in terra nostra*, accipit D. Bern. pro resurrectione Christi, quãdo post hyemem passionis flores immortalitatis pullularunt in carne eius. Sed enim terram quoque in sensu magis literali plurimum contulisse ad dictam stabilitatem, certum habemus ex insigni loco Apocal. 12. 16. iuxta interpretationem Lyrani. Nam cùm mulier illa amicta sole, expressa scilicet imago Ecclesiæ, à facie multiformis draconis, hoc est, persecutorum, fugata esset in solitudinem, sæuiénsque draco fluuium, quo illam ad se traheret ex ore proiiceret, id est, multiplicaret persecutionum æstus ad eam penitus absorbendam: terra, inquit, adiuuit mulierem, & aperuit os suum, & absorbuit fluuium. Sensus est; Imperatores Romani, videlicet, Constantinus & alij, ad liberandam Ecclesiam diuino Spiritu acti conspirarunt, & quasi aperto ore fluuium deuorarunt, quia persecutores omnes imperio, legibus, armísque suis de medio sustulerunt. Vnde D. Ambros. in oratione de obitu Theodosij pulchrè examinat, quare Imperator Constantinus è duobus Crucis clauis, quos Helena mater sibi miserat, alterum equi fræno, alterum verò diademati inseruerit? & respondet, vnus clauus in fræno, vt persecutio cessaret: alter in diademate, vt in eo fidem transmitteret ad posteros. Imò non deest inter recentiores, qui alas duas Aquilæ magnæ, quæ huic mulieri datæ sunt, vt eriperet se à dracone persequente, interpretetur auxilia vtriusque imperij, Occidentalis, videlicet, & Orientalis, cuius propria insignia sunt Aquilæ. illud maneat, Ecclesiæ scalam, non modò sustineri à Deo, qui in summo est, sed etiam à terra, supra quam non sine causa ex Hebræo dicitur stare fixa: admirabili tamen consilio factum est, vt hæc firmitas ex parte terræ in principio nascentis Ecclesiæ desideraretur, nequis existimaret (ait D. Chrys. contra Iudæos) Regibus terræ tribuendam omnino esse stabilitatem Ecclesiæ: idcirco cùm erat imbecilla adhuc, ab iisdem illam oppugnari permisit, vt scirent posteri, etiam quod nunc in tuto est, ad potentiam Dei maximè referendum esse.

Cant. 2. 12. D. Bernard. *Humanitas Christi terra florens in resurrectione.*

Apocal. 12. 16. Lyran. *Scala in terra fixa, Ecclesia stabilita per principes terrenos.*

*Draco rufus, persecutores Ecclesiæ, fluuius, persecutio.*

D. Ambros.

*Clauus crucis in fræno equi Cõstantini, vt contineret persecutiones. Alter in diademate, vt fidem transmitteret ad posteros.*

*Duæ alæ aquilæ, auxilia vtriusque imperij.*

D. Chrys. *Terreni principes priùs persequuti sunt Ecclesiam, & quare?*

11. Angeli denique ascendentes, & descendentes per scalæ gradus, ostendunt primò coram, ac studium quo singulis adsunt Ecclesiæ gradibus ad custodiam. De quo est illud Cant. 7. 1. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Sulamitis, idem ac Hierosolymitana, Ecclesiæ nostræ proprium epithetum, quoniam ab Ierusalem trahit ortum suum, iuxta illud Isai. 2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem.* Hoc igitur in Ecclesia proponitur mirum, quòd Angelorum eam exercitus ordinatè custodiat, distributus, videlicet, in diuersas quasi centurias, vt diuersis Ecclesiæ partibus præstò adsint. Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum? Leui, scilicet, armatura promptos, vt choraules scenicos, ac proinde cum voluptate custodientes Ecclesiam, ac si choros ducerent. Et fortè ipsum ascendere, ac descendere, crebrique inter se transcursus, aliud non fuerit, quàm choreas agitando, Ecclesiæ tractare negotia. Certè quidem Nyssen. Greg. in tractatu de vita Moysis, allegoricè explicans veteris tabernaculi instrumẽta, ac illud expendens, quomodo singulis ansulæ ex auro factæ idcirco aptatæ fuerint, vt attolli facilè; ac deponi possent, eas ipsas ansulas interpretatur Ecclesiæ militantis (quæ vel ob id tabernaculum dicitur) custodes Angelos, vt eorum sit officium cum his ascendere, cum illis descendere, eleuando alios ad Dei contemplationem, deponendo alios ad proximorum curam, vt cum hoc rectè congruant ascendentes, ac descendentes Angeli per scalam mysticam, hoc est, Ecclesiam.

*Angelorum cura in custodienda Ecclesia.* Cant 7. 1. *Ecclesia dicitur Hierosolymitana ex origine sua.* Isai. 2. 3. *Angelorum exercitus custodit Ecclesiam.* *Chori castrorum, custodes leuis armatura, & alacres.*

*Ascensus & descẽsus Angelorũ quasi chorea.* D. Greg. Nyss.

*Ansulæ tabernaculi, Angeli custodes Ecclesiæ.*

12. Secundò, hi ipsi ascendentes, ac descendentes Angeli (autore August. 19. contra Faustum 2.) significant Euangelistas, ac alios Ecclesiæ Doctores. Ascendentes, inquit, cùm ad intelligendam supereminentem dignitatem excedunt vniuersam creaturam: descendentes verò, cùm ad hæc ipsa docenda se accommodant captui auditorum: atque hoc esse proprium officium Angelorum, declarauit Chrysostom. tom. 5. cùm dixit: Angelos ita dici, eo quòd sententias Dei hominibus nunciant: cui rectè congruit illud Malach. 2. 7. *Labia sacerdotis custodient sciẽtiam, & legem requirent ex ore eius; quia Angelus Domini exercituum est.* Vbi illud, *custodient*, iuxta vim Hebraicam significat ipsum debitum officij Sacerdotis. Nam apud Hebræos futura declarant obligationem Genes. 20. 9. Abimelech ad Abraham sic ex Hebræo, *Opera, quæ non fient, fecisti nobis*, id est, opera quæ non debent fieri. Vnde Hebraismum sapit illud D. Petri ad Christum cùm se passurum denunciauit, Matth. 16. 22. *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, id est, non debes hoc facere, non pertinet hoc ad obligationem tui officij: Vnde congruit responsio Domini: Non sapis, quæ Dei sunt, id est, quæ Deum æquum est facere. Est sensus maximè literalis. Eandem ergo vim habet illud: *& legem requirent ex ore eius.* Ratio autẽ quæ sequitur optime declarat præcedentia: *Angelus enim Domini exercituum est*, quasi dicat: Dei nuncius est, ad cuius officij obligationem hoc solum pertinet, vt, quæ à Deo accepit simpliciter referat, nihil addendo, aut detrahendo. Vnde hoc est quod communiter à Patribus dicitur: Angeli nomen esse officij, non naturæ. Præclarè est illud à D. Paulo commendatum Timotheo 1. Timoth. vltimo 20. *O Timothee, depositum custodi deuitans profanas vocum nouitates.* Vbi ad literam agit de doctrina Euangelica tradenda, quam quidem magna cum energia depositum vocat, id est, creditam ipsi à Deo cum obligatione reddendi eo modo, quo acceperat. Vnde est illud eleganter dictum à Vincentio Lyrinensi contra nouitates hæreticas: Quid est, inquit, depositum? quod creditum tibi est, non quod à te inuentum; quod accepisti, non quod excogitasti; res non ingenij tui, sed doctrinæ cælestis; non vsurpationis priuatæ, sed publicæ traditionis. Eodem respiciens Bernard. lib. 2. de consider. ad Eugenium. Consecrasti, inquit, Euangelio os tuum, hoc requirent ex ore tuo, non nugas, non fabulas.

D. August. *Doctores Ecclesiæ ascendentes, & descendẽtes Angeli.*

D. Chrys.

Malach. 2. 7. *Sententias Dei hominibus nunciãt Angeli.*

Genes. 20. 9. *Hebraismus. Futura declarãt obligationem.*

Matth. 16. 22. *Quæ Dei sunt, id est, quæ Deum facere æquũ est.*

*Angeli obligatio, vt quæ à Deo accepit simpliciter referat.*

*Quid sit: Angelus est nomẽ officij, non naturæ?*

1. Timoth. vlt. 20. *Doctrina Euangelica cur dicatur depositum?*

Vincent. Lyrinens. *Doctrina, vt accepta est à Deo reddenda.*

D. Bern.

Sed ne illud indiscussum prætereamus. Nam si Sacerdos Angelus Domini est, ac adeò ex officio diuino oracula referre debet, cur de illo dicitur,

*Quid sit custodire sciẽtiam?*

*Labia Sacerdotis custodient*, non verò, prædicabunt, *scientiam?* Custodia enim quandam potiùs auaritiam sonat, quam promptitudinem ad tradendam doctrinam. Respondetur, significari in hoc non auaram custodiam, sed sobriam traditionem diuinæ scientiæ: custodimus enim sub clauibus, quæ iudicamus dispensanda cum discretione; talis ergo debet esse prædicator: non debet illico totum scientiæ thesaurum effundere, sed prudentiæ clauibus obsignatum habere, vt pro ratione temporis, loci ac personarum distribuat quantum satis est. Vnde illud Isaiæ 8. 16. *Signa legem, liga testimonium in discipulis meis.* Est exhortatio Dei ad Prophetam: nam cùm is ad populum aliqua de conuersione gentium, quas Iudæi inuisas habebant, quasi imprudenter effudisset: loquentem veluti continens: *Signa*, inquit, *legem, liga testimonium in discipulis meis.* Hebræus habet, *in doctis meis*; quasi dicat: satis est, de his hactenus: non enim capaces sunt audiendi hæc mysteria: ne ergo tu, & reliqui doctores mei hæc in propatulo habeatis, sed quasi recondita, & repressa, vt instillare ea potiùs debeatis in auditorum animos, quàm effundere. Congruit his, quod Magnus Gregor. ait explicans illa verba cap. 26. 8. in Iob: *Qui ligat aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum.* Ostendit, inquit, prædicatoribus temperandam doctrinam iuxta exigentiam auditorum; sicut diuino consilio aqua in nubibus suspensa, non effusè, sed guttatim decidit, quoniam id postulat natura terræ ad fructus suos, non aquam simpliciter, sed in imbrem redactam expectans. Sicut ergo ligatio aquæ in nubibus non denotat auaritiam Dei, sed mirabilem potiùs sapientiam, & consilium, quo se accommodat ad præcisam telluris exigentiam: ita custodia diuinæ scientiæ in labiis Sacerdotis, solam concernit prudentem dispensandi rationem, alioqui promptissimam, vtpote in ipsis statim labiis, vt non opus sit ex profundo cordis haurire, sed ex summis labiis colligere.

*Significatur sobria traditio doctrinæ.*

Isai. 8. 16. *Signare legē apud Isaiam est, continere prudenter doctrinam.*

Iob. 26. 8. *Ligare aquas in nubibus, est doctrinam temperare in prædicatoribus.*

*Scientia in labiis, vt ostendatur promptissima.*

13. Hæc ergo omnia optimè conueniunt cum nostris Angelis ascendentibus, & descendētibus: fuerit enim in doctoribus Ecclesiæ quantumuis alta rerū diuinarum scientia, sed tamen descēdant necesse est, seu potius condescendant proximi infirmitati, docentēs solùm, quæ oportet, qualem se profitetur D. Paul. 2. Cor. 13. cùm ait: *Siue mente excedimus, Deo; siue sobrij sumus, vobis.* Ad quæ verba D. Thom. rectè supponit, Doctores Ecclesiæ sequestres esse, siue mediatores inter Deum, ac populum: vt altera quidem quasi sui parte vniantur Deo per altissimam contemplationem: altera per condescensionem proximo se accommodent: talem verò hìc se describere Paulum: modò quidem per extasim Deo inhærentem, vt ab ipso fonte salutarem doctrinam hauriat: modò in proximum inclinatum, vt refundat, quæ acceperat. Vnde à D. Chrysost. dicitur cælestis fistula: excipiens scilicet è cælo fluenta doctrinæ, quæ hominibus postea accommodatè communicet; non enim potest esse fistulæ intemperata profusio. Hoc igitur idem miratur in Paulo, in sermon. de duodecim Apostolis; cùm de illo ait: Quantum est, inquit, hoc? Paulus in cælis homo, in terris Angelus. quasi dicat, quid priùs mirabor in Paulo? an, quia homo cùm sit, ad tertium vsque cælum ascendit, & audiuit arcana verba? an verò quia hæc ipsa nullo modo illum auerterunt, vt Angeli interim officio exactissimè

*Ascendant doctores ad alta mysteria, sed descendāt etiā ad docendum.*

D. Thom. *Doctores Ecclesiæ mediatores quomodo?*

*Paulus modò per ecstasim vnitus Deo, modò per condescensum inclinatus proximo.*

D. Chrys. *Paulus cælestis fistula, quomodo?*

*Paulus in cælis homo, in terris Angelus.*

A fungeretur in terris, ab illa scilicet altitudine scientiæ humiliter se demittens ad quoslibet rudes erudiendos? Sed & alterum huius rei præclarum exemplum est Ioannes Euangelista, quem idem Augustinus miratur modò ad altissima cæli ascendentem, cùm ait: *In principio erat Verbum*, modò ad ima descendentem, cùm enunciat; *Verbum caro factum est.*

*Ioannes Euangelista ascendēs, & descendens.*

14. Hinc est quòd August. in principio commentariorum in Ioannem ob hoc ipsum, doctoribus Ecclesiæ accommodet illud Psalm. 71. 3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* Quanquam verò ibi diuidat montes à collibus, quòd illi sint maiores, hi verò minores animæ in Ecclesia, quæ proinde ab illis maioribus doctrinam expectare debeant: tamen ex more idiomatis, vt suprà diximus, montes, & colles, pro
B iisdem sumuntur, efficiúntque multò congruentiorem sensum: *Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam.* quasi dicat, iidem qui in Ecclesia montium instar attollunt meritorum vertices ad ipsum diuinitatis solium, vt osculum inde pacis suauissimè delibent, per condescensionem colles se efficiant, atque eam ipsam pacem meminerint populo sibi subdito debere quasi ex iustitia. Et pergo illustrare hoc Ioannis Euangelistæ exemplo; de quo Rupertus Abbas ad principium eius Euangelij, ita pronunciat. Ecce veritas, inquit, quæ de terra orta est carnem de Vir-
C gine assumens, vt nos à diabolo liberaret, eadem de virginalis Ioannis anima generatur, vocem corpoream induens, vt pro nobis contra hæreticam prauitatem dimicet: qui enim de corde suo Verbum bonum eructauit in vterum Virginis, vt Deus inuisibilis, visibilis fieret, ipse castis complexibus suis ascitam dilectam Ioannis animam eodem verbo fœtam reddidit, vt Verbum ineffabile per vocem eius ac literam audibile procederet. Ita Rupert. Fit ergo, vt Virgo quidem verè in vtero, Ioannes in mente Verbum Diuinum quasi incarnauerit, quatenus sicut illa vtero, sic ille intellectu immensum concipiens, postea, vel carne, vel voce, quasi vestitum humanis sensibus mirabiliter attēperarunt. Ecce quomodo Ioannes
D per hanc scalam ascendebat, ac descendebat in morem Angeli. Vnde D. Aug. ad initium eiusdem Euangelij cùm multis verbis ostendat, quàm altè se extulerit cognitione diuinitatis: obiiciátque illud 1. Corinth. 2. 9. *In cor hominis non ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se:* in magnam commendationem Ioannis ita respondet: Si aliquo modo dici potest, in tantum ascendit in cor Ioannis, in quantum ipse Ioannes non erat homo. quid est, non erat homo? in quantum cœperat esse Angelus.

D. August. Psal. 71. 3. *Montes & colles more linguæ pro eodem.*

*Doctores iidē colles, & montes quomodo?*

Rupertus.

*Veritas diuina induit vocem Ioānis Euangelistæ.*

*Deus animam Ioannis fœtam Verbo fecit.*

D. August. 1. Cor. 2. 9.

*Ioannes Euangelista plusquam homo.*

Percurrimus celebriores sensus Visionis scalæ. sunt alij priuati, minúsque ad literam pertinentes, quos videre potes apud Patres. Nam D. Hieron. in epist. ad Furiam de seruanda viduita-
E te, accommodat scalam religioni; & lib. 1. contra Iouin. ait, significari per illam cælestem gloriam cum diuersitate mansionum. D. Aug. serm. 15. de Tempore, Virginem Deiparam scalam hanc accepit; per quam Deus ad terram descendit, vt per eam nos ascenderemus ad cælum. D. Bern. de scala humilitatis ad similitudinem scalæ Iacob tractatum composuit. Denique Tertul. 3. contra Marcionem viam ad cælum, de qua alij decidunt, alij proficiunt in eadem scala, commentus est. Simile[?] iter in lib. de fuga in persecutione, scalam Iacob

D Hieron. *D. Hier. scalam accommodat religioni, & cælesti gloriæ.*

D. August. *D. Augustinus Virgini Deiparæ.*

D. Bern. *D. Bern. humilitati.*

Tertull. *Tertul. viæ ad cælum, & persecutioni.*

cob ipsam persequutionem repræsentato ait. Denique videndus Philo in lib. de somniis, vbi tres huius scalæ tropologicas significationes adhibet.

---

## *De oraculo.*

### SECTIO VII.

1. *Dicitur Deus Abraham, Isaac, & Iacob, quoniam peregrini erant in hoc mundo, ex D. Paulo Hebr. 11. quomodo maiores mundo fuerint, expenditur à D. Chrys. quo sensu dicatur à Paulo illis dignum non esse mundum.*
2. *Fecit Deus Iacob dominum terræ, quam contemnebat, ex D. Chrys. nihil habentes, & omnia possidentes. 1. Corinth. 6. explicatur ab Anselmo. Illustratur Ambrosius exemplo D. Petri Actor. 3. & Chrysostomus exemplo Pauli.*
3. *Promittit propagationem seminis Iacob in totum mūdum, quod per mysterium de Ecclesia dictum est. Illustratur loco Ezechielis 1. maior dilatatio Ecclesiæ, quam Synagogæ, quæ tamen à Synagoga est orta. Illustratur loco Alexandrini Clementis. Item ex Psal. 67. figurata est eadem dilatatio discissione vestis Christi in quatuor partes, ex Augustino.*
4. *Benedicitur Iacob promissione Messiæ, quomodo hæc promissio fuerit operatoria ex Basilio. adumbratur promissionis feracitas, cùm Iacob dicitur à patre Isaac ager plenus. Illustratur à Bernardo super Missus est, homil. 1.*

1. IN ipsa Visione cursim explicauimus aliqua, quæ Deus congruenter ad illam in hoc oraculo proposuit; nunc opus est, totum ipsum oraculum, vtpote Visionis appēdicem aliquantò latiùs declaremus. Sic ergo Deus ad Iacob, vers. 13. *Ego sum Dominus Deus Abrahā patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo. Eritque semen tuum quasi puluis terræ. 14. Dilataberis ad Occidentem, & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem,* D *& BENEDICENTVR IN TE, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ.* Hæc quidē eò diriguntur, vt Iacob in hac peregrinatione sua certam concipiat auxilij diuini spem; fore videlicet, vt sicut Deus Abraham, & Isaac peregrinantes seruauit, ita ipsum seruaturus sit, quocunque perrexerit. Ne timeas Iacob, ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & tui similiter ero deinceps. Hinc est, quod D. Paulus ad Hebræos 11. 16. eò retulit causam, ob quam Deus horum trium Patriarcharum se Deum nominauerit, quoniam peregrinantes in hoc mundo ostenderunt, alibi se habere manentem spem. *Ideo,* inquit, *non confunditur Deus, vocari Deus eorum; parauit enim illis ciuitatem,* quod quidem iure miratus est D. Chrysost. Qui mundi, inquit, vocatur Deus, non erubescit, trium vocari Deus: ac meritò, quia non solùm mundo æquales, sed mille talibus æquiparantur meritorum memoria Sanctorum. Ita Chrys. quasi dixerit: Si hos tres duntaxat Patriarchas, quasi ad libram expendamus cum toto mundo, longè illos præponderare comperiemus; imò etsi mille mundos in alteram lancem imponamus; in alteram eos ipsos tres solummodo, suis tamen certatim stabunt momentis superiores.

*Erigitur Iacob in spem auxilij diuini.*

Hebr. 11. 16.

*Cur dicitur Deus Abrahā, & Isaac.*

D. Chrys.

*Tres Patriarchæ preponderāt multis millibus hominum.*

A Idcirco valde est notatu dignum, quod Paulus pro ratione addidit: nam postquam dixit: *Non confunditur, vocari eorum Deus,* ait: *parauit enim illis ciuitatem.* quasi enim nulla eos in mundo caperet, opus Deo fuit, nouam aliam capaciorem in eorum gratiam condere extra hunc mundum, hoc est, cælestem Ierusalem. Congruit quod Paulus antea de illis errantibus dixerat: *in solitudinibus errantes, quibus dignus non erat mundus.* Id est, quos vel totus ipse mundus non capiebat. Nam Hebræi dignum re aliqua vocant id, quod ex æquo cum illa quadrat. Genes. 13. 9. *Det mihi Ephron speluncam duplicem, & pecunia digna tradat eam mihi.* dignam pecuniam dixit, id est, æqualis pretij, & ex iusto respondentem speluncæ. & Paul. Roman. 8. 18. *Non sunt condigna passiones huius* B *temporis ad futuram gloriam;* id est, multò maior est gloria, quàm sunt mala, quæ pro illa patimur. Quin & Græcis hic modus loquendi familiaris est. Iliad. 23. lebetem dixit Homerus βοὸς ἄξιον, id est, *dignum boue:* seu, cuius pretium iustum erat bos vnus. Vnde illud Chrysostomi de monachis sui temporis. Si quis eos, inquit, loquentes audiat, cognoscet illico dignos cælorum. Græcismus est, significans, eos apprimè congruentes cælo. Similiter ergo Abraham, Isaac, Iacob errabant, peregrinabantur, quoniam illis dignus non erat mundus, angustior videlicet, quàm vt illos capere posset, ac adeò coarctabantur intra C hunc mundum, nouásque proinde vrbes, nouos mundos illorum magnitudini cōgruentes oportuit à Deo fieri. *parauit enim illis,* ait, *ciuitatem:* cur ergo erubesceret vocari eorum Deus, qui toto mundo maiores erant? Dicens ergo ad Iacob, *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac,* cōfortat eum, & quasi monet mundum contemnendo, ac sibi fidendo, sicut illi fecerunt, magni mensuram sibi nominis impleat, vt iam hinc dici queat Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

*Parat illis Deus ciuitatem, quia nulla eos in mundo capiebat.*

*Mundus nō erat illis dignus, quia nō capiebat eos.*

Genes. 13. 9.

*Digna pecunia, id est, æqualis pretij.*

Ad Rom. 8. 18.

*Non sunt cōdigna passiones ad gloriam, id est, sunt minores.*

Homerus. βοὸς ἄξιον.

D. Chrys.

*Digni calorū, congruētes cælo.*

*Tres illi Patriarchæ coarctabantur in hoc mundo.*

2. Igitur Iacob in magnam fiduciam allecto, incipit promittere Deus: *Terram,* inquit, *in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Erat Bethel in terra Chanaan, quæ postea data est à Deo in possessionem filiis Israël, Iosue 1. 1. Quoniam verò Iacob patriam suam relinquens, & contemnens paternas possessiones, ita properabat alacer, ac si non ampliùs sibi in eas remigrandum esset, ideo Dominus ad eum: *Terram, in qua dormis, tibi dabo.* Videlicet, hoc vnum expectat Deus, vt bona mundi penitus contemnamus: tunc enim perfectum in eadem nobis concedit dominium. Nam (vt rectè notauit D. Chrys. homil. 25. in epistolam ad Hebræos) Deus propterea cupidis bona temporalia sæpe negat, ne cupiditatis vinculis alligati, ipsis ampliùs bonis temporalibus irretiantur. Solue te ipsum, inquit, primò seruitute, & tunc accipe, ne scilicet sicut seruus accipias, sed sicut dominus. Ita Chrysost. Ille ergo verè dominus est temporalium rerum, qui eas verè contempsit. E Idcirco D. Paul. 1. Corinth. 6. 10. non sine mysterio dixit: *Tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Ponderauit enim Anselmus, quòd non dixit Apostolus: *& tanquam omnia possidentes;* quoniam ad speciem solùm apparent pauperes, re autem vera omnia absolutè possident: & ipsam iam radicem attingamus; quoniam videlicet omnibus spretis, omnium se Domino penitus addicunt: maiori verò iure, qui adhæret domino, vnus cum eo dominus, quàm vnus cum eo spiritus est, quod Apostolus asserit 1. Corinth. 6. 17.

Iosue 1. 1.

*Bona mundi contemnentibus concedit Deus possessionem eorundem.*

D. Chrys.

*Cur cupidis bona sæpe temporalia negat.*

*Quis verè dominus temporalium?*

1. Cor. 6. 10.

D. Ansel.

*Ideo non dixit tāquam omnia possidētes, quia verè possident.*

*Qui adhæret domino, vnus fit cū eo dominus.*

1. Cor. 6. 17.

Hinc

D.Ambros. Psalm. 118. 57. *Cui portio Deus est, totius naturæ possessor est.*

Hinc est, quod D.Ambros. ad illa verba Psal. 118.57. *Portio mea Dominus*, grauiter dixit: Cui portio Deus est, totius naturæ possessor est; effectus videlicet totus quidam cum Domino dominus. Demonstrat autem id Ambros. exemplo D. Petri, qui quoniam relictis omnibus Dominum secutus est, ipse quoque naturæ dominus esse meruit: nam claudo homini peteti eleemosynam dixit, Actor.3.6. *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, tibi do; in nomine Iesu Christi surge, & ambula.* Ecce Petrus sub Christi nomine, quasi vnus Christus, ac adeò omnium dominus factus est, qui naturæ (inquit Ambros.) damna reparabat. Quomodo ergo poterat naturæ damna sentire? ita ille. Tanquam ergo nihil habentes, sed omnia possidentes. Ne quis autem hoc existimaret hyperbolen, probat id Chrysost. exemplo eiusdem Pauli. Si miraris, inquit, quomodo omnia habet, qui nihil habet, illum ipsum in medium adducamus, qui orbi imperat, ac loquentem Galatis audiamus. *Si possibile*, inquit, *esset, oculos vestros eruissetis, ac dedissetis mihi.* Ecce quomodo Galatæ agnoscebant omnia sua se debere Paulo, etiam oculos ipsos, nedum facultates, ac temporales diuitias, vt magna cum ratione intelligamus dixisse eundem Chrysost. agrum pauperis esse crumenam diuitis. Ex quibus omnibus lucem accipit locus præsens: dormiebat Iacob in patrio adhuc solo, quod tamen libenter iubente Deo relinquebat; at Deus hanc eius alacritatem, eiusdemmet terræ possessione remunerat. *Terrā, inquit, in qua dormis, tibi dabo, & semini tuo.* Sed & fratris, quem fugiebat, vel hac ipsa via dominum facere parabat: per contraria scilicet operando mirabilis: sicut de Moyse narrat Ambros. ad Psal.118. Moyses, inquit, fugiendo potentiam, potentior factus est: factus est enim in Deum Pharaonis. Hæc de prima promissione.

Act 3.6. *Petrus sub Christi nomine vnus Christus.* — D.Chrys. — *Paulus orbi imperat.* Galat.4.15. — *Crumena diuitis ager pauperis.* — D.Ambros. *Moyses fugiendo potentior factus.*

3. Secunda promissio fuit, *Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, Septentrionem, & Meridiem.* Ne Iacob putaret, solum Bethel dari sibi à Deo in possessionem, promittit dilatationem ad omnes mundi plagas, quod quidem si de terra Iacobæis promissa intelligatur, nequaquam vniuersaliter, toto orbe, sed intra solam terram promissionis accipiendum est. Nam nec tota ipsa terra promissa, Num.34.1. possessa est vnquam à Iudæis. Cùm igitur sit tam absoluta promissio dilatationis in Orientem, Occidentem, Septentrionem, & Meridiem, necessariò dicendum est, continere mysterium, videlicet propagationis Ecclesiæ per totum orbem ad ipsas quatuor cæli plagas, quam dilatationem passim celebrat Scriptura sacra, maximè Isai.54.2. Psalm.71.8. Fuit quidem terra illa sancta prima quasi radix præfatæ dilatationis, iuxta illud Isaiæ 2.3. *De Sion exibit lex.* Vnde in Liturgia D. Iacobi Ierusalem dicitur Ecclesiarum matrix: & D.Hieron. rectè ait omnia Christianorum mysteria esse vernacula Palæstinæ; quoniam ibidem primò quasi nata, & nutrita sunt, postea tamen ad gentes translata, ac ab illis Palæstinæ angustiis educta, totum repleuêre mundum.

Num.34.1. *Tota terra promissa, nunquam possessa à Iudæis. Propagatio Ecclesiæ ad omnes mundi plagas.* Isai.54.2. Isai.2.3. Psal.71.8. D.Hieron. *Ierusalem Ecclesiarum matrix. Christianorum mysteria vernacula Palæstinæ.*

Ezech.1.16.

Certè in Visione illa diuini throni monstrata Ezechieli cap.1.16. ostensus est Dominus in illo ita sedens, vt supposita appareret amplissima rota, sed eo modo affixa, vt minorem intra se includeret rotam. *Aspectus earum*, inquit, *& opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Missis autem infinitis circa has rotas Autorum opinionibus, quas eo

A loco discutiemus, ea modò rei nostræ quadrat, qua rota hæc sumitur pro Ecclesia, in qua Deus tabernaculum suum collocauit: rotæ figuram habet, quoniam totum mundum occupauit. Vnde & orbis terrarum dicitur à D. Ambros. serm. 12. super Psalm.118. ad illa verba Psalm.23.2. *Super maria fundauit eam:* Verè, inquit, terrarum orbis, in quo Iudæi, Græci, Barbari, in Christo vnum sunt. Sedenim intra hanc amplissimam rotam, altera illa latens rotula, quid sibi vult? ea est Synagoga, quæ quidem in Iudæa solùm viguit, quæque olim thronum quoque Dei sustinuit, sed exiguo cum splendore. Ideo rotam sibi aliam vniuersalis Ecclesiæ capacissimam parauit Deus, in qua illustrior emineret eius gloria. Est igitur
B Synagoga comparata ad Ecclesiam quasi rota in medio rotæ.

*Rota magna, pro Ecclesia sumitur, rota minor, Synagoga.* D. Ambros. Psal.23.2. *Ecclesia, terrarum orbis dicta.*

Debemus tamen amplificationem hanc fidei, illi Ecclesiæ quantumuis paruæ, sicut amplior rota, quòd effundatur latiùs, debet minori rotulæ, quæ radios longiùs egredientes sustinet. Vnde non immeritò Clemens Alexand. in sua adhortatoria de vniuersali splendore Ecclesiæ disserens ita loquitur: Fiunt omnia lux, quæ sopiri non potest, & Occasus credidit Orienti, id est, Occidentalis Ecclesia fidem accepit ab Apostolis, qui ex Oriente, vbi Iudæa est, ad prædicandum profecti sunt. Explicatur hoc egregiè illo Psalm.67.5. *Iter facite ei, qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi.* Voces triumphatorum
C præcedentium Christum, scilicet, post victoriam Crucis ad Gentes Occidentales, vt loco cedant, néve se opponant, ac resistant Christo equitanti ad eos: nam verbum, *ascendit*, in Hebræo habet proprietatem equitandi, vt aliquò, scilicet, tendatur. Est ergo sensus: O vos qui Occidentem incolitis, concedite locum victori Christo, suscipite eius fidem: nam ille in Iudæa suos prædicatores, quasi equos, ascendit in Occasum, id est, iturus in Occasum, vt fidem suam in vos spargat. Sedenim Occasus ita in hoc se præstitit obsequentem, vt magna cum facilitate id consequutus fuerit; quod Clemens Alex. citato loco paulò infrà addidit: Is Occasum traduxit in Orientem,
D id est, tanta luce fidei Occasum perlustrauit, vt planè in Orientem mutatus sit, lucémque, quæ antea ab Oriente petebatur, opus sit iam nunc ab Occidente mutuari: quod quidem dictum est verissimè propter sedem Romanam, quæ est in Occidente, vbi lux Euangelica magna cum Occidentalium gloria residet, sempérque residebit.

*Ecclesiæ amplificatio debetur Synagogæ.* Clem.Alex. — *Oriens Ecclesia Iudæorum, Occidens Ecclesia gentium.* Psal.76.5. — *Triumphus Christi ab Oriente in Occidentem. Ascendere in Hebræo, pro equitare.* — *Prædicatores suos, quasi equos, ascendit.* — *Occidens facilè credens factus est Oriens fidei.* — *Roma prima lux fidei.*

Hanc porro propagationem Ecclesiæ suæ Dominus figurauit, Autore August. tract.118. in Ioan. in discissione vestis suæ in quatuor partes. Quadripartita, inquit, vestis Domini Iesu quadripartitam figurauit eius Ecclesiam, toto scilicet, qui quatuor partibus cōstat, terrarum orbe diffusam, & omnibus eisdem partibus æqualiter, id est, concorditer distributam. Ita August.
E Idem 18. de Ciuit. cap. 49. figuratum similiter existimat in eo, quòd Apostoli accipientes Spiritum sanctum, linguis omnium locuti sunt. Significata est, inquit, omnium linguis locutura Ecclesia. Hieron. epistol. ad Lætam de instructione filiæ. De India, Perside, Æthiopia monachorum quotidie turmas suscipimus, deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythæ frigora feruent calore fidei, Getarum rutilus, & flauus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria. Vide locum.

D.August. *Quadripartita vestis Domini, Ecclesia per quadripartitum orbē.* D.August. *Dilatatio Ecclesiæ in omnes gentes, figurata in linguis Apostolorū.* D.Hieron.

4. Tertia

*Christus promissus Iacob. Benedictio operatoria.*

4. Tertia promissio, *In te, & in semine tuo benedicentur cunctæ Tribus terræ.* Caiet. Messias promittitur ex progenie Iacob, & ob id generalis quædam toto orbe felicitas & benedictio in ipsum Iacob, tanquam in autorem generis necessariò redundatura. Fuit hæc promissio cælitus data (sicut ea quæ facta est ad Abraham, & Isaac) mirabiliter operatoria, ipsum scilicet, Iacob, ac totam posteritatem, quasi feracem Christi reddens. Vnde Basil. epist. 65. Carnem Virginis ab Adamo sumptam vocat Christiferam, seu Christi feracem: Quis ergo, inquit, vsus fuisset sanctissimæ Virginis, si non ex massa ipsius Adam Christifera caro assumenda erat? Et fortè id sibi voluit Isaac, quando amplexatus filium Iacob, exclamauit: *Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Ad quæ verba D. Bern. serm. 47. super Cant. Præsensit Christum, inquit, senex caligans visu, sed odoratu sagax, quem videlicet Iacob, quasi plenus, & fœcundus ager, iam virtute continebat. Cùm ergo Iacob, & posteritas eius à cælo benedicta, Christo quasi plena, seu fœta esset, pluribus necessariò indiciis Christum in se latere sæpe demonstrabat, quæ D. Bernard. flores appellat homil. 1. super Missus est. Videntur, inquit, mihi quoddam semen fuisse diuinæ cognationis, tanquam è cælo iactatum in terras, allocutiones, & promissiones factæ cælitus ad Patres Abraham, Isaac, & Iacob. Floruit autem hoc semen in mirabilibus, quæ ostensa sunt in exitu Israël de Ægypto in figuris, & ænigmatibus, in visionibus, & vaticiniis Prophetarum, in ordinatione regni, & sacerdotij. Fructus autem huius seminis, & horum florum Christus. Ita Bern. & est aperta allusio ad illud Cant. 1. 5. *Flores apparuerunt in terra nostra:* id est, Venturi Christi plures significationes, & visiones.

*Hæc benedictio fecit posteritatem Iacob feracem Christi.* Basil. *Caro Virginis Christifera.* D. Bern. *Iacob ager plenus Christo.* *Promissiones factæ Patribus, semen diuinæ cognationis.* *Fructus horum seminum & florum Christus.* Cant. 1. 5.

Quæ cùm ita sint, nemo non videt, quàm rata Iacob & posteris eius prærogatiua honoris à Deo tributa sit; quòd Messias ortum ab eis habiturus esset. Certè quidem D. Paulus enumerans omnes prærogatiuas Iudæorum, hanc vltimo loco ponit, vt cæterarum maximam, Rom. 9. 4. *Qui sunt,* inquit, *Israelitæ, quorum adoptio est filiorum, & gloria, & testamentum, & legislatio, & obsequium, & promissa, quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus Benedictus in secula, Amen.* Idcirco Bernardo autore super signum magnum Apocal. 12. 1. Apparent maiores Christi secundùm carnem in capite mulieris amictæ sole, id est, Virginis, quæ solem iustitiæ peperit, formam habentes stellarum, In capite eius corona stellarum 12. Vt sicut communes stellæ soli, quem videmus, ita totum splendorem suum agnoscant illi debere se Christo, à sanguine suo per Virginem in mundo nato; atque hoc caput esse existiment omnium suarum prærogatiuarum. Hoc ergo semen est, in quo Israël, & Israëlitæ, benedicendi prædicuntur à Deo; hoc insuper est semen, cuius gratia Deus ipse illos obseruabat impensiùs; imò obseruauit non semel, Isai. 1. 9. *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus.* hoc est, quòd non simus ad vnum omnes extincti, sicut Sodomitæ, totum debemus sacratissimo semini, quod sibi Deus inter nos seruat, vt ex illo nascatur in carne; id enim solum respicit, ne penitus absorbeat ingratissimos. Quomodo autem omnes gentes in Iacob, siue Israël, & in Christo eius

*Maxima prærogatiua Iudæorum, quòd ab eis oriturus Christus.* Rom. 9. 4. Apoc. 12. 1. *Maiores Christi ab eo splendorē accipiunt, vt stella à sole.* Isai. 1. 9. *Hoc semen respiciens Deus abstinebat à desolatione Iudæorum.*

A semine benedictæ sint, ex eo apparet, quòd post conuersionem suam, veri Israëlitæ, & Christiani, Iudæis posthabitis, euaserunt; quod latè explicat D. Paul. ad Rom. 9. 6.

*Gentes veri Israëlitæ.* Ad Rom. 9. 6.

---

## *Quid expergefactus dixerit, ac fecerit Iacob.*

### SECTIO VIII.

1. *Variis modis Deus est in rebus, ex Bernard. Gregor. & Rupert. Augustini locus de modo appropinquandi Deo. In templis speciali modo est Deus, ex Augustino.*
2. *Cur Iacob erexerit lapidem, & oleum infuderit? Vnde Palæstina dicta sit terra sancta? Rectius lapide erecto significatur Christus. Quomodo D. Bernard. explicat. Proponitur alius modus, iuxta locū Isaiæ 28.*
3. *Votum Iacob de colendo Deo quomodo rectè se habeat? Expenduntur conditiones voti Iacob, & probatur à Chrysostomo ex animi gratitudine, & celsitudine prouenire. Disputatur in vtranque partem, sitne maius gratum esse, in prosperis, an in aduersis?*

1. POST Visionem magnam euigilans Iacob ait, vers. 16. *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. 17. Pauensque, quàm terribilis est, inquit, locus iste? Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli. 18. Surgens ergo Iacob manè tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. 19. Appellauitque nomen vrbis Bethel, quæ priùs Luza vocabatur. 20. Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, 21. Reuersùsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum.* Septuaginta: Et Vlam Luz erat nomen ciuitatis priùs. Primum Dei præsentiam specialem agnoscit, ob specialem, videlicet, Visionis, & oraculi exhibitionem; alioqui Deus vbique præsens est. Hoc dictum sit ex doctrina Scholastica ad 1. p. q. 8. art. 3. vbi docetur iuxta varios operandi modos varia Deum loca sortiri. Vnde Bern. serm. 6. de dedicatione Ecclesiæ hunc nostrum locum pertractans: Similiter, qui vbique est, inquit, in cælis tamen esse dicitur, non diuersus, sed diuersa distinguens. Apud homines ergo malos est præstans, atque dissimulans; apud electos operans, & seruans; apud superos pascens, & cubans; apud inferos arguens, & damnans. Ita Bern. Et Gregor. Magn. super Cant. Deus, inquit, qui generaliter est in omnibus rebus, tamen familiari modo dicitur esse in aliquibus per amorem & gratiam, iuxta illud Christi Domini, Ioan. 14. 13. *Ad eum* (scilicet, qui sermones meos seruat) *veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vbi Rupertus, Mansio, inquit, Patris, Filij ac Spiritus sancti dilectionis ædificatione præparatur, vt in templo cordis solemnitas agatur deliciosæ contemplationis.

Varia lectio. D. Thom. 1. p. q. 8. a. 3. D. Bernard. *Deū ob varios operandi modos varia loca sortiri. Deus in diuersis locis est, non diuersus, sed diuersa distinguens.* D. Greg. M. *Deus familiariter in aliquibus per amorē.* Ioan. 14. 13. *Cor, templū amoris.*

Ante omnes August. Epistol. 52. ad Macedonium, hunc modum præsentię diuinæ optimè explicat. Imus, inquit, in Deum, non ambulando, sed amando, quem tantò habemus præsentiorem, quantò eundem amorem, quò in eum tendimus, potuerimus habere puriorem: nec enim locis corporalibus vel extenditur, vel includitur.

D. August. *Amando imus in Deum.*

Ad

*Moribus tendimus ad Deum.*

Ad eum ergo, qui vbique præsens est, & vbique totus non pedibus ire licet, sed moribus; mores autem nostri, non ex eo, quod quisquam nouit, sed ex eo quod quisquam diligit, diiudicari solet, nec faciunt bonos, vel malos mores, nisi boni, vel mali amores; prauitate ergo nostra à rectitudine Dei longe sumus; vnde rectum amando corrigimur, vt recto recti adhærere possimus. Ita August. Ex quibus verbis apparet quantò puriùs, & rectiùs conuersamur, tantò Deum nobis præsentiorem fieri. Vnde illud Cyprian. de Oratione Dominica: Conuersemur, inquit, vt Dei templa, vt Deum in nobis constet habitare.

*Amores faciunt mores.*
*Per rectum amorem recto Deo adheremus.*
D. Cyprian.
*Per puram conuersationem Dei templa efficimur.*

*In templis communibus specialiùs est Deus.*
D. August.

Sed & locis quibusdam adesse Deum speciali quadam præsentia, vt in templis, aliisque similibus, experientia constat, & egregiè ponderatur ab Aug. in epist. ad Clerum, & populū Hipponésem. Vbique, inquit, Deus est, & eum in Spiritu adorari oportet, vt in occulto exaudiens, in occulto coronet. Sed ad ista, quæ hominibus nota sunt, quis potest eius consiliū perscrutari, quare in aliis locis miracula fiant, in aliis non fiant, vt in templo S. Felicis apud Nolam, non verò ad templa Martyrum in Africa? Et causam reddit August. Diuinam voluntatem, quæ pro libito, sicut hominibus, ita & locis distribuit sanctitates, & gratias. Id ergo vult hoc loco Iacob cùm ait: *Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebā*, scilicet, esse hic speciali modo. Illud autem: *Non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cæli*, nihil præterea vult, quàm ob idipsum locum Bethel habendum esse sacrum, vtpote in quo se Deus aperto cælo specialiter monstrauerit. Sed & illa admiratio, *quam terribilis est locus iste!* id ostendit, quod experientia docet, sacra loca reuerentiam quandam ingenerare solo contuitu. De quo est illud Senecæ epist. 94. vbi sic: Pythagoras ait alium fieri animum intrantibus in templum, quòd deorum simulacra ex vicino cernant. Et Poëta commendans lucum Pico dicatum, Æneid. 7.

*Cur in vno templo miracula fiūt, in alio non fiunt?*
D. August.
*Dei voluntas, prout vult, locis distribuit sanctitates.*

*Loca sacra venerationem ingenerant.*
Seneca philosoph.
Pythagor.

Virgil.

*Horrendum, inquit, syluis, & religione parentum.*

Vbi Seruius *horrendum* interpretatur, *venerandum*. Hebrai. נורא quo nomine significatur in sacris literis, quidquid admirationem, ac reuerentiam incutit.

נורא

2. *Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper; appellauitque nomen vrbis Bethel.* Septuaginta, *in statuam*, eodem sensu. Est enim statua insigne monumentum alicuius rei. Ezechiel. 26. 8. *Et statua fortitudinis tuæ*, id est, trophæa pro parta victoria, *in terram descendent.* Ad literam significatur erexisse Iacob hunc lapidem in monumentum diuinæ visionis, oleum autem superfudisse, consecrationis causa; nam quæ Dei seruitio, cultuique dicabantur, ea priùs vngebantur oleo, Exod. 4. 29. Vnde volunt aliqui, Iacob erigendo, ac vngendo lapidem, consecrasse tum primum terram promissam diuino seruitio, & ob id postea terram sanctam fuisse dictam, iuxta illud Psalm. 113. 2. *Facta est Iudæa sanctificatio eius.* Sed plerique Patres mysterium Christi agnoscunt in lapide vncto; nam Christus, verus lapis, ab vnctione nomen habet. Ratio autem mysterij est, quòd lapis erectus, diuinitatis altitudinem significat, olei verò effusio eandem nobis interuentu misericordiæ attemperatam. Quod argumentum doctè pariter ac subtiliter tractat D. Bern. serm. 15. in Cant. ad illa verba Cant. 1. 2. *Oleum effusum nomen tuum:*

*Titulus, & statua idē.*
Ezechiel. 26. 8.

*Lapis, pro monumēto; vnctio, pro consecratione.*
Exod. 4. 29.
*Vnde terra sancta, secundum aliquos.*
Psal. 113. 2.

*Lapis vnctus Christus est.*
*Lapis erectus, diuinitas, vnctus, quia per misericordiam effusa.*
D. Bernard.

A ait enim nomina Dei, quæ in Scriptura maiestatem sonant, cum aliis plerumque coniungi, quæ misericordiam significant. Ierem. 23. 6. *Hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus iustus noster.* Isai. 7. 14. *Et vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ita ergo interpretatur, *oleum effusum nomen tuum*, Sic nomen, inquit, quod Deus est, in id quod est, *Nobiscum Deus*, liquescit, ac deficit, &c. in nostram rem. Rigor ille, ac maiestas nominis Dei, lapis erectus est, sed oleo nominis Emmanuelis effunditur, & (vt rectè Bernar.) deficit, à rigore, scilicet, illo. Vnde illud Psalmi 44. 8. qui totus est de regno Christi, *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*, ita explicare licet: quoniam iustissimus fuisti, & seruantissimus æqui, ô Deus

*Nomina Dei maiestatis temperantur per nomina misericordiæ.*
Ierem. 23. 6.
*Nomen, Deus, liquescit ac deficit in nomine Emmanuel.*
Psal. 44. 8.

B Verbum, ante Incarnationem, ac adeò subtristis, ac minùs gratus hominibus, propterea Deus Pater te humanitate per Spiritum sanctum omnibus charismatis delibuta, ita contemperauit, & flexit; vt plane iam Christus, id est, vnctus, ex illo rigore, omnium Principum gratissimus, ac iucundissimus euaseris. Itaque seueri Iudicis, ac dominatoris faciem, oleo lætitiæ, id est, benignitate, ac mansuetudine ita serenasti, vt eo iam longè vincas quoslibet etiam serenissimos Principes.

*Christus humanitate vnctus, ex Deo iustissimo factus prissimus.*

Est & alius sensus in lapide erecto, atque
C vncto, quo significatur, Christum, licèt misericordia vnctum, continere tamen rigorem iustitiæ; quocirca cauendum nobis ab eius offensione, ne collidat, ac conterat nos. Idcirco enim Isai. 28. 16. cùm Deus de Christo suo ait, *Ponam in Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum*, statim adiunxit: *Qui crediderit, non festinet*: iuxta Septuaginta, *Non confundetur.* Locus est obscurus; sed puto quadrare hunc sensum: vt moneantur à Deo fideles superædificandi Christo lapidi in Ecclesia, ne in eo solùm attendant firmitatem, elegantiam, pretium, sed meminerint esse lapidem, proinde cùm superimponuntur ei per fidem, ne præcipitanter id faciant, incautè de cætero viuentes: sic enim ad durum lapidem confringentur, iuxta illud Domini Matth. 21.
D 44. *Qui ceciderit super lapidem istum, confringetur.* verbum *ceciderit*, inconsiderantiam notat. Tales ergo ob idipsum malè conquadrati confundentur; & pudefient, cùm se viderint lapidi alioqui pretioso, & eleganter elaborato, non correspondere.

*Vnctus & lenis Christus, lapis tamen aliàs conterens.*
Isai. 28. 16.
*Lapidi Christo non temere per fidem sine operibus adherendum, ne conterat & confundat.*
*Christiani inconsideratè viuentes.*

3. Vltimò consideremus votum Iacob: *Vouit etiam votum dicens: Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersúsque fuero prosperè ad domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum*, &c. Duo hic se offerunt dubia. Primum, quomodo voueat, Deum sibi futurum pro Deo, cùm ad id teneatur ex præcepto diuino, & iure naturali? Placet responsio Caietani, Res etiam,
E ad quas alioqui tenemur ex vi præcepti, comprehendi posse sub materia voti; ne quis deuotionis terminus præfigatur. Similiter enim Dauid Psal. 118. 106. *Iuraui, inquit, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ.* Cur enim iurat, ac pollicetur custodire mandata Dei, ad quæ seruanda ipso etiam naturali iure constringitur; quia videlicet gaudet pluribus se vinculis cum Deo colligare. Et fortè huc respiciens in principio eiusdem Psalmi dixit: *Tu mandasti mandata tua custodiri nimis.* Eodem modo Iacob, quamuis, inquit,

Caiet.
*Res præcepti potest esse materia voti & iuramenti.*
Psal. 118. 106.
*Gaudet anima pluribus se vinculis cum Deo ligare.*

*Mãdata nimis custodire, id est, etiã ex voto.*

A inquit, te Deum agnoscam, atque ad hoc ipsum teneat naturali iure, tamen insuper voueo te habere pro Deo, non ob aliud quàm vt multis tibi titulis addictus sim. Verùm cum Iacob tot conditionibus hoc suumvotum cumulauerit, Si fuerit Deus mecum, si dederit panem, vestimentum, &c. videri potest minùs laudabile, cùm non tam ex amore gratioso, quàm ex oneroso contractu fiat.

*Utrùm sit maius, meminisse Dei in rebus prosperis, an in aduersis. Prospera alienant animos. D.Ambr. Prosperitas, vinum inebrians.*

Et hoc est secundum dubium, cuius resolutio pendet ex illo alio, plúsne sit meminisse Dei in rebus prosperis, quàm in aduersis? Et quidem in prosperis, quæ nimirum solent alienare animos, B esse tamen gratum erga benefactores rarum esse solet, iure enim Ambrosius ponderans quomodo pincerna Pharaonis prospere agens oblitus fuerit Ioseph: in nomine ipso pincernæ lusit. Vini, inquit, præpositus, multo & ipse ebrius mero prosperitates beneficij autorem oblitus est. Imò Iosepho dicente: Memor esto mei, cùm bene tibi fuerit; obtusas iam habebat aures fastu vicinæ potẽtiæ. Ita Ambros. Cõtrà verò in aduersis rebus meminisse Dei pro magno posuit ipse Deus in vno A Iob, loquens ad Satan: *Considerasti seruum meũ Iob? Vir simplex, rectus,* &c. *Et adhuc retinens innocẽtiam:* quasi dicat: Obiecisti mihi, mirum non esse Iob esse iustum, quoniam ego vallaui eum. Ecce positus in sterquilinio adhuc retinet innocentiam. Tunc (ait Chrysostomus hom. 5. de Iob) obstructũ est turpe os diaboli, nec habuit quid diceret; videlicet eleuato Iob ad summum innocentiæ. Hęc pro vtraque parte. Verùm recta ratio iudicat plus esse in rebus prosperis seruare gratitudinẽ, quoniam plus alienant à benefactore, vtpote minùs auxilij indiga, quàm aduersa. Hinc ergo patet quanta cum laude Deo uouerit Iacob, habiturum B se illum pro Deo, si dedisset panẽ, si vestimentũ, &c. significans, etiam in maxima rerum abundãtia adhæsurũ se Deo ex toto corde, & obseruaturũ religiosè quæ præcepisset, atque hoc egregiè notauit D.Chrys. homil. 55. super Genes. Non ad præsentem, inquit, respiciebat statum, nihil enim omnino secum afferebat, sed iam fidei oculis non multò pòst futuram præuidens abundantiam, suam declarabat gratitudinem, & qui nihil adhuc acceperat, vouet. Hæc Chrysostomus.

*Iob. 2. 3.*

*Summum innocentia Iob, non dimittere illã in sterquilinio.*

*Prospera vtpote minùs auxilij indiga magis alienant.*

*Laudabile votũ Iacob, quòd nec inter prospera esset alienãdus à Deo. D.Chrys.*



# VISIO TERTIA.

## *Genes. cap. 37.*

### PRÆFATIO.

### *De Ioseph Vidente.*

*Chronologia Ioseph.*

IOseph filius Iacob, natus diuino beneficio ex sterili Rachele in Mesopotamia, cùm Iacob annos ageret vnum & nonaginta; nam intrauit in Ægyptum anno ætatis centesimo trigesimo, & Ioseph erat tunc annorum triginta nouem, Genes. 41. 45. 47. Vnde necesse est ætatis prædictæ fuisse cùm genuit Ioseph. Ac adeo decurrebat id temporis annus à condito orbe bis millesimus centesimus nonagesimus nonus: & à diluuio, quingentesimus, quadragesimus tertius, iusta deductione ex prædicta Iacob chronologia. Vixit autem Ioseph centum ac decem annos, Genes. 50. primo sexdecim in domo paterna, dilectus præ cæteris fratribus: sequentes quatuordecim in Ægypto durissimam seruiuit seruitutem: totos vlteriùs octoginta annos in summa felicitate egit secundus à rege Pharaone. Has in eo alternantis fortunæ vices egregiè prosequitur D.Ambros. in lib. de Ioseph Patriarcha.

*Genes. 50.*

*D.Ambros. Ioseph dilectus à patre præ cæteris ob maiora virtutũ insignia. D.Ambr. Tunica varia, signum vt esset variorum virtutum. Plus diligebat, quia agnoscebat sibi magis similem.*

2. Ac primùm de singulari indulgentia patris Iacob erga Ioseph filium, illud ab eo egregiè dictum cap. 2. Propterea plus cęteris dilectum, quia maiora in eo virtutum præuidebat insignia: vt non tam filium pater prætulisse videatur, quàm Prophetæ mysterium: meritóque variam tunicam fecit ei, quo significaret eum diuersarum virtutum amictu fratribus præferendum. Ita Ambros. Præterea amauit Iacob Ioseph præ cæteris, quoniam similiorem sibi ag-

*Rupert.*

C noscebat. Expendit Rupertus Abbas illa verba cap. 37. 1. *Habitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est, & hæ sunt generationes eius: Ioseph cùm sexdecim esset annorum, pascebat gregem,* &c. Non mirum, inquit, si proponens Moyses dicere de generationibus Iacob, vnius duntaxat historiam Ioseph subtexat: licèt enim duodecim fuerint Iacob filij, in vno tamen Ioseph, suam Iacob generationem, id est, paternæ similitudinis transfudit pulchritudinem. Nam sicut pater ipsius Isaac D ex sterili Sara, & ipse Iacob ex sterili Rebecca, naturam sterilem fœcundante gratia, progenitus, & diuina benedictione donatus, patrum suorum vestigiis incessit: sic Ioseph nihilominus ex Rachele sterili dono Dei susceptus est, futurus eiusdem benedictionis hæres, & solus ex omnibus filiis, paternorum morum, atque virtutum perfectus imitator extitit. Quapropter solus etiam filiorum Iacob dignus fuit, qui filius Israel diceretur, & cuius nomen po- E steritati commendaretur. Hæc à Ruperto.

*Paterna similitudinis pulchritudo transfusa in Ioseph.*

*Ob paternã similitudinẽ solus Ioseph dicitur filius Iacob. Magis dilectus, eo quòd in senectute genitus.*

3. Rectè quidem hæc: sed causam maioris dilectionis Iacob erga filium Ioseph contextus ipse declarat cap. 37. 3. *Eo quòd,* inquit, *in senectute genuisset eum.* At cur ita sit, variè exponunt Autores. Caiet. ita: quia filius in senectute genitus, diutius seruare debet esse paternum. Philo Iudæus in lib. de Abraham. Serò natos, inquit, impotentiùs parentes amant, vel quia diu deside-

*Caiet. Filius senectutis diutius seruat esse patris, ideo plus amatur. Philo. Maioris dilectionis tres causa à Philone posita.*

tos: vel quia natura effœta, nullam postea sperat prolem: vel quia maximè gaudent se in senectute robustos esse ad generandum. Et in lib. de Ioseph. Iacob diligebat Ioseph præ cæteris, quia serotina proles erat, qui non exiguus est ad beneuolentiam stimulus. Burgensis opinatur Ioseph amatum ampliùs, non quia pater eum in senectute genuerit; nam potiùs dicendus foret plus amasse Benjamin, natum multò post Ioseph; sed quia genuerit eum in senectute, hoc est, senili prudentia præditum. Vnde Chaldæus: Israël diligebat Ioseph, eo quòd esset filius sapiens sibi. Et Hebr. Quòd filius senectutis sibi, noto Hebraismo, hoc est, senili prudentia valde excellens: cuius argumentum, quòd puer cùm esset, iam studebat correctioni fraternæ; tanta id autem circumspectione, vt non in vulgus efferret eorum errata, quomodo pueri facere solent, sed vni patri, qui solus ex officio corrigere debebat: ideo enim dici, filium senectutis sibi. Præclarè quidem hæc à Burgense, sed tamen planus sensus, qui à Latino interprete intenditur, ille vnus est, qui simpliciter sonat, & à Lyrano rectè explicatur: eo quòd, inquit, in senectute genuisset eum. Hoc est, quia senex cùm esset, quando vel maximè generantur filij imperfectiores, Iosephum tamen edidit, & corpore, & animo gratiosiorem cæteris; nempe solet hoc naturaliter exhilarare patres, cùm se vegetos, ac virentes sic experiuntur. Itaque non in quolibet filio senectutis, putà debili, & corpore, & animo, congaudent sibi, sed in eo, qui vtroque præcellit: sicut è loco arenti ac flaccido collegisse flores præcipui vigoris, & gratiæ, iucundissimum est. Quod verò opponitur de Benjamin, nihil officit, quoniã id temporis infans, erat vnius circiter anni, & propterea incapax dilectionis, qua Iacob prosequebatur Iosephum.

*Burgens.*

*Plus amatur, quia in senectute, id est, senili prudentia, gignitur.*

*Filius senectutis, Hebraismus est, quasi excellens prudentia.*

*Verus & simplex sensus.*

*Lyr.*

*Eo quòd in senectute genuisset eũ, cùm scilicet generantur filij imperfectiores.*

*Non quilibet senectutis filij, sed qui optimi sunt, plus amantur.*

4. Hæc præcipua dilectio odiosum fratribus fecit Ioseph, maximè postquam illis duo somnia proposuit, quibus apparebat, futurum sibi aliquando Prælatum, idcirco necem primò machinati sunt: tandémque Ismaëlitis mercatoribus vendiderunt in Ægyptum, cùm sexdecim esset annorum. Eò delatus quatuordecim annos seruiuit, vita eius æquè ac virtute periclitante, per labores, per carceres, per tentationes varias, inter quas ita se gessit, vt splenderet ampliùs; ac in eis (ait Philo) velut in sole conscientiam aperiret suam. Itaque tribulatio, quæ aliorum obnubilat mentes, vni Iosepho sol erat, ad cuius radios conscientia ipsius perennes innocentiæ agebat dies. Rarum planè præcelsæ mentis testimonium! post fraternam inuidiam, post venditionem iniquam; post occursum Dominæ oppugnantis pudicitiam, post carceris ærumnas in desperationem suapte natura compellentes, liberè tamen posse ad solares radios explicare conscientiam, & nihil in ea ostentare quod iure sit erubescẽdum. Quare meritò D. Ambr. de Ioseph. c. 5. Magnus, inquit, vir Ioseph, qui venditus, seruile tamen nesciuit ingenium; adamatus, non redamauit; rogatus non acquieuit; apprehensus aufugit. Qui cùm ab vxore Domini sui conueniretur, teneri veste potuit, animo capi non potuit: ac ne ipsa quidem verba diu passus est: contagium enim iudicauit, si diutius moraretur, ne per manus adulteræ, libidinis incentiua transirent. Itaque vestem exuit, crimen excussit. Hæc Ambros. In quibus notandum, contagium esse, vel moras cum fœmina agere: peius adhuc manus pati, per quas incentiua libidinis diffluunt.

*Philo.*

*In tentationibus aperiebat conscientiam suã Ioseph, velut in sole.*

*Tribulatio sol erat Ioseph, in quo splendebat magis.*

*D. Ambr.*

*Ioseph venditus serui nesciuit ingenium.*

*Teneri veste potuit, animo non potuit.*

*Contagium, diutius morari & loqui cum fœmina.*

*Manus adulteræ libidinem trãsfundunt.*

*Cum veste crimen excussit.*

5. Denique præteritæ seruitutis miserias (vt egregiè demonstrat Rupertus) compensauit ingens gloriæ sublimitas, ad quam euectus est Ioseph à rege Pharaone, ex occasione interpretationis somniorum Principis Pincernarum, ac Principis Pistorum, ipsiúsque regis: declaratus namque est, secundùm Pharaonem, totius Ægypti Dominus ac saluator: viditque somniorum suorum solutionem, fratres videlicet suos adorare se. Pulchrè Benedictus Pererius ad cap. Genes. 41. admirabilem in vno Ioseph factam fuisse dicit intra vnam diem metamorphosin: vt videlicet, è seruo Dominus; è vincto Princeps; è carceris vicario, prorex Ægypti factus fuerit; id quod Philo disertis verbis pronũciauit in libro de Ioseph. Quis expectasset, inquit, intra vnam diem, è seruo Dominum; è vincto præstantissimum omnium; è carceris vicario proregem fieri; & regiam inhabitare, pro carcere; & ex ignominia extrema in supremum honoris culmen ascẽdere? Hæc à Philone.

*Rupert.*

*Benedict. Pererius.*

*Admirabilis in vno Ioseph metamorphosis intra vnam diem.*

*Philo.*

6. Itaque Ioseph moriens prædixit fratribus egressum populi ex Ægypto, adiurauítque illos, vt asportarent ossa sua in terram Chanaan. Mortuúsque expletis centum ac decem annis, aromatibus conditus, repositus est in loculo in Ægypto, Gen. 50. ac post centum quadraginta quatuor annos Moyses tulit ossa Ioseph, Exod. 13. post annos verò quadraginta, Iosue sepeliuit ea in Sichẽ, Iosu. vlt. Quod dicitur Eccli. 49. 18. *Ossa eius post mortem prophetauerunt*, sic accipiendum, vt quoniam asportatis ossibus per Moysem, & sepultis per Iosue, ad vnguem est expleta prophetia Ioseph, ossa eius quasi prophetauerint, dum in se prophetiam completam ostenderunt.

ARGV

# ARGVMENTVM CAPITIS XXXVII.



*IDET Ioseph in somnis duplicem Visionem. Primùm quidem manipulum suum in agro stare, & cæterorum fratrum vndecim manipulos quasi prostratos adorare illum. Videt similiter inter dormiendum, solem, lunam, & vndecim stellas adorare se, & vtrumque somnium narrauit fratribus suis, pòst etiam coram patre, & matre.*

## CAPVT XXXVII.

1. HAbitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est.

2. Et hæ sunt generationes eius: Ioseph, cùm sedecim esset annorum, pascebat gregẽ cum fratribus suis adhuc puer; & erat cum filiis Balæ & Zelphæ vxorum patris sui: accusauitque fratres suos apud patrem crimine pessimo.

3. Israël autem diligebat Ioseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum; fecitque ei tunicam polymitam.

4. Videntes autem fratres eius, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui.

5. Accidit quoque, vt visum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odij seminarium fuit.

6. Dixítque ad eos: Audite somnium meum, quod vidi.

7. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque manipulos circumstantes adorare manipulum meum.

8. Responderunt fratres eius: Nunquid Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum inuidiæ, & odij fomitem ministrauit.

9. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait: Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me.

10. Quod cùm patri suo & fratribus retu

## PARAPHRASIS.

A 1. *REgressus è Mesopotamia Iacob habitauit in terra Chanaan, in qua pater eius Isaac, tanquam incola ac peregrinus habitauerat. erat scilicet antiquis Patribus mundus ipse exilium.*

Antiquis Patribus mundus exilium.

2. *Inter alia verò, quæ acciderunt Iacob, illud etiam narratur, quod Ioseph filium eius in odia fratrum compulit: nam cùm esset sexdecim annorum, & pastoralis vitæ rationem cum cæteris fratribus sequeretur, agebat, versa-*
B *batúrque cum filiis Balæ, & Zelphæ vxorum Iacob, quas ex ancillarum numero Rachel sterilis submiserat viro suo ad habendam ex eo prolem. Vt autem erat innocentiæ cultor, fratres suos accusauit, detulítque ad patrem infamiam eorum, crimen nefandum.*

Crimen nefandum.

3. *Sed & Iacob præ cæteris filiis amabat Ioseph, quòd filius esset senectutis, & ita sapiens, vt senilem in pueritia referret prudentiam. Mandauítque puero fieri tunicam elegantem ex diuersis coloribus contextam liciis.*

C 4. *Cùm ergo fratres obseruarent puerum à patre super omnes indulgentiùs tractari, plúsque affectus paterni in illum, quàm in reliquos omnes effundere, odio in illum præcipuo flagrabant, ac verbis sæpe asperis excipiebant.*

5. *Accidit autem, vt inter dormiendum Visionem habuerit diuinitus missam, quam ipse animo, vt decebat fratrem, simplici, & candido, fratribus suis retulit, quo fratres maiori in eum odio sunt inflammati.*

6. *Puer ergo in conuentu fratrum somnium*
D *proponens ait: Audite quid somniauerim.*

7. *Videre me videbar, cùm messi incumberemus omnes, meum manipulum erigi in medio, vestros autem accurrere venerabundos, ac sese incuruare ante manipulum meum.*

8. *Ad quem fratres: Coniicísne inde te regnaturum super nos, ac seruituros nos tibi? Non solùm autem, quòd hæc somniauerit, sed multò magis, quòd insolenter, vt illi existimabant, coram se narraret, vehementiùs in eum concitabantur, ac odio impensiùs ferue bant.*

E 9. *Quin & illustrius adhuc somnium habens fratribus suis eodem animi candore narrauit. Vidi, inquit, me quasi sublimi throno elatum, solémque, lunam, & stellas vndecim descendere, ac ad pedes meos prouolui supplices.*

10. *Hoc verò somnium non solùm coram fratri*

retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?

11. Inuidebant ei igitur fratres sui; pater verò rem tacitùs considerabat.

12. Cúmque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem,

13. Dixit ad eum Israel: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: Veni, mittam te ad eos. Quo respondente, præstò sum; ait ei:

14. Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora; & renuncia mihi, quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem:

15. Inuenítque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret.

16. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi, vbi pascant greges.

17. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain.

18. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere.

19. Et mutuò loquebantur: Ecce somniator venit.

20. Venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem; dicemúsque, Fera pessima deuorauit eum: & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua.

21. Audiens autem hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat:

22. Non interficiatis animam eius; nec effundatis sanguinem: sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manúsque vestras seruate innoxias. hoc autem dicebat volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

23. Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica talari, & polymita:

24. Miserúntque eum in cisternam veterem, quæ non habebat aquam.

25. Et sedentes vt comederent panem, vide

A *fratribus, sed etiam coram patre, & matre retulit. Pater ergo etsi tacitùs rem obseruabat, & in ea scrutabatur mysterium, grauiter tamen obiurgauit filium. Quid tu, inquit, nugaris puer? Ego igitur, mater tua, & fratres adorabimus te? caue deinceps isthæc fabulari.*

11. *Fratres verò huiusmodi somniis concitati magnam animis concipiebãt inuidiam aduersùs Ioseph; at pater multis hæc apud se ratiocinationibus versabat, & quid futurum portenderetur, ad prudentem examinabat trutinam.*

B 12. *Cùm ergo fratres Ioseph greges pascerent in Sichem,*

13. *Iacob solicitus nequid peccarent, aut quid mali subirent, tum ipsi, tum pecora, vocato ad se Ioseph filio, cui multùm fidebat,*

14. *Vade, inquit, ad fratres tuos, & recténe habeant, ipsi inprimis, ac pecora, renunciabis fideliter. Profectúsque statim Ioseph ex Hebron, vbi pater erat, venit in agrum Sichem.*

15. *Ioseph non inueniens in Sichem fratres, huc, illuc incertus errabat, donec obuium habuit virum, qui solicitudinem errantis cognoscens interrogauit quid quæreret?*

C 16. *Cui respondit puer: Fratres meos quæro; rogo indices, si nosti vbi pascant.*

17. *Respondit: Hîc pauère priùs, quò digressi, haud nouerim certò; audiui tamen ante digressum colloquentes: Eamus in Dothain. Tum Ioseph gratum habens, perrexit in Dothain, vbi fratres pascentes inuenit.*

18. *At illi è loco adhuc remoto prospicientes cognouerunt Ioseph; & antequam propiùs accederet, de illo interficiendo inière consilium.*

19. *Altérque alteri dicebat: En adest somniorum dominus.*

D 20. *Agite, occidamus eum, & proiiciamus in cisternam hanc veterem, iactabimúsque, deuoratum à fera aliqua pessima. Tunc apparebit, quem euentum habeant somnia eius vana.*

21. *Audiuit autem Ruben hæc eorum consilia, & magna ope conabatur eripere puerum è manibus eorum.*

22. *Dissuadénsque eis aiebat: Ne quæso pessimum hoc consilium compleatis effundendo eius sanguinem, sed quando ita estis in eum succensi, proiicite viuum in hanc cisternam, vt ipse per se pereat: sic enim vestras manus fraterno sanguine non maculabitis.* E *Hæc verò Ruben eò dicebat fratribus, vt proiectum puerum in cisternam postea clàm extraheret, redderétque patri.*

23. *Accedente autem Ioseph ad fratres suos, & hilari, vt fratrem decebat, vultu omnes consalutante, cœperunt illi contrà, conceptum animo odium euomere in eum: nam tunicam illico versicolorem talarem per vim detraxerunt,*

24. *Ac ita nudatũ demiserunt in cisternam,*

25. *Præclarúmque hoc facinus celebrare cœperunt pastorali conuiuio: cúmque lætantes epula*

viderunt Ismaëlitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinam, & stacten in Ægyptum.

26. Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celauerimus sanguinem ipsius?

27. Melius est, vt venundetur Ismaëlitis, & manus nostræ non polluantur; frater enim, & caro nostra est.

28. Acquieuerunt fratres sermonibus illius, & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismaelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Ægyptum.

29. Reuersúsque Ruben ad cisternam, non inuenit puerum.

30. Et scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait: Puer non comparet, & ego quò ibo?

31. Tulerunt autem tunicam eius, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt; mittentes, qui ferrent ad patrem, & dicerent:

32. Hanc inuenimus. Vide vtrùm tunica filij tui sit, an non?

33. Quam cùm agnouisset pater, ait: Tunica filij mei est. Fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph.

34. Scissísque vestibus indutus est cilicio lugens filium suum multo tempore.

35. Congregatis autem cunctis liberis eius, vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere, sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu,

36. Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Phutiphari Eunucho Pharaonis magistro militum.

A *epularentur, viderunt prætereuntes Arabes, & camelos portantes de Galaad aromata varia, resinámque, & guttas myrrhæ in Aegyptum.*

*26. Tum Iudas diuinitùs actus, sic ad reliquos fratres: Quid lucramur nece hac fratris nostri, quídve proficimus celando illam?*

*27. Satius ac vtilius iudico vendendum his Arabibus; sic enim & manus nostras fraterno sanguine non polluimus, & pretio venditi mancipij gaudemus interim. Frater enim, & sanguis noster est.*

*28. Placuit consilium Iudæ. Extrahentésque puerum è cisterna vendiderunt prætereuntibus mercatoribus viginti argenteis; ductúsque est vt seruus emptitius in Aegyptum.* B

*29. Cúmque reuersus Ruben, solus accederet ad cisternam extrahendi pueri causa, non inuenit, commotúsque vehementer,*

*30. Rupit de more vestes, ad fratrésque pergens magna cum doloris significatione dixit: En puer non est in cisterna, nec alibi comparet, quò me conuertam? quò fugiam? planè perij.*

*31. At illi concinnantes mendacium, tunicam pueri versicolorem hœdi sanguine asperserunt, miseruntque nuncios, qui patri suo nomi-*
C *ne dicerent:*

*32. Hanc tunicam in saltu inuenimus; considera num sit tunica filij tui Ioseph, an non?*

*33. Quam cùm in manus cepisset Iacob, & versans considerasset, agnouit, & ait: Tunica filij mei est. Fera aliqua rapax dilaniauit eum.*

*34. Scindénsque præ nimio dolore vestimenta sua, cilicium quoque indutus pro magno mœroris argumento, iacuit diu in squallore illo, & luctu pro filio charissimo.*

*35. Tum filij ementito dolore squallido, quasi ex compacto venerunt, vt consolarentur patrem: at ille consolationes eorum respuens, denuóque refricato dolore dixit: Lugebo vsque ad* D
*mortem filium meũ, & in ipso luctu moriar. Et dum ille luctum non intermittens perseuerat,*

*36. Arabes interim vendunt Ioseph in Aegypto Phutiphari homini Principi, ac Regiæ custodiæ Præposito.*

## COMMENTARIVS.

VTraque Visio tendit in idem, & (vt ipse Ioseph de somniis Pharaonis dixit Genes. 41. 25. 32. Somnium Regis vnum est; quod autem secundò vidisti, ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est, quòd sermo Dei fiat) sic dupliciter hoc loco idem monstratur ad similem firmitatem. Ideo de vtraque simul Visione ita dicemus. Primò, Visionem priorem literaliter explicabimus; deinde eandem allegoricè. Rursum posteriorem similiter ad literam; postea secundùm spiritum. Gen. 41. 25. 32.

### *De priori Visione secundùm literam.*

### SECTIO I.

E

*1. Ioseph simplici animo narrat Visionem suam, rusticanam quidem iuxta muneris sui rationes.*

*2. Iuxta Philonem Ioseph præpositus fuerat excindendæ messi: habet quippe messis quid simile prælio. Explicatur Isai. cap. 9.*

*3. Manipulos fratrum adorare manipulum Ioseph, significat illos inopia frumentariæ causa adoraturos fratrem, ex Philone, Theodoreto, Aug. Item monetur Ioseph per manipulum stantem inter manipulos fratrum, vt ipse illis præstet virtutum exercitatione, ex Cyrillo, & Tertulliano.*

4. *Verè fratres interpretati sunt somnium, sed per inuidiam. Illustratur loco Reg. 1. Voluntas Dei contra impedimenta malorum semper euadit firma, ex D. Chrysost.*

5. *Explicatur allegoricè Visio Ioseph; & similis euentus in Christo, & Iudæis, in parabola vinea locata agricolis, ex Ruperto.*

1. IOSEPH, vt erat animo simplici, ac verè cādido, fraterna, vt par erat, confidentia ostensum sibi dormienti somnium narrauit fratribus, à quibus nihil adhuc sibi timebat. Vers. 6. *Dixitque ad eos: Audite somnium, quod vidi. 7. Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare; vestrosque manipulos circūstantes adorare manipulum meum. 8. Responderunt fratres eius: Nunquid Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ?* Hoc somnium prius è terra fuit, éque familiari exercitio rusticano: nam Ioseph decimosexto iam completo anno, agénsque vlterius decimum septimum (quo modo intelligendum est quod dicitur vers. 2.) ruri agebat pascens greges, ac cæteræ, vt moris tunc erat, agriculturæ vacans. Habuit ergo somnium suo agnatum muneri. Sic Propheta ille armentarius, & sycomoros vellicans rusticanas habet Visiones, de locustis deuorantibus segetes, & de vncinis pomorum, Amos 7. & 8.

*Ioseph annū decimum septimum incipiens, somniat.*
*Somnia agnata muneri.*

2. Iudæus Philo in lib. de vita viri ciuilis, siue de Ioseph, ait somniasse quoque illum messi se præpositum; indicat enim moris fuisse apud illos, vt messi, similiter ac prælio milites, incumberent messores; sic verò eo loco inducit Ioseph loquentem: Vidi messi me præpositum, & omnes vos in campo ad colligendas messes præstò fuisse cum falcibus; ac si diceret: Vidi omnes vos armatos falcibus, me duce, in campum prodire, ac veluti cum matura segete inire pugnam. Idcirco credi potest Isaiam cap. 9. 3. duplicem illam comparationem coniunxisse ad explicandam lætitiam prædicatorum Euangelij, maximè Apostolorum, ob conuersionem gentium: *Lætabuntur coram te* (inquit) *sicut qui lætantur in messe sicut exultāt victores capta præda.* Similiter enim vtrique exultāt, milites quidem hostibus, messores manipulis latè prostratis: sed & quilibet prædam suam faciunt; illi ex hostibus, spoliorum omnis generis, hi ex manipulis rei frumentariæ ad locupletanda horrea. Quapropter illud, *capta præda*, referri ad vtrosque debet. Inuenies ergo apud veteres hæc adeò agnata fuisse, vt sæpe segetem poëticè acceperint pro armato, ac in ordines militares redacto exercitu, & strages bellicas appellare soliti fuerint calamitates à prostratis calamis frumētariis. Sic dicitur à Virgil. 12. Æneid Ferrea seges strictis mucronibus horrere. Et Cæsar 2. belli Gall. calamitatem vrbis dixit pro miserabili strage ciuium, quam hostium impetus grādinis instar ediderat. quin & Isai. cap. 10. 3. *Quid facietis* (inquit) *in die calamitatis de longè venientis? ad cuius confugietis auxilium? ne incuruemini sub vinculo, & cum interfectis cadatis?*

*Mos Hebræorū, vt vnus esset messi præpositus.*
*Ioseph somniat se messi præpositum.*
*Messis similis prælio.*
Isai. 9. 3.
*Quomodo messis, & pugna sint agnata.*
*Exercitus, dictus seges: strages, dicta calamitates.*
Virgil.
Cæsar.
Isai. 10. 3.

3. Narrauit ergo somnium suum Ioseph coram fratribus, dicens: *Audite somnium meum, quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrósque circumstantes adorare manipulum meum.* Rem Philo ita narrat: Vidi repentè meum manipulum erectum constitisse, vestros autem tanquam ex composito accurrisse ad eum venerabundos, & reuerenter adorasse. Theodoret. ad hūc locum: Manipulorum, inquit, somnium præsignat fratrum frumenti gratia in Ægypto adorationem. Et D. August. serm. 81. de tempore: Non incongruè coacti sunt steriles manipuli fructuosum manipulum adorare, per quem de famis periculo liberandi erant. Quòd ergo steterit manipulus inter prostratos (ait Cyrillus Alexand.) piè significasse Iosephum aliquando euasurum clarissimum, ac fratribus suis longe præstantiorem fore. Quin & eo ipso Deum prouocasse Iosephum, vt se ad virtutum omnium apicem accenderet, contenderetque per benefacta ad gloriæ præoccupandum cacumen: quemadmodum ij, qui præmia athletis proponunt, facere solent. Eodem modo ait is qui est autor operis imperfecti apud D. Chrys. cap. 5. Christum vocasse Discipulos suos ciuitatem supra mōtem positam, *Non potest ciuitas abscondi supra mōtem posita.* Matt. 5. 14. vt eos sollicitos redderet ad exactam, ac omnibus numeris absolutam vitæ rationem prosequendam, maximè quòd omnium oculos censores haberent eius perfectionis. Et Tertul. extendens Christi dictum ad omnes, qui in Ecclesia eminent, queribundus ait: Quid nos Dominus ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non extamus inter demersos? Est ergo præcisa obligatio Primatuum Ecclesiæ, vt sicut manipulus Iosephi stabat eminentior inter prostratos reliquorum fratrum manipulos, ita ipsi extent inter demersos ac prostratos vitiorum mole.

Philo.
Theodoret.
*Adoratio manipulorū figurat adorationem fratrum ga Ioseph Ægypto.*
D. August.
Cyrillus Alex.
*Stare manipulum Ioseph inter alios fratres, significat Ioseph futurū superiorem fratribus.*
*Hoc somnio excitatur Ioseph ad bona opera: vt Apostoli comparatione ciuitatis supra montem.*
D. Chrys.
Matth. 5. 14.
Tertul.
*Præcisa obligatio primatuum Ecclesiæ, extare vita super omnes inferiores.*

4. Igitur fratres ipsi Ioseph interpretati somnium responderunt, *Nunquid Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ?* Quare perperam Iosephus 1. Antiquitatum ait, Fratres licèt somnij significationem satis coniectarent, nihil tamen dixisse, dissimulantes se intelligere, sed tacitè precatos à Deo, vt irritum fieret præsagium. Cùm apertè Scriptura dicat, respondisse illos, ac interpretationem somnij verè indicasse. Meliùs ergo Philo Iudæus loco citato. Tum fratres (inquit) illius, prudentia pollentes, & significatum somnij per coniecturas verosimiles vestigare idonei, Putasne, inquiunt, regem te fore nostrum, & dominum? id enim ementita Visione subindicas. Modus tamen ille interrogandi, *Nunquid Rex noster eris?* innuit non liberalem interpretandi modum, sed planè inuidia extortum, ac odij acerbitate virulentum, sicut 1. Reg. 17. 28. Eliab frater Dauidis, cùm is in acie offerret se coram militibus ad pugnandum cum Goliath, grauiter illum increpans, ait: *Quare venisti, & quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto? Ego noui superbiam tuam, & nequitiam cordis tui, quia vt videres prælium descendisti.* Ait Caiet. hæc non ex bono zelo, sed ex irato pectore, nec sine inuidia processisse. Nam sciebat ipsum electum præ cæteris, vnctúmque à Samuele, & audito, quòd filia Regis nuptui danda esset ei, qui gigantem occideret, succensum credidit Dauidem, vt in duellum descenderet; ac victo hoste promoueret vnctionem suam accipiēdo in vxorem filiam Regis. Neque enim causa illa, quam Eliab posuit: quia vt videres prælium descendisti; tam acri reprehensione digna erat, vt plurimum enim curiositati puerili tribuendum foret, non autem superbiæ, ac nequitię cordis. Tacuit ergo præcipuā causam, népe præsumptionē Dauidis de prędicta vnctione; quā suo effectu

Iosephus.
*Increpatur Iosephus, quòd contra sacrum textum dicat, fratres dissimulasse.*
Philo.
*Fratres Ioseph cōiectores prudentes somnij Ioseph.*
*Modus interrogandi inuidia mistus.*
1. Reg. 17. 28.
Caiet.
*Eliab similis inuidia cōmotus in Dauid.*

effectu ( qui certè appetebat in ea occasione duelli ) cassare volebat. Verùm nec Eliab sui voti compos fuit, nec fratres Ioseph, quantumuis odio, & inuidia flagrauerint ob prædictum somnium, ac ipsum quoque vendiderint. Nam manifesto euentu in vtroque, Dauide scilicet, & Ioseph voluntas Dei completa est. Dauid enim illa ipsa occasione duelli in regnum cœpit ascendere; & fratres Ioseph, illum in Ægypto supplices ac venerabundi adorarunt, sicut fuerat illi monstratum in somnio. Rectè D.Chrys.ad hunc locum. Omnipotens, & sapiens Dominus suæ virtutis declaratus affluentiam, sæpe facit, vt in mediis impedimentis fiant ea, quæ sibi placent. Verùm vt se habet inuidia, nihil eorum cogitare potest, sed omnino vbi captus hoc morbo fuerit contra suam ipsius salutem facit omnia.

D.Chrys. *Diuina voluntas in mediis impedimentis completur.*

5. Non prætermittam hoc loco egregiam allegoriam, quam Rupertus Abbas obseruauit. Quoniam, inquit, cuncti nouimus, in illo Ioseph qualiter subsequens rerum effectus compleuerit somnium; restat nunc, vt ea secundùm easdem causas, vel exitus, Euangelicis Domini nostri Iesu Christi parabolis consonare sciamus. Etenim sicut in somnio, sic & in parabola, dum aliud dicitur, aliud intelligitur, quemadmodum, & aliud vmbra, & aliud corpus, & tamen nonnunquam ex vmbra corpus agnoscitur. Et hoc nulli dubium, quin sicut in hunc causa somniorum, sic & in Dominum causa parabolarum maioris odij seminarium fuerit, maioris inuidiæ fomitem ministrauerit. Et sicut per somnium hoc, significata est dignitas Ioseph super fratres suos, ita Dominus per parabolas, maximè verò per illam de vinea locata agricolis, quam refert Matt.cap.21.33.præmonstrauit exaltationem suam. Nam sicut eminentiam Ioseph præsignauit manipulus erectus, quem aliorum manipuli circunstantes adorabant; ita Dominus noster excellentiam suam finem parabolæ ostendit dicens: *Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Et sicut illi coniicientes, quid esset somnium, vehementiùs inuidentes ei, interficere eum voluerunt: ita & Iudæi intelligentes intentionem parabolarum Christi, vehementiùs in eum incitati sunt, quærentes eum tenere, &c. Hæc ferè ex Ruperto. Plura alia allegoricè dicta reperies apud Patres, Isidorum, Augustinum, Ambros. & alios.

Rupert.

*Visio similis parabolæ.*

*Ioseph ob sua somnia, Christus ob suas parabolas concitauit inimicos.*

Matth.21.33.

*Lapis reprobatus in caput anguli factus, & manipulus contemptus adoratus est.*

---

## *De posteriori Visione.*

### SECTIO II.

1. *Somnium de adoratione solis, lunæ, & stellarum, ita interpretatur Philo, & Iosephus, vt visa fuerint de cælo descendere, & adorare Ioseph. Solem, lunam, stellas quomodo interpretetur Iosephus.*
2. *Quòd Iacob solicitus fuerit de somnij interpretatione, magis literæ congruere. Vis Hebraici verbi obseruationem innuit, & qualis fuerit apud Iacob, coniicitur.*
3. *Tria nomina solis apud Hebræos accommodantur patri familias. Locus Ambrosij, & Ieremiæ 15.*
4. *Mater quomodo appelletur luna; quomodo item filij stellæ?*

1. De posteriori somnio sic habet contextus, vers. 9. *Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus ait: Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me. 10. Quod cum patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium, quod vidisti? Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram?* Philo Iudæus ita factum narrat: Ioseph alterum illis magis stupendum somnium enarrauit: quòd visus sibi esset videre venientem ad se solem, & lunam, & stellas vndecim, & ab illis adorari. Hæc pater audiens demiratus, cum animo suo reputabat, de euentu præsagij solicitus. Grauiter tamen obiurgauit filium, timens nequid ille peccaret. Potéstne fieri, inquit, vt ego, & mater, & fratres adoremus te? Sed & Iosephus ad hunc modum: Vidit solem cum luna & vndecim stellis descendere in terram, & adorare ipsum. Hoc somnium indicauit fratribus, & patri, rogans, vt interpretari dignaretur, quod ei magnæ fuit voluptati. Præsagium enim somnij reputans, & sapienter euentum coniiciens, gaudebat; eo quòd ingens filio portendi felicitas videretur, venturum videlicet olim tempus, quando tam à parentibus, quàm à fratribus dignus adoratione haberetur. Intelligebat enim per solem ac lunam significari patrem ac matrem: quòd altera augeret omnia, & aleret: alter formam rebus, & vim inderet. Porro stellarum nomine fratres interpretabatur, tum propter numerum; tum quòd vim à sole & luna habeant stellæ, sicut à parentibus filij. Ita Iosephus.

Philo.

*Iuxta Philonem sol, luna, & stellæ descēdere visa sunt.*

*Iacob lætatus, quòd filio portenderetur felicitas.*

*Cur sol repræsentat patrem, luna matrem, stellæ filios.*

2. Vterque solem, & lunam, & stellas ait è cælo visas descendere ad adorandum Ioseph, quod contextus sacer non exprimit. Philo Iacobum inducit solicitum de præsagio, quod magis conuenit literæ; Iosephus gaudentem, quod minùs quadrat increpationi paternæ: re enim vera pater, saltem ad speciem, tulit ægrè, Iosephum ista narrasse. Nam quid tacitè considerauerit, non constat. Et quidem quod noster interpres dixit, *considerabat*, Græcè, & Hebraicè est verbum obseruationem importans: vt significetur Iacob, aut quasi per obseruationem expectans exitum somnij, aut verò disquirens, & examinans, habendúmne esset pro vero, ac diuino, an pro vano, & futili, vt pleraque somnia sunt. Primum ergo considerabat somnium duplex idem significans, quod veritatis, ac certitudinis indicium erat; & demonstrationem solis, lunæ, ac stellarum, illustre quippiam præfigurare, non temere coniici poterat. Deinde considerabat pater filij Ioseph egregias animi dotes, ac prudentiam supra ætatem, quæ planè illum ad summum aliquod fastigium electum portendebant: quod ne temere olim euenisse crederetur, somniorum multiplicatione diuinitus præmonstrari coniici poterat. Memoria quoque repetebat Iacob somnia sibi à Deo immissa, quæ certo exitu postea comprobata sciebat, fierique posse, vt egregio puero Deus similes de futuris rebus dispositiones demonstraret. Hæc fortè Iacob considerans volutabat animo.

*Minùs quadrat, lætatū Iacob.*

*Verba textus meliùs inducunt solicitum, & perplexum.*

*Somnium duplex certitudinis signum.*

*Sol, luna, stellæ, illustre quid repræsentat.*

*Discursus Iacob de somnio filij.*

3. Considerare hîc oportet illustre specimen illustris familiæ, in qua pater sol est, mater luna, filij

*Illustris familiæ specimen in sole, luna, stellis.*

D. Ambr. *Sol Ioseph, Maria luna.* Psl. 148.3.

filij stellæ. D. Ambros. lib. de Ioseph Patriarcha, A cap. 2. vt probaret puerum IESVM adoratum fuisse à Maria, atque Ioseph, affert illud Psalm. 148.3. *Laudate eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ.* Videlicet, quòd Ioseph in illa sacratissima familia instar solis habuerit, Virgo lunæ vicem gesserit. Habet sol in lingua sancta tria nomina, חמה *Chamah*, שמש *Semes* sex punctorum, חרש *Cheres* sex etiam punctorum: quæ omnia mirè quadrant in illustrem patremfamilias; nam *chamah* dicitur sol à calore, quem efficit, quo terram fouet, sic pater calefacit, fouetque familiam; friget nempe absque patrefamilias domus. Sed & vocabulum *Semes*, à conseruando, B seu generando, quòd familiam continuata generatione conseruet. Vnde illud Ierem. 15.9. *Infirmata est, quæ peperit septem, defecit anima eius, occidit ei sol, cùm adhuc esset dies.* Loquitur de calamitate viduæ, quæ cùm splenderet, ac prosperè ageret suscipiendo plurimos ex marito suo filios, occidit ei sol, cùm adhuc esset dies, in meridie hoc sensu: cùm esset in medio ætatis flore, quo poterat adhuc multò plures procreare filios, vir eius, sol eius, mortuus est, mansitque sterilis, quasi sole generante occumbente sibi. Sed & nomen *cheres*, sex punctorum, significat solem: C aliàs testam; quòd sicut testa præacutis feriat cuspidibus, ita sol radiis omnia penetret. Eo nomine vsus est Iob cap. 41. 21. *Sub ipso*, Leuiathan, *erunt radij solis.* exaggerat cutis eius duritiem, qua videlicet retundat, vel ipsos solis radios, &

חמה
שמש
חרש

*Paterfamilias sol, quia calefacit fouetque familiam.*

*Et quia generando cõseruat familiam.*

Ier. 15.9. *Occidit sol in meridie, id est, maritus in vigore ætatis.*

Cheres, *sol, & testa, quia vt testa acutis cuspidibus, ita sol radiis ferit.* Iob. 41.21.

quasi pessundet: similique ratione, etsi præacutas testas cuti suppositas habeat, nihil tamen inde lædatur. Congruit autem patrifamilias, quod etsi solis instar habeat, fragilis tamen sit tanquam testa, nec occidit, vt oriatur, sicut testa fracta non reparatur.

4. Porro materfamilias luna est, quoniam vt luna splendorem suum mutuatur à sole, sic illa à viro lumen accipit autoritatis. Item vt luna modò plena, modò vacua cernitur, ita materfamilias vicissitudines habet generandi, modò pleno, modò vacuo incedens vtero. Præest rebus humidis luna, maximéque in pueros dominatur, quod matrisfamilias in primis proprium est: nam filiorum educationi præcipue ipsa incumbit. Luna regit noctem, sol diem, vir lucem foris administrat, vxor domi. Maiora hæc lumina patris, ac matris in familia rectè sequuntur minora illa stellarum scintillántium in multitudine filiorum. Iussit Dominus Genes. 12. 15. vt suspiceret cælum Abraham, & numeraret stellas si posset. Suspice cælum, & numera stellas, si potes; sic erit semen tuum. Vbi non modò exaggerauit multitudinem posterorum, sed etiam splendorem & illustre nomen: quoniam sequentium familiarum nati, stellarum instar erant habituri, propter tum morum, tum facinorum splendorem, qualis profectò erat familia Iacob illustrissimis Patriarchis plena, quos propterea vidit Ioseph sub specie stellarum, patrem & matrem, sub specie solis & lunæ adorare se.

*Sol est, sed etiam testa, quia quando occidit, vt oriatur, sicut testa non reparatur.*

*Materfamilias luna, quia splendorem suum habet à viro.*

*Et quia modò plena, modò vacua, vt luna, pleno scilicet & vacuo vtero.*

*Mater pueris educãdis præest, & gubernat quasi nocte inter priuatos parietes.*

*Stellæ filij, ob splendorem morum.*



# VISIO QVARTA,

## PINCERNÆ PHARAONIS, ET PISTORIS.

*Genes. 40.*

## ARGVMENTVM CAPITIS XL.

*PRÆPOSITI duo, Pincernarum & Pistorum, somnia vident in carcere. Vtrumque somnium interpretatur Ioseph, qui in eodem carcere vinctus iacet: & Pincernæ quidem restitutionem post dies tres, Pistori post tres alios suspensionem in patibulo vaticinatur. Non præmisimus autem præfationem de his Præpositis, quoniam cùm solas, rerum imagines perceperint, non sunt dicendi absolutè Videntes, magísque Videns censendus est Joseph, vt Augustinus ait, qui somnia eorum interpretatus est. Idem asserendum de Pharaone, cuius somnium idem Ioseph exposuit, & ob eandem causam idipsum existimandum de Visionibus Nabuchodonosor, ac Balthasaris, in quibus Daniel potiùs habendus est pro vero Vidente.*

CAPVT XL.

1. HIs ita gestis, accidit, vt peccarent duo Eunuchi, Pincerna regis Ægypti, & Pistor, domino suo.

PARAPHRASIS.

1. *CVm Ioseph missus esset in carcerem, paucos post menses id euenit, vt duo quoque Eunuchi Pharaonis delinquerent, & vnus quidem Pincernæ officio fungebatur, alter pistoribus præerat.*

2. In

2. Iratúsque contra eos Pharao (nam alter Pincernis præerat, alter Pistoribus) misit eos in carcerem Principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. A

3. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis.

4. Aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur.

5. Viderúntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem congruam sibi. B

6. Ad quos cùm introisset Ioseph manè, & vidisset eos tristes,

7. Sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra?

8. Qui responderunt: Somnium vidimus, & non est, qui interpretetur nobis. Dixítque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.

9. Narrauit prior Præpositus Pincernarum somnium suum:

10. Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere:

11. Calicémque Pharaonis in manu mea; tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebã, & tradidi poculũ Pharaoni.

12. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij: Tres propagines, tres adhuc dies sunt,

13. Post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabísque ei calicem iuxta officium tuum, sicut antè facere consueueras.

14. Tan

*2. In quos furore accensus Pharao, quòd in suis ministeriis aliquid contra se machinatos accepisset, carcere eos damnauit, ac militiæ Principi, carcerísque Præposito custodiendos tradidit, in quo etiam carcere detinebatur Ioseph.*

*3. Qui quidem Præfecto carceris ita gratus erat, vt quasi præsidem eum carceris constituerit, cúmque industrium, ac fidelem expertus esset, curam quoque demandauit fouendi principes illos viros in custodia, qui acceptam erga eos optimè exhibebat curam.*

*4. Non multum temporis elapsum erat, & illi nihilominus iacebant in custodia.*

*5. Viderúntque vna ac eadem nocte, tum Pincerna, tum Pistor somnium, fuítque vtrumque somnium alterutrius officio inprimis conueniens: contingunt enim plerumque somnia congruenter ad ea, quæ interdiu agitare solemus; sic duces de castris, de prœliis somniãt, agricolæ de segetibus, ac de aratris. Pincerna Pistórque Regius, quid congruentius somnio veluere debuerunt, quàm ille vina, hic verò panes?*

*6. Igitur cùm essent, vt assolet, cogitabundi post somnia, Ioseph ad eos ingressus præsensit ex vultus deiectione latentem mœrorem, ac perturbationem animi.* C

*7. Interrogánsque illos ait: Quid noui accidit? Non enim vos, vt heri & nudiustertius, rectè habere video, vt eminens in vultu testatur mæstitia.*

*8. At illi somnio suo pleni, sic ad Ioseph: Hac nocte contigit nobis somnium, cuius interpretationem quærimus, & nemo est qui tradere eam nobis valeat. Quibus Ioseph: Mirum id nequaquam videri debet; nam hominum non est interpretari somnia, sed solius Dei. Verùm seriem ipsam somnij narrate mihi: nam est, qui dono quoque Dei norit reuelare mysteria.* Solius Dei, interpretari somnia. D

*9. Igitur qui è poculis erat priori loco, quid in somno suo vidisset, ad hunc modum exposuit:*

*10. Obiecta mihi est dormienti triplici propagine discreta vitis, ita perspicuè, vt oculis ipsis eam intueri mihi viderer. Apparebat autem sensim gemmas suas protrudere, efflorescere deinde, ac tandem maturos racemos ostendere:*

*11. Me verò poculum Pharaonis vna manu tenere, altera vuarum racemos exprimere in poculum, quod postea porrigebam Regi.*

E *12. Accipe, inquit Ioseph, somnij tui veram interpretationem. Per tres propagines vitis, tres qui supersunt dies interpretor,*

*13. In quorum tertio, ex occasione solennitatis Natalitiæ Pharaonis, muneris tui pristini recordabitur, téque euocabit iterum in aulam Regiam, vt munere tuo fungaris coram ipso. Itaque poculum, vt solebas antea, porriges Regi.*

*14. Tan*

14. Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit, & facias mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.

A 14. *Tantùm illud precor, vt siquid gratum ita interpretando feci, memoria id retineas, cùmque feliciter apud Regem tuum egeris, hanc erga me pietatis significationem exhibeas, vt illi persuadeas imperet me educi ab hoc carcere, in quem absque vllo peccato meo detrusus sum.*

15. Quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hìc innocens in lacum missus sum.

15. *Quin etiam per furtum ex iniusta venditione contractum, ex terra Hebræorum in Aegyptum venire coactus sum.*

16. Videns Pistorum Magister, quòd prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium: Quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum:

16. *Atenim Pistorum Præpositus allectus interpretis in explicando priori somnio sagacitate, suum quoque in medium educens ait: Videbam tria canistra farinæ capiti meo sic imposita, vt vnum alteri insideret:* B

17. Et in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.

17. *Ac in supremo esse omnia ciborum genera, quæ pistores facere solent, aues autem auolare in cibos, eósque vnguibus, rostrísque discerpere.*

18. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij:

18. *At Ioseph benignè præfatus homini misero, rem tamen, vt animo concipiebat, seriò declarauit:*

19. Tria canistra, tres adhuc dies sunt, post quos auferet Pharao caput tuũ, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.

19. *Tres in tribus canistris similiter dies accipio, post quos Pharao imperabit amputari caput tuum, ac te in crucem agi, vbi volucres dilaniabunt cadauer tuum.*

20. Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri Pincernarum, & Pistorum Principis.

C 20. *Post hæc Pharao diem à somniis tertium agit celebrem, eo nomine, quòd natus eodem fuisset, nec id verò sine superstitionis nota, quòd is dies luctu potiùs, & lacrymis prosequendus sit. Agitur cùm epulum planè Regium, ac magnificum exhiberet aulicis suis, inter pocula, & escas Regias, recordatus est Pocillatoris, & Pistoris sui.* Dies natalitius luctu potiùs, quã lætitia prosequendus.

21. Restituítque alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum:

21. *Ac illum quidem, vt sibi pocula ministraret, euocauit è carcere:*

22. Alterum suspendit in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.

22. *Alterum cruci affigi iussit, vt eo modo res cederet, quo Ioseph somniorum coniector illis præmonstrauerat.*

23. Et tamen succedentibus prosperis, Præpositus Pincernarum oblitus est interpretis sui.

D 23. *Nihilominus Pincernarum magister succedente prosperitate, planè alienatus animo est, nec ampliùs recordatus est Ioseph interpretis, ac benefactoris sui.*

## COMMENTARIVS.

PRimùm de Iosepho præmittẽtur aliqua, quæ ad gratiam spectent interpretandi somnia. Deinde proponetur vtraque Visio, & interpretatio à Iosepho data.

### *De Josephi apud omnes gratia, & de singulari eius sapientia ad interpretanda somnia.*

SECTIO I.

1. *Chronologia Ioseph, gratia eius apud omnes vndè orta, ex Ambrosio, & Hieronymo.*
2. *Ioseph in carcere quasi solutus soluebat somnia. Illustratur loco Tertul. & altero D. Chrysostomi.*
3. *Somnia quatenus naturaliter lateant, vt habeant aliquid de futuro contingenti, soli Deo cognita, ex loco Isai. 41.* E
4. *Malè sensisse Trogum Pompeium, fuisse Iosephum in Aegypto assequutum artem interpretãdi somnia, cùm potius ipse Aegyptios docuerit sapientiam, ex Ps. 104. & illustratur à Theodoreto.*

1. PRIMVM oportet præmittere breuem Chronologiam vitæ Ioseph. Ioseph, cùm decimum septimum annũ ageret, à fratribus suis venditus est in Ægyptum Ismaëlitis mercatoribus, Genes. 37. 28. In Ægypto venditus est Putiphari Chronologia vitæ Ioseph. Gen. 37. 28.

phari Principi exercitus, apud quem magna cum fide, & gratia egit annos fortasse decem, aut vndecim. Nam cap. 39. 7. dicitur Domina eius post multos dies in eum iniecisse oculos. Hac verò phrasi Scriptura multos annos significat, Isai. 24. 22. *Et claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur.* De damnatis, quorum animæ in inferno clauduntur, vt post multos annos visitentur, id est, puniantur, additis etiam corporibus ibi torquendis. Non bene ergo Genebrardus Psal. 104. cùm Seder Olam, Iosephum fuisse vno anno seruum Putipharis, & duodecim iacuisse in carcere. Postea accusatus falsò à Domina, quòd sibi vim intulisset, missus est in carcerem, annos agens circiter viginti septem. Tres annos in carcere detentus, ibi Præfecto carceris gratissimus, somnia Eunuchorum explicauit, ac trigesimum annum agens eductus est ad interpretandum Pharaonis somnium, móxque euectus ad præfecturam totius Ægypti. Nec obstitit, aut status serui, aut conditio alienigenæ, ne ad summum euaderet cacumen honoris, quod in vnius Ioseph fortuna planè admirabile suspiciunt omnes Autores; quomodo vbique semper gratus fuerit: in carcere; extra carcerem; apud Dominum suum; apud Pharaonem; apud Aulicos; apud plebeios! Cuius rei causam D. Ambros. in principio libri de Ioseph Patriarcha, esse ait: quòd in moribus eius, atque actibus eminebat quidam nitor gratiæ, quo sibi omnium facilè conciliabat amorem. & quoniam (vt rectè ait D. Hierony. de Virginitate ad Demetriadem) ingenitam semper animi dignitatem vbique retinuit, seruósque proinde, ac liberos docuit; non conditionem, sed mentem commendare hominem. Et D. Ambros. citatus, cap. 5. Venustatem, inquit, vultus non ad alienam deriuauit iniuriam, sed ad suam seruauit gratiam, qua non alienos oculos caperet, sed iudicia acquireret vniuersorum. Ita Ambros.

*Gen. 39. 7. Fuit apud Putipharem annis decem. Isai. 24. 22. Genebrard. l. 104. scitur conuenerandum, quid vno anno fuerit. Annorū 27. missus in carcerem. Anno ætatis 30 educitur è carcere. Rara Ioseph fortuna, quid seruus, & alienigena regnauit. D. Ambr. In moribus & actibus Ioseph quidā nitor gratia. D. Hier. Non conditio, sed mens commendat hominem. D. Ambr. Ioseph in gratia sua iudicia acquirebat omnium.*

2. Quis neget (ait Ambros. 2. de Iacob & vita beata, cap. 9.) Ioseph in carcere quoque beatum, vbi sapientiæ spiritu interpretabatur somniorum, quæ audierat, veritatem, & futurorum seriem reuelabat? Quadrat ergo in eundem quod Tertull. ad Martyres dixit: Quò vos benedicti, inquit, si de carcere, id est, mundo, in custodiarium translatos vos existimatis? Habet tenebras, sed lumen estis; habet vincula, sed vos soluti Deo estis; triste illic expirat, sed vos odor estis suauitatis. Nihil ergo impeditus Ioseph vinculis, aut obscuratus carceris tenebris, pergit soluere somniorum vincula, ac tenebras dissipare. Verè (vt ait Chrysost.) factus est in carcere Præfectus carceris, ac inter vinctos liber. Sic enim ad Eunuchos subtristes, ac somniorum pondere grauatos: *Nunquid non Dei est interpretatio? Referte mihi quid videritis.* Quibus verbis modestum, ac pium interpretem professus est, qui non sibi arrogaret intelligentiam, sed Deo autori tribueret. Similiter, in sequenti Visione Pharaonis, *Absque me,* inquit, *Deus respondebit prospera Pharaoni.* Vtroque loco (vt expendit Caiet.) est *Elohim,* id est, *Deus,* quatenus iustus donorum internorum distributor, qui non attendens merita, etiam inclusis in carcere dat gratiam explicandi somnia.

*D. Ambr. Ioseph in carcere quoque beatus. Martyres efficiebant, vt eis carcer non esset carcer. Tertul. D. Chrys. In carcere Præfectus carceris. Caiet. Elohim, Deus, vt est iustus donorum distributor. Duo, quæ in somniis naturaliter latent.*

3. Pro quo notandum, duo esse in somniis, quæ naturaliter latent: primum, ipsa somnia, quatenus sunt interiores quædam affectiones phantasiæ, & de his intelligendum, quod Aru-

A spices Chaldæi responderunt Nabuchodonosor Dan. 2. 10. *Non est homo super terram, qui sermonem tuum, Rex, possit implere.* Petebat quippe Rex, vt somnium, quod ab eo fugerat, sicut sibi contigerat proponerent. Quod verè aiunt nullum hominem assequi posse naturali vi. Nam Angelus quidem potest, quatenus somnium solius phantasiæ affectio est, quòd si misceatur aliquid de operatione intellectus, Angelum quoque eatenus latebit. Deinde somnia naturaliter latent, quatenus futura aliqua contingentia significant; sic enim etsi proposita coniecturis hominum subiaceant, plerumque tamen eorum explicatio fallit, vtpote non certa aliqua ratione, sed casu data. Vnde narrat Curtius lib. 3. suæ historiæ,

*Dan. 2. 10. 1. Vt sunt interiores operationis phantasia. 2. Vt inuoluunt aliquod futurū contingens. Curtius.*

B somnium, quod Dario Regi, paulò ante prælium, in quo victus est ab Alexandro, contigit, contrarias in partes interpretatos fuisse consultos Vates: alij enim id somnij victoriam Dario, alij Alexandro portendere prænunciarunt. Absolutè ergo somnia, vt prædicta futura significant, omnis creaturæ cognitionem superant, ac adeò soli Deo nota sunt. Vnde illud Isaiæ 41. 23. *Annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos.* Iure ergo hoc totum tribuit Ioseph Deo, *Nunquid non Dei est interpretatio?* Et, *Absque me Deus respondebit.* Vt ipse quidem quatenus Deus somnia, ac somniorum significationes teneat, quatenus verò iustus distributor gratiarum, id quoque doni impartiatur seruis suis; ideo

*Isai. 41. 23. Cognitio futuri, symbolum Dei.*

C enim cùm dixerit, *Nunquid non Dei est interpretatio?* addit: *Referte mihi quid videritis.*

Immeritò ergo Trogus Pompeius lib. suo 36. memoriæ prodidit, Iosephum magicis artibus fuisse eruditum, adeóque in exponendis somniis excelluisse, vt artem quoque interpretandi somnia condiderit. Ex Iustino quidem Trogi Breuiatore sic res habet: Cùm magicas artes in Ægypto percepisset, sagacissimus prodigiorum fuit, & somniorum primus intelligentiam condidit, tótque rerum experimentis claruit, vt non ab homine, sed à Deo responsa dari viderentur. Ita ibi. Idem probare quis potest ex dictis ipsius Ioseph. Nam cap. 44. 15. minatus fratribus, quòd

*Trog. Pōp. Trogi Pompeij falsa opinatio. Gen. 44. 15.*

D poculum furati essent, *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* Quibus verbis se profitetur Augurem, qui scilicet, ex auium volatu, & cantu futura prænunciet. Sed enim tātùm abest, vt ab Ægyptiis Ioseph sapientiam acceperit, vt Ægyptios ipse veram sapientiam edocuerit, fueritque publico quasi edicto Regis, communis omnium doctor constitutus, iuxta illud Psalm. 104. 20. 21. *Misit,* inquit, *Rex, & soluit eum, &c. constituit eum Dominum domus suæ, vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Quo loco optimus omnium est in rem præsentem commentarius Theodoreti. Insignis enim, inquit, per somniorū interpretatio-

*Ps. 104. 20. 21. Ioseph doctor Ægyptiorū. Theod.*

E nes Regi factus, & potestatem consequutus, in diuinam cognitionem alios deducebat, nec verbis solùm vtens, sed etiam operibus in ipsam pietatem trahebat. Vnde ponderans D. Ambros. cap. 4. de Patriarcha Ioseph, quomodo venditus fuerit Præposito coquorum in Ægypto. Non otiosa persona, inquit, quæ cruda ciborum coqueret: nam cùm esset in Ægypto cruda perfidia, diuinæ cognitionis ardore per Iosephum emollita est, vt epularentur animi fidei suauitate: nullus enim cibus scientia, & doctrina dulcior. Vult ergo Ambros. crudam, ac rudem sapientiam

*D. Ambr. Quòd Ioseph coquorum principi venditus fit, mysterium, ex Ambr.*

*Crudam Ægypti sapientiam decoxit Ioseph.*

tiam apud Ægyptios Ioseph, ardenti eruditione quasi decoctam, redditámque tum diuinitus, tum ciuiliter aptam gustui. Quare quæ de Iosepho narrat Trogus, fabulosa sunt. Quod verò ipse Ioseph fratribus dicat cap. 44. *An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia?* ioco id omnino dictum credendum est, vt rectè asserit D. Aug. q. 55. in Genes.

---

## *De Visione Præpositi Pincernarum, & de interpretatione eius.*

### SECTIO II.

1. *Proponitur somnium Pincernæ, quid sit propago, palmes, gemma, ostenditur ex Plinio, Cicerone, & Tertull.*
2. *Pincernæ somnium naturale fuisse; & quare de somniis naturalibus agitur. Ex Petronio, Ecclesiastico. Antiquum munus Pincernarum, ex Hieronymo, & Homero. Incertum, quare duo Eunuchi missi in carcerem.*
3. *Proponitur interpretatio Visionis. Ostenditur quæ sit similitudo propaginis, & diei, ex Gen. 8. & illustratur loco Tertull.*
4. *Nimis iuste sensisse D. Augustinum peccasse Ioseph, quòd commendauerit Pincernæ liberationem suam. Ostenditur non modò sine culpa, sed potiùs laudabiliter id fecisse. Æquior interpretatio D. Chrysostomi. Iure etiam Ambrosius ingratitudinis arguit Pincernam.*

1. HOc est somnium Principis Pincernarum, Vers. 9. *Videbam coram me vitem,* 10. *In qua erant tres propagines, crescere paulatim in gĕmas, & post flores vuas maturescere.* 11. *Calicémque Pharaonis in manu mea. Tuli ergo vuas, & expressi in calicem, quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* 12. *Respŏdit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij. Tres propagines, tres adhuc dies sunt,* 13. *Post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum, dabísque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras.* 14. *Tantùm memento mei cùm bene tibi fuerit, & facies mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere.* 15. *Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum.* Iosephus 1. lib. Antiquitat. hanc Visionem in eo fideliter non reddidit, quòd asserat Pincernam expressisse vuas, subdente Rege phialā, cùm hîc asseratur, vtrumque fecisse Pincernam; vna scilicet manu sua tenuisse poculum, altera in illud expressisse vuas. Propago propriè in vite sumitur, nec idem est ac palmes, siue pampinus: nam propago, vitis adulta, quæ arcuatim suppressa plures alias pergit generare vites: Palmes, siue pampinus plura illa sunt flagella vitium. Vnde illud Plinij lib. 14. cap. 1. Vis vitium omnis euocatur in palmites, aut deprimitur in propagines. Similiter & Isai. cap. 16. 8. distinxisse videtur loquĕs de vinea Sabama. *Flagella, inquit, eius vsque ad Iazer peruenerunt: errauerunt in deserto propagines eius.* Gemma, quasi oculus vitis ad articulos sarmentorum ineunte vere existens. Ex Cicerone lib. de amicitia: Dilatata gemma in folia, prodit

*Iosephus. Iosephus in quo Visionem fideliter non reddat.*

*Propago in quo differat à palmite.*

*Plin.*

*Isai. 16. 8.*

*Gemma oculus vitis. Cicero.*

A racemulus pendentibus floribus, qui paulatim in acinos adolescunt. Verè enim Tertul. in lib. de Carne Christi, probans Christum esse florem, & fructum virgæ Iesse ex cap. 11. Isai. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos,* &c. Flos enim, inquit, fructus, quia per florem, & ex flore omnis fructus eruditur in fructum. Ita ibi. Cui bene consonant præsentia: *Videbam vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere.*

*Tertull.* *Isai. 11. 1.* *Fructus per florem eruditur.*

2. Cùm somnia animalia apud Philosophos dicantur ea, quæ cuique obueniunt, iuxta ea quæ interdiu tractat, somnium hoc Pincernæ animale esse nemo dubitauerit, etiamsi simul diuinum fuerit. Quid enim homo vini Præpositus, cuius circa pocula Regis ministerium erat, naturaliùs somniaret, quàm vites, propagines, gemmas, racemos, expressionem musti in poculum? Eleganter quidem Petronius Arbiter: --- *Oppida bello*

*Somnium Pincernæ animale.*

B

*Petron.*

*Qui quatit, & flammis miserandas sæuit in vrbes,*
*Tela videt, versásque acies, & funera Regum,*
*Atque exundantes perfuso sanguine campos.*

Hinc illud Ecclesiastici 40. 6. *Modicum tanquam nihil in requie, & ab eo in somnis quasi in die respectus. conturbatus est in visu cordis sui, tanquam qui euaserit in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit admirans ad nullum timorem.* Loquitur de eo qui in castris speculatoris officio fungitur. Est sensus, Parum, aut nihil dormit, & cùm etiam breuiter dormit, ea somniat, quæ interdiu tractat: videtur enim sibi videre in somnis ingruens bellum, à quo ipse, sed cum magno periculo, euadat. Expergefactus autem vix cum admiratione credit nihil esse timendum. Pincerna ergo seu Pocillator regius aptè somniat vinum se propinare Regi. Et habemus hinc, quàm sit antiquum habere Reges vnum aliquem ex Aulicis, qui illis sit à poculis. Narrat Xenophon lib. 1. Cyripæd. Medorum reges Pincernas habere solitos miræ dexteritatis, & elegantiæ, qui phialam mundissimè præparatam tribus digitis ferrent, ex qua in cyathum altera manu positum infundentes, paululum sorberent, ne qua esset suspicio immisti veneni. D. Hieron. in tradit. Hebraic. in Genes. Non vile, inquit, putetur officium, cùm apud Reges barbaros vsque hodie maximæ dignitatis sit, Regi poculum porrigere. Poëtæ quoque de Catamito & Ioue scriptitant, quòd amasium suum huic officio manciparit. Hæc Hieronym. Idcirco Homerus id etiam diis attribuit. Nam Iliad. v. Ganymedem raptum fabulatur, vt Iouis Pincerna esset. --- καὶ ἀντίθεος Γανυμήδης,

*Eccl. 40. 6.*

*Speculatoris cura describitur.*

C

*Antiquum apud Reges munus Pincernarum.* *Xenoph.*

*Pincernarū Medorum dexteritas.*

D

*D. Hier.*

*Ganymedes Pincerna Iouis.* *Homer.*

Ὃς δὴ κάλλιστος γένετο θνητῶν ἀνθρώπων,
Τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν.

Sic egregiè ob id Homerum carpit Cicero in prima Tusculana. Homerum, inquit, non audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, vt Ioui pocula administraret. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat, diuina mallem ad nos. Ita Cicero. Incertum porro est, quare Pharao Pincernam hunc, & Pistorem miserit in carcerem. Nugantur hîc Hebræi, vt assolent, ob id in carcerem missos à Rege, quòd in potu semel inuenisset muscam, & in pane lapillum. Quis velit in re nullius momenti diuinare? Magis è re nata illi, qui ob suspicionem immisti in vino, vel in pane veneni, missos in carcerem coniiciunt.

*Ganymedis raptum reprobat Cicero.*

E

*Incertū, cur in carcerem missi eiusmodi Præpositi.*

3. Ergo Ioseph propositum Pincernæ somnium

nium de tribus propaginibus, & de poculo Pharaoni propinato: *Hac est*, inquit, *interpretatio. Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum sicut ante facere consueueras.* Cur dies per propagines? Nimirum, quia sicut propago vitis, vt nouo eam semper fœtu multiplicet, in arcum inflexa mergitur in terram; & per eam occulto gyrans arcu, iterum emergit, ita dies naturalis est quasi propago temporis, quæ in arcus similiter depangitur: sole enim interdiu gyrante per nostrũ hemisphærium, vespere autem quasi mergente se, vt per alterum similiter gyrans iterum oriatur, fit dies naturalis: hac verò dierum, noctiúmque alternatione propagatur imprimis generationum series, deinde tempus ob idipsum non minori iure suis diebus, quàm vitis suis propaginibus dilatatur: nec minùs item per suos dies, quàm illa per suas propagines gemmare, florere, ac fructificare dicetur. Has dierum vicissitudines pollicitus est Deus Noe ad continuationem generationum, Genes. 8. 22. *Cunctis diebus terræ, sementis, & messis, frigus, & æstus, æstas, & hyems, nox, & dies non requiescent.* Eleganter quidem Tertull. in libr. de resurrect. carn. Lux, inquit, amissa rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem & integra vniuerso orbi reuiuiscit, & terræ de cælo disciplina est, arbores vestire, post spolia, flores denuo colorare, herbas rursus imponere, exhibere eadem, quę absumpta sunt semina. Mira ratio de fraudatrice seruatrix: vt reddat intercipit, vt custodiat perdit: vt integret vitiat: vt etiam ampliet, priùs decoquit; siquidem vberiora, & cultiora restituit, quam exterminauit. Re vera fœtu interitu, iniuria vsura, lucro damno: semel dixerim: vniuersa conditio recidiua est. Ita Tertull. Qua certè rerum interitus, & restitutionis varietate, quasi ex magisterio cæli tep[illegible]ta in terris, ostenditur euidenter sympathia dierum, ac propaginum, quam Ioseph in sua interpretatione indicauit. *Tres propagines, tres dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradũ pristinũ.*

*Inter diem & propaginem similitudo.*

Genes. 8. 22.

*Temporum vicissitudo.*

*Temporum vicissitudo species resurrectionis.*

4. Atenim Ioseph, cùm tam felicia Pincernæ interpretaretur, vt communis fert miserorum hominum conditio, magno cum affectu petiit; *Tantùm memento mei, cùm tibi bene fuerit, vt facias quæso mecum misericordiam, vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere, quia furto sublatus sũ de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sũ.* Furto se sublatum non ab Ismaëlitis, sed à fratribus, quoniam eum contra ius vendentes planè furati sunt. Exod. 21. 16. *Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, conuictus noxæ morte morietur.* Haud dubiè verò fuit Augustinus hoc loco nimis iustus, qui serm. 82. de Tempore, Beatum Ioseph in hoc peccasse ait, quòd fiduciam suam in homine collocauerit, minùs fidens Diuinæ prouidentiæ, quàm oportebat, & idcirco credit, iudicio Dei factum, vt Pincerna obliuisceretur petitionem Ioseph, ac ad purgandam diffidentiæ culpam duos adhuc annos iacuisse in carcere. Crediderim tamen Ioseph absque vlla culpa Pincernam sibi asciuisse intercessorem pro liberatione carceris: nam ad bonum aliquod honestum acquirendum (ad quod profectò credendum est ordinasse Ioseph suam liberationem) licitè, & laudabiliter vti possumus hominum industria, gratia, beneuolentia, potentia: pertinet enim id ad prudentem quandam prouisionem, & quoti-

*Ioseph miserorum more petit à Pincerna sui vt meminerit.*

*Ioseph furto sublatus à fratribus.* Exod. 21. 16.

D. August. *Opinio Augustini, Ioseph peccasse quòd se commendauerit Pincernæ.*

*Verius apparet non peccasse, & quare?*



A die fieri videmus à viris probatæ virtutis. Imò sæpe hæc auxilia continẽtur in Diuina prædestinatione; ac per ea quoque vult Deus perducere suos electos ad vitam æternam: igitur tantùm abest, vt illis vtens quispiam, minuat spem ac fiduciam in Deum, vt potiùs exequatur, & impleat Dei prouidentiam, ac prædestinationem. Rectiùs quidem mihi videtur Chrysostomus in hac mora carceris philosophatus. Oportebat, inquit, expectari tempus opportunum, vt maiori cum gloria à carcere educeretur; siquidem si Præfectus Pincernarum ante somnia Pharaonis recordatus fuisset, fortè autoritate sua eum liberasset, & non tam perspicua fuisset aliis eius virtus. B Deus autem, sicut omnipotens, ac sapiens artifex, sciebat quanto tempore in igne deberet esse aurum, vt cum splendore reduceretur. Ita Chrys. At iure quidem D. Ambros. (vt in secunda Visione sect. vltima vidimus) inuehitur in Pincernam ingratissimum, cui homo de se optimè meritus per totos duos annos, ne in mentem quidem venerit, ludénsque in ipsa muneris ratione, eleganter ait: Cùm dixit Ioseph, *Memor esto mei:* iam potentia eleuatus, non attendebas, sed obtusas habebas aures fastu potentiæ, & vini ebrius, non audiebas verba sobrietatis; vini Præpositus, quasi multo ebrius mero, beneficij autorem oblitus es. Ita D. Ambros. lib. cit. cap. 6. & 7. Nimirum res secundæ, & Aula ipsa Regia inebriare C solent, ac ita alienare mentes, vt quem hodie coniunctissimum habeas, cras, si apud Regem valeat, eleuatum iam, ac vix te ex obliquo respicientẽ experiaris. multo ebrius mero, oblitus est.

*Auxilia humana sæpe continentur in Diuina prædestinatione.*

*Hanc Pincernæ obliuionem rectè ordinasse Deum ad maiorem gloriam Ioseph.*

D. Ambr. *Ioseph aurũ probandum in igne.*

*Aula inebriare solet.*

---

## *De Visione Præpositi Pistorum & eius interpretatione.*

### SECTIO III.

1. *Proponit Pistor suã Visionem. Quid sit Pistor, ostenditur, & quando primùm Romæ. Quomodo anfractuosum ministerium appellet Ambros.*
2. *Credibile est, Ioseph præfatum comiter Pistorem ante denunciationem infaustã. Cur canistro farinæ significata mors Pistoris? quod fragilis materia sit, quodque post vsum suspenditur. Eleuatio canistri est suspensio in cruce. Exaltare idem ac agere in crucem. Ioan. 3. Antiquitas eius supplicij. Capite damnare generale est, pro necare. Auium volatus in canistra quid?* D
3. *Ioseph figura viri ciuilis, aut prædicatoris Euangelici. Somnium, vita hominis ex Philone. Casus Eunuchorum repræsentat prædestinationem & reprobationem, ex Ruperto. Figura Christi pendentis inter duos latrones.*

E 1. PRÆPOSITUS Pistorum allectus prospera interpretatione Pincernæ, ad somnium quoque suum explicandum alacriùs accessit. Vers. 16. *Et ego vidi somnium, quod tria canistra farinæ haberẽ super caput meũ.* Vers. 17. *Et in vno canistro, quod erat excelsius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria, auésque comedere ex eo.* Vers. 18. *Respõdit Ioseph: Hæc est interpretatio sõnij: Tria canistra tres adhuc dies sũt,* Vers. 19. *Post quos auferet Pharao caput tuũ, ac suspẽdet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Pistores apud veteres illi dicebantur, qui primùm ante molarum vsum, frumenta in pilis pinsebant, postea id nomen translatum est ad eos, qui sub-

*Pistores antiquis qui?*

F acta

acta farina, panes, & plura alia ex farina delicatiora edulia conficiunt. Mulierum id opus (ait Plin. lib. 18. cap. 11.) Sed post quingentos octoginta annos ab Vrbe condita translatum etiam ad viros, & in eis permansisse, colligitur ex illo Caij Iurisconsulti. Siquis, inquit, seruos habuerit proprios, sed quorum operas locabat, vel pistoricas, vel histrionicas, seruorum appellatione, legasse hos videtur. Pistores totus Oriens nouit, nec mirum, si etiam Ægyptus, vt probat hîc Pharaonis Pistor. Et ipse (inquit Ambrosius citatus) etiam Præpositus erat epularum Regis, quæ ad opus Pistorium pertinebant. Sublimem se credebat, quia in potestate habebat panem Regium; nesciebat multos anfractus esse huius potentiæ, quasi diceret esse potentiam obscuram, & quæ non facilè appareret, quòd multis esset perplexa vilitatibus, ac discriminibus, ob suspiciones Regias. Vnde & idem Ambrosius antea dixerat: Status eorum fragilis, ac tenuis, quibus leuis offensa summum periculum sit, secundæ autem res vile ministerium. Ita Ambros.

*Plinius.*

*Pistorum officium multis obiectum discriminibus.*

*D. Ambros.*

2. Credibile est quod Iosephus lib. 1. de Antiquit. ait, sanctum Iosephum non temere denunciasse Pistori infaustam interpretationem, sed comiter præfatum, quòd mallet ei lætiora prædicere, quàm somnium ipsum portenderet, Sicut Daniel præfatus dicitur, antequam Balthassari denunciaret interitum. Rectè verò quadrat, quòd prior interpretatio, qua vita denunciata est Pincernæ, per viuentes significaretur propagines: at verò funesta mors canistris fragilibus, ac minimè duraturis portenderetur: sed & meliùs adhuc quadrabit, quod nos docet quotidianus vsus canistrorum; vtimur enim iis ad portanda, quæ volumus, ac postea suspendimus; ita planè per ea expressum, quòd Pistor finito ministerio suo erat suspendendus in cruce. Quid autem est, quòd canistra cernuntur eleuata, & capite Pistoris imposita? Significatur genus supplicij, quo est afficiendus Pistor; nempe Crux. Solet enim vulgo, solo eleuationis à terra vocabulo significari; & apud Hebræos ea quoque significatio vulgaris fuisse videtur. Nā cùm Christus dixit Ioan. 12. 34. *Oportet exaltari Filium hominis*, optimè id intellexit turba, vt apparet in contextu. Quod ait, *auferet caput tuum, & suspendet te*: videtur significare, priùs iugulandum, & postea patibulo affigendum: sed id totum vult, generaliter quidem, dedendum neci, quod indicatur per ablationem capitis; nam capite damnare, est neci destinare. Specialiter autem assignatur mortis genus, scilicet crucis, quod hinc colligitur quàm sit antiquum, imò omnium primum videtur in sontes propositum tormenti genus, & hic

*Iosephus.*
*Ioseph præfatus est comiter, antequam pistori mortem prædiceret.*

*Mors apta canistris fragilibus exprimitur.*

*Ex vsu canistrorum aptior similitudo.*

*Eleuatio canistri in capite, innuit supplicium crucis.*
*Ioan. 12. 34.*

*Damnare capite, id est, neci dare. Supplicium crucis antiquissimum.*

primus legitur morte damnatus reus. Quamquam iudicium capitis primum in Areopago actum narrat Plin. lib. 7. cap. 56. intelligendum iudiciali seruata forma, quam non videtur hic sequutus Pharao. Aues quoque (carniuoras vtique: nam ideo Septuaginta, & Chaldæus *comedent carnes tuas*, &c. quasi dicat, dilaniando impactis vnguibus) conuolantes in canistrum, crucis supplicium indicant: etsi enim apud Hebræos eo ipso die deponebantur suspensi, Deut. 21. 23. tamen apud alias Gentes expresse iubebantur relinqui, vsque ad putrefactionem, & lacerationem auium, ad maiorem supplicij horrorem. Vnde illud Theodori Cyrenæi ad Lysimachum necem crucis minitantem: Terribilis hæc sit, inquit, purpuratis tuis, mea nihil interest, humíne an sublimè putrescam. Narrat deinde Moyses Pharaonem stato die, & Pincernam restituisse, & Pistorem suspendisse in patibulo, vt coniectoris veritas probaretur.

*Pistor hic primus legitur damnatus morte.*
*Plinius.*
*In Areopago primum capitis iudicium, intelligendum iudiciali forma.*
*Deut. 21. 23.*
*Crucifixi apud veteres relinquebantur vsque ad putrefactionē.*

3. Legendus hoc loco Philo Iudæus, qui duorum Præpositorum somnia, ac interpretationes Ioseph perpendens, esse illum ait, figuram viri ciuilis, hoc est, doctoris politici. verius diceret, optimi prædicatoris Euangelici: ait ergo, doctorem politicum par esse, somniorum interpretem agere. Cùm enim verè Plato dixerit, spes hominum somnia esse vigilantium; ad ciuilis doctoris munus spectat, vanitatem eiusmodi somniorum ostendere. Ac primum magnum somnium edisserit, quod ne mentiar, inquit, vita hominum est, qua quidem videmur viuere, cùm tamen re vera moriamur, sicut in somnio videmur loqui, cùm tamen non loquamur: nam singulæ, ait, ætates decedendo, quasi præmoriuntur: natura nos paulatim docente, nō timere mortem extremam omnium, quando facilè tulimus occasum infantiæ, pueritiæ, adolescentiæ, iuuentutis. Hæc ferè & plura eo loco Philo. Sed & Rupertus profundiùs rimatus est in horum duorum Præpositorum inæquali sorte secretissimum prædestinationis mysterium: quòd tota quasi humani generis massa in manu Dei sit, vt in manu Pharaonis duo illi Eunuchi vincti ob scelera sua, sicut omnes homines sub potestate peccati ligati tenebantur. Tu igitur quis es, ô homo, (ait Rupertus) vt respondeas Deo? An non habet potestatem, saltem æquè ac Pharao, vni donare offensam, ab alio pœnam exigere? Præterea, ait Rupertus, Ioseph inter duos Eunuchos, quorum alterum sua interpretatione absoluit, alterum damnauit, figuram esse Christi inter duos latrones in cruce, quorum quidem alterum indulgenter destinauit paradiso, alterum auersus est, vt reprobum. Nec plura notatu digna eo loco Rupertus.

*Philo.*
*Ioseph somnia disserens figura viri ciuilis.*

*Philo.*
*Spes hominum somnia vigilantiū.*

*Vita hominum somnium est.*

*Singulæ ætates decedendo præmoriuntur.*

*Rupert.*
*Inæqualis sors Præpositorum repræsentat prædestinationem.*

*Ioseph inter duos Præpositos, Christus inter duos latrones.*

VISIO.

# VISIO QVINTA,

## QVAM HABVIT PHARAO REX.

*Genes. cap. 41.*

## ARGVMENTVM CAPITIS XLI.

*VIDIT in somnis Pharao septē boues pingues, & septem macilentas: item septem spicas plenas, & septem tenues. Vocatur Ioseph monitu Pincernæ; prædicit septem annos fertilitatis, & septem famis. Monet Regem prouideat sibi virum sapientem, qui tanto malo occurrat: at non alium sibi prouidere Rex statuit, quàm ipsum Ioseph, quem illico vehi iubet curru Regio per vrbem, præcone clamante, ac Præpositum eum totius Ægypti pronunciante, quem etiam Rex mutato nomine appellari iubet Saluatorem mundi.*

CAPVT XLI.

1. POst duos annos vidit Pharao somnium.

2. Putabat se stare super fluuium, de quo ascendebant septem boues, pulchræ & crassæ nimis: & pascebantur in locis palustribus.

3. Aliæ quoque septem emergebant de flumine, fœdæ, confectæque macie: & pascebantur in ipsa amnis ripa in locis virentibus, deuorauerúntque eas, quarum mira species & habitudo corporum erat.

4. Expergefactus Pharao rursus dormiuit,

5. Et vidit alterum somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque formosæ:

6. Aliæ quoque totidem spicæ tenues, & percussæ vredine oriebantur,

7. Deuorantes omnem priorum pulchritudinem.

8. Euigilans Pharao post quietem, & facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes coniectores Ægypti, cunctósque sapientes: & accersitis narrauit somnium, nec erat qui interpretaretur.

PARAPHRASIS.

A 1. *AB ipso tempore quo Ioseph somnia Eunuchorum soluerat, anni duo elapsi fuerant, cùm Pharao Rex idoneum admodum curæ Regiæ somnium hausit.* Somnium Pharaonis idoneum curæ Regiæ.

2. *Visus sibi est ad ripas Nili stare, inde verò progredi vaccas septem, ipsa specie perpulchras, & obesitate corporis crassas nimis, in locis autem palustribus, vbi fœni plurimum inerat, pascebantur.*

3. *Post has pingues, atque pulchras visæ sunt egredi ex eodem flumine septem aliæ deformes, ac adeò macilentæ, vt vix hærerent ossi-*
B *bus; pascua non alia, quàm quæ ripa ipsa fluminis per interualla virescens suggerebat: mirum autem, quòd impellente fame in septem illas nitidas, ac obesas irruerint, ac penitus vno haustu deglutierint.*

4. *Post oblatum somnium Pharao excitatus, etsi aliquantulùm commotus, tamen communes ratus, & casu oblatas apparitiones, iterum somno se dedit.*

5. *Rursum autem adiit non absimile somnium: nam in calamo vno visus sibi est videre septem spicas frumento graues, ac eo ipso valde*
C *speciosas;*

6. *Totidem verò alias spicas exiles, ac planè squallidas, ac rubigine obsitas.*

7. *Itaque ob insitam tenuitatem, quasi auidiores, absorbebant quidquid aliæ præferebant pulchritudinis, & fertilitatis.*

8. *Igitur manè consurgens Pharao, somniorum, vt apparebat, tristium specie perturbatus, ac vehementi pauore perculsus, sapientes Aegyptios conuocat, eósque præsertim, qui peritia soluendorum somniorum præcellebant, eísque seriem eorum, quæ inter dormiendum vide-*

9. Tunc demum reminiscens Pincernarum magister, ait; Confiteor peccatum meum:

10. Iratus Rex seruis suis, me & magistrum Pistorum retrudi iussit in carcerem Principis militum:

11. Vbi vna nocte vterque vidimus somnium præsagum futurorum.

12. Erat ibi puer Hebræus eiusdem ducis militum famulus; cui narrantes somnia,

13. Audiuimus quidquid postea rei probauit euentus. Ego enim redditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce.

14. Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioseph totonderunt: ac veste mutata obtulerunt ei.

15. Cui ille ait: Vidi somnia, nec est, qui edisserat: quæ audiui te sapientissimè coniicere.

16. Respondit Ioseph: Absque me Deus respondebit prospera Pharaoni.

17. Narrauit ergo Pharao quod viderat: Putabam me stare super ripam fluminis,

18. Et septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesis carnibus, quæ in pastu paludis virecta carpebant.

19. Et ecce has sequebantur aliæ septem boues, in tantum deformes, & macilentæ, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim.

20. Quæ deuoratis & consumptis prioribus,

21. Nullum saturitatis dedêre vestigium: sed simili macie & squalore torpebant.

22. Euigilans, rursus sopore depressus, vidi somnium: Septem spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque pulcherrimæ.

23. Aliæ

A *rat, fusè exponit. At ij hæsitabundi hærebant, nec legitimam interpretationem tradere poterant.*

*9. Tum Princeps ille Pincernarum, cuius olim somnium Ioseph in carcere prosperè soluerat, suam erga Ioseph ingratitudinem (quæ per antonomasiam peccatum est) iure damnans,* Ingratitudo peccatū per antonomasiam.

*10. Ita Regem ancipiti timore perterritum aggressus est: Missus in carcerem, imperante te, ô Rex, simul cum Pistorum Principe, traditúsque in custodiam Putipharis coquorum Principis,* B

*11. Eadem vterque nocte somniauimus, rémque omnino præsagio plenam hausimus animis.*

*12. Iacebat nobiscum in vinculis Hebræi generis puer vnus, Putipharis seruus; specie tamen ipsa planè liberali, & ingenua, eíque proposuimus monstrata somnia, illud vnum appetentes, vt certam interpretationem nancisceremur.*

*13. Re autem ipsa probatum est postea quidquid ipse circa somnia coniectauit: nam* C *ego, te iubente, ô Rex, muneri meo pristino restitutus sum: Pistorum verò Princeps, vt ille prænunciauerat, confixus est cruci.*

*14. Nec mora: educitur ad imperium Regis Ioseph è carcere: capillorúmque, ac reliquo membrorum squallore deposito, indutus aptè introducitur ad Regem.*

*15. Cui prior, grauatus scilicet somnio suo, Rex ait: Somnium hac nocte habui, haud dubiè præsagia futurorum continens, nec est inter sapientes Aegypti, qui rem obscuram interpretetur. Noui autem singulari te ad id peritia ac solertia præditum.* D

*16. Cui Ioseph: Non quidem ego solus, sed ipse in me Deus, læta Pharaoni denunciabit.*

*17. Tum Rex quidquid dormiendo viderat exposuit coram Ioseph: Putabam ambulare me ad ripam fluminis,*

*18. Septémque boues pinguissimas, ac magnitudine præcipuas è flumine emergere, ac palustribus in locis læta detondere pascua.*

*19. Mox sequi alias septem è flumine sic confectas macie, ac fœda specie, vt nunquam viderim in Aegypto similes.*

E *20. Has verò macilentas aspexi penitus deuorasse obesas illas, ac pulchras.*

*21. Cúmque moles illas obesarum carnium intra se conclusissent, non ob id tamen plenæ saturæq; apparebant, imò exiles, vt antea, ac planè famescentes.*

*22. Cúmque somnio perturbante excitarer, iterum sopore correptus, vidi rem mirabilem: spicas scilicet septem ex vna radice prodeuntes acclinatis in terram ob plenitudinem capitibus, ac planè prægrauatas fructu, messique aptas.*

*23. Ecce*

23. Aliæ quoque septem tenues, & percussæ vredine, oriebantur è stipula:

24. Quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui coniectoribus somnium, & nemo est qui edisserat.

25. Respondit Ioseph: Somnium Regis vnum est; quæ facturus est Deus, ostendit Pharaoni.

26. Septem boues pulchræ, & septem spicæ plenæ septem vbertatis anni sunt, eandémque vim somnij comprehendunt

27. Septem quoque boues tenues, atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ, septem anni venturæ sunt famis.

28. Qui hoc ordine complebuntur:

29. Ecce septem anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Ægypti.

30. Quos sequentur septem anni alij tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnem terram,

31. Et vbertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo.

32. Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium: firmitatis indicium est, eo quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur.

33. Nunc ergo prouideat Rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti:

34. Qui constituat Præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis,

35. Qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetúrque in vrbibus.

36. Et præparetur futuræ septem annorum fami, quę oppressura est Ægyptum, &



A 23. *Ecce autem septem aliæ propè oriebantur omnino euanidæ, & ob multam siccitatem rubigine exesæ penitus:*

24. *Quas non sine stupore vidi in priores illas plenas ac formosas irruere, & prorsus quasi deuorando absumere. Porro totum hoc visum sapientibus Aegypti proposui interpretandum, nec fuit qui coniiceret.*

25. *Quibus auditis ait Ioseph: Somnium hoc tuum, Rex, etsi visu appareat duplex, vnum tamen censendum est, quoniam in vnum vtrumque tendit. Et Deus quidem euentura* Aptum regi somnium de futura in regno fame.
B *in Aegypto aptè ostendit tibi, qui eam cum imperio tenes, ac ideo prospicere rebus eius in posterum debes.*

26. *Septem ergo boues pingues ac speciosæ, septémque spicæ plenæ, atque vberes, septem indicant annos fertilitatis futuræ in Aegypto. Vtrumque enim spectrum ad agriculturam spectat, & significationis eiusdem seriem aptè continet.*

27. *E contrario septem boues confectæ macie, quæ consequutæ sunt priores è gurgite: septem quoque spicæ fertiles, ac arefactæ afflatu Euri; septennem famem indicant consequen-*
C *tem.*

28. *Erit autem hic ordo euentus consequuturi:*

29. *En tibi mirum auditu, septem anni eximiæ fertilitatis continuata serie prouenientes vniuersam Aegyptum felici annona cōplebunt.*

30. *Hos autem fertilitatis septem annos consequentur alij septem adeò steriles, vt penitus aboleant totam retroactam fertilitatis abundantiam: desæuiet enim in totam terram Aegypti incredibilis fames.*

31. *Fiétque, vt longè maior sit fames quàm saturitas fuerat, nec erit qui vel leue vestigium*
D *præteritæ fertilitatis deprehendat.*

32. *Quod autem iteratum tibi est somnium, indicat, Deum quàm citissimè id ostensurum re ipsa, firmúmque eius stare ad exequutionem propositum.* Iteratum somnium, indicium euentus ipox, certóque futuri.

33. *Si autem fas est hominem alienigenam boni quid consilij Regi impendere, hoc vnum præstabo fideliter: te enim inprimis oportet virum aliquem è regno tuo seligere prudentem ac solicitum, quem totius Aegypti Præfectum post te constituas.*

34. *Præterea constituat Rex, vt sub illo Præ-*
E *fecto maximo sint alij minores Præfecti per regiones Aegypti, quorum erit cura, iusto pretio comparare quintam partem fructuum per singulos septem annos fertilitatis,*

35. *Qui primùm futuri veniunt, ac in designata per vrbes horrea congregare. Necesse est autem horrea sub potestate Regia seruari, ne videlicet frumētum in alias prouincias deferatur.*

36. *Erit ergo frumentum hoc in horreis vice depositi in subsidium famis, quæ septem an-* Depositum frumenti.

& non consumetur terra inopia.

A *nis oppressura est Aegyptum; fiétque hoc modo leuior annonæ caritas.*

37. Placuit Pharaoni consilium, & cunctis ministris eius:

*37. Propositum igitur à Ioseph consilium, & Regi inprimis placuit, & aulicorum, qui aderant, applausibus est exceptum.*

38. Locutúsque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus sit?

*38. Protinus ergo Rex breui consilio cùm suis habito, statuit, neminem in toto regno inueniri posse similem Ioseph, cui hoc negotij maiori iure demandari posset, quandoquidem manifestè Spiritu Dei plenus erat.*

39. Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia, quę loquutus es, nunquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?

*39. Vocatum ergo ad se Ioseph ad hunc modum* B *alloquutus est Rex: Cùm Deus tibi hæc omnia, quæ nobis prædixisti, reuelauerit, non dubium, quin ad eum vel maximè pertineas, adeóque nobis visum, non posse alium sapientiorem te inueniri, cui nos, regnúmque nostrum credere debeamus.*

40. Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni solio te præcedam.

*40. Tibi ergo primùm domum meam gubernandam trado; deinde totius regni gubernaculum tractandum committo; volóque, vt non modò aulici mei, sed omnes clientes ad tui oris præscriptum se componant; vna ergo tantùm regia dignitate maior te ero.*

41. Dixitque rursum Pharao ad Ioseph: Ecce constitui te super vniuersam terram Ægypti.

*41. Iam hinc vide quali te loco habeam,* C *cùm te vniuersæ Aegypti Præpositum me vno minorem creauerim.*

42. Tulítque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuítque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.

*42. In signum autem huius maximæ potestatis, annulum signatorium è manu tulit Rex, inseruítque digito Ioseph: præterea veste induit è bysso candidissima, vt moris erat apud Primates: denique torquem auream suspendit è collo, insigne primæ nobilitatis.*

Primatus in Ægypto insignia, byssina vestis, & torques aurea.

43. Fecítque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & Præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.

*43. Cúmque hoc suum decretum vellet Rex notum esse omnibus, iussit parari è curribus suis eum, qui secundum dignitatis obtinebat locum, & in eum ascendere Ioseph, ac vehi per vrbem* D *totam, præcone clamante, ac nomine Regis præcipiente, vt omnes in genua prouoluti, ac pronis in terram vultibus adorarent Ioseph, sciréntque creatum à Rege Præfectum maximum totius Aegypti.*

Inter Regios currus ordo dignitatis.

44. Dixit quoque Rex Ægypti ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum, aut pedem in omni terra Ægypti.

*44. Tum Rex ait ad Ioseph: Ne dubita hæc tibi omnia cõmissa esse; nam ego Pharao sum, & mea id autoritate ratum volo: fiétque, me autore, vt te vnum tota Aegyptus suscipiat, nec quisquam hinc iam nisi ad tui oris mandatum, manum, pedémve suo loco moueat.*

45. Vertítque nomen eius, & vocauit eum (lingua Ægyptiaca) saluatorem mundi: dedítque illi vxorem Aseneth filiam Putiphare Sacerdotis Heliopoleos.

*45. In hac verò tam solenni assumptione* E *Ioseph mutauit nomen eius Pharao, ac lingua Aegyptiaca saluatorem mundi nuncupauit, eo quòd salutare toti mundo consilium contra famem præbuerit. Primæ verò familiæ Ioseph fundamenta ponens, Aseneth filiam Putipharis Sacerdotis Heliopoleos vxorem ei designauit.*

In assumptione Ioseph ex more mutatum nomen.

46. Egressus est itaque Ioseph ad terram Ægypti (triginta autem annorum erat, quando stetit in conspectu Regis Pharaonis) & circuiuit omnes regiones Ægypti.

*46. Igitur euectus ad præfecturam Ioseph (triginta per id tempus agebat annos) nequaquam sibi putauit otiandum, sed illico totam Aegyptum peragrauit, vt loca inprimis consideraret, in quibus erigi possent horrea ad seruanda frumenta.*

47. Venit

*47. Cœpit*

47. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Ægypti.

48. Omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est.

49. Tantáque fuit abundantia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia mensuram excederet.

50. Natique sunt Ioseph filij duo, antequam veniret fames: quos peperit ei Aseneth filia Putiphare Sacerdotis Heliopoleos.

51. Vocauítque nomen primogeniti Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei.

52. Nomen quoque secundi appellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.

53. Igitur transactis septem vbertatis annis, qui fuerant in Ægypto,

54. Cœperunt venire septem anni inopiæ, quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem terra Aegypti panis erat.

55. Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit: Ite ad Ioseph; & quicquid ipse vobis dixerit, facite.

56. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuítque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat Aegyptiis: nam & illos oppresserat fames.

57. Omnésque prouinciæ veniebant in Aegyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

A 47. *Cœpit autem prædicta à Ioseph fertilitas primùm oriri: cúmque industria Ioseph, loca congruè præparata essent per designata loca ad custodienda frumenta: optimo consilio frumenta condita sunt in suis manipulis, quoniam eo modo diutius conseruantur.* Frumenta in manipulis, melius conseruantur.

48. *Præter communia verò horrea in singulis vrbibus quisque sibi in posterum frumenta seruauit.*

49. *Itaque frumenti adeò creuit abundantia, vt arenæ maris æquari posse videretur, erátque non modò innumerabilis, sed immensa copia*
B *frugum per omnes vrbes.*

50. *Antequam verò fames ingrueret, habuit Ioseph ex vxore sua Aseneth filios duos.*

51. *In lucem primùm editus est primogenitus, quem vocauit Manassen, hoc est, obliuionem. Quo significaret felicitate sua factũ, vt omnem retroactã laborum seriem, imò & domum ipsam paternam obliuisci posset.* Manasse, obliuio: & quare?

52. *Secundum filium vocauit Ephraim, hoc est, crescentem. Eo quòd in eam et terra, ad quam exulaturus, ac seruiturus venerat, ita creuerit tamen, ac amplificatus fuerit omnibus tum ho-* Ephraim, crescẽs, qua ratione?
C *norum, tum diuitiarum cumulis.*

53. *Post septem igitur annos eximiæ fertilitatis, quos Ioseph prædixerat futuros in Aegypto,*

54. *Cœpit ingruere fames, sicut prænunciauerat, cúmque totus inopia frumenti laboraret orbis, in sola Aegypto panis erat copia.*

55. *Cœpit autem decursu temporis ipsa quoque Aegyptus famis acerbitatẽ experiri: factúsque est populi tumultus ad Regem, subsidium famis expostulans: Réxque clamantes remisit ad Ioseph Præpositum rei frumentariæ.*

D 56. *At verò fames in dies magis desæuiens totam latè terram deuastabat: tum verò Ioseph congruo tempore iussit aperiri horrea vniuersa, Aegyptiisque (quos etiam fames corripiebat) frumenta vendidit.*

57. *Factum est autem vt omnes orbis prouinciæ, cùm audirent suppetere in Aegypto copiam frumenti, eò confluerent, vt escas sibi compararent, ac famis acerbitatem quoquo modo effugerent.*

---

## COMMENTARIVS.


PRimùm dicemus de Visione ipsa Regis, & de interpretatione Ioseph. Deinde quomodo à Rege fuerit exaltatus. Vltimò de nomine indito.

## *De Visione Regis, & interpretatione Ioseph.*

### SECTIO I.

1. *Falsò Iosephus narrat Pharaonem somnium habuisse, & interpretationem nactum in ipso somnio, cuius postea oblitus fuerit, refellitur.*
2. *Interpretatur Ioseph somnium pro fertilitate & sterilitate septem annorum. Repetitio amplificat apud Hebraos.*
3. *Quare Deus potiùs in his rebus somnium exhibuit, explicat Lyranus. Optimum semen sationi dandum, & quale illud sit, sed & boum valida cultura iuuat, ostenditur.*
4. *Expositio Abulensis, quòd fertilitas sumenda etiam sit in bobus ob copiam carnium; propriè in sola copia tritici consistit.*
5. *Quare boues è fluuio Nilo egredi visa sint? iuxta Nili auctus, fertilitas, aut sterilitas euenit Ægypto, ex Plinio.*
6. *Consilium Ioseph de viro praficiendo rei frumentaria, prudente scilicet, & industrio, quid prudẽs & industrius vir, ex Elia, qualis cupidus, ex Nazianzeno. Locus de Pompeio annona prafecto.*

*Opinio Iosephi sine fundamento.*

1.  BSQVE vllo fundamento affirmat Iosephus, Pharaonem non modò habuisse duas illas Visiones, sed etiam interpretationem earum in somnis nactum, eius tamen penitus oblitum, idcirco vocasse Ioseph, qui interpretaretur. Profectò si ita foret, non id prætermisisset Scriptura, vt fecit in somnio Nabuchodonosor, Daniel. 2. Cùm verò Ioseph interpretationem traderet, Pharao reminiscens, & videns cum sua bene congruere, admirabundus laudaret, nec id Moyses omisisset. Sunt ergo duo hæc inter se distincta, Visio regis, & interpretatio Ioseph.

2. Visionem sic ipse Pharao proposuit. Vers. 17. *Putabam me stare super ripam fluminis.* 18. *Et septem boues de amne conscendere, pulchras nimis, & obesas carnibus, qua in pastu paludis virecta carpebant.* 19. *Et ecce has sequebantur alia septem boues intantum deformes & macilenta, vt nunquam tales in terra Ægypti viderim.* 20. *Qua deuoratis, & consumptis prioribus,* 21. *Nullum saturitatis dedere vestigium, sed simili macie, & squalore torpebant. Euigilans rursus sopore depressus,* 22 *Vidi somnium: Septem spica pullulabant in culmo vno plena atque pulcherrima:* 23. *Alia quoque septem tenues, & percussa vredine oriebantur è stipula, qua priorum pulchritudinem deuorarunt.* Hebra. Pro ripa fluminis, labium fluminis. Hæc interpretans Ioseph ait; Duplex somnium firmitatis indicium est, eo quòd fiat sermo Dei, & velociùs impleatur. Rectè autem iuxta morem Scripturæ, in qua repetitio vtramque vim habet, Psal. 67. 21. *Domini, Domini exitus mortis.* Vt certum sit non alterius quàm Dei proprium esse, à maximis periculis liberare, repetit, *Domini, Domini exitus*, euasio, *mortis.* Et Prouerb. 30. 15. *Sanguisuga dua sunt filia, dicentes: Affer, affer.* id est, cupiditas, & libido insatiabiles, non patiuntur retardari suas appetitiones, sed quàm celerrimè, & quàm creberrimè explere volunt. Igitur totam ipsam Visionem sic interpretatur Ioseph: per septem boues pingues, & septem spicas plenas significari septem annos fertilitatis: at verò per septem boues macilentas, & per septem spicas tenues, septem alios annos consequentes sterilitatis. Quòd autem boues, ac spicæ tenues deuorauerint plenas exaggerare magnitudinem sterilitatis, quæ tanta erat futura, vt obliuioni traditura esset præteritam fertilitatem.

*Varia lectio.*

*Repetitio in Scriptura, firmitatis & celeritatis.* Psal. 67. 21.

Prou. 30. 15.

3. Primò quæri potest, quare Deus in his præcipuè duabus rebus, videlicet, bobus, ac spicis, proposuerit Pharaoni signa fertilitatis, & sterilitatis? Respondet Lyranus, quòd duplex est causa fertilitatis, bona seminatio, quam maximè facit bonitas seminis, nimirum, vt triticum sit plenum, ac sanum, quale Plinius lib. 18. cap. 24. definit esse, quod in ima area subsidit: id namque ait ad semen reseruandum, optimúmque, quoniam grauissimum; item optimum, quod rubet, quódque dentibus fractum eundem colorem retinet, nec nisi anniculum terræ mandandum. Si autem tale fuerit semen, & arua pinguia ex vna radice fruticem numerosum fundẽt, densámque segetem è raro semine emittent, vt hoc loco ostendit Pharao: Septem, inquit, spicæ pullulabant in culmo vno plenæ, atque pulcherrimæ. Quanquam in eo modicè exaggeratur fertilitas. Narrat enim Plinius eodem lib. cap. 10. misisse ad Augustum Procuratorem eius ex Bizacio Africæ campo, ex vno grano quadringenta germina. Neroni simpliciter, ex vno grano trecẽtas quadraginta stipulas. Ad quam fertilitatem multùm iuuat generositas seminis. Vnde & Dominus Matt. 13. 27. cum strenuo se agricola comparat, *qui seminauit bonum semen in agro suo.* Glossa minor hómines intelligit bonæ voluntatis: plenum videlicet, & graue semen, non futile, non euanidum, sed solidæ exteriùs, interiúsque substantiæ. Sed & boum valida cultura ad fertilitatem maximè facit. Vnde Virgil. 1. Georgic.

*Cur in bobus, & spicis ostensum somnium?* Lyran.

Plin. *Optimum sationi frumentum, quod.*

Plinius. *Ex vno grano quadringenta germina.*

Matt. 13. 27. Gloss. *Bonũ semẽ, homo bona voluntatis.*

Virgil.

--- *Ergo age terra*
*Pingue solum primis extemplo à mensibus anni*
*Fortes inuertant tauri.* ---

4. Quamquam Abulensis, non ideo hîc ait apparuisse boues, quòd arando fertilitatem promoueant; sed quoniam fertilitas, non solùm in frugibus, sed etiam in animalibus cernitur, & sicut in frugibus principatum habet triticum, ita in animalibus præstat bos, propter coria, carnes, lac, vt qui annus frumento præcipuè, ac bobus abundauerit, is fertilis habendus sit. Verùm placet magis, boues præcipuè positas ob auxilia colendorum agrorum; & fatendum quidem, si simul per boues intelligantur auxilia, quæ arando præstant, & prouẽntus carnium, &c. maiorem esse expositionem fertilitatis; constat enim annum, in quo fœtura gregum bene cedit, haberi fertilissimum. Vnde Thyrsis ille Virgilianus Eclog. 7. Deo rustico ita vouet, si fertilitas sit:

*Boues ostẽsi, ob auxilia arãdi agros.*

*Et fœtura ipsa boum fertilitatem iuuat.*

*Hunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu*
*Si fœtura gregem suppleuerit aureus esto.*

Verùm quoniam fames, quæ per boues macilentas, & spicas tenues exprimitur, non ex defectu boum, aut ouium, aut caprarum euenit, sed ex solo defectu tritici, affirmandum est per boues macilentas, sicut & per spicas tenues intelligi solùm sterilitatem frumenti, ex qua solùm fames oritur, quidquid sit de penuria animalium, ob quam nemo vnquam famem patitur, si frumenti copia suppetat. Vnde in solo frumento statuit Ioseph illam prouisionem facere.

*Fames ex sterilitate frumenti.*

5. Quòd autem eiusmodi boues, tum pingues, tum macilentæ è flumine, hoc est, Nilo emergere visæ sunt, ratio in promptu est, quoniam

*In ripa fluminis Nili quare videãtur boues?*

niam fertilitas & sterilitas Ægypti à Nili fluminis incrementis oritur. Quem ideo Plinius lib. 18. cap. 18. Colonum Ægypti vocat: causas incrementi retulere aliqui ad liquationem ingentium niuium, quod tamen falsum asserit Lucanus lib. 10.

*Plin. Nilum, colonum Ægypti.* *Lucan.*

*Vana fides veterum, Nilo, quod crescat in arua, Aethiopum prodesse niues.---*

*Auctus Nili causa ex Plinio.*

Aliæ causæ veriùs afferuntur. Plinius lib. 5. cap 9. Nilus, inquit, certis diebus auctu magno per totam spatiatus Ægyptum fœcũdus innatat terræ: causas huius incrementi varias prodidere, sed maximè probabiles; Etesiarum eo tempore ex aduerso flantium repercussum vltro in ora acto mari: aut imbres Æthiopiæ æstiuos iisdem etesiis nubila illò ferentibus è reliquo orbe. Auctus Nili per puteos mensuræ notis deprehenduntur. Iustum incrementum est cubitorum sexdecim, minores aquæ non omnia rigant, ampliores detinent, tardiùs recedendo: hæ serendi tempora absumunt, solo madente: illæ non dant, sitiente. Vtrumque reputat prouidentia. In duodecim cubitis famem sentit, in tredecim etiamnum esurit, quatuordecim cubita hilaritatem afferunt, quindecim securitatem, sexdecim delicias. Maximum incrementum fuit ad hoc æui, cubitorum decem & octo Claudio Principe. Minimum quinque Pharsalico bello, veluti necem Magni prodigio quodam flumine auersante. Hæc à Plinio. A quo illud habes, magno quidem miraculo actum à Deo, vt per septem continuos annos incrementum Nili fieret vltra sexdecim, vel decem & octo cubita, quo fertilitas à Iosepho pronunciata contigit; contrà verò, vt per annos alios septem consequentes perexiguus esset auctus, infra duodecim cubita, aut etiam quinque, vnde summa euenit sterilitas, ac fames.

*Auctus Nili mensura in puteis.*

*Consilium Ioseph coram Rege.*

6. Non commisit Ioseph, vt post nunciatam à se sterilitatis plagam consilio suo fraudaret Regem, ac adeò prudentissimè monuit, prouideret sibi virum sapientem & industrium, quem præficeret terræ Ægypti, qui per cunctas regiones Præpositos constitueret, & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis congregarent in horrea, futura nihilominus sub potestate Regis. Hoc consilium Ioseph latiùs proponitur à Philone; addit enim primùm, non futuram oneri detractionem quintæ partis, quòd sit satietati superfutura: deinde faciendam eam reseruationem oppidatim, ac vicatim, vt hominibus præstò sit remedium famis: præterea fruges seruandas in suis manipulis, ac spicis, quòd ita meliùs conseruentur. Rectè autem descripsit Ioseph virum à Rege præficiendum, cùm sapientem, seu prudentem, & industrium appellauit. Sapientis enim est (ait Elias in Apologetico Nazianzeni oratione prima) ea quæ ad bonum finem spectant, aptè præparare, & constituere; industrij verò, ea ipsa sapienter præparata & constituta ad finem illum bonum promptè ac diligenter perducere. Finis autem bonus in re præsenti erat, communis populorum à futura fame liberatio. Vnde rectè etiam per sapientem & industrium virum intelligitur boni communis amator, quíque non propriis commodis, sed communibus tantùm incumbit. Id verò genus hominum maximè exigebat præsens reipublicæ status: nam si cupidus aliquis, aut vnus ex iis, qui (vt Gregor. Nazianz. orat. 19. magna cum energia ait) bonis

*Sapientis ac industrij munus.*

publicis Briarei manus iniiciunt, ac malis lucris turgent, tam magnæ rei frumentariæ præficeretur, Deus bone, quàm longè, latéque, quantóque cum detrimento pauperum, rem suam familiarem amplificaret? Hinc est, quod apud Romanos id muneris non nisi amplissimis viris demandabatur. Plini. in Panegyrico. Procuratio annonæ Pompeio Magno credita, non minus addidit gloriæ, quàm pulsus campo ambitus, exactus mari hostis, Oriens triumphis, Occidénsque lustratus.

*Cupidus Briarei habet manus.* *Plini. Procuratio annonæ magnis viris commendata apud Romanos.*

## De exaltatione Ioseph.

### SECTIO II.

1. *Describitur exaltatio Ioseph, & ea rectè expenditur à Philone.*
2. *Expenditur versio Septuaginta, & Paraphrasis Chaldaica.*
3. *Moralis locus ex D. Chrysostomo.*
4. *Illustratur præsens historia duobus Scripturæ locis; altero Ps. 103. altero Sapient. 10.*
5. *Insignia Ioseph tropice describuntur à Diuo Ambrosio, Ruperto, & Philone.*

1. PHARAO nulla interposita mora breui consilio cum suis habito cõstituit Ioseph Proregem Ægypti dicens. Versic. 40. *Tu eris super domũ meam, & ad tui oris imperium cũctus populus obediet, vno tãtùm regni solio te præcedam.* 41. *Dixitque rursus Pharao ad Ioseph: Ecce cõstitui te super vniuersam terram Ægypti.* 42. *Tulitque annulũ de manu sua, & dedit eum in manu eius, vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit.* 43. *Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent, & Præpositum esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.* Hebr. pro, *Populus obediet*, armabitur populus. Pro, *clamante præcone, vt omnes coram eo genuflecterent*, clamabant ante eum Abrech. Non oportuit lõgam adhibere consultationem in re præsenti, spectata tum ipsa Ioseph persona, tum rei necessitate. Vt enim rectè Philo: Excellentes naturæ non habent opus ad experimentum longo tempore, nec indocilem vsus disciplinam desiderant, sed incunctanter se rebus ingerunt: & præsens status moram non patiebatur eminente necessitate, cui ocyùs prospiciendum erat.

*Varia lectio.* *Philo. Excellentes naturæ non egent ad experimentum longo tempore.*

2. Iuxta Septuaginta interpretes præco clamabat ante Ioseph, hoc sæpius nomine repetito, *Abrech.* Quod aliqui vertunt: *Pater tener.* ad excitandum affectum populi erga Ioseph, vel meliùs Regis affectum erga illum: nam ideo Chaldæus vertit: *Et præconizare fecit coram eo: Hic est Pater Regis*, ob reuerentiam quam illi etiam Rex præstabat. Mos est Orientalibus præcipuè dignitatis homines appellare Patres. Alij vocem Hebraicam *Abrech*, vertunt: *flectite genua*, quasi id præco clamans præciperet.

*Abrech quid significet.* *Patris nomẽ ob reuerentiã vsurpatur, maximè Orientalibus.*

3. Ecce autem quales sunt piorum hominum euentus? impelluntur illi quidem sæpe, non tamen corruunt, sed stant, ne supplantari queant. Quis enim expectasset intra vnam diem è seruo, dominum, è vincto, Principem, è carceris vicario, Proregem fieri? Facta sunt tamen hæc, & fient sæpius, quando Deo placuerit, modò subsidat

*Insperatã stabilitas.*

*Scintilla virtutis occasione candescens.* D.Chrys.

sidat aliqua probitatis scintilla in anima, quam necesse est per occasionem candescere. Ita Philo. Atenim Chrysostomus expendens hanc exaltationem, qua Pharao euexit Ioseph, præclara quadam antithesi Pharaonem inducit somnia quoque Iefeph soluentem, illa nimirum, quibus se super solem, lunam, & stellas exaltatum viderat in domo patris. Nunc, ait, seruit Pharao impletioni somniorum Ioseph, quæ viderat, quando apud patrem agebat, & ipse quidem somnia Pharaonis diiudicabat; Pharao autem ad finem somniorum Ioseph ducebat ignorans. Ita Chrysost.

*Pharao impleuit somnia Ioseph.*

4. Præteriri non possunt duo alia loca Scripturæ, quibus hæc exaltatio celebratur. Prior locus Psal. 10. 4. *Vocauit* Deus *famem super terram*, videlicet, qui *vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, Rom. 4. 17. in signum, quòd ei magnopere obediatur vndique. Significatur autem diuinitus illata fames. Similiter 4 Reg. 8. 1. *Vocauit Dominus famem, vt veniret super terram annis septem.* Poëticè quidem, quasi à Tartaro aliquo super terram excita. Sanè iuxta Virgil. 6. Æneid.

Ps. 10. 4. *Vocatur fames in signū obedientia.* Rom. 4. 17. 4. Reg. 8. 4. Virg.

*--Primis in faucibus Orci*
*Pallentes habitant morbi, tristisque senectus,*
*Et metus, & malè suada fames.---*

Sequitur loco illo Psal. 10. Omne firmamentum panis contriuit, prorsus panem omnem, quo vires hominis firmantur. Psalm. 104. 15. *Panis cor hominis confirmat.* Vlteriùs *Misit ante eos virum.* Ioseph, ante patrem, & fratres, qui propter famem venturi erant in Ægyptum. Sic fratribus Ioseph Genes. 45. 7. *Præmisit me Deus, vt reseruemini super terram. In seruum venundatus est Ioseph*; primùm Ismaëlitis, deinde Putiphari Eunucho Regis. Bis seruus, quia bis futurus dominus. Primùm Ægyptiorum, deinde Hebræorum. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius.* Compedes etiam aurei humiliant, deprimunt, proscindunt animam ingenuam. *donec veniret verbum eius.* Donec ista eius compleretur, in somniis olim monstrata felicitas. *Verbum eius*, quasi per insultationem, quod fratres per irrisionem dicebant ab eo confictum, tandem effectu monstratum est fuisse propheticum. *Eloquium Domini inflammauit eum.* Studium seruādæ legis Dei perdidit eum, opinione hominum; nam ob id persequutionem passus est, & quasi igne concoctus, sed Dominus fecit cum tentatione prouentum. *Misit Rex, & soluit eum Princeps populorum, & dimisit eum; constituit eum Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ: vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Vt aulicos suos ad se ipsum tanquam ad normam sibi exigeret, tales vt essent, ac ipse, prudentes scilicet, industrij, modesti, amatores boni communis. erudiret, quasi rudiores excoleret, & ad perfectum educeret, ad sui videlicet exemplar. Posterior locus Sapientiæ 10. 13. *Hæc* (sapientia) *venditum iustum non dereliquit.* Sapiens omnia sua, maximè sapientiam, secum portat. *Sed à peccatoribus tutauit eum.* Græcè à peccato, scilicet, adulterij cum Ægyptia. *Descenditque cum ipso in foueam, & in vinculis non dereliquit eum, donec afferret illi sceptrum regni, & potētiam aduersus eos, qui se deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum*, qui maculam adulterij inurere tentarunt: nam malitia Ægyptiæ (vt ait Lyranus) detecta fuit; *& dedit illi claritatem æternam*, id est, bonæ famæ, quæ adhuc permanet.

Ps. 104. 15. Gen. 45. 7. *Ioseph bis dominus, primùm Ægyptiorum, deinde Hebræorum. Compedes etiam aurei humiliant.* Sapient. 10. 13. *Sapiens sua secū portat.* *Bona fama perseuerat.*

5. Egregiè verò D. Ambr. mysticè philosophatur in ornamentis Ioseph. Quid sibi vult, inquit, annulus digito eius insertus, nisi vt intelligamus Pontificatum ei fidei esse delatum, vt alios ipse signaret? Quid stola, quæ amictus est sapientiæ, nisi tributum ei ab illo Rege cælestis prudentiæ principatum? Torques aureus intellectum bonum videtur exprimere. Currus significat fastigium sublime meritorum. Sic Ambros. Rupertus Abbas iniuriæ notas compensatas in Ioseph ait insignibus istis dignitatis. Pro compedibus, inquit, quibus humiliauerant pedes eius, torquem auream accepit: pro seruili nomine & habitu, regium portat annulum: pro carceris humilitate, super altum sedet Imperij currum. Ita Rupert. Sed & Philo in eodem argumento sapienter versatur. Primò sic ait: Sella curuli fertur, cùm à negotiis eleuatur, nimirum, vt sunt quædam negotia quæ humiliant, ita quædam sunt, quæ eleuant: alere populos sublime negotium; non hominis negotium planè, sed Dei, adeóque hominem supra homines eleuans; hoc ergo negotio, iuxta Philonem, quasi curru fertur Ioseph. Vlteriùs annulus datus, insigne fidei, videlicet, non est aliud, quo ostendat Rex se alicui maximè fidere, quàm si annulum suum signatorium tradat ei: ratum proinde habens quidquid egerit. Itaque dum annulum inserit in manum Ioseph, in manu eius voluntatem, & potentiam suam posuit Pharao. Denique torque aurea ornatur, vt in prosperis ornamentum habeat, in aduersis pœnam; quandiu enim administranti Rempub. res ciuiles bene cedunt, placet sibi honoratus à ciuibus: cùm verò aduersitas accidit non volenti, etiam si mereatur veniam, nihilominus tamen iniecta torque trahitur, quasi eum sic increpante populo Domino suo: Hanc torquem donaui tibi, ornamentum quidem, cùm prosperè egeris, quasi vinculum autem, & catenam, cùm perperam cesserit. Ita Philo.


D. Ambr. *Ioseph pontifex fidei.* Rupert. *Stola, prudētia principatus. Torques, bonus intellectus. Currus, fastigium meritorum. Iniuria notæ, insignibus regiis compensata.* Philo. *Alere populos, sublime negotium. Annulus, insigne fidei. Per annulū, ponit Rex in manu alterius suam voluntatem. Torques, ornamentum, & pœna, quomodo?*

---

## *De nomine imposito Ioseph à Pharaone.*

### SECTIO III.

1. *De ratione nominis varietas, & Hebraicè quidem secretorum repertorem sonat, sed iuxta impositionem Ægyptiorum, Saluatorem mundi. Adhærendum vulgato, & D. Hieronymo.*
2. *Vetus consuetudo imponendi nomina assumptis ad aliquod munus: quæ conuenientia? Egregius locus Ambrosij de nomine Pauli. locus alius Tertulliani de nomine Petri.*

1. ERTINVIT ad complemētum felicitatis Ioseph noua impositio nominis, de quo sic habet textus Vers. 45. *Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Ægyptiaca, Saluatorem mundi.* Hebra. pro, *Saluatorem mundi, Saphanath Pahaneach.* Septuaginta, *Psomthophanech.* Apparet varietas circa illud: *Saluatorem mundi*: nam in libris Hebraicis sunt duæ dictiones: *Saphanath, Phaaneach*, quas plerique interpretati sunt, absconditorum interpretem: quo nomine vocatus est Ioseph à singulari peritia interpretandi somnia. Sic intellexerunt eas voces Philo, Iosephus, & plures Rabbi

*Varia lectio. Hebraicè, absconditorū repertor.* Philo. Iosephus.

D.Chryſ. D.Hier. Theodoret. D.Aug.

A Rabbini. D.Chryſoſtom. D.Hierony. Theodoret. ad hunc locum, & S.Aug. quæſt.134. in Geneſim. Paraphraſis Chaldaica, & tranſlationes aliæ; item Septuaginta, qui pro duabus illis vocibus adhibuere illam *Pſomthophanech*, quam Patres accipiunt pro occultorum interprete. Rabbi Abraham ſic habet: Si voces ſint Ægyptiæ, neſcimus earum ſignificationem. Oleaſter: Si dictiones, inquit, ſint Hebraicæ, non dubium, quin prior ſignificet occultum, de poſterioris ſignificatione dubium eſt, quòd ea ſolùm hoc loco reperiatur. Rabbini tamen pro reuelatione accipiunt. Verùm cùm nulla alia coniectura ſit, tenenda potiùs eſt communis lectio, quam noſter habet, ac probat D.Hierony. in Traditionibus Hebraicis in Geneſim, cui in eiuſmodi rebus ante omnes credendum eſt. Sic ergo ille. Licèt vox Hebraicè abſconditorum repertorem ſonet, tamen quoniam ab Ægyptio imponitur, eius linguæ debet haberi ratio. Sunt igitur duæ illæ dictiones ſermone Ægyptio, idem ac ſaluator mundi, eo quòd Ioſeph orbem terræ ab imminentis famis excidio liberarit. Hæc S.Hieron.

Oleaſter.

D.Hier. *Melius ex ratione idiomatis Ægyptij ſaluator.*

2. Vetus eſt autem, & longa obſeruatione notata conſuetudo, vt in ſolennibus ad munus aliquod aſſumptionibus, nomina aſſumptis vertantur in alia, vel ex euentu aliquo, vel ex ipſa ratione muneris, ad quod aſſumuntur. Ea vel maximè

*Aſſumptis ad nouas dignitates immutātur.*

conuenientia, quia ſicut recens natis, noua nomina fidei, ad quam aſſumuntur, congruentia ponimus: ita cùm per nouam aſſumptionem nouus quaſi homo cenſeatur aliquis, non immeritò nouum etiam accipit nomen. Vnde eſt illud D.Ambroſij ſerm.31. Nam credens Saulo impoſitum nomē Pauli in ipſo ſtatim baptiſmo, ſic ait: Priuſquam, inquit, præceptis ſpiritualibus lauaretur, blaſphemus, perſecutor, Saulus erat; at vbi pluuia ſuper eum lauacri cæleſtis influxit, necatur blaſphemus, necatur perſecutor, necatur Saulus; viuificatur Apoſtolus, viuificatur iuſtus, viuificatur Paulus: vſque adeò perdidit veterem cum actibus hominem, vt cū moribus mutaret & nomen. B Eodem modo aſſumptus à Chriſto Simon filius Iona in primam petram ædificij Eccleſiæ mutato nomine vocatur petra, Matth.16.18. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Si, ob vigorem fidei (inquit Tertul.4.aduerſùs Marc.) alię materiæ ſolidiores erant; ſed petra ædificio aptior: hinc ſumptum, vt Pontifices ſummi in ſuis aſſumptionibus nomina mutent. Sed & apud nationes alias id moris fuiſſe conſtat, Dan.1.7. & hoc præcipuè loco, vbi Ioſeph aſſumptus à Pharaone in generalem procuratorem rei frumentariæ, nomen ab eodem Rege accepit ſatis muneri congruum Saluatoris mundi.

*nomina, & quare?*

D.Ambr.

*Saulus cum moribus mutauit nomen.* Matt.16.18.

Tertull. *Cur Simon dictus petra? quia ædificio aptior.* Dan.1.7.



# VISIO SEXTA,

## QVAM HABVIT MOYSES.

### *Exodi 3.*

## PRÆFATIO.

### *De Moyſe Vidente.*

*Chronologia Moyſis.*

1. MOYSES filius Amram & Iochabed patruelis ſuæ, de tribu Leui: natus in Ægypto poſtquam in eam ingreſſus eſt Iacob, anno centeſimo trigeſimo quinto, qui fuit ætatis Iacob centeſimus trigeſimus, Geneſ.47. at verò Ioſeph trigeſimus nonus è centum ac decem quos vixit, Geneſ.50. Vnde poſt natum Iacob proceſſerant anni ducenti ſexaginta quinque, poſt natum Ioſeph centum ſeptuaginta quatuor: à mortuo verò Ioſeph vſque ad natum Moyſem interfuere ſexaginta quatuor anni. Quamobrem apparet falſitas opinionis Chremontis, qui Ioſeph & Moyſem ait fuiſſe æquales, vt refert Ioſephus primo aduerſùs Apio. & Troq.Pōp. ſiue Iuſtini lib.36. qui Moyſem aſſerit fuiſſe filium Ioſeph. Patet ergo iuxta Ioſeph chronologiam ſuprà poſitā, fuiſſe

Gen.47. Gen.50.

Chremon. Ioſephus. Trog. Pom.

C naſcente Moyſe annum ab orbe condito bis milleſimum treceenteſimum ſeptuageſimum tertium; & à diluuio ſeptingenteſimum decimum ſeptimum. Atque hæc reſpectu eorum, quæ anteceſſerunt.

2. Quod verò attinet ad ſubſequuta fuit annus natiuitatis Moyſis ab egreſſu Hebræorum ex Ægypto octogeſimus: nam Moyſes octogenarius eduxit populum, Exod.7. ante ingreſſum terræ promiſſionis Exod.7.
D centeſimus vigeſimus: tot enim annis vixit Moyſes, & eo mortuo ingreſſus eſt populus, Deut. vltimo. ante regnum Dauid Deut.vlt. annus quingenteſimus decimus ſeptimus, 3.Reg.6. ante ædificationem templi annus 3.Reg.6. quingenteſimus ſexageſimus. Et quia poſt annum octauum regis Achaz, qui fuit ducenteſimus octogeſimus ab ædificatione templi, cœpere Olympiades; natus eſt Moyſes ante Olympiades annis octingentis

*Moyſes ante Olympiades, annis octingentis quadraginta.*

tis quadraginta. Denique ante aduentum A Christi mille sexcentis viginti. Nam Christus natus est vltimo anno centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis.

*Æqualis Moysi Cecrops primus Atheniensium rex.*

3. Synchronos, siue æqualis Moysi fuit Cecrops, primus Atheniensium rex: nam Moyses natus fuit post diluuium Ogygis centum octoginta annis: Cecrops verò paulominus ducentis annis post idem diluuium, Autore Benedicto Exod. 2. disput.

*Benedict. Iulius African. Iulius Attic.*

4. Nobilis autem scriptor Iulius Africanus, initium Olympiadum fuisse testatur post diluuium Ogygis mille viginti annis: at ex prædictis constat, Moysem natum ante B Olympiadas annis octingentis quadraginta, Cecropem verò octingentis viginti circiter. Quare cùm tota Græciæ antiquitas post Cecropem fuerit, nempe Poëtarum vetustissimi, à quibus Græciæ Theologia profluxit, Amphion, Linus, Orpheus, Musæus, Homerus; item prima illa Græcorum oracula, septem Sapientes, hísque posteriores, Pythagoras, Heraclitus, Empedocles, Hippocrates, Democritus, Anaxagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, Eudoxus, Calippus, Pindarus, Sophocles, Demosthenes. Denique legislatores omnes, C Draco, Lycurgus, Solon (vt latè demonstrat loco citato Benedictus) fit profectò, Moysem omnium sapientum, scriptorum, & legislatorum antiquissimum fuisse.

*Tota Græcia antiquitas post Cecropem.*

*Moyses antiquior omnibus Sapientibus Græciæ.*

*Antiquior omnibus legislatoribus.*

*Exod. 2.*

4. De nomine Moysis, Exod. 2. dicitur impositum à filia Pharaonis, quæ expositum à parentibus infantem suscepit adoptauitque: imò, vt ait Philo, supposititium fecit, vt esset in regnum successor. Vocauit, inquit, nomen eius Moyses, dicens: D quia de aqua tuli eum. Lingua planè Ægyptiaca dictus Moyses, vt autor est Philo: nam Mos, inquit, apud Ægyptios aqua dicitur. Iosephus à Mo, id est, aqua, & Ises, id est, seruatus, ex quibus coalescere ait nomen, Moyses. Abulensis, & alij nomen Hebraicum esse contendunt: probabilius est, Ægyptiacum fuisse, sed assumptum ad linguam Hebraicam eadem etymologia.

*Philo.*

*Moyses dictus lingua Aegyptiaca.*

*Iosephus.*

*Abulens.*

5. Educatus est Moyses in aula regia, & *eruditus* (vt testatur B. Stephanus Act 7. 9.) *omni sapientia Aegyptiorum.* Memorat Alexandrinus Clemens Stromat. 1. ex tragico E poëmate cuiusdam Ezechielis, Moysem doctrina regia instructum; hoc est, præalta quadam & excellenti, qualis sublimes naturas ad imperium natas decet: vnde regali hac cura, ac dignitate educatus, creuit, in virum vrbanissimis moribus, regiaque magnitudine præcellentem. Porro tanta felicitate didicit omnem Ægyptiorum sapientiam, vt autore Philone, natiua docilitate institutionem præcurreret, ac potius ipse

*Act. 7. 9.*

*Clem. Alex.*

*Moyses instructus doctrina regia, quo sensu? Vir vrbanissimus, ac regia magnitudine.*

*Philo.*

*Natiua docilitate institutionem præcurrebat.*

reminisci, quàm ab aliis discere videretur. Vt enim generosæ plantæ per se proficiunt in bonas arbores; sic anima bene nata, præceptis obuiam se offerens à se ipsa magis, quàm à magistris adiuuatur, arreptísque rudimentis cuiusque scientiæ, equus (iuxta prouerbium) fertur in planiciem. Ita Philo.

*Reminisci magis, quàm discere videbatur.*

*Anima bene nata præceptis se offert.*

6. Priuatim verò quas didicerit scientias variè censent Autores: in quo non placet inprimis Philonis placitum, euocatos à Græcia, à Syria, & ab aliis nationibus Sapientes, qui Moysem docerent. Constat enim ex sententia B. Stephani solam didicisse sapientiam Ægyptiorum ergò. Iustini Martyris in quæstionibus Orthodoxis q. 25. sententia est, primùm didicisse Mathematicas, perulgatas apud Ægyptios sciẽtias; deinde secretam illam & reconditam, per ænigmata sacra tradi solitam, & ideo dictam Hieroglyphicam, quæ physiologiæ, ac Theologiæ, policitæque facultatis mysteria continebat. Nec verò fuit extra patrios mores, has Moysem percipere disciplinas, quoniam etsi Marcus Varro, referente D. Aug. 18. de Ciuit. 40. ab Iside asserat didicisse Ægyptios primas literas, credibile tamen est, magnam eis accessionem factam ex Iacob, qui apud Ægyptios fuit septemdecim annos, maximè verò ex Ioseph, qui per octoginta annos cum eis versatus est, cui suffragium fert illud Psal. 104. de Ioseph: Constituit eum rex Ægypti, dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. Acceptam autem ab his sapientiam promouerunt apud Aegyptios Hebræorum primates, qui ducentos annos cum eis commorati sunt. Verùm ex dæmonum instinctu multa superstitiosè intermiscuere Aegyptij, quibus sapientia eorum adultera est. Fert autem huic rei testimonium, quod Herodotus, Diodorus Siculus, & alij inter plurimas superstitiones Aegyptiorum, de multis etiam mentionem faciunt, quæ doctrinæ ac moribus Hebræorum agnata sunt. Idcirco mirabile est, quod animaduertit Philo, Moysem præcoci à Deo accepta discretione obseruare solitum, in literis Aegyptiorum, quæ rectè quæve secus se haberent ad sanam doctrinam, ne præposterum aliquid à puero hauriret.

*Incertum, quas scientias didicerit.*

*Philo.*

*Improbabile, euocatos à Græcia sapientes, qui eum instruerent.*

*Iustin. Mar.*

*Probabile, didicisse Mathematicas, & scientiam Hieroglyphicam.*

*Quas scientias, Hieroglyphica complecteretur.*

*D. Aug.*

*Aegyptios ab Iside primas literas accepisse, probabile est.*

*Credibile, à Iacob, & Ioseph plura didicisse.*

*A primatibus Hebræorum postea docti.*

*Dæmonum astu adulterata est sapientia Aegyptiorum.*

*Herodotus. Diodor. Sicul.*

*Moyses puer præcoci discretione cauebat in sapientia Aegyptiorũ superstitiones.*

*Philo.*

7. Post infantiam Moysis, nihil de illo memorabile per annos quadraginta narrat Scriptura sacra: Iosephus tamen 1. Antiquit. memorat gessisse tunc bellum contra Aethiopes prospero euentu. Idem narrat Artapanus apud Euseb. 9. de Præparat. Euang.

*Iosephus. Artapanus.*

*Moysem gessisse bellum contra Aethiopes, narrat Iosephus.*

*Philo.*

*Suspecta veritas historiæ.*

Euang. cap. vlt. Sed Philo, qui res Moysis diligenter prosequitur, de hac expeditione non meminit: vnde suspecta nobis esse potest historiæ veritas. Illud planè certum, annos cùm ageret quadraginta, occidisse Ægyptium hominem percutientem Hebræum, de qua interfectione postea dicemus. Cùm verò Pharao ob prædictam cædem quæreret Moysem ad necem, fugit is ad Madianitás, hæsítque Iethro Principi Madian, ac filiam eius Sephoram in vxorem duxit. At cur Pharao ob vnius Ægyptij necem, hominem occidere parabat, vulgo creditum nepotem suum? Ratio est, quoniam iam diu Regem impleuerant suspiciones contra Moysem, primùm ex Vatum præsagiis, qui futurum eum Ægypti perniciem sæpius prædicebant: postea quia videbat eum impensiùs diligere Hebræos, quos ipse oderat. Addit Iosephus, quoniam Moyses feliciter confecerat bellum Æthiopicum, timebat Rex, suggerentibus purpuratis suis, ne elatus rebus bene gestis, nouas moliretur, ac rebellionem pararet aduersùs regnum. Itaque regem per se aliquantò procliuem, aulici cæteri (vt vsu venire solet) ob inuidiam, odiúmque in Moysem, ampliùs impellebant ad patrandam necem: impletur enim in aulis Regum, quod etiam de Chaldæis, ministris iustitiæ suæ, dicebat Deus Zachar. 1. 15. *Ira magna ego irascor in gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.*

*Parat Pharao occidere Moysē, quòd iā diu malis in eum suspicionibus plenus erat.*

*Vates Ægypty prædicebant futurū Moysem Ægypti perniciem.*

Iosephus.

*Timebat Pharao ne Moyses ob res bene gestas in bello rebellaret.*

*Aulici impellebāt Regem iā procliuem ad necem.*

Zachar. 1. 15.

*Fuerit ne Sephora Æthiopissa illa Num. 12. quæstio perplexa.*

8. De Sephora verò filia Iethro, quam Moyses accepit vxorem, perplexa quæstio est, an eadem sit cum illa quæ Numer. 12. dicitur Æthiopissa. Nam si eadem est, quare dicitur Æthiopissa, cùm Madianitarum regio ab Æthiopia longè distet? Si autem diuersa, vnámne post aliam duxit, an vtramque simul habuit? Diuersas fuisse sunt qui affirment. Iosephus quidem certè asserit, Moysem in illa expeditione, de qua suprà, post partam victoriam duxisse vxorem filiam Regis Æthiopiæ: autor verò historiæ scholasticæ vult, eam vxorem mansisse in Æthiopia ob annulum à Moyse datum, qui vim habebat inducendi obliuionem, & propterea postea Moysem duxisse Sephoram. Verùm quòd bellum illud gesserit Moyses, & quòd ibi eam vxorem duxerit, paulò antè improbabile duximus: quod verò de annulo dicitur, fabulosum est. Fuit ergo vna vxor Moysis Sephora Madianites, dicta verò Æthiopissa, quoniā, iuxta Strabonem ac Plinium, & iuxta antiquiores Homerum, ac Herodotum, referente Benedicto in cap. 2. Exod. disput. 13. atque, vt nobis placuit, ad cap. 18. Isai.

Iosephus.

*Opinio Iosephi, & autoris histor. Schol. improbabilis, & fabulosa.*

Autor hist. Schol.

Strabo. Plinius. Homer. Herodotus.



A duplex est Æthiopia, vna Occidentalis sub zona torrida longè ab Ægypto, ac Palęstina: altera Orientalis, versùs mare rubrum porrecta, & Ægypto propinqua, quæ alio nomine dicitur Arabia, & in Scriptura sacra, *Chu*. Hanc incoluêre primū Ismaëlitæ, Madianitæ, & Amalechitæ, & cōmuni nomine postea dicti sunt Arabes. Patet ergo quare Sephora dicta fuerit Æthiopissa loco Num. citato. Iuxta hæc explicādus est locus ille Habac. 3. 7. *Pro iniquitate vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Est enim, vt aliàs, pleonasmus, ac adeò

B quæ priori membro dicta sunt tentoria Æthiopiæ, posteriori dicuntur pelles terræ Madian, significata vtrobique eadem regione Arabiæ; ideo D. Hiero. seu is qui apud eum refertur autor Commentariorū in Psalm. Cùm subditur, inquit, turbabuntur pelles terræ Madian, eosdem intellige Æthiopes, & incolas terræ Madian. Moraliter autem, *pro iniquitate*, &c. hoc est, pro modo iniquitatis, fit quisque habitaculum dæmonum; vel, iuxta iniquitatis amplificationem, vidi castra dæmonum ædificata, & instructa.

*Sephora dicta Æthiopissa, quòd terra Madian sit in Æthiopia Orientali.*

*Duplex Æthiopia, Occidentalis, & Orientalis.*

Habac. 3. 7.

*Pro modo iniquitatis fit quisque habitaculū dæmonum.*

C 9. Apud Iethro socerum suum functus est Moyses pastoris officio per totos quadraginta annos, quo tempore, vt Autor est Eusebius 7. de Præparat. Euang. cap. 2. allectus commoditate solitudinis, conscripsit librum Geneseos, eo animo, vt Patrum exemplis, ac diuinis tùm oraculis, tum promissionibus leuaret Hebræorum seruitutem. Præterea, vt Philo ait, exercebat se tunc Moyses in virtutis studio sub magistra ratione, quæ fons, & origo est virtutum

D omniū. Quin etiam ipsa exercitatio pastoralis magna illi fuit præparatio ad principatum: est enim ars pastoralis quasi præludium ad regnum. Ita Philo. Cùm ergo semel minasset gregem ad interiora montis Sinai, vidit mirabilē Visionem, rubum, videlicet, ardere, & non comburi, Exod. 2. quod latè explicabimus in Commentario. Vnde colligitur, Moysem octoginta fuisse annorum, cùm habuit Visionem prædictam, apertéque exprimitur Act. 7. Deinde quia constat post Visionem exhibitam, profectum statim iussu Dei ad liberandum

E populum; id verò temporis octogenarius dicitur, Exod. 7. Cur verò tam serò sese illi exhibuit Deus? Respondet D. Greg. 23. Moral. 20. Quoniam tunc verba Dei viuaciùs mens penetrat, cùm ad se admittere curarum secularium tumultum recusat: neque enim perfectè homo sufficit ad vtraque diuisus: Moyses admistus Ægyptiis, quasi vigilabat, sed in deserto longè agens à terrenorum tumultibus, obdormiuit,

Euseb.

*Moyses scripsit librum Geneseos quo tempore pastor fuit in solitudine Sinai.*

Philo.

*Moyses sub magistra ratione discipulus.*

*Exercitatio pastoralis præludium ad principatum.*

Exod. 2.

*Moyses octogenarius habuit Visionem rubi.*

Act. 7.

D. Greg.

*Homo liber à curis secularibus, aptior Diuinis Visionibus.*

meruítque nunc diuinam percipere vocem. Sic ferè D. Greg.

10. Cùm legatus ad Pharaonem mitteretur Moyses, causatus impedimentum linguæ dixit ad Deum: *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Solet autem controuerti, quale fuerit hoc impedimentum? & num fuerit perpetuum, an temporariũ? Primam dubitationem genuit varia lectio. Nam Hebraica sic habet: *Obsecro Domine, non vir verborum ego sum, etiam ab heri, etiam à nudiustertius, etiam nunc, quo loquutus es ad seruum tuum, quia grauis ore, & grauis lingua sum.* Septuaginta: *Precor Domine, non sum idoneus ante hesternam, & ante nudiustertianam diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo, gracili voce, & tarda lingua ego sum.* Chaldæus: *Non vir sermonum ego sum etiam ab heri & nudiustertius, sed & à tempore, quo loquutus es cum seruo tuo: quoniam grauis loquelæ, profundæque linguæ sum.* Magno hîc se labore expedire putant, qui iuxta varias translationes, varios quoque defectus in lingua Moysis ponunt. Primò, vt fuerit homo paucorum verborum, vt vocant, quod Hebræa, & Chaldæa notant: deinde, vt rudis & inelegans in loquendo, quod Latinus indicat: postea, vt fuerit tardus ad loquendum, quod Latinus quoque, Hebræus, & Chaldæus expressit. Item, vt fuerit gracili voce, ac exili, quod Septuaginta dixerunt: denique, vt impediti, ac perplexi sermonis, quod habet Latina lectio. Hos autem defectus existimant hi Autores fuisse perpetuos in Moyse, auctos verò ampliùs ex cõgressu, & colloquio Dei. Lepidè hi quidem se expediunt sic impedito sermone Moysis: quare parciùs alij, Moysem quidem concedunt aliquo sermonis vitio laborasse, putà inelegantiæ, aut tarditatis, idque vitij ex consortio diuino creuisse ampliùs. Videtur autem ita sentire D. August. q. 7. in Exod. vbi sic: Credidit Moyses se fieri potuisse, Dei voluntate, subitò eloquentem, cùm dixit: *Neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo*, &c. tanquam ostendens, fieri potuisse, vt qui antea eloquens non fuisset, repentè fuerit eloquens, ex quo cum illo Dominus loqui cœpisset. Ita Aug.

*Impedimentum linguæ Moysis, fueritne perpetuũ, an temporarium?*

Varia lectio.

*Varia lectio genuit dubitationem.*

*Moyses homo paucorũ verborum, iuxta Chal.*

*Tardus, rudis, & inelegans, iuxta Latinum.*

*Gracili voce, iuxta Septuaginta.*

*Hæc impedimenta naturaliter perpetua auxisse colloquium diuinum.*

*Parciùs, qui vno sermonis vitio laborasse, quod ex congressu cũ Deo auctum est.*

D. August.

11. Tamen existimamus probabilius, fuisse Moysem antea sermone facundum, ac elegantem, qualem decebat esse hominem educatum in aula Regia; ac per annos quadraginta versatũ inter homines, tũ politiæ, tũ sapientiæ laude præstantes: fatemur tamen ab eo tẽpore, quo Deus illi apparuit, ac sermones diuinos cũ eo miscuit, visum sibi esse infantem, ac planè rudem. Ad eum certè modũ quo Ieremias, opinione multorum, postquam illi loquutus est Deus, quasi balbutire cœpit: *A, A, A, Domine* inquit, *ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Et Isaias cùm alioqui esset ex stirpe Regia, ac priuatim sermone ipso politissimus, vt testatur D. Hier. ad primum eius caput in illa Visione sibi à Deo exhibita, dixit: *Væ mihi, quia vir pollutus labiis ego sum, & Dominum Deum exercituum vidi oculis meis.* Et Dauid egregius Psaltes Israël 2. Reg. 24. dicebat tamen Deo Psal. 71. 23. *Vt iumentum factus sum apud te.* Ratio fundamentalis est, quoniam Moyses non se dixit absolutè ineloquentem, sed ab heri, & nudiustertius, & ab eo nuncupatim tempore, quo cum eo loquutus est Deus. Ita videtur sensisse Philo lib. 1. de vita Moysis. Considerans enim responsionem Domini ad Moysem deprecantem legationis functionem ob tarditatem, quòd ipse videlicet os hominis vt creat, ita regit ad loquẽdum, aptè adhibet hæc verba: Meo nutu, inquit, articulatè differes omnia, facundia mutata in melius, & vsque proficiente: nec aliter absque impedimento fluente, quàm fontes manant limpidissimi. Ita Philo. Vbi manifestè innuit, Moysem per se facundum, promouendum auxilio diuino ad maiorem, expeditiorémque facundiam. Eiusdem opinionis est Rupertus 1. lib. in Exod. cap. 18. ad illa verba: *Ex quo loquutus es ad seruum tuum, impeditioris linguæ sum:* ac si diceret, inquit, Antequam loquereris ad seruum tuum, videbar mihi eloquens, velocis linguæ & expeditæ; nunc autem ex quo loqui cœpisti, hoc de me didici, quòd eloquens non sum, neque tam expeditæ linguæ. Sic Rupertus. Idem sentit Origenes hom. 3. in Exod. & D. Greg. homil. 8. in Ezechiel. Quod verò Pererius hoc loco ait, heri, & nudiustertius sæpe in Scriptura significare non solùm præcedens triduum, sed tempus longiùs præcedens: verum quidem est, sed cùm aliàs sumatur etiam præcisè pro triduo, & hîc aptè quadret, ita sumi suauius erit ad tenorem literæ.

Ierem. 6. 1.

*Ieremias, Isaias, Dauid ex consortio Dei ineloquentes.*

Isa. 6. 5.

2. Reg. 24. Psal. 71. 23.

Philo.

*Moyses facundus probatur ex Philone.*

Rupert.

Origen. D. Greg.

12. Accipiens ergo Moyses à Deo socium legationis Aaronem fratrem, insuper confirmatus duplici miraculo virgæ, & autoritate diuini nominis roboratus, pergit in Ægyptum eadem virga sua quasi armatus, ac muneris impositi partes cœpit agere apud Pharaonem, per signa, & portenta admirabilia, quibus rebellem natura Regẽ durè flagellauit Autore Deo: de quibus in Visione latiùs. Sed prçterea illud cõsideratione dignum, quòd Deus in itinere, dum

*Theodor. Diodor. Angelus euaginato gladio sese opposuit Moysi.*

dum esset in diuersorio occurrerit Moysi, & voluerit illum occidere, Exod. 4. 24. Vbi Theodoretus, ac Diodorus asserunt Angelum euaginato gladio sese opposuisse Moysi, sicut Balaam insidenti asinæ Angelus similiter gladio terruit minitabundus, Numer. 24. At verò Tertul. in lib. contra Iudæos, ait Angelum voluisse præfocare Moysem. Alij aliter, & Hebræi quoque hîc nugantur, vt est videre apud Rabbi Salomon. Mirum profectò, & planè dubium, quam ob causam id parauerit Dominus, in hominem itineri datum, ad ipsius exercenda mandata? Notandum pro loci intelligentia: cùm Dominus pararet occidere Moysem, Sephoram vxorem eius illico arripuisse petram acutissimam, & circuncidisse præputium filij sui, ac proiecisse ad pedes Moysis, dicens: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quo dicto dimisit Dominus Moysem, vers. 26.

*Num. 24. Tertull. Angelus voluit præfocare Moysem, iuxta Tertull.*

*Cur Deus Moysem occidere voluit?*

*D. August.*

13. D. August. serm. 86. de Tempore, & q. 12. in Exod. opinatur, ideo Deum voluisse occidere Moysem, quoniam vxorem secum deferebat, futurum impedimentum in ministerio liberationis populi, & propterea, Moysem remisisse illã ad socerum suum Iethro, à quo postea reducta est ad Moysem cùm populum duceret per desertum, Exod. 18. Vterque Eusebius Emissenus, & Cæsariensis, credũt voluisse Deum occidere Moysem ob nimiam incredulitatem: nam ideo vxorem deferebat, quia nõ credebat populum liberatũ iri; si enim firmiter credidisset, vxorem commodiùs reliquisset in domo patris, facilè postea recuperandam, ad transitum montis Sinai, qui est in Arabia. Diodorus, & Theodoret. idem sentire videntur, aiúntque Moysem ob timorem Pharaonis minùs expeditè se gessisse in hac profectione, Deúmque timorem hunc alio maiori timore, tanquam clauo clauum, repellere voluisse.

*Iuxta Augustinum, quòd vxorẽ secum ferebat.*

*Vterque Euseb.*

*Eusebij duo, ob Moysis incredulitatem.*

*Diodor. Theod. Theodoretus & Diodor. quia ob timorem Pharaonis tardiùs se gerebat.*

14. Hæc quidem, vt certa non sint, vera tamen esse possunt: at ex ipso textu apparet verisimilius esse, propterea Deum occidere voluisse Moysem, quoniam filium tempore debito non circunciderat: nam ideo Sephora causam intentatæ necis bene callens, marito vt opitularetur periclitanti, correpto præacuto saxo præputium infanti abstulit, proiecitque ad pedes eius (vel Domini, vt vertit Chaldæus, & annotat Thargum, vel potiùs ipsius Moysis, vt noster magis indicat) sic illa ruentem auertit, ac placauit Dominum: nam dicitur citato loco: *Et dimisit eum*, postquam dixerat: *Sponsus sanguinum tu mihi es.* Quo significauit, Autore Abulensi, rursum sibi sponsum acquisiuisse per effusum pueri sanguinem: perierat enim Moyses nisi circuncidisset illum Sephora. Rectè autem Rupertus super hunc locum: Cur Angelus, inquit, volebat occidere Moysem: quia filios suos non circunciderat. Verùm hoc in terra aliena, & obsistente vxore alienigena facere nequiuerat. Igitur vidente Sephora, voluit Dominus occidere Moysem, vt quæ ratione adduci noluerat, præsentia periculi cognosceret, salutare esse posteris Abrahæ eorum infantes circuncidi. Nihil ergo cunctata, quid potiùs eligeret, necémne viri, an filiorum circuncisionem, tulit illico acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui. Sic Rupertus.

*Ex contextu colligitur causa, quòd filium non circumcidisset.*

*Cùm dixit Sephora ad Moysẽ: Spõsus sanguinis mihi es, quid significauerit? Abulens.*

*Abul. nouo modo sibi illum acquisiuisse sponsum. Rupertus.*

*Rupertus, vt Sephorã, quæ impedierat circumcisionem, expelleret per se circumcidere.*

15. Ingressus igitur in Ægyptum Moyses, agit cum Pharaone de dimittendo populo; resistit Rex Barbarus, flagellatur decies; in vltima plaga cedit, dimittit Hebræos, persequitur abeuntes; suffocatur in mari rubro: Moyses suos educit incolumes; aggreditur iter per desertum, dat legem, annos quadraginta præest; ad conspectum promissæ terræ decedit, sepelitur in monte Nebo. In quibus illud mirum videri potest, quomodo Pharao venientes ad se Moysem & Aaronẽ cum legatione Dei ad dimittendum populum (quæ legatio videri sibi potuit seditiosa) non illico iussit eos interfici? Nihil enim promptius ac expeditius apparebat ad sedandum malum, quod appetebat, quàm vt primas eius radices præcideret. Ponit quæstionẽ Pererius; Quomodo post exhibitas plagas non occiderit? & rectè quidem respondit, timuisse Pharaonem, ne occideretur potiùs à Moyse, cui nouerat tantum in se adesse ius, & potestatem: at cur ad primam legationem, quæ res nouas excitatura certò apparebat, non statim tenuit, carcere clausit, sopiuit seditiosos? certè enim id quotidie videmus facere reges ad occasiones multò minores. Narrat quidem Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præparatione Euang. cap. vlt. regem Pharaonem audita legatione Moysis detrusisse illum in carcerem: sed nocte sequenti, custodibus mortuis, portas statim patuisse carceris, Moysémque liberè exiuisse, ac rectà in Aulam regiam, & regis cubiculi ianuis clausis intrauisse; iterúmque Dei nomine proposuisse legationem regem quæsiuisse: Quod est nomen Dei tui? tum Moysem ad aurem eius pronunciauisse Dei nomen tetragrammaton, at regem subitò cecidisse exanimem, sed à Moyse illico reductum ad sanitatem. Ita refert Eusebius; sed profectò Artapanus fidem ipse sibi plura quàm par erat narrando miracula detraxit. Nam

*Cur Pharao mãdata Dei proponentes non illico occidit?*

*Pererius.*

*Artap. Historia Artapani improbabilis.*

*Quòd Philo, & Moysis diligentissimi Scriptores, eius non meminerint.*

Nam cur Philo, ac Iosephus diligentissimi scriptores vitæ Moysis, hæc tam noua prætermiserunt? Dicendum ergo videtur, non permisisse Deum, vt Pharao Moysem occideret, quoniam statutum habebat potentiam suam in eo per Moysem manifestare. Idcirco enim dixit Moysi formidanti Pharaonem, cap. 7. 1. *Ecce constitui te Deum Pharaonis.* quasi diceret, dabo tibi tantam potentiam in Pharaonem, vt ipse revereatur, & pertimescat te, non verò tu ipsum. Rectè autem D. Hilar. 7. Trinit. Non est data, inquit, Moysi natura, qua Deus esset, sed data est ei autoritas, & potestas, qua velut Deus Pharaonem terreret, puniret, & nolentem cogeret dimittere Hebræos. Sic Hilarius. Credo ego constitutum Moysem Deum Pharaonis, vt sicut Deus naturæ inuiolabilis est, quemadmodum Dauid cecinit: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*, Psalm. 90. 10. ita Moyses in alto quasi diuinitatis constitutus, nihil sibi à Pharaonis potentia reformidaret, vtpote immortalis, ac adeò inuulnerabilis perseuerans dono Dei.

*Vera causa: non permisit Deus, quoniam in Pharaone ostendere parabat per Moysen potentiam suam.* Exod. 7. 1.

D. Hilar.

*Deus constituit Moysem Deum Pharaonis, hoc est, inuiolabilem ab eo.*

16. Sed & illud in eductione populi per mare rubrum iure quis mirabitur, quòd per Moysem Deus *Non eos duxit per viam terræ Philisthiim, quæ vicina est: reputans, ne fortè pœniteret eum, si vidisset aduersùm se bella consurgere, & reuerteretur in Aegyptum, sed circunduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Nam quomodo timeret populus Philistinorum arma, Duce Deo? aut quomodo non etiam reputauit Dominus ne fortè pœniteret populum, si vidisset vastitatem solitudinis, si Amalecitarum resistentium vires? An sicut hæc auertit, complanauitque Deus, non potuit similiter auertere, imò & euertere Philistinos si repugnarent? Prima responsio Ruperti: Noluisse Deum nouitiis fidelibus suis opponere statim difficiles bellorum impetus, sed pacatè, ac delectabiliter educere, durioribus probandos. Deinde voluisse in Philistinis, habere quasi ad manum accommodatum flagellum, quo illos interdum peccantes verberaret, vt sæpissimè fecit. Eruitur & alia responsio ex cap. 8. 2. Deut. *Recordaberis*, inquit, *cuncti itineris, per quod duxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent, quæ in tuo animo versabantur, vtrùm custodires mandata illius, an non* &c. quasi diceret: Noluit Deus per viam Philistinorum breuiorem, & faciliorem ducere Hebræos, quoniam & bellis eorum statim terrerentur, & longa, ac difficilis via aptior erat ad probandam eorum fidem.

Exod. 13. 17.

*Cur Moyses populum nô duxit per terras Philistinorum vicinas?*

*Noluit Deus Philistinus bellatoribus statim obiicere nouitiû populum.*

Rupert.

*Voluit Deus in Philistinis habere ad manum accommodatum flagellum contra Iudæos.*

Deut. 8. 2.

*Longa ac difficilis via aptior erat ad probandos Hebræos.*

Diuturna videlicet afflictio pectora reuelat, & qualis quisque intus sit, ostendit. Hoc sensu dixit Simeon ad Virginem de puero IESV, Luc. 2. 35. *Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum, cui contradicetur, & tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Prædixit enim in his Beatus Senex, magnas fore rerum reuolutiones in aduentu Christi, magnos Matris dolores in morte ipsius, vt eo apparente, ac patiente, cognoscatur quo quisque in illum animo, qua fide sit: quod non apparuisset in rebus eius prosperis: si enim Regis venisset habitu, si beneficia temporalia largiretur, nemo eum non fuisset sequutus: at cùm afflictum, abiectum, & morte turpissima damnatum viderunt; illud certè secutum, vt multorum cogitationes reuelarentur: alij enim crediderunt, alij nô crediderunt: alij compungebantur, & percutiebant pectora, alij irridebant, & blasphemabant. Sic ergo educente Domino populum per vastas, longásque solitudines, illud planè sequebatur, vt pectora eorum variè manifestarentur: alij namque murmurabant contra Deum, alij contra Moysem, & Aaron, alij timore, pauci amore ducebantur.

Luc. 2. 35. *Explicatur locus Luc. 2.*

*Christo patiente, apparuit, quo quisque in eum animo erat.*

*Lõgo itinere solitudinis variè reuelata sunt cogitationes Hebræorû.*

17. Denique de morte Moysis illud est notatu dignum, quod narratur Deut. vltim. Ascendisse de campestribus Moab in montem Nebo; indéque Deum ostendisse illi promissam terram, ac dixisse: *Hæc est terra, pro qua iurauit Abraham, Isaac, & Iacob: vidisti eam oculis tuis, & non intrabis ad illam. Mortuúsque est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulcrum eius vsque in præsentem diem.* Hebræorum quorundam opinio est (vt ait D. Aug. tract. 12. in Ioan.) Moysem non fuisse mortuum, sed translatum, vt Enoc, & Eliam. Verùm apertè repugnant huic textui, *Mortuus est Moyses seruus Domini*; & suprà cap. 4. 22. *Ecce morior in hac humo, non transibo Iordanem.* Alij similiter ex Hebræis mortuum quidem concedunt hoc modo, vt in speluncam ipse intrauerit, corpúsque suum composuerit, ac animam sine vllo dolore efflauerit. At verò hi quoque contradicunt textui, dicitur enim, *Et sepeliuit eum*, quod omnes Interpretes explicant de ipso Deo, aut de aliquo Angelo ex mandato Dei. Caiet. vult mortuum fuisse absque aliqua ægritudine, ob solam efficaciam verbi Dei iubentis eum mori: dicitur enim Deuter. 32. 49. *Ascende in montem, & morere:* postea dela-

Deuter. vltimo.

*Hebræorum opinio, Moysem nô fuisse mortuû, sed translatû vt Enoc.*

D. August.

*Modus, quo Moyses mortuus est, explicatur à Iudæis.*

*Iuxta Caiet. mortuus est sine morbo.*

tum

tum corpus eius per aërem ab Angelis, & sepultum in Gar, valle scilicet propinqua è regione Phogor, Phani, Moab, quoniam autem existimat Caietanus Iosue cum aliis senioribus affuisse morti eius, ne quod attinet ad sepulturam repugnet textui, addit, officium sepulturæ eius velatum opposita nube. Verùm, & Caietani sententia suam habet censuram; nam quòd Moyses mortuus fuerit præsentibus Iosue, & aliis, non videtur congruere textui; de solo enim Moyse dicitur, *Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo.* Nam si alij cum eo ascendissent, exprimeretur proculdubio, sicut aliàs factum, & est communis sententia apertè Auctoris de mirabilibus sacræ Scripturæ lib. 1. cap. vlt. Imò addit, propterea noluisse Deum, vt mortem, & sepulturam nosceret quispiam, ne scilicet eam faciem, quæ ex consortio sermonis Domini rutilauerat, mortis mœrore repressam vllus videret; & ne sepulcrum eius populus Israël si cognouisset, vbi esset, adoraret. Sic ibi.

*Nõ est mortuus Moyses præsente Iosue & aliis.*

*Autor de mirab. sacr. Script.*

*Moysis faciem nõ docuit mœrore mortis obscurari.*

18. At cur Deus in hominem sibi charissimum, cum quo loquebatur facie ad faciem, vt solet amicus ad amicum loqui, tam seuerè animaduertit, vt post emensas tot solitudinis ambages, tot exhaustas pessimæ gentis ingratitudines, tot pericula mari, terrâque transacta, eò solum, vt tandem daretur aditus in desideratam, promissámque terram, ab hoc ipso aditu, durè admodum, vt apparet, prohibuit? imò in ipsa quasi vltionis vehementia sibi complacens monstrauit terram, ac veluti insultans addidit insuper: *Vidisti eum oculis tuis, & non intrabis in illam?* Hæc verò multò adhuc grauiora videbuntur, si reputemus animo: Moysem periisse à Domino, vt sineret se in terram promissionis introire: & tamen repulsum ab eo acriter, indi-

*Cur Moyses de Deo sic bene meritus repulsus est ab ingressu terræ promissæ?*

*Exaggeratur pœna repulsæ.*

A gnantémque fuisse, quòd hæc postularet, Deut. 3. 26. *Iratus*, inquit, *est Dominus mihi, & dixit; Sufficiat tibi: nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Et quidem quòd ita Deus punierit Moysem, non semel causam ipse reddidit; maximè Numer. 20. 12. & 27. 14. quòd in deserto Sin incredulum se præbuit, in educenda aqua de petra. Quasi enim dubitando dixerat cap. 20. vers. 10. *Audite rebelles, & increduli: numquid de petra hac vobis aquam poterimus eruere?* Ideo autem ad primam percussionem
B non est educta aqua. Sequitur enim: *Cùm eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ.* Atenim adhuc est quod opponamus; tantúmne momenti in hoc peccato fuit, vt vir tot titulis apud Deum gratus, tam acriter plectendus videretur? Rectè mihi satisfacere videtur D. Chrys. homil. 3. in cap. 1. Act. Apostol. fuisse nihilominus mulctatum eo modo Moysem, quoniam eius incredulitas, inquit,
C multorum iactura fuit: videlicet, quia excusare poterãt incredulitates suas, dicẽtes Moysem quoque fuisse incredulũ. Et ideo dixit Dominus c. 20. citato, *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israël*; id est, vt auctoritas mei cultus, per vestram fidem apud populum rata esset. Non enim parum detrahitur de auctoritate religionis Diuinæ, cùm Primates in ea publicè peccant, ac infideles sunt: si autem,
D & rectè viuendo, & fidem debitam præstando cæteris sunt exẽplo: quasi sanctificant Deum, & pretiosam faciunt eius religionem, quæ tam præclaros habet sanctitate viros, multíque hoc euentu excitantur ad similem sanctitatem. Quare rectè Chrysost. dixit, Incredulitatem Moysis multorum fuisse iacturam. Quamobrem liquidè iam constat, quare tam seuerè Deus in eum animaduerterit.

*Deut. 3. 26.*

*Expedita causa traditur Num. 20. quòd in deserto Sin incredulus fuerit.*
*Num. 20. 12. 27. 14.*

*D. Chrys.*
*Et quoniam eius incredulitas, multorum iactura fuit.*

*Multum detrahitur de auctoritate religionis Dei, cùm Primates in Ecclesia peccant. Contrà verò sanctificant Deum, bene viuendo.*
*D. Chrys.*

## ARGVMENTVM CAPITIS III.

*MOYSES ob interfectum Ægyptium fugit in terram Madian, ducitque ibi in vxorem filium Iethro Sacerdotis Madianitarum, & eius pastor constituitur. Gregem ducens ad interiora deserti venit in montem Sinai, & in collem eius Horeb progredienti apparet in rubo Dominus sub flamma ignis, addito etiam ingenti miraculo, vt illæsa viriditate frondium, arderet vndequaque rubus. Stupefactus Moyses pergit perscrutari non curiosiùs, sed à Domino prohibitus iubetur deponere calceos in venerationem loci; móxque exponit causam descensus sui: nimirum, vt populum Hebræorum redimat à captiuitate Ægyptiorum, velle autem se vt Moyses ipse huius consilij sui internuncius sit coram Pharaone, vtque prædictæ liberationis ducem agat in terram promissionis. Recusat multis Moyses demandatum onus, tandem edoctus ipsum Dei nomen, & confirmatus duplici miraculo, legationem cum Aarone fratre suscipit.*

A

CAPVT III.

1. MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian: cúmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.

2. Apparuítque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.

3. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo Visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.

4. Cernens autem Dominus quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses; qui respondit: Adsum.

5. At ille, Ne appropies inquit huc: solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim, in quo stas, terra sancta est.

6. Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.

7. Cui ait: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum qui præsunt operibus.

8. Et sciens dolorem eius, descendi, vt liberem

PARAPHRASIS.

1. *ELectionem Moysis in gubernatorem populi Israelitici, aptè præcedit descriptio muneris eius pastoralis: est enim id munus præludium quoddam ad difficillimum illud gubernandi homines. Igitur Moyses propter cædem in Aegypto patratam fugiens, veniénsque in terram Madian, siue in Abraham, adhæsit Raguëli cognomento Iethro, homini apud Arabes facilè principi, quique ex more gentis Sacerdotis quoque officio, ac dignitate præcellebat. Is verò* B *Sephoram filiam Moysi locauerat, ac pastorem maximum suarum ouium constituerat, quod munus apud veteres illos mortales in honore erat. Cùm ergo oues de more educeret, ac in secretiorem eremi partem, in qua eminet mons Sina, pastum ageret, quòd locus communibus pastoribus inaccessus plurimis abundaret pascuis, non contentus adire montis imiŷ media, ad ipsum quoque summum cacumen, dictum Horeb, peruasit cum grege suo, diuino instinctu ductus, vt in eo loco remotissimo particeps fieret diuinæ Visionis.*

Pastorale munus, præludium regni.

Iethro idé ac Raguel. Reges apud Arabes erát Sacerdotes.

Pastoris munus veteribus honorificum.

2. *Nam eò vt peruenit, mirum dictu quid* C *viderit, magnam videlicet syluæ virentis partem corripi flammante igne, & tamen non comburi, sed prorsus illæsam persistere; Deum verò è media flamma seipsum sub specie corporea visibilem præbere.*

3. *Igitur Moyses, vt erat animo præcelso, rei nouitatem aggressus est omnino enucleare, secúmque ipse locutus ait: Ibo animis contra, atque hoc miraculum inspiciam propiùs, quomodo rubus ardens non absumatur igne.*

4. *At verò Deus cùm videret Moysem curiositate ductum iam eò contendere, è medio rubi clamat: Moyses, Moyses; at ille, En ego,* D *inquit.*

5. *Deus contrà, Siste gradum: ne loco temere te ingeras, abiice calceos, nudis enim pedibus ob reuerentiam adeundo terra hæc, vtpote sancta.*

Iubetur nudare pedes ob reuerentiam.

6. *Ego, inquit, patrum tuorum Deus sum, Abraham videlicet, Isaac, & Iacob. Vix ea Deus; & statim Moyses vultum demisit, operuítque manibus, nec ex aduerso intueri Deum ausus est. Si enim magnorum virorum vultus rectà aspicere impudentis est, quantò magis faciem Dei, præcipuè in tanta maiestate, ac appa-* E *ratu ardentis rubi?*

7. *Tum Dominus: Non ego ille sum, qui iuxta mundi cardines alienus ab humanis rebus inambulo, sed omnibus etiam minimis, intimè adsum, ne dum hominibus, maximè autem iis, qui sunt è populo tot nominibus meo, & eo præcipuè tempore, quo laborant, & affliguntur impiè ab Aegyptiis. Vidi oculis, vidi ipse meis opprimi durè ab exactoribus operũ, ac hisce auribus sub duræ seruitutis onere clamãtes audiui.*

8. *Cùm ergo optimè nouerim in quanta doloris*

liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa in terram bonam, & spatiosam, in terram, quę fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi.

A *loris acerbitate iaceant, dissimulare amplius nec possum, nec debeo; descendi ergo, præsentem me tibi cum hac cælesti maiestate exhibens, vt populum meum vindicem à potestate Aegyptiorum, paratámque habeo terram, quam inhabitet, terram, inquam, Aegyptiaca longè meliorem, latè, ac longè patentem, solíque vbertate, ac amœnitate ad omnia vitæ commoda deliciásque aptam. Vt verò liberè possidere eam, ac tutò inhabitare possint, expellam inde incolas de me iam diu malè meritos, Chananæos, Hethæos, Amorrhæos, Pheresæos, Heuæos, & Ie-* B *busæos.*

9. Clamor ergo filiorum Israël venit ad me: vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur.

9. *Multiplicati ergo labores, ac afflictiones populi mei, quasi contenta voce personnerunt, quousque meas quasi aures impleuerunt, quin & ad oculos meos penetrauit durus ille labor, quo ab Aegyptiis iam diu vexantur.*

10. Sed veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto.

10. *Quamobrem ades huc Moyses; te enim legabo ad Aegypti Regem Pharaonem, ducémque constituam, vt populum meum ab hac dura seruitute me autore liberes.*

11. Dixítque Moyses ad Deum: Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?

11. *At Moyses longè se imparem agnoscens vtrique muneri, & legationi ad Pharaonem, & liberationi populi: Quis ego sum, inquit, vt tan-* C *tam prouinciam sustinere valeam? Egóne Pharaonem adire, & Israëlitas ab eius tyrannide vendicare potero?*

12. Qui dixit ei: Ego ero tecum: & hoc habebis signum quòd miserim te: cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.

12. *Tum Deus: Ne timeas, inquit, néve oneri citò succumbas, non solus hæc præstabis. Ego ipse tibi comes ero. Ne quis autem te impostorem esse, magúmve aliquem fortè suspicetur, hoc tibi cæterísque legitimæ legationis signum accipe. Cùm liberabis à seruitute populum, in hoc ipso monte Sina offeres vero Deo tuo sacrificium. Et rectè quidem hoc pro signo datum est à Deo: nemo enim instigatur à dæmone, &* D *per inductas à se artes, homines trahit ad obsequia & sacrificia Deo præstanda. Intellexit ergo Moyses ipsam signi rationem bene constare; perrexit tamen adhuc hæsitabundus.*

Signum legationis Diuinæ, iubere vt Deo sacrificet.

13. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis?

13. *Bene habet, inquit. Iuerim ego ad filios Israël, eísque dixerim: Ego sum legatus Dei ad vos; Dei, inquam, illius, quem patres vestri coluerunt, Abraham, Isaac, & Iacob. Si de nomine tuo interrogauerint, quid respondebo eis?*

14. Dixit Dominus ad Moysem? Ego sum qui sum ait: sic dices filiis Israël; Qui est, misit me ad vos.

14. *Ego sum, inquit, qui sum. Dices ergo filiis Israël: Ille Deus, cui nomen proprium est Iehouah, seu, Qui est; videlicet, qui à se ipso in-* E *dependenter ab omni alio habet esse; is, inquam, iussit, vt venirem ad vos.*

15. Dixítque iterum Deus ad Moysem: Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generatione, & generationem.

15. *Addésque insuper, si in priori hoc nomine hæserint, aliud hoc notius genti Israëliticæ: Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Hoc enim nomen apud me plurimum habet pretij, hoc meum est iterum, atque iterum, hoc retinebo semper.*

16. Vade, & congrega Seniores Israël, & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestro

16. *Sed iam accipe breuiter quæ tibi peragenda sunt. Cùm intraueris in Aegyptum, coges in*

vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos: & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto.

*in Concilium Primores illos populi, qui prudentia, & autoritate eminent, illisque in vnum coactis propones legationem meam ad hunc modum: Dominus Deus patrum vestrorum Abraham, Isaac, Iacob, apparuit mihi nuper in monte Sina, atque hæc, vt suo nomine vobis dicerem, imperauit: Magno studio, & acri intensione incubui in res vestras, consideraui diligenter quæ apud vos agerentur, quídve pateremini in Aegypto propter tyrannidem Pharaonis.*

17. Et dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebuzæi ad terram fluentem lacte & melle.

17. *Statutúmque habeo, vt vos ab hac seruitute in libertatem asseram, inducámque in terram Chanaan, in qua nempe Chananæi, Hethæi, Amorrhæi, Pherezæi, Heuæi, Iebuzæi habitant, quæque deliciis, ac vbere terra longè præstat.*

18. Et audient vocem tuam, ingredierísque tu, & Seniores Israël ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.

18. *Atque hæc vbi ad illos peroraueris, nulla mora, aut tergiuersatione interposita credent tibi: statímque cum his ipsis Primatibus populi conferes te in Aulam regiam, ac Pharaonem adibis omni cum fiducia: nec enim eos, quos meum imperium armat, timere decet congressum Regum, etiam potentissimorum. Dices ergo Regi: Deus ille, quem vnum gens Hebræa colit, quémque Dominum agnoscit solum, desuper occurrit nobis, atque hæc nobis ad te mandata dedit. Oportet ab Aegypto exeat populus meus, vt sacrificium solenne offerat mihi, vadat ergo tantum itineris in solitudinem, quantum confici tribus diebus possit.*

Quos imperium Dei munit, timere non debent Reges.

19. Sed ego scio, quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, nisi per manum validam.

19. *Veruntamen & hoc prædico vobis, Pharaonem duræ ceruicis hominem, non iure æquitatis, aut appositæ orationis efficacia inducendum esse, vt vobis abeundi faciat potestatem, sed eò pertrahendum vi & compulsu manus præualidæ.*

20. Extendámque manum meam, & percutiam Ægyptum, in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos.

20. *Quare necesse erit meam exerere potentiam, plagásque omnes expedire, per quas mirabiliter eluceat iustitia mea contra rebellantem: quibus omnibus bene compressus, atque contusus, tandem, vel inuitus abire sinet.*

21. Dabóque gratiam populo huic coram Ægyptiis: & cùm egrediemini, non exibitis vacui.

21. *Quin & efficiam sub ipsum egressionis tempus, vt Hebræi tunc vel maximè grati sint Aegyptiis, quo fiet, vt non securi solùm, sed & locupletes egrediamini.*

22. Sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, ac vestes: ponetísque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

22. *Namque quælibet Hebræa mulier, siue libera in domo habitans, à vicina sua Aegyptia, siue in aliena domo seruiens ab hera sua, sub specie commodati ad sacrificia solenniùs peragenda, postulabit vasa argentea, aureásque torques, monilia, catenulas, dextrariola, & huiusmodi alia, item vestes pretiosas, ac diuitem supellectilem, & iis omnibus onerabitis filios, filiásque vestras, sícque egredientes communes hostes vestros iure optimo spoliabitis.*

De

## De iis quæ antecedunt Visionem.

### COMMENTARIVS I.

QVoniam in hoc capite continetur ipsum exordium liberationis Ægyptiacæ, primò inquiremus, quare Deus elegerit Moysem in liberatorem? Deinde considerabimus in eo pastorale officium. Tertiò, secessum eius ad interiora deserti, ac montem Dei Horeb.

### *Quare Deus elegerit Moysem in liberatorem Hebræi populi.*

### SECTIO I.

1. *Locus Origenis ad explicandam prædestinationem, quam præcedit rerum præscientia. Ante electionem ad aliquod munus probandū esse hominem, ex Plin. Iun. & D.Bernard. Congruenter ad hæc explicatur locus Sap.8. Locus Chrysologi de Beata Virgine.*
2. *Inde oritur suauitas diuinæ prouidentiæ, quod naturalibus inclinationibus vtatur ad opera sua perficienda. Ponderat id Chrysostomus in Saulo conuerso. Idem prosequitur autor imperfecti operis in vocatione Apostolorum. Idem cernitur in electione Dauid in Regem, Psal.77. Explicatur locus Psal. 138. & locus Pauli 1.Cor.*
3. *Ita Moyses electus est à Deo ob præclaras eius dotes. Primò, quòd Christum natum delineauerit: deinde ob formam imperio dignam, ideo seruatus est. Exod.2. Eius elegantia plusquam naturalis ex Ruperto, ex Philone, &c.*
4. *Electus item, quia erat amator boni communis: idcirco reliquit aulam regiam ex Paulo. Locus Ambrosij, quòd ideo factus sit Deus Pharaonis. Philo Moysem appellat miraculum. Locus Athanasij pro exaggeratione Zeli communis.*
5. *Locus Chrysostomi, expendentis latronis in cruce dictum de Christo. Quia Moyses in hoc imitatus est Christum; idcirco imperio dignus fuit. Expenditur ex D. Paulo. Quod sit improperium Christi, & temporale peccatum. Viri gementes, qui dolent ob mala publica, notantur T.*
6. *Zelus Moysis specialiter visus in cæde Ægyptij, ex Chrysostomo. Quæstio vetus, an peccauerit Moyses interficiendo Ægyptium. Locum eleganter tractat D.August. & exemplo D.Pauli, & D.Petri, Moysis indolem extollit. Non peccasse credit August. & communiter Patres. D. Ambros. quæstionem spiritualiter soluit.*
7. *Eandem indolem ostendit Moyses cùm increpuit Hebræum iniuriatorem. Quid sit homo propria liberaque sententiæ apud Chrysostomum expenditur, ac talem fuisse Moysem ostenditur. Quare Iethro cooptauerit Moysem in generum, demonstratur ex Philone.*

1\. PRAMITTIMVS necessariò id quod Origenes doctè annotauit ad cap.8.29.ad Rom. Certum est, inquit, Deum non solùm scire vniuscuiusque propositum, ac voluntatem, sed etiam præscire, vt tanquam bonus dispensator vniuscuiusque motibus vtatur ad opera sua perficienda. Explicat verò rem exemplo patrisfamilius. Paterfamilias, inquit, sapiens, atque iustus

*Origen. Ad Rom.8.29. Deus præscit motus voluntatis, et iis vtatur.*

A habens multa seruitia, quanta fieri sagacitate potest contemplatur quorum ex iis ingenium aptū sit ad rus colendum, quorum verò ad pascendos greges, quorum denique ad cubiculi ministeria, vt vnumquemque competentibus mancipet officiis. Ita Origen. Eò autem tendit, vt prædestinationem ostendat, non modò includere scientiam, sed opus esse, vt illam antecedat præscientia, iuxta illud Rom.8.29. *Quos præsciuit, & prædestinauit.* In hoc autem intendit præterea, prædestinationem continere sapientissimam Dei in administrando vim, & œconomiam; hæc enim id vitij aliàs habere potest, vt ipsum iam obeundo munus, eius bene obeundi experientia sumatur.

*Vt paterfamilias explorat ingenia seruorū.*

*Prædestinationem præscietia præcedit.* Rom.8.29.

*Cōtinet sapientissimā œconomiā.*

B contra quod est illa Iunioris Plinij in prologo ad Traianum præclara sententia: Misera illa, inquit, ex periculis facta prudentia. Similiter Bernard. 4. de consider. monens Eugenium Papam, bonos consiliarios admittat. Viros, inquit, probatos oportet deligi, non probandos. Pericula ergo antequam veniant, periclitari, ac examinari oportet, ne cùm venerint, nos in illis miserè periclitemur. Propterea rectè annotauit Euthym. ad parabolas de turri ædificanda, & de Rege parante expeditionem, Luc.14.28. Christum in eis docere, nos prudenter agere, vt accedentes ad seruitutem Dei, nostras, inquit, priùs metiamur sufficientias.

Plin.Iun. *Misera est ex periculis facta prudentia.* D. Bernard. *Consiliarij probati, non probandi.*

Luc.14.28. *Oportet metiri sufficiētias.*

C Credo equidem hoc etiam iuxta proprietatem literæ sibi velle Sapientē, cùm ita de Deo enunciat, Sap.8.1. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* vt sit metaphora a communibus rerum metatoribus, qui ad normā exigentes rerum magnitudines, quæ quibus locis conueniant antè sciunt, neque sit in ipsa rerum dispositione perturbatio; attingit ergo Deus à fine vsque ad finem fortiter, id est, exacta præsciētia metitur res omnes, quid possint, quid exigant, vnde, & quousque sufficiant? Hinc verò sequitur, quòd disponat omnia suauiter, sibi inuicem rebus, & earum locis apprimè respondentibus. Attingit item fortiter, quia vbi creaturæ vires deficiunt, ipse sufficit, vt eò, quò vult, pertingat. Itaque in Deo prius est, nostro intelligendi modo, scientia eius, quod esse in rebus

Sap. 8. 1. *ita metatores prius exigunt ad normam magnitudinis.*

*Inde habet diuina prouidentia, vt sit suauis & fortis.*

D potest, quàm eius, quod erit, iuxta illud Ps. 138. 4. *Omnes vias meas præuidisti, & funiculum meum inuestigasti*, hoc est, Præuidisti in me vias omnes, per quas duci poteram, soli mei mensuras optimè considerasti, exegisti ad finem, quo sufficeret, examinasti quid caperet breuiter. Non negligenti, sed exacto oculo, non ad apparentiam, vt vocant, sed ad normæ vigorem me regis. Ideo Paulus 1.Cor. 3. 9. ipsam Dei circa nos administrationem agriculturam appellauit, & ædificationem, *Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis.* Notum, agriculturæ rationes non posse inconsideratas

*In Deo priùs scientia eius quod esse potest, quàm eius quod erit.*

tatas esse; sed oportere terrarum naturas expendere; quid quæque ferre, quid non ferre queat. Rectè enim Poëta 2. Georg.

*Nec terra ferre omnes omnia possunt.*

*Exigit Deus quasi ad funem soli nostri magnitudinem.*

Sed & tempora explorare necesse est; quia, vt idem Poëta notat, sunt dies felices operum, in quibus labores bene cedunt, alij contrà infelices. Sic prorsus, non omnia omnes, vt alibi dixit, nec omnibus temporibus ferunt homines, sunt naturarum, sunt & temporum opportunitates, quas, molles aditus, idem Poëta dixit 4. Æneid. & eas Dauid ait soli Deo perfectè notas esse, Ps. 30.16. *In manibus tuis sortes meæ*, iux. 70 *tẽpora mea.* quasi dicat: Solus nosti & naturæ meæ, & temporum meorum occultas opportunitates. Hoc ergo sensu dictum: *Dei agricultura estis.* Eodem modo: *Dei ædificatio estis*, quoniam similiter, nosse interest naturam situs hominis, in quo erigendum ædificium. Iure enim vocatus est à Domino stultus, qui domum super arenam, sapiens verò, qui super petram ædificauit. Itaque sunt, in quibus propter inconstantiam naturæ, nihil firmum ædificari potest, sunt & stabiles ingenio mentes, quibus tutò ac decenter insidet quoduis ædificium. Ad normam ergo prudentiæ metiri oportet cuiusuis ingenium, quid capiat, quid non capiat. sic enim Deus ipse facit. *Dei ædificatio estis.* Intelligi autem per hoc potest Chrysologi dictum illud de Beata Virgine in sermone de Incarnatione: Quid plura? inquit, mox sensit in se supernum suscipi Iudicem, vbi ante iam cælestem vidit, & contemplata est metatorem: videtur enim per cælestem metatorem Deum omnipotentem intelligere, qui antequam in Virgine Filium suum carne vestiret, eam quasi metatus est, & quid in eam rem posset expendit priùs: quod verò non poterat fortiter addidit; vt conueniens esset capiendo intra se Deo; id sibi vult illud: *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Mox ergo in se conieci supernum suscipi Iudicem, vbi hæc virium extraordinaria supplementa in se deriuari sensit ab omnipotente metatore. Crediderim & illud cum Maldonato ad locum Matth. 25. 14. de homine distribuente talenta, quòd eam distributionem præstiterit, *secundùm propriã virtutem* vniuscuiusque, huc vel maximè spectare: significatur enim propria vniuscuiusque natura, quam etsi ex Deo, non ex nobis ipsis habemus; tamen nihil tam nostrum vocare possumus. Valde ergo verosimile est, Deum in distribuendis donis suis naturæ vniuscuiusque rationem habere; quare non dubium, quin Moysi propterea gubernandi spiritum potiùs quàm aliis contulerit, quia natura sua prudentissimus, &, vt Scriptura testatur, omnium hominum mitissimus erat.

*Cur Deus administrationem suã circa homines agriculturam, & ædificationẽ vocari voluit?*

*Non omnia omnes, nec omnibus tẽporibus ferunt.*

*Solus Deus naturarum, & temporũ earum opportunitates nouit.*

*Sunt, in quibus nihil ædificari potest firmũ, & contrà.*

Chrysolog.

*Deus in Incarnatione cælestis metator.*

*Quod non poterat Virgo, suppleuit Deus.*

Maldon. Matth. 25. 14.

*Verisimile, Deum in distribuẽdis donis suis, naturarum rationem habere.*

2. Vt ergo, iuxta Origenis dictum, ad perfectam rationem diuinæ œconomiæ pertinet metari quid quisquam possit in rem aliquam, antequam eius peragendæ negotium illi commendet; sic illud vehementer extollit, quod ibidem ait, post hanc prudentem metationem vti singulorum moribus, ad ea quæ vult perficienda. Et in hoc vel maximè consistit suauitas diuinæ gubernationis, vt non solùm ipsi ex vi Diuini imperij obediatur, sed etiam ex motu, & inclinatione naturæ; sic enim mutata solùm in melius natura aut exercitio, dimidium habetur facti. Quapropter ponderans D. Chrys. in Actis Apostolorum armatum Saulum aduersùs Christia-

*In quo consistat suauitas diuinæ prouidentiæ?*

D. Chrys.

A nos, ac quòd tum maximè à Deo conuersus sit, præclarè ait: Homo ad cædes compositus, conuertitur ad cædes errorum. Nimirum volebat Christus omnes mundi errores penitus iugulare; congruenter igitur armatum gladio Saulum eligit, facta solùm declinatione ictus à iugulo Ecclesiæ, ad iugulum Iudaismi, & idololatriæ. Idcirco & piscatores piscium elegit idem Christus in piscatores hominum; de quo est illud Autoris imperfecti in Matthæum, super illa verba cap. 4. 18. *Mittentes rete in mare*, de Petro, & Andrea; Vocauit eos, inquit, futuræ dignitatis gratiam artificij sui opere prophetantes. Vidit, nempe Christus incumbentes operi piscatorio, quod

*Paulus ad cædes compositus facilè vertitur ad cædes errorum.*

Matth. 4. 18.

B per se multum laboris habet, multum & artificij, atque ob id maximè affine est prædicatoriæ functioni, æquè difficili, & artificiosæ. Igitur sola mutata materia fecit eos ex piscatoribus piscium piscatores hominum. Mittentes igitur rete in mare prophetabant; vt scilicet, probè dicas, artem piscatoriam in eis fuisse solùm prophetiã prædicatoriæ, nec tam quid piscando facerent ostentare voluisse, quàm quid facturi essent vocante Christo. Illud valde notandum est, quod Dauid de se ipso ait, Psal. 77. 71. *Et elegit*, inquit, *Dauid seruum suum, de post fœtantes accepit eũ, pascere Iacob seruum suum*, &c. Nam quod fœtarum ouium specialem curam haberet, laborantibúsque adesset libentiùs, vt teneros partus seruaret:

*Opus piscatorium affine prædicatorio.*

*Ars piscatoria prophetia prædicatoriæ.*

Psal. 77. 71.

*Quòd Dauid post fœtas iret, indicium ad gubernandum.*

C id maximè à Deo obseruatum est, vt vel propterea Regem illum constitueret, de post fœtantes accepit eum: quasi dicat, de cura illa speciali circa fœtas, quæ maximè ostendit probatum pastorem. Qualem depinxit Christus Isai. cap. 40. 11. *Leuabit agnos in sinu suo, fœtas ipse portabit*, de hac nempe cura euexit eum ad regni fastigium; optimum Regem ex optimo pastore creans.

Isai. 40. 11.

3. Similiter ergo Moyses electus est in ducem ac liberatorem populi Israëlitici, non temere, sed magno cum Dei consilio, ac diligenti metatione dotium, quibus ad hoc munus obeundum egregiè præditus erat. Nam (vt notauit Chrysostomus in Actibus Apostolorum) ab ipsis cunis cœpit Deus ostentare mirabilem. Vi-

*Ab ipsis cunis Moyses admirabilis.*

D. Chrys.

D delicet in cunis suis ipsum delineauit Christum. Exod. 2. 3. *Mater Moysis sumpsit fiscellam scirpeam, & muniuit eam bitumine ac pice, posuitque in ea infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis.* Sic B. Virgo pariens filium suum primogenitum, pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, Luc. 2. 7. Vterque ergo expositus est, ille fortunæ arbitrio, hic saluti hominum; ille in fiscella scirpea, hic in vimineo præsepio; ille in carecto ripæ fluminis, hic in specu viæ publicæ; ille à Principe Ægyptia exceptus ad meliorem fortunam, nutritúsque pro filio, hic à Gentilitate per Magos adoratus, ac muneribus Diuinis Regiísque

*Delineauit cunas Saluatoris.*

*Vterque expositus est.*

E pro Deo ac Rege vniuersorum declaratus. Mirabilis ergo primùm Moyses in ipsis cunis, quòd Saluatoris cunas ita expresserit. Item mirabilis, quòd statim vt est editus in lucem, formam prætulerit Principe dignam. De puero quippe recèns nato dictum est Exod. cap. 2. 2. *Vir de domo Leui accepit vxorem, quæ concepit, ac peperit filium, & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus*; videlicet, propter edictum Pharaonis, qui iusserat omnes infantes Hebræos masculos in fluuiũ proiici. Vbi Rupertus optimè notat, seruatum puerum, non modò vt viueret (nam plures alij ob hoc ipsum seruati sunt, inter quos Aaron frater

Exod. 2. 2.

Rupert.

*Elegantia Moysis Diuina gratia splendorem continebat. Elegantia Moysis supernaturalis. Elegantia propriè quid.*

ter natu maior (sed omnino propter extraordinariam elegantiam, quæ reuera tanta fuit, inquit Rupertus, vt Diuinæ gratiæ splendorem præseferret. Atque ita credere cum Ruperto necesse est, fuisse in Moyse nato elegantiam istam plusquam naturalem; nam infantulus recens natus, corpusculo adhuc penè informi quam potest ostentare elegantiam? mox, quoniam elegantia non est simplex venustas oris, sed coniunctam quandam habens excellentiam ac maiestatem, quæ propterea Regiam maximè decet personam.

Philo Iud.

Quamobrem Philo Iudæus in vita Moysis ita in hanc ipsam rem: Natus, inquit, infans mox vrbaniorem præseferebat vultum, quàm quis de priuato homine suspicari possit. Ita Philo. At quid momenti habet hæc elegantia in Principe? ostendit compositiorem naturam ad mores regios. Vnde Marsilius Ficinus in Platonis Symposium, pulchritudinem scitè vocauit bonitatis florem: & Pacatus in Panegyrico ad Theodos. Augustissima, inquit, quæque species plurimum creditur trahere de cælo. Et subdit: Virtus tua meruit Imperium, sed virtuti addidit forma suffragium, illa præstitit, vt oporteret te Principem fieri; hæc vt deceret. Igitur Theophylactus ad cap. 11.23. epistol. ad Hebræos in illis verbis, *Fide Moyses occultatus est eo quòd vidissent elegãtem puerum*, ait, parentes eius ideo occultasse, quia planè crediderunt pulchritudinem illam non esse naturalem, sed omnino diuinitus datam, & ideo futuram sub speciali tutela Dei. Imo narrat, primò quidem voluisse illum exponere, cùm natus est, sed puerum blandè arrisisse, & ob id seruatum. Adeò, inquit, omnia in ipso diuina erant.

*Quid momenti habeat in Principe? Marsil. Ficinus. Pulchritudo bonitatis flos. Pacatus. Augustissima species plurimum habet à cælo. Forma suffragium ad regnum. Ad Hebr. 11.23. Occultatus Moyse, quia crediderunt talem elegantiam seruandam diuinitus. Infans arrisisse parentibus creditur.*

4. Deinde eminebat in Moyse virtus illa optimo digna Principe: contemptus scilicet priuati commodi, cuius rei præclarum edidit specimen, cùm relicta Aula Regia negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens (ait Paul. loco citato) affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem. Vbi primò notari debet rara illa animi altitudo, sceptra, coronas, imperiaque despiciens, atque execrans; nam in Græco est ea vis. Ob hoc vnum autem, vt notauit Ambros. ad Psal. 118. factus est Moyses à Deo Pharaonis Deus, id est, superior ipso Rege, ac ei terribilis. Eum enim qui regiam, ac regia ornamenta titulósque despexerat, iure horrebat Pharao, quasi non hominem; sed propè vt Deum. Ob hoc ipsum Philo Iudæus appellauit Moysem miraculum naturæ: nam ambire, non dico regiam dignitatem, sed amicitiam, ordinarium in natura opus est; at hæc ipsa abominari, omnino extraordinarium, & idcirco miraculum. Hæc autem fecisse Moysem boni communis gratia, auget ampliùs eius virtutem, ac superis omnino æquat. Ob simile enim factum duxit argumentum D. Athanas. serm. 3. contra Arrianos, quo probauit, Christum non esse creaturam. Si igitur, inquit, non sui, sed nostri gratia venit, fieri non potest, vt sit creatura. Ita ille. Quod egregiè exaggerat, quàm excellens, ac supra homines sit, commoda propria despicere, communibus incumbere.

*Contemptus priuati commodi in Moyse. Celsitudo animi in Moyse fecit eum Deum Pharaonis.* D.Ambros. Philo. *Moyses, miraculum naturæ.* D.Athan. *Christus ideo nõ creatura, quia non sui, sed nostri gratia venit.*

D.Chrys.

5. Legi potest in Chrysostomo hac de re locus ille egregius de latrone crucifixo cum Christo: ponderat enim ibi Chrysostomus illam petitionem, *Domine, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Dic mihi, inquit, regnum commemo-

A ras? quid enim regni vides? claui, & Crux est, quod inspicis; sed ipsa Crux, ait, regnum est; & ideo eum regem nomino, quia crucifixum inspicio. Imperatoris est, pro omnibus mori, & Regis optimi, pro communi vtilitate nunquam recusare supplicium. Ita Chrysost. Ex his omnibus patet, Moysem, vel ob hoc vnum imperio dignissimum; quòd Christi hoc ipsum exemplum egregiè imitatus sit. Nam D. Paul. loco citato, rationem reddens, quare Moyses relicta Ægypti Aula, suis laborantibus, & ingratè conuiciantibus, se vltrò coniunxerit, vt subleuaret eos, rectè ait: Maiores diuitias æstimans thesauris Ægyptiorum improperium Christi, respicit illud Hebræi, quem Moyses cum fratre reconciliare voluit, *Quis te constituit principem super nos?*

*Ipsa crux regnum est, & Christus rex, quia crucifixus. Quid proprium Imperatoris.* D.Paul.

B quod ideo Christi dicitur improperium, quoniã ab ingrato illatum est in benefactorem; hoc ergo genus improperij, quod Christi imperium manifestauit latroni, quia præ thesauris Ægyptiorum æstimauit Moyses, idcirco vel maximè principatum in suos meruit. Mirum est autem, quod Paulus ibidem ait, existimasse Moysem, oppositum facere, id est, populo laborante, se ipsum continere intra delicias Aulæ, grande esse piaculum: videlicet contra naturalem boni Principis obligationem, *Magis eligens*, inquit, *affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem.*

*Christi improperium quod? Ingratitudo.*

C Excipit hunc locum magna cum admiratione Theophylactus. Animaduerte, inquit, quomodo peccatum nominarit, non affligi vnà cum fratribus; hoc est igitur peccatum Principis, dolentibus suis non condolere; idcirco apud Ezechielem notantur titulo T, (vtique figura Crucis, ob imitationem Christi crucifixi pro suis) viri gementes, videlicet, qui communibus malis condolent; hi scilicet insigniri iubentur, tamquam reliquis excellentiores, ac reipublicæ principatu omnino digni; cæteri vt inutiles turba iubentur excindi.

*Peccatum Principis, dolentibus suis non cõdolere.* Theophyl. *Viri gementes ob mala communia cruce notãtur ob imitationem Christi.*

6. Specialiter autem illud cõmendatur egregium virtutis huius argumentum, quod narratur cap. 2. Nam cùm videret Moyses Hebræum malè vexari ab Ægypto, irruit in Ægyptium, &

D occidit eum. Conijce, inquit Chrysost. 3. de prouident. quantam flammam intus aluerit, quæ subitò eruperit in homicidium. Ita qui tam vehementer vlciscebatur plusquam pater, fratrum incommodis tabescebat. Sic ille. Sed est quæstio antiqua, an Moyses peccauerit interficiendo Ægyptium? D. Aug. in quæstionibus super Exod. q. 1. putat, etiamsi peccatum esse concedatur, tamen laudabilem in eo enituisse Moysis indolem: Vt solet, inquit, vbertas terræ ante vtilia semina, quadam herbarum, quanuis inutilium, feracitate laudari. Et lib. 2. contra Faustum Manich. eadem eleganter prosequitur, affértque exemplum D. Pauli, cùm persecuturus Christianos ibat Damascum. Syluestre, inquit, erat vitium, sed ma-

*Zeli boni communis, flamma in Moyse.* D.Chrys. *Indoles Moysis, præclara comparatione agri fertilis inculti.* D.August.

E gnæ feracitatis indicium. Addit etiam exemplum Petri educentis in horto gladium, vt defenderet Christum. Et tamen post hoc, ait, Petrus factus est Pastor Ecclesiæ, sicut Moyses post percussum Ægyptium rector Synagogæ: vterque enim non detestabili immunitate, sed emendabili animositate institiæ regulam excessit. Vterque odio improbitatis alienæ; ille fraterno, iste Dominico. Resecandum vitium, sed tamen tam magnum cor, tanquam terra frugifera, ita ferendis frugibus excolendum. Ita ibi August. Verùm Augusti

*Pauli syluestre vitium, sed magna feracitatis indicium. Ex animositate iustitia occidit Ægyptium.*

*Probabilius, fuisse iustã occisionem à Moyse factã.* Act. 7. 25. Euseb. Cæs.

Augustinus priori illo loco, magis inclinat, vt fuerit iusta occisio; quoniam B. Stephanus Act. 7. 25. de hoc ita ait: *Fecit vltionem percusso Ægyptio: existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manus ipsius daret salutem illis.* Vnde Eusebius Cæsariens. Interfecit, inquit, Moyses Ægyptium, non furori cedens, sed zelo erga Deum inductus. Cæterùm quidquid in gratiam Dei fit, pietas & religio est. Ita Euseb. & cõmuniter Patres sequũtur, D. Thom. Abulens. Lyran. & alij. Iure autem (inquit Ambros. de Cain & Abel, cap. 4.) qui se priùs interemerat, abdicando, scilicet, à se vitam aulicam, Ægyptium vexatorem interemit. Ille, inquit, veluti quasdam in se manus iniicit, qui interficit voluptates sui corporis; interfecit ergo Moyses Ægyptium hominem, sed non interfecisset, nisi in se priùs Ægyptium spiritualis nequitiæ interemisset, honorem regalium voluptatum. Ita Ambros.

*Quidquid in gratiam Dei fit, pietas est.* D. Thom. Abulens. Lyran. D. Ambros. *Aptus interfector Ægyptij, qui priùs in se interfecit honores regios.*

7. Sed & eandem declarauit indolem, cùm rixantibus inter se duobus fratribus Hebræis, iniuriatorem increpuit. *Quare percutis*, ait, *proximum tuum?* D. Chrys. homil. 7. de laudibus D. Pauli. Hoc signum, inquit, propriæ, liberæque sententiæ, nequaquam in aliorum afflictionibus tenere patientiam; sed benignè tueri oppressos. Ponderandum verò illud, *signum propriæ, liberæque sententiæ*, quod subobscurum est, sed in Moysem quoad præsens institutum gloriosè quadrat. Puto enim hominem propriæ, liberæque sententiæ significare eum, qui suopte ingenio quendam exhibet in tractandis, ac decidendis rebus principatum. Qualem nouimus inter Theologos D. Thomam, inter Philosophos Aristotelem, inter Oratores Tullium. Sic ergo D. Chrys. videtur explicandus, vt voluerit Moysem eleganti periphrasi, Hebræorum principem futurum, ex hoc facto conicere, quòd in oppresso iniuriis, non posset tenere patientiam, sed illico in medium se daret, vt afflictis esset auxilio, acriter opprimẽtes obiurgans. Hoc ipsum, inquit, signum est propriæ, liberæque sententiæ, id est, hominis suapte natura instructi, vt per se de aliorum rebus iudicet, quíque aliorum sententias minimè expectet, aut quasi animi pendeat, quid acturus pro re nata sit, sed omnino sit propriæ, liberæque sententiæ, ac adeò aptissimus moderandis aliorum rebus. Et certè Iethro Sacerdos Madian, homo consilio pollens, ex hoc ipso coniiciens magnum instar in Moyse esse, filiam suam illi locauit. Cùm enim filiæ vellent adaquare greges, & pastores vicini prohiberent, Moyses eò tum primùm ab Ægypto fugiens iniuriam conspicatus, puellis adfuit, ac pastores repulit. Id verò audiens Iethro vocatum ad se cooptauit in generum. Speciem (ait Philo) mentémque eius admiratus, dat ei vxorem filiam formosissimam, hoc vno facto virtutem eius approbans. Sic Deus ob has omnes animi dotes, quæ elucebant in Moyse, liberatorem illum populi sui, ac ducem constituit.

D. Chrys. *Signum propria liberaq; sententia, tueri oppressos.* *Quid sit propria, liberáque sẽtentia?* *Moyses princeps futurus coniicitur, quòd ex propria autoritate succurrat laborantibus.* *Iethro Moysem in generũ cooptat, eo quòd puellis adfuit.*

---

## *De Moysis officio apud socerum Iethro.*

### SECTIO II.

1. *Num Iethro fuerit Sacerdos? Potuit esse Sacerdos, & Princeps Madian, ostenditur ex more veterum.*
2. *Conuenientia moralis in eo, quòd rex idem ac Sacerdos apud veteres fuerit. Præclara Nysseni Greg. de hac re sententia.*
3. *Pastorale officium in Moyse fuit prolusio ad præfecturam obtinendam in populum, ex Ambrosio, & Philone. Superbum nomen imperij Pastoris vocabulo mitigatur ex Hieronymo.*
4. *Lata differentia inter præfecturam pecudum, & hominum, ex Gregor. Nazianz. Prima obligatio rectoris animarum, vt non ducatur lucro turpi, explicatur locus Isai. 1.*
5. *Secunda obligatio, vt sit omnibus conuenientissimus, qualis Paulus, ostenditur duplici loco Chrysostomi optima forma pastoris animarum*, Omnibus omnia, *qualis Paulus.*
6. *Difficillimum, conuertere, & regere voluntates alienas, ostenditur ex loco Cant. 1. Illustratur sententia D. Chrysostomi.*
7. *Ostenditur ars regendi homines esse ars artium, quod eleganter prosequitur Ambros. in ipso Moyse. Propriè verò ars Dei est, ex Psal. 30. Explicatur locus. Item alius locus Ioan. 10. quare Christus dicatur ostium ouium.*
8. *Congruentia ouibus pascua dare optimi pastoris est. Nazianz. illustratur loco Ezech. 34. quid sit in iudicio pascere, quid item pascere scienter apud Ambros. quomodo intelligatur, cùm dicitur Christus cognoscere oues suas, explicat optimè Rupertus.*
9. *Culmen excellentiæ pastoris, vt animam suam ponat pro ouibus. Moysis verba deuouentis se pro populo, Exod. 32. quæ à variis variè explicantur, & ex omnium consensu, significat ardentem amorem eius in populum.*

1. PRÆFECIT Iethro Moysem generum suum gregibus ouium quas habebat. Vers. 1. *Moyses autem pascebat oues Iethro soceri sui Sacerdotis Madian.* Iethro, idẽ est, ac Raguel, de quo cap. 2. 18. Exod. Vnde constat fuisse binominem. Ante omnia componamus hoc dubium; fueritne Iethro verus Sacerdos Madian, an non? quòd enim fuerit, ipsum nomen Sacerdotis simpliciter positum probare potest; non fuisse autem, argumento alicui fuerit, quòd in versione Chaldaica non dicitur Sacerdos, sed Princeps Madian; vocari verò Sacerdotem dixerit, more Scripturæ, quæ honoris causa sæpe hoc nomen tribuit non Sacerdotibus, 1. Reg. 8. 18. *Filij autẽ Dauid Sacerdotes erant.* quod ne de ratione ministerij Sacerdotalis, sed de honoris prærogatiua intelligeretur, 1. Paralip. 18. 17. ita quasi explicando dicitur, *Porro filij Dauid primi ad manum Regis.* Idem reperitur 3. Reg 4. & 2. Reg. 20. Sed enim vtrumque fuisse Iethro, verum scilicet Sacerdotem, atque Principem Madianitarum, nihil obstat, imò esse probabile, radix ipsa Hebraica facit, accedẽte versione Chaldaica, vt vtrumque sua autoritate constaret. Quod quidem moris esse apud eos veteres ostendit primũ Melchisedech Rex Salem, & Sacerdos Dei altissimi, Genes. 14. Aristoteles eundem morem agnoscit in politicis. Item Ægyptiorum vetus consuetudo idem probat, apud quos Mercurius Trismegisti, hoc est, ter maximi, cognomentum accepit, quòd fuerit simul insignis Sacerdos, Philosophus Rex. Cũ verò Ægyptiis Arabes vicini sint, in eodẽ fortè cõueniebant, vt Principes apud eos simul essẽt Sacerdotes, ac ita dè Iethro existimare possumus vt Princeps fuerit, ac Sacerdos Madiã.

*Iethro idem ac Raguel.* Exod. 2. 18. *Fueritne Iethro Sacerdos.* *Honoris tãtum causa aliquando vocari Sacerdotes.* 1. Reg. 8. 18. Paralip. 18. 17. *Probabile est vtrumque fuisse.* *Ostenditur in Melchisedech, Rege & Sacerdote, & Mercurio.*

2. Illud tamen ex occasione annotare oportet, hanc sacerdotij, & regni, non modò apud Ethni

*Coniunctio Sacerdotalis & regia dignitatis quid sibi velit?*
Exod. 19. 6.
*Regnum sacerdotale apud Iudaeos: regale sacerdotium apud Christianos.*
1. Petr. 2. 9.
*Benedictio sacerdotalis facit Sacerdotem Augustum.*
*Caesarea sacra Maiestas hodie.*

Ethnicos, sed etiam apud fideles antiquissimam conuenientiam id vel maximè ostendere, Reges quidem piis, Sacerdotes regalibus moribus praeditos esse debere. Id enim sibi velle videtur pulchra illa commutatio, quam in veteri, nouóque Testamento cernere licet. Nam Exod. 19. 6. populus Hebraeorum vocatur regnum sacerdotale; & 1. Petri 2. 9. gens Christiana regale sacerdotium. Hinc est illa de Sacerdotibus Nysseni Greg. praeclara sententia in oratione de sancto Baptismate. Benedictio consecratoria facit Sacerdotem Augustum; quasi dicat, simulatque Sacerdos ab Episcopo consecratur, statim à communi plebe secernitur, & inter Augustos quoque Principes, ac Imperatores locum accipit. Hodie verò inter Caesarum praeclaros titulos locum obtinet primum sacra Maiestas.

*Pastor Moyses instruitur ad praefecturam hominum.*
D. Ambros.
*Pastoralis ars, ad regnum praeludium.*

3. Sed ad Moysem nostrum veniamus. Pascebat oues Iethro soceri sui Hoc eius officium per totos quadraginta annos; diuina verò dispositio quid in eo moliebatur: id scilicet, vt Moysem ad futuram praefecturã priùs instrueret. Rectè enim Ambros. epistol. 4. Moyses, & Dauid pastores fuerunt regalem quandam in hoc munere disciplinã induentes. Qua de re Philo. Post nuptias, inquit, praefuit gregibus, ad principatũ se praeparans: nã pastoralis ars, ad regnum est praeludium; hoc est, ad regimen hominũ gregis mãsuetissimi. Quemadmodũ bellicosa ingenia praeexercent se in venationibus; in feris enim experiũtur quales futuri sint praefecti militiae, brutis praebentibus materiã exercitij, tã belli, quàm pacis tẽpore. Praefectura autẽ mãsueti pecoris habet quiddam simile cũ regno in subditos. Imò, quantũ ego intelligo, solus potest esse Rex vndequaque perfectus, qui bene callet artem pastoritiã: nam curando minora animalia, discit, quomodo debeat praeesse praestantioribus Hactenus Philo. Congruit verò Philonis sententiae proprietas verbi רעה, quod apud Hebraeos indifferenter significat, regere, ac pascere. Vnde Psal. 2. 9. *Reges eos in virga ferrea.* Propriè pasces pedo tuo pastorali, quod ferrum habet praefixum. Fundamentum verò huius indifferentae significationis aperit Hieron. ad cap. 28. Ezech. Eo quòd, inquit, superbum nomen imperij pastoris vocabulo mitigatur.

*Solus perfectus rex, qui prius fuit pastor.*
רעה *indifferenter, pascere, & regere.*
Psal. 2. 9.
D. Hieron.
*Regis nomen pastoris nomine mitigatur.*

*Ars regendi hominis difficillima.*
Greg. Naz.

4. Verumenimvero, quamuis magna sit inter artem pastoritiam, & praefecturam hominum cognatio; haec tamẽ longe difficilior est. Quod Gregor. Nazian. in 1. Apologetico latè probat: è cuius verbis potiores sententias recipe. Non idem est, inquit, greges, ac homines moderari; illic enim quàm crassissimas oues reddere sufficit; quocirca irrigua, & cõpascua loca explorabit pastor, còducet, ac deducet oues, aliquãdo suo pedo, saepe verò & fistula: rarò autẽ, & cũ lupis pugnabit, & aegrotãtes portabit humeris. Caeterum quercus ipsi, & vmbra, & fistula curae erunt. At verò homines regere, homini longè difficilius. Primum enim curandũ est, ne argenti, ac auri instar omni ex parte, variisque tẽporibus, ac rebus versatus, adulterinũ aliquid, subaeratúmve tinniat. Haec prima cõditio pastoris animarum a Gregorio proposita maximi momẽti est; & tacitè sugillat pastores mercenarios, qui nõ ex pura intentione diuini seruitij, sed turpis lucri gratia hoc munus obeunt. Cõtra quod est illud Isai. 1. 22. *Argẽtum tuũ versum est in scorias, vinũ tuũ mixtũ est aqua;* & apud Septuaginta: *Caupones tui miscent vino aquã;* est sermo ad literam de gubernatoribus populi, significatúrque eorũ administrãdi ratio, minimè pura esse, ac syncera, sed

*Prima conditio pastoris animarum ne adulterinum sonet.*
Isai. 1. 22.
*Sacerdotes mercenarij, caupones.*

A permista turpiter cõmoditatũ propriarũ scoriis, vt cauponari potiùs, quàm gubernare Rẽpublicã videantur. Specialiter autem taxatur iustitiae legúmque adulteratio; nã iustitia vino meracissimo persimilis est, sed eius vigor munerum corruptelis, quasi aquae infusione, remittitur. Item leges & instituta maiorũ, argentum sunt igne examinatum, ac adeò defaecatissimum, sed pessimis interpretationibus, ac dispẽsationibus synceritas eius hebetatur; vt si probare tẽtes, raucum statim tinniant; & apparet iam quàm pulchrè dixerit Nazianz. Pastorem animarum instruens. Cauendum est, inquit, ne argẽti, aurique instar omni ex parte, variisque tẽporibus, ac locis versatus, adulte-

*Vino iustitia, argento leges maiorum significari.*
*Vigor iustitiae muneribus, legum verò pessimis interpretationibus corrumpitur.*
Greg. Naz.
*Praelatus verborum, operumve tinnitu agnoscitur.*
*Pastor animarum subaeratus.*

B rinum aliquid ac subaeratum tinniat. Certè quidẽ Praelatus, in alto positus, siue loquatur, siue quippiam operetur, ipso statim verborum, ac operum tinnitu cognoscitur qualis sit, & saepe, qui ad speciem apparebat argenteus, subaeratus deprehenditur. Non ita verò Moyses, quem Philo vocat Pastorem optimum, quique in cura ouium suam probabat fidem, vt nihil videlicet in ea, quae hominum futura erat, subaeratum praeferret.

Greg. Naz.
*Regere homines, ars artium.*

5. Addit vltra Gregor. Nazianz. regere materialia pecora, parum artificij includere; at regere hominẽ, animal omniũ maximè varium, ac multiplex, artem artium esse, ac scientiam scientiarũ; quare nec hominem à scelerũ contagione purũ,

C nec ad summum virtutis fastigium erectum, hoc solo satis instructum esse ad regendas, siue pascẽdas animas, sed inprimis id opus esse, vt sit omnibus conuenientissimus. Haec est optimi pastoris forma, homini scilicet animali omnium vario, ac multiplici, variè, ac multipliciter cõueniens. Talem se praebuit Pastor ille Gentiũ, vt de se ipso testatur, 2. Corint. 11. 29. *Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* D. Chrys. Quasi ipse, inquit, tota esset Ecclesia, sic in singulis dolebat membris; ita scilicet se per cõpassionem insinuauerat in totum Ecclesiae corpus, vt communibus omniũ affectibus ipse vnus moueretur. Vnus ergo natura homo, cõpassione multi-

*Oportet, vt sit omnibus conuenientissimus.*
2. Cor. 11. 29.
D. Chrys.
*Paulus vnus, quasi tota Ecclesia.*

D plex, in singulis dolebat mẽbris, quasi anima totius Ecclesiae, sic omnibus eius partibus informãdis coaptata, vt singularũ iniurias necessariò duceret suas. *Forma*, scilicet, *factus gregis ex animo*, 1. Petr. 5. 3. Expressiùs autem 1. Corint. 9. 22. *Omnia omnibus factus sum, vt omnes facerẽ saluos.* Idẽ Chrysost. Omnem hominem Paulus exhibebat Deo, quasi dicat, in hoc munere pastorali omniũ moribus se accommodabat, ita vt cum Graecis Graecus; cum Iudaeis, Iudaeus; cum Barbaris, Barbarus appareret; id autem, Deo; id est, non vt illorum consentiret moribus, sed vt reformaret, ac in Deum conuerteret; *Omnia omnibus.* Ecce optimi pastoris forma: multiformem scilicet, multiformi

*Paulus vnus, natura homo, compassione multiplex.*
1. Petr. 5. 3.
1. Cor. 9. 22.
D. Chrys.
*Omnem hominẽ Paulus exhibebat Deo, quid?*
*Optimi pastoris forma, omnia omnibus.*

E gregi se praebere. Cur ita verò? nimirum non aliter potest fieri, vt voluntates hominum quocumque oportuerit ducat.

6. Certè quidem difficultatem ducendi, & quasi sub baculo regendi voluntates hominum, valde mihi videtur Spõsus exaggerasse Cant. 1. 7. Nam cùm Sponsa (vt à principio capitis cernere licet) multis modis egisset, vt Sponsũ ad se attraheret, quasi exhaustis omnibus ad persuadendum artibus, apertè coepit agere: *Indica mihi*, inquit, *quẽ diligit anima mea; vbi pascas; vbi cubes in meridie, ne vagari incipiã post greges sodaliũ tuorũ*. quasi dicat, doce me obsecro iam, quibus aliis modis, & locis facilè inueniaris: ne fortè (quod minimè velim) ad aliorũ hominum, quorũ tu naturam participas, volun

*Difficultas ducendi voluntates hominum, ex Cant.*
Cant. 1. 7.

voluntates sectandas me conuertam. Sponsus ad hæc: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos.* Illud, *te*, redundat more linguæ: verti poterat simpliciter; Si ignoras, o pulcherrima; sicut versum est illud Genes. 12. 1. ad Abraham; *Egredere de terra tua:* nam iuxta Hebræum: *Vade te de terra tua.* sensus ergo est: si ignoras modos, quibus meam ad te allicias voluntatem, id ipsum, quod voles, permitto facias; sectaris aliorum hominum voluntates, pascas illas, vt quò velis ducas; comperies sanè difficile etiam hoc esse, quam quod difficillimum: eritque tibi argumentum à minori, ne ampliùs ægrè feras, si ipsam Dei voluntatem difficiliter agnoscas, & allicias tibi. Iam ergo mirum non habeo quod Chrysost. ait: Multam sapientiam, ac ferreum animum exigit, & vt quis ad tuam adducatur voluntatem, & abiiciat suam, hic labor, & sudor est. quasi dicat; eum qui voluntates hominum ex officio moderatur, æquè sapientem oportet esse, ac patientem, nam vt ipsum volendi articulum, & quasi venam, certo cognitionis ictu, quis attingat, vt volentem modò, modò semivolentem, iam arridentem, iam durè respondentem quis toleret, multam sapientiam, ac ferreum animum exigit. Quod si obstinatè nolit, hic labor & sudor est. Exercitus integros priùs viceris, arces munitissimas expugnaueris, quàm vnicam talem voluntatem tibi obsequentem feceris.

*Hebraismus.*

*Genes. 12. 1.*

*Regere voluntates multam sapientiam & fortitudinem exigit.*

B

7. Et vide iam, quanto cum iure dixerit Nazianz. artem artium esse, & scientiam scientiarum regere hominem animal omnium maximè varium, ac multiplex. Nec mirum iam, si Moyses quadraginta annis recturus rebellem populum, priùs aliis quadraginta exercetur in pascendis ouibus, animalibus natura mansuetis; vt qui suopte ingenio mitis erat, ipso exercitij genere omnium hominum, qui morabantur in terra, mitissimus euaderet. Vnde Ambros. 1. de offic. cap. 4. Quantas, inquit, à populo illatas Moyses absorbebat contumelias? quàm miti sermone post iniurias appellabat? quomodo consolabatur in laboribus? deliniebat oraculis? fouebat operibus? Meritò æstimatus supra homines, & vt vultui eius non possent intendere, & sepulturam eius non repertam crederent, quia sic totius plebis sibi mentes deuinxerat. Notanda est ratio Ambrosij, adeò Moysem immortalibus parem, ac supra homines habitum, quia sic Hebrææ gentis naturaliter rebellis voluntates deuinxerat, quasi hoc virtutis solum potuerit esse diuinæ, & meritò: nam Psal. 30. 16. quem suprà citauimus, peculiari nomine id Deo tribuit Dauid. *In manibus tuis*, inquit, *fortes meæ*; & iuxta Hebræum *tempora mea*; id est, tuæ potestatis peculiare priuilegium est, ipsa tempora voluntatis meæ (nam cuilibet homini sua tempora volendi sunt; vnde illud Elisæ ad sororem Annam de Ænea lib. 4.

*Mansuetudo Moysis ad gubernandum.*

*D. Ambros.*

*Moyses supra homines habitus, quia rebellem populum sibi deuinxit.*

*Psal. 30. 16.*

*Diuinæ potestatis peculiare priuilegium, tempora volendi nosse.*

*Sola viri molles aditus, & tempora nosti,*

quibus, scilicet, facilè persuaderi possunt, internoscere; nam aliis ita sunt abscondita, vt quasi ex sortibus diuinare circa illa opus sit. In manibus tuis sunt; id est, tibi certissima. Nam quæ in manibus tenemus, certissima reputamus. Idcirco Saluator noster non modò pastorē se ouium, sed & ostium nominauit Ioā. 10. 9. *Ego sum ostium ouium.* Cuius mysteriū inter alia hoc esse potest; vt voluerit Dominus significare, ouium se suarum mentes, intentiones, consilia, denique introitum, &

*Virgil.*

*Sortes diuinus tempora hæc, quòd circa illa diuinare opus sit.*

*In manibus habere, id est, certissimè cognoscere.*

*Ioan. 10. 9.*

A

egressum, id est, quid, quando, quomodo velint, cognoscere; vtpote, ostium: videlicet, quia hæc omnia sibi, quod aiunt, per manus transeunt, id est, certissima, ac notissima sibi sunt, vt ob id vel maximè bonus pastor haberi debeat.

*Ostiū ouiū, quia earum omnia nouit.*

8. Ex prædictis autem rectè colligit Nazianz. aliam pastoris animarū nostrarum conditionem, vt congruētia ouibus pascua diuidat. Quod quidem ait magni spiritus est; vnicuique scilicet verbi, perinde ac tritici mensuram tempestiuè dare, ac dogmatum nostrorum veritatem cum iudicio dispensare. Ita Nazianz. Verùm bene perspectis naturis, conditionibus, voluntatibus subditorum hæc dispensatio diuina gratia coadiuuante redditur facilis: nam propterea dixit Gregorius; Magni spiritus esse, non solùm tempestiuè pascere, sed quantum quisque capere potest, cum iudicio distribuere. Hoc illud est apud Ezechielem cap. 34. 16. Pascā oues meas in iudicio; Hebraismus, id est, cum iudicio. Simile illuc: *In baculo meo trāsiui Iordanem*, Genes. 32. 10. Et significatur; cùm multæ Deo suppetant gregis sui gubernandi rationes; ad prudentem tamen arbitrij sui libram priùs expendere, quod cuique ouium pabulum conueniat; quomodo item, & quo tempore (vtraque autē vis est in præpositione) in iudicio apud se; cum iudicio extra se, antecedente scilicet, & concomitante iudicio, vt vtraque libra, quasi lanx, sibi inuicem respondeant ad æqualitatem. Atque in hoc consistit optima ratio gubernandi animas, quod D. Ambros. lib. 3. Epistol. epistol. 11. rectè animaduertens, ita quasi definiuit optimos animarum pastores. Qui scienter, inquit, agnoscunt animas gregis sui. Cur enim non satis habuit dicere, qui agnoscunt animas gregis sui, sed addidit, scienter agnoscunt? Nimirum, quia longè diuersum est simpliciter agnoscere, & scienter agnoscere: hoc enim peritiam quandam in agnoscendo superindicat; pastorésque huiusmodi in agnitione, & gubernatione sui gregis, non casu, & temere procedere, sed scientificè. Nec obiicias, Pastorem illum bonum, nempe Christum, suarū ouium simplici cognitione contentum dixisse, Ioan. 10. 14. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* Si enim verba ipsa perpendantur, eā, de qua modò agimus, peritiam, ac prudentem cognitionem maximè astruunt. Verbum enim noscendi in Scriptura non significat simplicem intelligentiam; sed idem est ac curam gerere, recognoscere, Psal. 1. 6. & 2. Timoth. 2. 19. Quod obseruans Rupert. ad prædicta Ioan. verba, *Cognosco oues meas:* ita pro explicatione; Dilectionis, inquit, & operosæ misericordiæ significatur affectus. Operosam misericordiam eleganter dixit, sicut operosam pateram, in qua multū artis ab opifice insumptū.

*Greg. Naz.*

*Pastoris est, congruentia pascua dare.*

*Magni spiritus est discernere pascua spiritualia.*

*Ezech. 34. 16.*

*Pascere oues in iudicio, quid?*

*Genes. 32. 10.*

C

*Iudicij diuini circa pascua quasi libra.*

*D. Ambros.*

*Ioan. 10. 14.*

D

*Verbum cognoscendi in Scriptura importat curam.*

*Psal. 1. 6.*

*2. Tim. 2. 19.*

*Rupert.*

*Misericordia operosa, in qua multum Diuinæ artis insumptum.*

9. Hæc ergo est cognitio illius Pastorū Principis circa oues suas, affectuosa, & operosa, vt per eam non modò nouerit oues suas, sed multam ad eas ipsas curandas sapientiam conferat; quam pascendi sapientem curam promisit pastoribus Ecclesiæ suæ apud Isai. cap. 5. 17. *Et pascentur*, inquit, *agni iuxta ordinem suum.* In Hebræo: *Chedaberim; iuxta verbū vel ordinem.* 2. Reg. 24. 19. *Ascēdit Dauid iuxta verbū Gad*, id est, iuxta præscriptum Gad. & Psal. 16. 4. *Propter verba labiorum tuorū ego custodiui vias duras*, id est, ob ea, quæ tu definieras, vel ordinaueras; & vtrobique est eadē vox. Vnde apparet, quæ noster hic vertit, *Pascentur agni iuxta ordinem suū*, posse etiā reddi: *iuxta verbū sui*: &, sic iungere vtrumque velis, *iuxta voluntatem labiorum suorum.*

E

*Iuxta suum ordinem pascentur agni, id est, vt volent.*

*Isai. 5. 17.*

*2. Reg. 24. 19.*

*Psal. 16. 4.*

Psal. 20.

Psal. 20. 3. *Voluntas labiorum, id est, praescriptum oris.*

Psal. 20. 3. *Voluntate labiorum eius non fraudasti eum:* id est, ad praescriptum oris omnia dedisti. In his ergo verbis, pascentur agni iuxta ordinem suum, est sensus: futuros olim in Ecclesia pastores ita peritos, atque ita instructos à Deo, vt agnos suos, id est, fideles, salutari doctrina pascant, *iuxta volūtates labiorum suorum*, id est, opportunissime, ad praescriptum oris. Atenim sapientis haec Pastoris forma in nostro Moyse ad viuum expressa est; namque populum durae ceruicis ita peritè rexit, vt nec indulgendo laxauerit, nec deiecerit obiurgando, sed eorum gustui, his vel illis pabulis perpetuò congruerit. Ponderat Chrysost. ad 1. cap. Isai. quomodo Moyses acriter obiurgaturus Hebraeos cecinerit carmen illud triumphale, Exod. 15. 1. *Cantemus Domino gloriosè*, &c. intermiscuit enim Dei laudibus duros stimulos contra praeteritas ingratitudines: *Haccine reddis Domino popule stulte, & insipiens*, &c. Cur ergo, inquit Chrysost. crimina obiicit sub cantici nomine? Ex vsu nimirum spiritualis sapientiae modulatione cantici delectionem ei suffuratus est. Ita Chrys. Ars fuit boni pastoris animarum, quasi ad fistulam edulcorare ouibus amara pabula, quae tamen nouerit profutura saluti. Sic Isai. 5. 1. *Cantabo dilecto meo canticum*, ait Deus, cùm tamen acerba ingerat. Chrys. crimina obiecturus amabilem vocat, quasi demulcens. & Psal. 77. *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus a vino.* Hebr. *tanquam cantans & exultans.* vbi excitatur Deus ad puniendum quasi intermissis cantibus & exultationibus, quae cum vino coniuncta sunt.

*Peritia Moysis in pascendo populo.*

D. Chrys.

Exod. 15. 1.

*Obiurgat inter cantandum, delectionem animi vt suffuretur.*

Greg. Ioan. 10. 11. *Culmen pastoralis officij, mori pro ouibus.*

10. Vltimò addit Greg. ipsum culmen pastoralis officij in illa Christi Domini sententia Ioan. 10. 11. situm esse: *Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis.* Qua in re quantum excelluerit Moyses, testantur illa eius verba ad Deum parantem delere populum, Exod. 32. 32. *Aut dimitte, inquit, eis hanc noxam, aut dele me de libro, quem scripsisti.* Magna hic interpretationum varietas. proponam celebriores. Hieron. ad Gaudentium. Compassionis, inquit, loquebatur affectu; vult perire cum pereuntibus, nec propria salute contentus est: gloria quippe Regis multitudo populi. Aug. quaest. in Exod. quaest. 14. Securus hoc dixit, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur: id est, quia Deus Moysem non deleret de libro vitae, populo peccatum dimitteret. D. Bern. serm. 12. super Cant. Loquitur parentis affectu, quem nulla potest delectare felicitas exortibus, quos parturiuit. Vt siquis dicat mulierculae pauperi gestanti filium; ingredere tu ad prandium meum, sed filium relinque foris: dicat illa, aut me non inuita, aut simul admitte filium. Idem ad Suggerium Abbatem epistol. 79. quia caput bene cohaerebat suis membris, ita intelligit necesse esse cum illis subire periculum. Rupert. ad eundem Exodi locum, *Aut dimitte eis*, &c. quasi dicat, ita seuerè vindicas te de peccatoribus? reliquum est, vt me quoque pastorem deleas. Caietan. librum intelligit principatuum, id est, ordinem, in quo Deus plures principatus in mundo futuros disposuit, iuxta illud quod paulò antè ad Moysem dixerat: *Faciam te in gentem magnam*; id est, etiamsi deleam hunc populum, cui praees, ego te faciam Principem alterius longè maioris. Vult ergo Caiet. ad hoc ipsum respondere Moysem; *Aut dimitte illis, aut dele me de libro, quem scripsisti*; quasi ex amici cōfidentia dicat,

Exod. 32. 32.

D. Hieron. *Moyses ex affectu compassionis petit, vt deleatur de libro viuentium.*

D. August. *Ex securitate diuini erga se amoris.*

D. Bernard. *Ex parentis affectu.*

*Quia erat caput bene cohaerens membris.*

Rupert. *Dele me, id est, delebis, vt es seuerus.*

Caiet. *Liber principatuum. Dele me de libro, id est, nolo esse princeps alterius gentis.*

A Nolo esse Princeps alterius gentis, si hanc deles. Hugo de sancto Victore: Ex impetu magnae affectionis, & fiducia in Deum dictum accepit. Lippomanus; Aut dimitte, aut dele me de libro praedestinationis; quod quidem non ex perturbatione animi dicat, sed ex ardentissimae charitatis incendio, vt amicus amico diceret: Aut propter me hoc fac, aut ne ampliùs habeas me vt amicum tuum, & tamen hoc ipsum minimè vult amicus. Refert autem, quosdam interpretari, *de libro legis*: dele nomen meum de libro legis tuae, ne habeat dux tam infortunatae gentis, quae veniam à Deo impetrare non potuit. Alios verò

B ita, *de libro vitae*, id est, numero virorum, quasi dicat, interfice me, si non parcis huic populo. Haec variè interpretes; quae omnia in hoc conueniunt, vt affectum Moysis erga populum sibi commissum vehementer exaggerent, quandoquidem in suorum iactura, nihil sibi iucundum esse asserit, ne vitam quidem, imò nec aeternam ipsam salutem (citra peccatum) quae duo in naturalibus, & supernaturalibus charissima sunt. Ita factum est, vt optimus pastor ouium, facta scilicet in minoribus prolusione; optimus euaserit populi Princeps.

Hug. de S. Victore.

Lippom. *De libro praedestinationis, ex ardenti charitate.*

*De libro legis tuae.*

*De libro virorum, hoc est, interfice me.*

*Ex affectu, vt nec vita ipsa sit grata, nec ipsa beatitudo sine suis.*

---

C

## *De secessu Moysis in montem Sinai, & Horeb.*

### SECTIO III.

1. *Bonus pastor optima pascua selegit, qualia illa sint? Horeb in Arabia altissimus montis Sinai collis.*
2. *Explicatur locus difficilis ad Galat. 4. quomodo Sinas coniunctus sit Ierusalem, variae opiniones.*
3. *Verosimilior sententia, coniuncta esse coniunctione similitudinis, & allegoriae, quod explicatur.*
4. *Ascensus Moysis in montem quid mysticè? obseruatum, magnos viros vocatos ad montes, & quare, ex* D *D. Ambros. Locus egregius Tertulliani de perfectione Praelatorum, ostenditur exemplo Apostolorum, ex D. Ambrosio declaratur Psal. 83. Vnde praeclari viri montes sint, ex D. Bernard. D. Ambros. & loco Psal. 47. Peculiaris auxilii Dei opus est, vt quis ita emineat, ex Bernard.*
5. *Moysem ascendere montem, est, caeteris superiorem fieri. D. Hiero. idem ostendit in Apostolis, ad locum Matth. 17. qui explicatur. & dictum Hieronymi expenditur. Item quid sit regnum Christi, & qualem velit esse principatum Ecclesiasticum.*
6. *Praelatus subditos suos ad perfectionis verticem promouere debet. Augustinus ponderat dictum Dei Ezechiel. 34. Illustratur loco Ioannis 10. de Pastore* E *Christo, quid significet illud apud eundem locum Ioannis:* Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.

1. DE hoc secessu suo ita Moyses, Vers. 1. *Cùmque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Bonus pastor optima quoque loca vestigabat, ad pascendos greges, vt notauit Chaldaeus, qualia sunt interiora solitudinum, vtpote minùs peruia communibus pastoribus. Porro autem, per interiora deserti intelligit Arabiae montem Sinai; per montem Dei Horeb, illud

*Interiora solitudinum quare aptiora ad pascendos greges.*

*Sinai Arabia mons, asper & incultus.*

Sinai cacumen, quod cæteris altitudine præstat.

2. Quòd autem mons Sinai in deserto Arabiæ sit, loco videlicet aspero, & inculto, viam nobis aperire potest ad intelligẽdum locum illum difficilem apud Paulum ad Galat. 4. 24. vbi cùm dixisset, Agar ancillam Abrahami figuram fuisse veteris Testamenti in Sina monte conditi, quod in seruitutem generat, ludens in vocabulo Agar, quod lingua Syriaca significat eundem montem Sinai, vt ostenderet, non modò nomine cum Agar ancilla, sed repræsentatione etiam conuenire, interposuit hæc verba; *Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, qua nunc est Ierusalẽ*; vbi interpretes mille tragœdias excitant. Nam constat, montem Sinam ab Ierusalem distare itinere dierum multorum, quomodo ergo dicuntur inter se coniuncta? Oecumenius coniunctos dicit non iugis, sed radicibus. Non verè dictũ; constat enim oppositum ex magnis terrarum spatiis interpositis absque vlla tali continuatione. Alij, quia mons Sina respicit Ierusalem; alij, quia Arabia confinis est Iudææ, in qua est Ierusalem, aliene vtrique. Alij, quia è Sina profecti sunt filij Israël, ac adeò si non vicinia loci, certè continuatione itineris cum Ierusalem coniunctus est, violenter, ac remotè.

Galat. 4. 24.

*Quomodo mons Sinai dicatur coniunctus cum Ierusalem. Improbantur aliqua responsiones.*

3. Verosimilius ergo est quod alij dicunt, Sinai coniunctum esse cum Ierusalem, coniunctione similitudinis, & allegoriæ; nam ideo Paulus vsus est verbo Συστοιχεῖν, quo significatur consensus, seu coniunctio in natura, vel ingenio; vnde quæ in eadem serie ac ordine ponuntur, σύστοιχα Græcè dicuntur; vt talia, videlicet, intelligantur esse, mons Sinai, & Ierusalem: Ierusalem, inquam, non materialiter, sed formaliter, & metonymicè sumpta, pro eo, cuius ibidem vigilat cultus, id est, pro institutis Mosaicis. Huic igitur Ierusalem, id est, Testamento veteri, coniunctus est Sinai. Primùm, quia ibi confectum fuit; deinde quia locus erat desertus & incultus, & tale fuit vetus Testamentum, horridum quodammodo, & incultum, quoniam non tam excolebat ad iustitiam, quàm horrorem exercebat ad pœnam. Extra Palæstinam verò terrestrem erat, vt similiter vetus Testamentum extra cælestem constituebat cultores suos. Quamobrem mons Sinai per omnia similis est, & coniunctus; id est, positus in eadem quasi serie, & ordine cum Ierusalem, tracta videlicet, ex naturali ratione situs, ac distantia similitudine rationis. Ita Caiet. Adamus Legion, & alij.

*Respõdetur, verisimilius, esse cõiuncta similitudine.* Συστοιχεῖν. σύστοιχα.

*Ierusalem, id est, veteri Testamento, coniunctus Sinai, quomodo?*

4. Ad montem igitur Sinai ascendit Moyses; nec verò eo contentus, ad summum eius cacumen Horeb peruasit cum grege suo: qua in re illud primùm obseruare oportet, in Scriptura sacra, insignes sanctitate viros ad montes sæpe vocati, aut iis comparari, Genes. 19. 22. 25. & alibi tam in veteri, quàm in nouo Testamento. Et quidem mystica significatio montis, ad eius rei causam facilè ducit. Causam verò D. Ambros. ita breuiter explicat 2. de Abraham 3. Incrementum, inquit, deuotionis montis significat eminentia, cuius ascensus indicium est vberioris profectus. ita Ambros. Vt igitur ostendatur, pertinere hoc ad obligationem magnorum virorum, vt reliquis sanctitate, & scientia eminentiores sint; ad montes vocantur, aut cum illis conferuntur. Idcirco Isai. 40. 9. monet ita Deus Euangelicos viros: *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* Hebr. *que*, vt referatur ad ipsam Ierusalem in

*Insignes viri vocantur ad montes, aut iis comparantur.* Genes. 19. 22. 25. D. Ambr. *Montis eminentia significat incrementum deuotionis. Ascensus montis, signum vberioris profectus.*

A monte Sion. Tu Sion licèt mons sis, ascende adhuc ad montem. Allegoricè. Vos Apostoli Apostolicique viri, qui montes estis virtute præcelsi, adhuc ascendite altiùs ad montem Euangelij, & ibi commoramini. D. Hiero. Præcipitur Apostolis, vt de magnis dicturi, in sublimibus commorentur: hoc est, moram sedémque statuant in sublimibus Scripturarũ, cætera cursim efferant, &, vt vocant, per transennam. ergo iuxta D. Ambrosium, de quo proximè, quò quis deuotione auctior, eò mons excelsior est. Sic Apostoli primùm valles erant, abiecti conditione, & officio; postea tantum deuotionis incrementum adepti sunt, vt in eminentissimos euaserint montes; adeóque id nominis vulgo adepti, quod
B Paulus 2. Gala. 9. refert. Qui videbantur, hoc est, qui vndequaque conspicui erant ob virtutum ac doctrinæ eminentiam. Huc verò contendendum est omnibus Apostolicis viris, si rectè officij sui rationem sequantur. Vnde est illud in eos acriter à Tertulliano dictum in lib. de cultu fœmin. Quid nos Dominus, inquit, ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non extamus inter demersos? alludit ad illud Christi Matth. 5. 14. *Non potest ciuitas abscondi supra montẽ posita.* & iure à maioribus Ecclesiæ morum præeminentiam expostulando exigit: Quid nos Dominus ciuitati supra montem constitutę compa-
C rauit, si non extamus inter demersos? quasi dicat, priuatos homines in Ecclesia iacere demersos, nulla vel morum, vel sapientiæ laude conspicuos, tolerabile fuerit; at Prælatos, & Doctores nihilo demersis superiores, ac illustriores eminere, quomodo fieri potest, cùm id discriminis esse debeat inter homines priuatos ac publicos, quod inter montes ac valles?

*Præcelsi viri adhuc altiùs ascendant.* Tertul. *In sublimibus Scripturarum commorari, quid?*

*Apostoli, nomen montiũ assequuti.*

*Increpatio virorum Apostolicorum, quòd non sint montes.* Matth. 5. 14.

Exemplo nobis sint Apostoli, qui primò comparationem illam audierunt à Domino, séque ipsos ciuitatem supra montem constitutam, ac Deo habitatore dignam viuendo effecerunt; qua de re Ambros. ad illa verba Psal. 47. 3. *Mons Sion latera Aquilonis, ciuitas Regis magni*, Apostoli, in-
D quit, præexcelsa Ecclesiæ culmina, verticem adhuc ipsius altissimis virtutum suarum turribus erexerunt, vt in ea statim Deus habitator agnosceretur. Ita Ambros. Vnde oportet colligas, Magnates Ecclesiæ inter homines priuatos ita virtutibus eminere debere, vt inter priuatas vrbis domos eminent turres, & propugnacula. Felices ergo, si non tam eorum in Vrbe palatia verticibus, quàm animi virtutibus emineant! De quo est illud Psal. 83. 6. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum.* In Hebræo est, *Beatitudines viri.* vt sit sensus: Omnes è cælo benedictiones verè possidere illum, qui iuxta officij sui rationem cor suum ita in
E Deum erexit, vt montis instar euaserit pluribus videlicet ascensionibus, hoc est, virtutum culminibus insertus cælo.

D. Ambros. Psal. 47. 3. *Apostoli excelsa Ecclesiæ culmina.*

*Primates in Ecclesia virtutibus emineant.*

Psal. 83. 6. *Valde beati qui sic eminent.*

Id verò disposuit Diuino auxilio coadiuuante. Quomodo enim filij hominum graui corde ex natura ipsa & peccato, has possent ordinare eleuationes intra pectus suum, nisi Deum haberent intra se? Vnde præclarè dixit Bernard. serm. 53. super Cant. Pleni Deo, inquit, efficimur celsi meritis cumulati virtutibus; quasi dicat, quòd montes sint in Ecclesia meritorum, ac virtutum culminibus eminentes, id totum Dei est, quo pleni sunt; pleni autem Altissimo, quidni reddantur altissimi? afficimur

*Eminere ita non possunt, nisi per Diuinam gratiam.*

*Pleni Deo efficimur, celsi meritis. Pleni Altissimo, fiunt altissimi.*

*Afficimur Diuinis attributis adhærendo ipsis. D.August. Celsitudo animi solida.*

mur quidem Diuinis attributis, quando illis speciali deuotione adhæremus, iuxta illud Aug. de vera religione. Æterno Creatori adhærentes, & nos æternitate afficiamur necesse est. Ita ergo pleni Deo efficimur celsi, non tumenti, non maniter turgidi, sed solida celsitudine, vtpote Deo pleni per specialem videlicet amorē & gratiam; nam alioqui omnia Deo plena sunt. Non est igitur vanum vocari ad montes, aut illis comparari. Significatur enim per hoc, velle Deum, vt quis terrenarum curarum humilitate relicta superior mundo fiat. Et (sicut annotauit Ambros. ad illa verba Lucæ 6.12. de Christo Domino: *Exiit in montem orare*) vt doceret, inquit, viros contemplatiuos à terrenis ad superiora progredi, atque ad verticem ascendere sublimium curarum.

*Vocatur quis ad montem, vt superior mundo fiat. Luc.6.12.*

*Vertex sublimium curarum tenendus.*

5. Hoc ipsum significat ascensus Moysis in montem Sinai & Horeb, nimirum esse à Deo iam assumptum ad regendum Hebræos tanquam omnibus iis superiorem, iuxta illud D.Hieron. ad verba Matth.17.1. *Duxit illos*, scilicet, Discipulos, *in montē excelsum, & transfiguratus est*. Duci ad montana, inquit, pars regni est. Promiserat paulò antè quosdam ex Discipulis non gustaturos mortem, nisi priùs viderent Filium hominis venientem in regno suo; quod aliqui intelligunt de Transfiguratione reuelanda tribus Discipulis, qui reliquis superiores erant, & è quibus duo regni sedes apud Christum iam ambierant, nempe Ioannes, & Iacobus; vt verò ostenderet Christus, quo pacto vellet suos reliquis esse superiores, seu quale optaret in Ecclesia regnum gerere, ducit illos in montem excelsum seorsum, & transfiguratus est ante eos. Ad hæc igitur Hieronymus, Duci, inquit, in montana pars regni est; quasi dicat, quòd eos Christus in montem duxerit, vbi transfigurandus erat, fuit prima quædam significatio principatus Apostolorum super omnes gentes, nimirum, vt ille mōtis vertex significaret illis verticē dignitatis Apostolicæ in eo situm, vt inter reliquos mortales, virtutum ac operum excellentia eminerent; partem verò alteram regni existimarent, si se ipsos transfigurarent in alios homines, ne scilicet deinceps, aut sibi, aut aliis similes apparerent, sed omnino factis, ac virtutibus gloriosiores, qualem se ipse in corpore exhibuerat, hoc esse regnum suum in terris, tales debere esse Principes, ac Prælatos animarum.

*Ascensus Moysis significat esse assumptum ad regendū. D.Hieron. Matth.17.1.*

*Duci ad montana, pars regni est, quid sit apud Hiero.*

*Prima significatio principatus Apostolorum, vt emineāt cæteris.*

*Altera pars regni, vt se transfigurēt in alios viros.*

6. Notandum verò quomodo Moyses non solùm ipse montem conscenderit; sed oues quoque suas eò minauerit, vt illam insignem boni Prælati obligationem delinearet, qua suos ad perfectionis verticem promouere debet. Hinc est quod August. tom.9. in lib. de ouibus cap.12. latè ponderat; quomodo Dominus per Ezechiel. in cap.34.15. cùm se pastorem profiteatur dicens:

*Obligatio Prælati vt suos promoueat ad perfectionem. D.August. Ezech.34.15.*

A *Ego pascam oues meas, dicit Dominus*. paulò infrà vers.23. subiungat; *& suscitabo super eas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meū Dauid, ipse pascet eas & ipse erit eis in pastorem*. vbi ad literam est sermo de Christo, pastore regio futuro, scilicet ex semine Dauid. Nam quo tēpore facta est ad Ezechielem ista Prophetia, iā Dauid mortuus erat. Si ergo Deus, inquit Augustinus, pollicetur fore vt pascat ipse oues suas, quomodo tam citò, quasi tædio affectus, suscitat Christum, vt pascat eas? Responsionē elicit ex verbis, quæ sequuntur: *Ego Dominus ero eis in Deum, & seruus meus Dauid princeps in medio eorum*: quasi dicat, Pascam ego quidē oues meas, sed cùm inuisibiliter id fieri necesse B sit, non erit prouentus ita felix; inueni ergo modum accommodatissimum, *Suscitabo pastorem vnum, &c. & Princeps in medio eorum*; id est, induā carne filium meum, vt homo inter homines cōuersari possit, eritque exposita in medio mundi humanitas eius, eo fine, vt per eam visibilem ascendatur ad culmen diuinitatis inuisibilis, possintque pastores animarum, hac eas via minare, vt oues suas Moyses ad interiora deserti.

*Quomodo Deus suscitet Dauid pastorem populi, cùm ipse sit pastor?*

*Facere filiū suum pastorē visibilē, aptissimus modus pascendis hominibus. Humanitas Christi exposita, vt per eā ascendamus ad Deum. Ioan.10.11.*

Huc alludit ipse apud Ioan. cap.10.11. quod suprà iam ex parte notauimus. *Ego sum Pastor bonus*; ex Græco: *ille bonus*, scilicet promissus per Ezechielem; rationem addit: *& cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ*. quasi dicat: Plus aliquid haC beo, quàm pascens Deus antea per se oues suas; nam ille quidem cognoscebat oues; sed oues vicissim non cognoscebant illum: non videbant eum in medio sui, vt eum sequerentur præeuntem exemplo; at ego præterquam quòd, tanquam verus Deus, sicut Pater, cognosco oues meas; eædem ipsæ me iam hominem cognoscunt, me sequuntur vadentem ante ipsas, & perducentem eas ad pabula ipsa diuinitatis. Id ergo sibi vult illud de grege Domini ibidē dictum: *Ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet*, quod multorū ingenia torquet; & ego puto literalem sensum non continere vulgarem Hebraismum de ingressu, & egressu, vt suprà in alio sensu diximus, pro famiD liari conuersandi modo; nam sermo hîc est de pastu, non de humanis actionibus, quod rectè adnotauit Maldonatus, sed respicere locum citatū Ezechielis, in quo Deus, vt vidimus, vnum pastorem Deum & hominem sibi substituit, cuius proinde officium foret, per exempla virtutum, atque opera mirabilia latentem in se Deum exhibere mundo, atque ita, quasi duplici pabulo animas pascere, interiori Diuinitatis, exteriori virtutum ac miraculorum; vt si ingredi in Christum, atque egredi liceret, vtrouis modo apud eum pascerentur. Hæc igitur forma est optimi pastoris animarum exemplo suo illas perducere ad culmen ipsum Diuinitatis, ad montem Dei Horeb.

*Quid plus habeat pastor Christus super pastorem Deum.*

*Quid sibi velit illud: Ingredietur, & egredietur, &c.*

*Maldon.*

*Promittitur duplex pastus in Christo, interior Diuinitatis, exterior humanitatis.*

## *De ipsa Visione.*

### COMMENTARIVS II.

AGgrediamur visionem ipsam, in qua primum id occurrit enodandum, quid intelligatur nomine Domini, cùm dicitur, *Apparuitque ei Dominus?* deinde, quid iuxta literam significet rubus ardens incombustus: postea, quid secundùm allegoriam?

## *Apparueritne Moysi Deus ipse, an aliquis Angelus?*

### SECTIO I.

1. *Deum ipsum nunquam apparuisse in veteri Testamento sed Angelos, Augustini,& aliorum Patrum sententia.*
2. *Deum per se apparuisse aliquando, & non per Angelum, opinantur alij Patres.*
3. *Probabilius videtur, Deum ipsum per se apparuisse aliquando: ostenditur in tribus illis, qui apparuerunt Abraham, etiam ex sententia Augustini. Idem confirmat* Hilarius, *& locus egregius Ambrosij.*
4. *Diluitur obiectio; ostenditur Angeli nomen commune esse, & aliquando ipsi Deo competere.*
5. *Alter locus Genes. de eo qui luctatus est cum Iacob, qui creditur fuisse Verbum Diuinum, ex Theodoreto, & Autore imperfecti operis in Matthaeum.*
6. *Moysi quoque in rubo apparuisse Deum ipsum probatur ex Philone, & ex Clem. Alexandrino, & D. Ambros.*
7. *Ostenditur idem ex nomine ipso Dei, quod hoc loco Moysi manifestatur; nimirum,* Ego sum qui sum. *Confirmatur sententia loco Irenaei.*
8. *Proponitur conuenientia quare apparuerit Verbum Diuinum, ex loco Tertulliani.*

*Varia lectio.*

1. SACER contextus ita habet in hac Visione rubi, vers.2. *Apparuitque ei Dominus.* Hebra.& Septuaginta, pro, *Dominus, Angelus Domini.* Quaestionem tractat August.2. de Trinitate cap.13. & recte assignat rationem dubitandi: nam in priori parte contextus dicitur, *Apparuitque ei Dominus,* &, iuxta Hebraeum, Septuaginta,& Chaldaeum, *Angelus Domini.* Vnde Stephanus, Actor.7. *Apparuit,* inquit, *ei Angelus in medio flammae rubi*; in posteriori verò loquens cum Moyse is ipse, qui apparuit ei; *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac,* &c. Hebraice autem, *elohe,* id est, Deus quatenus Iudex. Resolutio Augustini est, Deum semper loqui per Angelos: similiter & Abulens. hoc loco, absolute negat Deum esse qui apparuit: imò statuit, nunquam in Scriptura Deum alicui apparuisse, sed Angelum loco Dei. Probat verò, quia nec in promulgatione legis, opere omnium veteris Testamenti celeberrimo, Deus erat, qui loquebatur Moysi, vt patet ex illo ad Galat.3. 19. *Lex ordinata per Angelos in manu mediatoris:* & tamen Angelus ista ordinans, Exod.20.2. sic loquitur: *Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis Deos alienos coram me.* Ita videtur sentire Hieronym. ad Galat.3. Gregor. Magnus 18. Moral.2. Cyrill. 8. Thess.2.& videtur idem arbitrari Dionys.4. de caelesti Hierarchia.

*Resolutio Augustini, semper apparuisse Angelum.*
Gal.3.19.
Exod.20.2.
D.Hieron.
Greg.Mag.
Cyrillus.
Dionys.
*Apparuisse Deũ ipsum, qui sentiãt?*

2. Sedenim apparitiones huiusmodi non semper factas fuisse per Angelos, sed interdum per ipsummet Deum, affirmat Eusebius 1. Demonstrat. Euangel. cap.5. & lib.5.cap.10. Chrysost. homil.16. in Acta Apostol. Theophylactus in eundem locum, consentire videtur Tertul. lib. contra Iudaeos, cap.9. Ambros. in illud ad Colossens.1. *Qui est imago Dei inuisibilis.* Leo Magnus epist.13. Clemens Rom.5. Const. vlt. Clemens Alex. Strom.1. Hi sunt autores pro hac parte.

Eusebius.
D.Chrys.
Theophyl.
Tertul.
D.Ambr.
Leo Mag.
Clemens. Rom.
Clem. Alex.
*Probabilius videtur, Deum ipsũ apparuisse, maximè Verbum Diuinum.*

3. Nobis ita videtur (quidquid sit de praesẽti loco de quo statim) probabilius esse, cum autoribus posterioris sententiae, Deum ipsum,

A & specialiter Verbum Diuinum, interdum apparuisse Patribus in veteri Testamento. Vno vel altero loco rem confirmare satis est. Tres illos viros, quos excepit Abraham, Genes.18.1. Eusebius testatur fuisse Deum trinum, & vnum. Vnde illud Augustini sermon.68. de Tempore, Si eius est, tribus occurrit, & vnum adorat; Trina Vnitas, & Vna Trinitas. Consentit Cyrillus, & alij ponderantes illa verba, *Apparuit ei Dominus,* &c. *cùmque eleuasset oculos: apparuerunt ei tres viri.* Sunt etiam, qui vnum ex illis, cum quo Abraham familiarius locutus est, Verbum Diuinum asserant. Vnde illud Hilarij 4. de Trinit. Abraham conspe-
B ctis tribus, vnum adorat. Quanta fidei vis, vt in indiscreta assistentium specie Dominum Christum internouerit? Hinc est illud D. Ambros. perperam ascriptum Augustino serm.66. de Tempore. Arborem, inquit, incolebat Abraham, sub qua constitutum erat qualecunque effugium; angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati; dignum enim Deo palatium, fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas Diuina pransura. Ita ille. Vbi notandum obiter, quantam vim obtineat deuotio fidei, quae è rudi quercu palatium instruxit Dei capax, leni autem affectus penicillo ita variè depinxit, vt ibidem ad prandium cum delectatione recubuerit?

*Tres viri apparentes Abrahã, videntur fuisse tres personae Diuinae.*
Genes.18.
Eusebius.
D.August.
D.Cyril.
*Illum cum quo familiariùs egit Abraham, fuisse Verbũ Diuinum.*
Hilarius.
*Fidei vi in tribus agnouit Verbum Diuinum.*
D. Ambros.
*Quercus Abraham sufficiẽs maiestati diuinae.*
*Prãdet Deus sub arbore.*
*Deuotio fecit quercum capacẽ Dei.*

4. Nec obiicias illud ad Hebraeos 13.2. *Hospi-*
C *talitatem nolite obliuisci, per hanc enim quidã placuerunt Angelis hospitio receptis*; hos enim interpretantur Doctores cõmuniter, Abraham. & Loth. Respondetur enim ex Tertulliano cap.9. aduersùs Iudaeos, Angelos in Scriptura saepe dictos, ex eo quòd Diuina reuelent. Ita Ioannem & Malachiam dictos Angelos, similiter Deum ipsum, dum se hominibus sub aliqua forma ostendit, aut futura pronunciat, Angelum dici: nam & Verbum Diuinum Isai.9. dicitur *magni consilij Angelus,* iuxta Septuaginta.

Ad Hebr. 13.2.
*Angeli saepe dicti ex eo quòd Diuina reuelent.*
Tertull.
*Verbum Diuinum dicitur ab Isaia magni consilij Angelus.*

5. Vlterius ergo Genes.32. 24. virum illum, qui cum Iacob luctatus est vsque ad mane, Verbum Diuinum interpretantur plurimi, maximè
D Theodoret. q.91. in Genes. expendens quomodo rogatus de nomine à Iacob, respondit v.29. *Cur quaeris nomen meum, quod est mirabile?* (ita enim legit Theodoretus) ob id, inquit, cùm quaesiuisset, quî vocaretur, non solùm responso frustratus est, sed insuper obiurgatur, tanquam excedens naturae metas, & addit; Per haec autem docemur, quòd Vnigenitus Dei apparuerit Iacob. Cur autem ita collegit Theodoretus? puto rem ipsam totam assequutum. Nam cùm dicitur Deus cum Iacob luctatus, necessariò intelligendum est, id effecisse brachio suo: at brachium Dei, Verbum Diuinum est, Isa.53.1. *Brachium Domini cui reuelatum est?* Quòd verò brachium Domini praeualere noluerit contra Iacob, ratio fuit, vt fidentem red-
E deret eum contra Esau. ideo addidit: *Quia si contra Deũ fortis fuisti, quantò magis contra homines praeualebis?* Et immutans ei nomen, ait: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Rectè quidem spectata nominis notatione, quod idem est ac videns Deum. quasi dixerit: Vocaberis deinceps homo, qui vel Deum vultu imperterrito aggressus est. Similiter Auctor imperfecti operis in Matthaeum homil.15. virum hunc luctantem cum Iacob Deum esse vult; nam ponderans illa verba Iacob, v.30. *Vidi Dominũ facie ad faciem,* &c. Verè, inquit, Deum non vidit facie ad faciem, quia in schemate hominis luctatus est contra eum

Gen.32 24.
Theodor.
*Cur ex lucta Iacob collegit Theodoretus fuisse Deum qui illi apparuit?*
*Quia necessariò luctatus est brachio suo, qui est Filius.*
*Vocaberis Israel, id est, videns Deũ, quòd eum vultu imperterrito aggressus est.*
Auctor imperfecti operis.

*In schemate, seu similitudine hominis luctatus est Deus, vt praeberet quo teneretur.* Abulens.

eum Deus: nam schema, corporale velamentum est Dei, non proprietas. ita ibi. Assumpsit ergo Deus corporale velamentum, vt haberet Iacob, quod in eo, luctando, prehendere manu posset. Similiter autem opinantur plurimi, Deum ipsum apparuisse Moysi in monte Sina, quando legem tulit, sed non vacat id latiùs ostẽdere. Illud Abul. ad Galat. 3. Lex ordinata est per Angelos in manu mediatoris, non significat Angelos dedisse legem, sed suum ibi exhibuisse ministerium: nam constat insonuisse tubas, micuisse ignes, audita tonitrua, & hæc ipsa ministerio Angelorum facta, nec aliud voluisse Paulum.

6. Quod attinet ad præsentem locũ, illud primò certum est, vt patet ex proximè dictis, ex sola appellatione Angeli non posse cõuinci fuisse verum Angelum, qui hoc loco apparuit Moysi; sæpe namque (vt proximè diximus) ex prænunciatione tantùm futurorum vocatur Angelus; & cum hoc præcisè stare potest, vt qui apparet sit ipse Deus. Quare Philo hac de re pronunciat: Videt Moyses prodigiosum spectaculum, & quantũ quis suspicari posset, erat ea Visio, atque præsentia Eius, qui est; vocetur autem Angelus, eo quòd quæ ventura essent denunciabat. Et paulò infrà: In media, inquit, flamma, forma præstantissima visa est, quæ nulli harum rerum, quæ videntur, esset similis: Diuinissimum videlicet simulacrum. Hæc Philo. Quin etiam Clem. Alex. 1. Pædagog. 8. non solùm absolutè vocat Diuinam Visionem, sed factam asserit in persona Verbi. Cùm, inquit, omnipotens vniuersorum Dominus cœpit per Verbum legẽ ferre, & Moysi suam potentiam manifestare, Diuinam illi Visionem ostendit formatæ lucis in rubo ardente. vbi Græcum φῶς, pro luce indifferenter, & pro viro sumi potest (vt annotauit interpres eiusdem Clementis) imò cùm oriatur à verbo φῶ, quod idem est ac dico, siue loquor: videri potest in ipso vocabulo allusio esse ad Verbum Diuinum, quod procedit per dictionem Patris. Puto ergo velle Clementem, apparuisse formatam lucem, id est, redactam in formam hominis, quæ Verbum Diuinum incarnatum repræsentaret.

Philo.

*Iuxta Philonem fuit Visio Eius, qui est, seu Dei per essentiam. Apparuit in rubo Diuinissimum simulacrum.* Clem. Alex. *Visio facta in persona Verbi, ex Clem. Alex.*

*φῶς lux, & vir, indifferenter. φῶ, idem, ac dico: vt sit allusio ad Filium dictione productum.* *In specie ignis exprimi, Diuinæ consuetudinis est.* D. Ambr.

Congruenter autem ad nostram in præsenti sentẽtiam ait Ambros. in lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 16. In specie, inquit, ignis, ac lucis exprimi, vel videri, Diuinæ consuetudinis est. Deus enim est ignis consumens, sicut Moyses dicit. Vidit enim ipse in rubo ignem, & audit Deum tunc, quando vox facta est de flamma ignis ad eum dicens: *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Ita Ambros. Notandum verò, quod innuit, pro illustri confirmatione huius sententiæ, videlicet Moysem, ab hac Visione Domini in ardente rubo, illã quasi definitionẽ elicuisse, Deut. 4. 24. *Deus tuus ignis consumens est, Deus æmulator,* quod idem est: nam sicut ignis non patitur secum aliquid quod non sit ipse (quidquid enim illi apponitur, conuertit in ignem) ita Deus aliũ Deum à se non patitur secum, quæ est ipsa proprietas æmulatoris, qui secum nullum patitur in amore riualem. Nam postquam ita definiit, addidit pro ratione: *Vidit enim ipse in rubo ignem, & audiit Deũ,* &c. intellige desumptam definitionem per oppositam expressionẽ. hoc sensu: Non est Deus ignis, vt in rubo non consumens, sed consumens, eo modo quo diximus. Non est ergo dubitandum, existimare Ambrosium, ipsummet Deum hîc apparuisse Moysi.

*Iuxta Ambrosium ab hoc igne sũpta illa definitio Dei,* Ignis cõsumens est. Deut. 4. 24. *Declaratur nomen æmulator, ex ipsa natura ignis.*

7. Denique illud omninò rem conficere videtur, quòd is qui locutus est Moysi de rubo, rogatus ab eo de nomine dixit: *Ego sum, qui sum,* id est, ipse fons essendi: quod vni Deo competit. Verũ de hoc infrà. Irenæus 4. cõtra hæreses 23. super illud Domini: *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi.* Scilicet, inquit, quòd inseminatus est vbique in Scripturis eius Filius Dei; aliquando quidem cum Abraham loquens, aliquando cum eodem comesurus, aliquando Sodomitis inducens iudicium, & rursum cùm videtur, & in viam dirigit Iacob, ac de rubo loquitur cum Moyse, &c.

*Qui locutus est Moysi rogatus de nomine dixit:* Ego sum, qui sum, *nomine proprio Dei.* Irenæus. *Inseminatus vbique in Scripturis Filius Dei.* Tertull. *Apparuit Verbum Diuinum, vt edisceret hominem, & fidem sterneret ad id ipsum verè futurum.*

8. Rationem autem quare apparuerit in veteri Testamento Filius, assignat Tertullianus contra Praxeam cap. 16. Ediscebat, inquit, vt nobis fidem sterneret, vt faciliùs crederemus Filium Dei descendisse in seculum, si & retrò tale quid gestum agnosceremus. Vbi notandum illud verbum, *ediscebat,* ad veritatem scilicet carnis induendam, quasi prælùdebat in ficta, vt simul etiam præstrueret fidem veritatis de Incarnatione sua.

Atenim si quis rem ipsam premens, ac ad rigorem Theologicum exigens, interroget: quomodo Verbum Diuinum sit intelligendum apparuisse specialiter in corpore aliquo, si coaptatio ipsa corporis non ab eo, vt persona est, sed à Deo fuerit, sicut cætera opera ad extra, quæ proinde communia sunt toti Trinitati? nam de vnione hypostatica alia ratio est, quia Verbum specialiter & intimè terminauit Incarnationem. Ad hoc respondetur, Verbum Diuinum specialiter apparuisse per appropriationem, vt loquuntur Theologi: sicut de Spiritu sancto dicere solemus, quòd sanctificat; id enim intelligendum est appropriatè: nam reuera cæteræ quoque personæ sanctificant. Nec verò plura his, nam latior disputatio aliena est ab instituto nostro.

*Verbum Diuinum apparuit specialiter per modũ appropriationis.*

---

## *Cur Dominus apparuerit in ardente rubo.*

### SECTIO II.

1. *Rubus Hebraicè seneh, inde Sinai mons, quòd rubis abundet. Vnáne in rubo, an in rubiceto exhibita fuerit Visio.*
2. *Expenditur ignis ardens, & non comburens, ostenditur in simili igne fornacis Babylonicæ, qui non cõburebat pueros. Ponderat id D. Chrys. Miraculum rubi celebrat Eusebius.*
3. *Ignis, velut aqua irrigabat rubum, ac viridiorem faciebat, ex Philone & Nysseno Gregorio illustrabat, & docebat.*
4. *In rubo ardente, & non combusto Deus apparet, quia prodigia multa exhibebat in liberatione populi, & immittet ardorem ad exeundum absque vllo populi detrimento. Caiet.*
5. *Quomodo Deus dicatur percutere suis mirabilibus? quia, vt percutiat opus est miracula facere, probatur ex D. Augustino.*
6. *Multis modis illustrata est Dei potentia in flagellatione Pharaonis. Quomodo Paulus dicat excitatũ Pharaonem, vt ostenderet Deus in illo fortitudinem suam. Magis secundùm Augustinum demonstrata est in eo patientia Dei ex Philone.*
7. *Quomodo se ducem exhibuerit Deus in educendo populo?*

*populo? quòd non rectà in oppositum littus, sed in idem per circuitum ducens eluserit Aegyptios, iuxta locum Exod. 15.* A

8. *Ardebat ergo rubus, & non comburebatur, quoniam in tanto exeundi ardore, ne vnus de populo Hebraeorum desideratus est, Psal. 104. Valde mirum imprimis, quòd nullus Hebraeorum agrotauerit sub ipsum tempus exeundi. Deinde in tot flagellationibus ne leuiter quidem pulsatos fuisse. Locus Nysseni Greg. & Psalm. 90.*

9. *Serua Deus suos in medijs periculis, & liberat pulcherrime ex loco Iob 5. & ex Psalm. 67. Cleros quid significet. Liberatio Iusti argentea, & aurea, & velocissima. Talis Hebraeorum.*

10. *Incolumitas Hebraeorum in cade primogenitorum Aegypti, eò mirabilior, quòd patrata sit per daemones, qui hominum sanguinem sitiunt. Locus Chrysost. Matth. 8. quomodo diabolus homicida sit ab initio, Ioan. 8 Illustratur à Ruperto, & loco Apocal. 12. & 6. explicat Ticonius, confirmat Tertul.* B

11. *Cur populus Hebraeorum rubo comparatus sit? nimirum, quia ingratus per se, ex loco Isai. 5. Illustratur per Ambrosium, & Chrysostomum.*

12. *Deus in rubo ostendebat, post multa secula coronandum se spinea corona in cruce, per populum Hebraeorum. Locus insignis Clementis Alexandr. emendata eius versio.*

13. *Exaggeratur ingratitudo Hebraeorum à Chrysostomo, quod per gradus creuerit cum misericordia Dei, vsque ad coronationem spinarum. Sententia Clementis Alexand.* C

1. MAGNVM Visionis miraculum exhibuit Dominus. Vers. 2. *Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi. Et videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Rubus Hebraicè סנה *Senech*, arbor sterilis, & senticosa, inde Sina mons, quod rubis abundet: aut fortè ab hac eadem Visione rubi. Sunt etiam, qui rubi nomine rubicetum intelligant, singulari posito pro plurali more linguae, quod non congruat, vnica in rubo, quae humilis planta est, tantam Visionem exhibitam, verisimilius esse, flammam corripuisse magnam syluae partem, & Deum è medio locutum, non displicet. D

*סנה inde Sina, quòd rubis abundet. Rubi nomine etiam totum rubicetum.*

2. Sed enim Visionis nouitas in eo sita, quòd rubus quidem ardebat, sed non comburebatur; itaque vt ignis crederetur, ardebat; vt miraculum esset, non comburebatur. Sicut de igne fornacis Babylonicae erga tres illos pueros narratur, Daniel. 3. 23. vbi dicitur, quòd vincti *ceciderunt in medio camino ignis ardentis, &c. & ambulabant in medio flammae.* Quae verba ponderans Chrysost. homil. 4. ad populum, exclamans ait: O rem mirabilem! Vinctos soluit flamma, ne ficta crederetur, & ipsa de reliquo à vinctis vincta est. Sic ergo de miraculo rubi Eusebius: Cernere erat, inquit, pugnantem ignem, à Deo tamen fraeno coërcitum, videlicet, iam instar bellatoris veniebat Deus, igne, id est, potentia sua vectus, tanquam equo pugnaci, sed temperatè coërcito ad liberandum populum suum. E

*Dani. 3. 23. Tres pueri, vincti ceciderũt in camino, magno miraculo.*
D. Chrys.
*Vinctos soluit flamma, & ipsa ab illis vincta est.*
*In rubo pugnabat ignis sed fraeno coercebatur à Deo.*
*Potentia, vt equo, vectus bellatoris instar.*

3. Eadem verò potentia, ait Philo, rubum incorruptibilem factam in medio ignis, imò quasi flamma perinde ac fonte desuper manante rigaretur, viridiorem visam. Haec est (ait Chrysost.) omnipotentiae Dei vis, vt per contraria operetur contraria; calorem, scilicet, per aquam, per ignem frigus: itaque Deo, quando ipse vult, torrens flamma torrentis est instar, & aqua refrigerans vicem habet incendij. Concinit his Nyssen. Gregor. de illaeso rubo. Cùm igitur, ait, in medio claróque die alia praestantior, quàm solaris lux circa oculos effulsisset, vidit arbustum ardens, cuius tamen rami continua quasi irrigatione virescebant; natura verò eius lucis in duorum obiecta sensuum diuisa, sicut oculis effulgebat splendore radiorum: ita inauditum immortale dogmatum intonabat. Ita Nyssen. Illustrabat ergo simul, ac docebat. Hanc ergo illustrem doctrinam contemplemur.

*Potẽtia Dei rubus incorruptibilis.*
D. Chrys.
*Flamma perinde ac fonte manãte irrigabatur rubus.*
Greg. Nyss.
*Arbustum flamma, quasi irrigatione virescebat.*
*Flamma illustrabat, & docebat.*

4. Cur in rubo Deus? cur ardet, & non comburitur rubus? Non enim haec, vana solùm species fuerit, sed necessariis foeta mysteriis. Autor de mirabilibus sacrae Scripturae lib. 1. cap. 15. quaerens, quomodo rubus materiam ardori praebens, perseueret tamen integra, atque vegeta? Respondet. Cuiusdam virgulti consuetudo refertur, quod quantò plus arserit, non tantùm non consumitur, sed ardendo purgatius redditur. Seruatur ergo in vtroque natura, igne scilicet & arbore consideratis, dum & ignis naturaliter de arbore ardet, & robor ardens igni, naturaliter non comburitur. Ex quibus verbis colligitur, velle Autorem hunc absque miraculo fuisse ardorem rubi; in quo primùm displicet. nam cur Moyses miratus dixit: *Vadam, & videbo Visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, si naturaliter eueniebat? Praeterea quod supponit, nimirum, rubum esse arborem, quae non comburitur igne, non modò liberè, sed falsò dicitur, cùm rubus nota sit arbuscula, & commune ignis pabulũ. Cordatiùs ergo D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. In specie, inquit, ignis Deus seruat propositum: quasi diceret, non casu, ac temere apparet in igne Deus, sed magnum aliquid sibi proponit, de quo Moysem commonere voluit. Igitur ex ipsa descensus Dei causa elicere debemus Visionis propositum. Quid ergo Deus ad Moysem post haec ostenta? Vidi, inquit, afflictionem populi mei, in Aegypto, & descendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum. Est ergo primus sensus Caiet. vt talem se exhibeat Deus in huiusmodi apparitione, qualis futurus est in liberando populo. Erit enim, inquit, ignea flamma, lucens multitudine prodigiorum: ardens verò, & non comburens, id est, ardorem ad exeundum immittens, citra vllam vel personarum, vel facultatum imminutionem. Ac de priori quidem est illud Domini hoc eodem capite: *Ostendam manum meam, & percutiam Aegyptum in cunctis mirabilibus meis, quae facturus sum in medio eorum.* Ostendam manum meam, qualem scilicet manum habeam ad puniendum.

*Falsò creditus Augustinus.*
Autor de mirab. sacrae Script.
*Non naturaliter, sed supernaturaliter arsit rubus sine combustione.*
D. Ambros.
*Scopus iuxta Caiet. vt talis sit Deus in liberando populo, qualis in rubo.*
*Erit ignis lucens miraculis, ardens, id est, immittens ardorem ad exeundum.*

5. Dubitare autem quis potest, quid sit Deum suis percutere mirabilibus? flagellis suis aptiùs fortè diceret. Praeterea cunctis mirabilibus quomodo verum est percussisse Aegyptios, qui decem plagis clausit percussionem? Mirabilibus ergo suis percussit, vt vel in eo se mirabilem ostenderet, quòd ad puniendum opus fuerit miraculis vti; quasi in Deo ordinarium non sit punire, sed omnino extraordinarium, nec secundùm, sed prorsus contra communem naturae suae cursum. Itaque opus est Deo miracula facere, quoties ad puniendum venit. Haec est causa quare D. August. ad illa verba Psalm. 32. 7. *Congregans sicut in vtre aquas maris, ponens in thesauris abyssos*, ita pronunciet: vnde te flagellet, de thesauris profert mirabi

*Mirabilibus percutit, quia vt puniat, opus illi est miracula facere.*
D. Aug. Ps. 30. 7.
*Vnde flagellet, ex thesauris profert mirabilium suorũ.*

mirabilium suorum: quasi quodlibet supplicium eductum in impios, sit vnum miraculum eductum è potentia Dei. Est suauis quædam admonitio: quasi dicat Augustinus, Ne animo cadas statim vt supplicia minatur Deus, néve credas illa festinanter illaturum, quia nolens infert; vtpote quæ illi magno constant. Deo id est, quod auaro, e crumena, thesauróve depromere. quodlibet supplicium, miraculum est, ægrè eductum, non ab eius omnipotentia, sed ab eius misericordia, quæ hac in re nimis est auara. Verùm, vt noluerit ipse, ostentauit tamen manum suam potentia Dei cõtra Pharaonem, eóque magis, quòd sibi de minimis flagella composuit: nõ enim exercitus comparauit, non milites in aciem eduxit, sed muscas, cyniphes, ranas, mures, quibus Ægyptios mirabiliùs flagellauit. Per hoc autem apparet, quam se mirabilem in liberando populo suo exhibuerit, quandoquidem tot miraculis, quot huiusmodi flagellis, in Ægyptios eius potentia coruscauit.

*Quasi auarus Deus ad puniendum.*

*Mirabilius per minima flagellauit.*

Exod. 9. 16. 6. Simile autem est illud, quod cap. 9. 16. huius libri, ait Deus ad Pharaonẽ interuentu Moysis: *idcirco autem posui te.* &(vt Paul. cit. ad Rom. 9. 17.) *Excitaui te, vt ostendam in te fortitudinem meã, & narretur nomen meum in omni terra*; videlicet, quia multis modis reddita est illustris potentia Dei flagellando Pharaonem: primum enim euulgatum est publicè, quàm esset præclarè potens ad spirituales ægritudines auertendas: nam D. Ambros. ponderans illud, *excitaui te*, à Paulo adhibitum: Pharaonem ait apud Deum quidem iam mortuum, excitatum tamen seu seruatum interim, quasi viuere videretur, vt in eo reuera per peccata sua mortuo, multiplicibus flagellationibus spiritualem quandam efficeret anatomiam in durissimo illo corde, qua per manifestationem enormium scelerum, multorum ægritudinibus in posterum mederetur. Ad hæc autor ille de mirabilibus sacræ Scripturæ rectè dixit: in flagellatione Ægypti, plus patientiam, quàm potentiam Dei enituisse. Quod probat Philo Iudæus, ex eo quòd non per immissos leones, aut tigres vastauit Ægyptios, sed per cyniphes, muscas, ranas flagellauit: quia castigare, inquit, volebat, non tollere; idcirco in cyniphe exclamasse Ægyptum: *Digitus Dei est hic.* Quasi non tota potẽtia se pulsari sentiret, sed per misericordiam temperata. Nam totam manum, inquit Philo, ne totus orbis sustineret.

Ad Rom. 9. 17.

*Multis modis reddita est illustris potẽtia Dei, puniendo Pharaonem.*

D. Ambr. *Quasi mortuum excitauit, vt in eo faceret mirabilem anatomiã.*

Autor mirab. sacræ Script. *In flagellãdo Pharaone, magis patientia, quàm potẽtia Dei illuxit.* Philo. *Idcirco digito, non manu tota punire visus est.*

7. Quin ducem se non modò potentem, sed egregiè peritum, & industrium exhibuit in hac populi eductione: non enim contentus, per apertum mare rubrum (quod per se opus erat prorsus diuinæ potẽtiæ) ductare suos: postquam vidit Ægyptios in apertam quoque viam cæco furore irrumpentes, non rectà tetendit in oppositum littus (hanc opinionem existimo probabiliorem, ex ipso textu, & ex loco Numer. 33. 8.) sed dextrorsum declinauit identidem in littus Ægyptium. Id verò cùm videret Pharao, ratus omnino populum trepidantem retrogredi in Ægyptum, concitatiùs, & confidentiùs insecutus, quasi in proprios casses propelleret prædam, Hebræis omnibus littore securè potitis, subita vndarum reductione suffocatus est cum curribus, & equitibus suis. Atque hinc est illud quod statim cecinit Moyses in illo suo triumphali carmine, Exod. 15. 3. *Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitum eius*

*Egit in educendo populum ducẽ industrium.*

*Strategema in educendo populo.* Num. 33. 8. *Populus quasi per accum regreditur in Ægyptum.*

Exod. 15. 3. *Dominus quasi vir pugnator, id est, vt erat pugnator.*

A *proiecit in mare.* Et est sensus. Ille qui ex proprio nomine vocabatur Omnipotens, & eo solùm abundè instructus erat ad liberandum populum suum, & Ægyptios suffocandos, tamen hanc potentiam suam militari illo strategemate illustrauit, vt hostes simulata retrogressione eluderet, quasi vir pugnator; vt tantum videlicet bellatorem decebat, qui simul omnipotens erat: quasi dicat, Non sicut Alexãder aliquis, aut Pompeius, qui quod viribus assequi non valebant, occultis artibus moliebantur, sed quasi pugnator omnipotens, qui bellica strategemata ob meram commendationem suæ potentiæ adhiberet.

*Strategemata in Deo nõ supplent potentiam, sed illustrant.*

8. Lucebat ergo Deus in populo suo multitudine miraculorum. Ardebat autem, & non comburebat eum, quia cùm ardentes ad exeundum effecerit, in tanto tamen exeundi feruore, ac tumultu, ne vnus quidem Hebræorum desideratus est. Vnde illud Psalm. 104. 37. *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Hebraicè, *attritus*. Id fecerat: Ægyptiorum spolijs claros, ac integros, viribúsq; valentes eductos. Res enim mira, non sine diuino consilio, euenit; è sexcentis mille videlicet, ac multò pluribus Hebræis, qui educti sunt, neminem id temporis inuentum, qui ægritudine aliqua impediretur ab exitu. Excedit autem omnem admirationem, in tam horribili Ægyptiorum vastatione, ne minimum quidem Hebræum attritum, aut leuiter tactum flagellis, vt ob id minùs esset expeditus ad exeundum. Quare Gregor. Nyssen. hac de re verba faciens, enumeratis flagellationibus Ægyptiorum: Hæc omnia, inquit, aduersùs Ægyptios, vt natura fert, perniciosissima erant; Iudæi verò rumoribus ea solùm, ac verbis cohabitantium agnoscebant. Huc respicit illud Psalm. 90. 7. *Cadent a latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis; ad te autem non appropinquabit.* Id est, coniunctissimi tibi creberrimis iaculis impetentur, & è tanta sagittarum multitudine, ne vna quidem vel summam tibi cutem vellicabit.

B

*Lucebat miraculis.*

Ps. 104. 37.

*Res mira, nullum in exitu vel infirmũ vel attritum fuisse.*

C

Greg. Nyss.

*De flagellationibus Iudæi solo rumore cognoscebant.* Psal. 90. 7. *Coniunctissimi ferientur, tu illæsus stabis.*

9. Ita solet Deus seruare suos in medijs impiorum flagellationibus. Vnde Iob. cap. 5. 22. Eliphas Themanites egregiè ait: *In vastitate, & fame videbis, & cum lapidibus regionis pactum tuum, &c.* Breuiter in medijs laboribus exultabis: quæ alijs durissima sunt, tibi vni fortunatissimè cedent: lapides ab hostibus iacti vulnerabunt tibi vicinos, ad te autem cùm peruenient, mollescent omnino ceræ instar. Itaque omnia inimicorum iacula quantumuis stricta, parata neci, quasi tecum inito pacto, & tamquam incantata carminibus, pro floribus tibi erunt, aliis in perniciem. Sed & locum afferam è Psalmo 67. 14. in rem præsentem optimè quadrantem. *Si dormiatis inter medios cleros, penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.* Cleros, iuxta vim Græcam, idem atque sors, propriè præsentissima pericula, cùm quasi sors versatur vltima. Et est sensus, Da mihi aliquos, quos Deus specialiter seruandos suscipiat, profectò etiamsi imparatissimi, ac prorsus dormientibus pares, in medio periculorum versentur, præstò Deus illis cum auxilijs aderit, quibus tanquam alis in morem columbæ se proripiant: pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi in pallore auri. Descriptio columbæ pernicissimæ volucris, & ad fugam procliuissimæ: argenti tamen, atque auri additio, argenteam illi fugam, atque auream, id est, pulcherrimam, ac honorificam significat, nec à naturali ortam metu,

Iob. 5. 22.

D

*Lapides, qui alios feriũt, te, quasi ex pacto, non lædent.*

Ps. 67. 14.

κλῆρος. *Præsentissima pericula, in quibus sors versatur vltima.*

E

*Suos etiam dormientes & supinos, seruat Deus.* *Descriptio colũbæ pernicissimæ & fugacissimæ auis.* *Pulchra ista fuga.*

metu, sed inspiratam, ac procuratam cælitus; imò exaggerat affectum Dei liberare volentis periclitantem inter malos iustum; quasi dicat, ego tibi alas ad euadendum dabo, non quaslibet, sed argenteas, & aureas. quid petis? alas ad declinanda pericula? Ecce, cape argenteas, cape aureas. Id verò quàm bene conuenit Hebræis ab Ægyptiis flagellatis euolare cupientibus: *Eduxit eos*, inquit, *cum argento, & auro*. Quasi alas ad exeũdum compegit ex Ægyptiorum laborantium auro, & argento diuinitus elaboratas.

*Eduxit eos cũ argento, & auro, id est, splendidè alatos.*

10. Quæ autẽ diximus de incolumitate Hebræorum inter flagellatos Ægyptios, magis apparebunt mirabilia, si ministri considerentur, per quos vltima clades primogenitorum executioni mandata est. Nam communis fert opinio, exercita fuisse per ipsos dæmones, iuxta illud Ps. 77.49. *Immissiones per Angelos malos*. Infinita enim quædam sitis humani sanguinis tenet dæmones. Quod quidem obseruauit Chrysostom. Orat. 5. contra Iudæos, ex loco Matt. 8. 31. vbi Dominus facultatem dæmonibus dedit ingrediendi porcos. Narratur enim, quod *totus grex abiit praeceps in mare*. Vt intelligeres, inquit, quòd eadem facturi fuissent hominibus, statim enim præfocassent eos, si Deus illis permisisset propria vti voluntate. Hinc est illud Christi apud Ioan. cap. 8. 44. ad Pharisæos necem illi molientes: *Vos ex patre*, inquit, *diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere. Ille homicida erat ab initio*: quasi dicat, Mirum non est, si de mea interfectione cogitatis; estis enim filij diaboli antiquissimi homicidæ: vtpote, qui ab ipso statim initio creationis suæ in meum sanguinem exarsit, cùm facta est illi reuelatio de Incarnatione mea. Hæc autem antiquissima eius desideria vos nunc ad exitum perducere vultis.

*Ps. 77. 49. Dæmones sitiunt humanum sanguinem. D. Chrys. Matt. 8. 31. Cur dæmones porcos suffocarunt? Ioan. 8. 44.*

*Dæmon antiquissimus homicida ab initio Christi sanguinẽ sitiit.*

Est interpretatio Ruperti valde probabilis, & vehementer exaggerans diaboli odium aduersùs genus humanum; nam illud, *homicida erat*, significat intentum dæmonem ab eo primùm tempore in cædes hominum, præcipuè iustorum, vt cum eis inuolueret Christum caput iustorum. Idcirco Apocal. 12. 3. describitur sub specie draconis rufi, *Ecce draco magnus rufus*, ob effusum scilicet, sanguinem à principio mundi, & ibidem cap. 6. 4. Qui sedet equo rufo, diabolus est, in Tyrãnis persecutoribus, de quibus Ticonius homil. 3. in Apocal. Equus rufus, ait, populus sinister, ex sessore suo diabolo sanguinolentus. Idcirco autem Tertullianus in Apologet. aduersùs gentes. Operatio, inquit, eius, scilicet dæmonis, euersio hominis. Vnde apud vos propria sanguinis pabula procurat, sed accuratior pascua, hominem à cogitatu diuinitatis auertere. Ita ille. Quæ cùm ita sint, quis non miretur, diabolum tota Ægypto grassantem in omnes eius primogenitos, & eorum sanguine madentem, non tamen vel capillum vnius Hebræi tangere ausum? hoc ipsum ergo est miraculum rubi ardentis, sed non combusti. Et profectò sanguis alter continuit dæmonem à sanguine Hebræorum, non quidem ille Agninus præcisè quo postes aspersi sunt, iubente Domino; sed ille quatenus repræsentabat Christi sanguinem in cruce fundendum. Vnde grauiter à Chrysostomo dictum est, hac ipsa in re: Ea nocte, inquit, vmbram sanguinis, id est, hunc sanguinem quatenus erat vmbra sanguinis Christi, mors horruit, ne scilicet, extenderet falcem in Hebræos. Patet ergo, Deum apparentem in rubo

*Rupert.*

*Homicida erat, quasi intentus semper in cædes hominum. Apoc. 12. 3. Apparet propterea sanguine perfusus.*

*Tertull. Operatio dæmonis, euersio hominis. Accuratius pabulũ dæmonis, auertere hominẽ à cogitatu Diuinitatis. Cur non tetigit vel vnius Hebræũ. Sanguis Christi continuit dæmonem. D. Chrys. Sanguis Agni in postibus Hebræorum.*

A ardente, & non combusto, seipsum repræsentare, vt liberatorem sui populi de seruitute Pharaonis.

*vmbra sanguinis Christi.*

11. At cur eundem populum per tot prodigia nobilitatum expressit rubo, arbore, videlicet humili, sterili, & senticosa? Nimirum, quia quæ in illo apparebant eximia, Diuinis omnino beneficiis debebantur: cæterùm populus erat natura ipsa rubo simillimus. Primum quidem, quia ingratissimus, quod egregiè significatur per aculeatum rubum, qui contrectatorem, siue curatorem suum amarè conuulnerat. Idcirco Isai. 5. 14. conqueritur Deus de populo sub figura vineæ, quam multis beneficiis affecerat. *Expectaui*, inquit, *vt faceret vuas, fecit autem labruscas*; iuxta Septuagin-
B ta: *fecit autem spinas*; & vtriusque visionis occasio est in Hebræo באשים. Communiter autem Patres, fructus hos degeneres, in passione Domini pullulasse demonstrant; in labruscis quidem amaram fellis potionem agnoscentes; in spinis autem coronam spineam. Vnde Ambros. serm. 1. de sancto Cypriano. Quàm dura, inquit, conditio, vt possessio, quæ Domino suo suauitatis fructus afferre debuit, spinarum illum asperitate compunxerit? Et quantum in Iudæis quidem corona spinarum fuit, quantum in Domino corona virtutum. Ita Ambros. Et videtur velle, quòd Christus coronatione illa spinarum ostendere voluit, ipsis se contumeliis Iudæorum ampliùs corona-
C ri ad gloriam. Sed & Chrysost. homil. 2. de cruce, & latrone, Hebrææ genti improperans: Dederat tibi, inquit, manna in deserto, tu illi fel offers: de terra tibi produxit delicias, tu illi spineam imponis coronam. Ita Chrys.

*Populus Hebræus rubo similis, quia ingratissimus. Isai. 5. 14.*

*באשים.*

*Amara potio Christi, & corona spinea. D. Ambros.*

*Corona spinarum, Domino corona virtutum.*

*D. Chrys.*

12. Deus ergo in rubo denuncians liberationem à se per tot miracula faciendam, demonstrauit, quid liberati pro huiusmodi beneficiis reddituri erant in posterum: sæuientes videlicet, vsque ad ipsam etiam coronationem spinarum. Quod grauiter assertum est ab Alexandro Clement. 2. Pædag. 8. vbi sic: Cùm omnipotens vniuersorum Dominus cœpit per Verbum legem
D ferre, & Moysi suam omnipotentiam voluit manifestare, Diuina illi Visio ostenditur formatæ lucis in rubo ardente: spinosa autem planta est rubus. Postquam autem legem ferre, & cum hominibus conuersari desiit, mysticè rursus corona coronatur; hinc illuc, vnde descenderat, abiens, veteris descensus principium instaurans; ac de integro veluti recapitulans (ita vertendum è Græco ἀνακεφαλαιούμενος) vt pulchrior sit allusio (quam Clementis Interpres non intellexit) vt quod primum per rubum visum fuerat Verbum, per spinam rursus assumptam, ostenderet omnia esse vnius potentiæ, cùm sit vnus Patris Filius, principium, & finis seculi. Hactenus Clemens. In cuius verbis illud considerare licet, quo signi-
E ficat, hæc duo sibi respondere inuicem, Verbum in rubo, & Verbum in cruce, quoniam vtrobique inter spinas: Hinc illuc (ait) vnde descenderat abiens, per congruentem scilicet assimilationem, veteris descensus principium instaurans, ac de integro veluti recapitulans. Pulcherrimè dictũ: Christus enim spineam coronam portans in capite, verè recapitulauit in se spinosam rubum, in vnum caput suum totum Sinæ redigens spinetum, & in parua corona, coronidem præferens ingratitudinis Iudæorum: nam rubus non combustus, & tamen ardens, ardorem ingratitudinis significabat, non priùs finiendum, quàm in cruce seruatis

*Clem. Alex.*

*In monte Caluariæ spinis coronatus instaurauit veterẽ suũ descensum in rubum. ἀνακεφαλαιούμενος. Verbum in rubo, Verbũ in cruce.*

*Christus portãs spineam coronam recapitulauit in se rubum. Corona spinea, coronis ingratitudinis Iudæorum.*

seruatis aculeis, Dei sui caput transfigeret.

*Per singulos gradus misericordiæ malitia Iudæorum creuit. D.Chrys.*

13. Per singulos enim gradus misericordiæ Diuinæ (ait Chrysostomus in parabola vineæ) malitia Iudæorum crescebat. Quasi dicat, pari gradu procedebatur, hinc per beneficia, inde per ingratitudines. Mittebat Deus Prophetam aliquem, iniuriis exceptum irridebant; mittebat alium, lapidabant prædicantem: misit proprium Filium, neque hunc reueriti sunt. Per singulos gradus misericordiæ Diuinæ malitia Iudæorum crescebat: nam quot gradus ascendit Christus per scalam misericordiæ; tot Iudæi per scalam malitiæ: vsque adeò, vt ad summum Crucis perueniente pro illis Domino, eò quoque impudenter peruaserint, ac spinis sepserint caput sacrum, cupientes videlicet, quantum in se erat, malitia ipsa superiores euadere. Hanc summam ingratitudinis, rubus ardens illæsa integritate sua, quasi expectabat: hanc & ipsa spinarum corona repræsentabat impletam. Rectè enim citatus Clemens mihi dixisse videtur in hanc rem; Sui typũ Synagoga in spina circumposuit: quasi dicat; non potuit meliùs exprimere qualis esset erga Dominum, quàm ingrata, quàm crudelis: quàm spinas eius capiti circumponendo, in hoc enim declarauit ad summum se ingratitudinis peruenire.

*Sui typum Synagoga in spina circumposuit.*


Rem vnam spectauit Deus in rubo, quæ consolatur fideles animas: videlicet, quia inter labores (sicut Filium suum inter spinas) pulchriores exhibiturus erat. Id sibi vult illud Cant. 2. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias*, loquitur Deus Pater: sicut lilium meum, filius meus, formosus meus, inter spinas ingratitudinis Iudæorum gratior eminet: sic tu fidelis anima, cùm à filiabus, hoc est, imperfectis improbísque vexaris ac pungeris, gratior mihi formosiórque videris, planè lilium, lilio meo simillimum. Ergo rubus, vnde tanta pulchritudo prodire debet, toleretur, imò æstimetur. Nam vel ob id iam nunc sedes Dei est, vnde Moysi apparet inter spinas tanto cum splendore, vt is non horreat, imò se inuitet ad appropinquandum: *Vadam, & videbo Visionem hanc magnam.*

*Inter labores ostēdit Deus pulchriores fideles suos. Cant. 2. 2. Sicut lilium suum, hoc est, filium, inter spinas.*

## Declaratur alius sensus apparitionis in rubo.

### SECTIO III.

1. *Rubo ardente, & non combusto populus Hebræorum significatur ipsis persequutionibus auctus. Locus Philonis egregius.*
2. *Expenditur sententia præcedens Philonis, & illustratur loco vno Ambrosij, & altero Tertul.*
3. *Vstionem hîc, conflationem esse, probatur ex Tertulliano, qui similiter missionem Martyrum vocat conseruationem, & sanguinem Martyrum semẽ. Locus Chrys. explicatur. Locus Apoc. 15.*
4. *Deus in rubo significat, præsto illum esse suis laborantibus. Locus insignis Numer. 16. de Moyse, & Aarone confugientibus ad tabernaculum. Explicat ponderátque Orig.*
5. *Locus alter Actor. 7. de Stephano vidente Christum stantem, illustratur facto Alex. explicat Glossa minor quid sit stare.*
6. *Deus in medio rubi proprius suorum consolator. Locus Ps. 90. Illustrant Gregorius Magnus & Bernardus. Quare Isaiæ Christus sedens apparuerit, Stephano stans? Explicat Aug. Deus vbi maiores labores. Locus Isai 43. & alter 2. Reg. 7.*



1. Est alius sensus traditus à Theodoreto, & à multis habitus pro literali; nimirũ in rubo ardente, & non combusto, significare voluisse Deũ, talem futurum populum suum, in hac eductione quam parat: vt ardens afflictionibus, non solùm non consumi debeat, sed augeri ampliùs, & gloriosior euadere. Recolere oportet illud Exod. 1. 11. *Præposuit, Pharao, magistros operum, vt affligerent eos oneribus.* Alij, *vt frangerent. quantóque opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur.* efficax ad perdendum strategema. non enim anni dumtaxat homines consumunt, sed etiam anxietas animi (ait Ouidius) continuúsque labor. Verùm Hebræi in suo continuo labore magis multiplicabantur, iuxta radicem ebulliebant. propriè de formicis, quæ per strictas cauernas pullulant hîc illic: vel de piscibus, qui per aduersos aquarum fluxus, ac scopulorum angustias innumeros emittunt fœtus. Sic ergo Hebræi quò magis grauabantur, eò magis multiplicabantur, ebulliebant. Pugna (ait Iosephus) erat inter eos. Ægyptij nempe onera multiplicabant, cúmque penè crederent obrutos, identidem inter onera emergebant, ac filiorũ illos multiplicatis fœtibus veriùs obruebant. Pugna erat inter eos, planè noua & mirabilis. Nec porsus aliter res euenit; nam quò magis premebantur ab exactoribus Pharaonis, eò magis roborabantur; erátque illis Ægyptus pro fornace quidem ferrea, sed in qua eorum mentes, vt aurum, probarentur, atque educerentur ad purum. Et planè erant inter medios labores perinde vegeti, ac rubus ardens incombustus. Hanc interpretationem Philo quoque prosequitur, ac per elegantem apostrophen ad Hebræos oppressos, & Ægyptios opprimentes: Vestra, inquit, infirmitas, potentia est, quæ punget, vulnerabítque multos. Qui delere cupiunt vos, inuiti seruabũt; vos quoque crudeles, & igni voraci similes, ne nimiùm confidatis, vestris viribus; cogitate inuictissimas opes aliquando deletas, & resipiscite. Ecce flamma suapte natura vrens, vt lignum vritur; lignum verò cremabile vrit euidenter, ignis in morem. Hæc Philo.

*Theodor.*

*Populus inter afflictiones magis auctus.*

*Laboribus consumũtur homines.*

*Ebulliebant inter labores piscium instar, aut formicarum.*

*Ægyptij pugnabant laboribus, Hebræi filiis.*

*Aegyptus, fornax, sed in qua, vt aurum, probarentur.*

*Philo.*

*Infirmitas Hebræorum, potentia erat, & eos Ægyptij seruabant.*

*Flãma vritur, lignum vrit.*

Ex quibus colligimus, germanam persecutionis pro Deo naturam esse, seruare eos, qui ea laborant. Nam illud, *Qui delere cupiunt vos, inuiti seruant*, concinit cum sententia Ambrosi. super Psal. 118. Octon. 11. quæ sic ait: Persecutio custodia salutis. Et illud, *Flamma vt lignum vritur*, &c. optimè explicatur illo Ps. 61. 4. *Interficitis vniuersi vos, tanquam parieti inclinato, & maceria depulsæ.* Aduersùs persecutores, qui vt paries ruina sua se dissoluit, etiamsi iacentem opprimat, ita illi quanuis fideles vexent, ipsa eorum vexatione se dissipant; quod passim inuenies apud Patres. Nam ideo Tertullian. de fuga in persequut. Cùm exurimur, inquit, persecutionis ardore, tunc probamur de fidei tenore. Hæc erunt ignea iacula diaboli, per quæ vstio fidei, & conflatio administratur. Ita Tertul. Vult ergo ignẽ persecutionis non consumi, sed ad purum redigi tenorem fidei; ipsum quoque diabolum per ignea iacula ipsius conflatorem esse; idque vrendo, vel nolentem satagere, vt perfectior euadat: nota enim quod ait, *per quæ*, scilicet ignea iacula, *vstio fidei, & cõflatio administratur*;

*Persecutio seruat.*

*D.Ambr. Persecutio, custodia salutis. Ps. 61. 4. Persecutor, vt paries ruina sua dissoluitur, etsi lædat aliquem.*

*Tertull. Cùm exurimur, probamur.*

*Diabolus per ignea iacula conflator est.*

*Vstio in persecutione conflatio est.* Athanas.

tur; aliis enim in rebus vstio, perditio est, in persecutione, conflatio. Vnde Athanas. in Apologia de fuga sua, persecutionem accommodatè vocauit fornacem conflatoriam; in qua, scilicet, iusti exustione ipsa purificantur, & splendescunt.

Tertul. *Plures efficimur, quoties metimur. Semen, sanguis Christianorum.*

3. Similiter autem Tertullianus philosophatus est in messione & conseruatione fidelium, ac in vstione, & conflatione. Nam in fine sui Apologetici hoc modo: Plures, inquit, efficimur, quoties metimur: semen est sanguis Christianorum. Ita ille. quo egregiè significauit, non posse Christianos persecutionibus imminui: quia semen est eorum sanguis, cuius quò plus effusum fuerit, eò maior promittitur fidelium prouentus; sicut messio copiosa, amplioris segetis praeparatio est. Et Chrysostom. ad cap. 7. Matth. eandem appellauit baptismum ignis. Omnis, inquit, aduersitas, quae nos sine nostra occasione tribulat in hoc mundo, baptismus ignis est: & in aqua quidem semel baptizamur, in igne autem hoc, pene dum viuimus. Hunc baptismum in Ecclesia militante vidit Ioannes Apocal. 15. 2. cùm ait: *Vidi tanquam mare vitreum mixtum igne, & eos qui vicerunt bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, stantes supra mare vitreum, habentes citharas Dei, & cātantes canticum Moysi,* &c. Nam mare per se amarum persecutiones ipsas repraesentat, quòd autem vitro simile sit, id ostendit, quod in Martyribus, maximè verò foeminis, mirabile fuit; in tanta scilicet, fragilitate naturae, tantum fidei splēdorem inuictum perstitisse; ignis verò intermixtus vim significat purificatoriam, qua probati Martyres gloriosi euadunt, ac supra littora caeli citharas laudum, & gratiarum Dei pulsant, pro foelici laborum transitu.

D. Chrys.

*Persecutio continuus baptismus.* Apoc. 15. 2.

*Mare vitreū mistum igne, persecutio est. Vitreum, propter fragilitatem foemininam aut naturalem in Martyribus. Intermistus ignis, vis purificatoria.*

*Deus praestò adest laborātibus.* Num. 16. 41.

4. Porro autem Deus in medio rubi significat, illum praestò esse laborantibus, ac persecutionem patientibus pro nomine suo; cuius rei insigne exemplum habemus. Numer. 16. 41. vbi sic: *Murmurauit autem multitudo filiorum Israel contra Moysem, & Aaron, dicens: Vos interfecistis populum Domini. Cùmque oriretur seditio, & tumultus incresceret, Moyses, & Aaron fugerunt ad tabernaculum foederis, quod postquam ingressi sunt, operuit nubes, & apparuit gloria Domini.* Ad quae verba praeclarè Orig. hom. 9. super Num. Non legimus, inquit, antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maiestas Domini, & receperit intra nubem Moysem, & Aaron, nisi nunc, cùm insurrexit in eos populus, & voluit lapidare. Discamus ex hoc, quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiae conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter Spiritus sanctus infundatur: tunc enim maximè gratia Dei adest, cùm hominum saeuitia concitatur. Ita Origenes.

*Periclitantibus Moysi & Aaron adest Deus.* Orig.

*Laborātibus propugnator fit Deus.*

Act. 7. 55.

5. Alterum exemplum est Actor. 7. 55. cùm Stephanus inter hostiles Iudaeorum fremitus, *intendens in caelum, vidit gloriam Dei, & Iesum stantē à dextris virtutis Dei.* Generosum Christi pectus, vt insonuit bellicum, corpus totum impulit, ac in armis pro suis stare fecit. Alexandrum fama est (liceat magnis componere parua) cùm pranderet ad tibias, ac tibicines mutato sonitu bellicum intonarent, subitò arrectum sine sensu corripuisse lanceam: magno videlicet argumento pugnacis animi, ac virtutis Imperatoriae. Sed & Christus in empyreo caelo deliciis affluens non tamen suorum immemor, imò rebus, ipsorum ita est intentus, vt simulac increpuerit bellantum

*Assurrexit Christus quasi pugnaturus pro Stephano. Comparatio Alexandri Magni.*

gemitus, assurgat illico à deliciis ad arma. Et Iesum stantem a dextris virtutis Dei, armatus scilicet omnipotentia diuina contra hostes suos, ac suorum. Hinc illud Glossae interioris: Stare, inquit, pugnantis, ac iuuantis est. Et Ambros. epist. 82. Stabat quasi sollicitus, vt coronaret Martyrem. Similiter ergo Deus, Hebraeis inter opprimentium iniurias in caelum clamantibus, adest pugnaturus pro ipsis in medio rubi.

Glossa int. D. Ambr. *Stare, pugnantis, & adiuuantis.*

6. Sed enim in medio rubi Deus plus adhuc videtur ostentare benignitatis, ac misericordiae, se videlicet, non quomodocunque adesse suis, sed per compassionem in medio rubi, quasi immistus suis dum laborant. Psalm. 90. 15. *Cum ipso sum in tribulatione.* Vna sum, inquit Theodoret. & idoneam consolationem affero. Quàm scitè dixit, *idoneam*? illius enim sola idonea est consolatio, & bene congruens afflicto, qui vnà cum eo laborat. In quam rem optimè Gregor. Magnus 3. Moral. Dolorem, inquit, non potest consolari, qui non concordat dolenti: emolliri priùs debet animus, vt afflicto congruat, congruens haereat, haerendo trahat; nec iacentem erigimus, nisi à rigore nostri status inclinemur. Ita ibi. Et certè D. Bern. in tractat. de gradibus humilitatis exhortans ad compatiēdum miseriae proximi. Aeger aegro, inquit, & ieiunus ieiuno, quātò propinquiùs, tantò familiariùs compatiuntur. Sicut enim pura veritas non nisi puro corde videtur: sic miseria fratris veriùs misero corde sentitur. Sed vt ob alienam miseriam, miserum cor habeas, oportet tuam priùs agnoscas, & proximi mentem in tua inuenies, vt ex te noueris, qualiter illi subuenias. Exemplo scilicet Saluatoris nostri, qui pati voluit, vt compati sciret, & disceret ex his, quae passus est, misericordiam. Ita Bern. Illustrari potest loco Horatij in arte poëtica:

*Adest Deus per compassionis affectum.* Psal 90. 15. Theodor. *Idonea cōsolatio per cōpassionem.*

Greg. Mag

D. Bern.

*Quantò propinquiùs, tantò familiariùs compatimur.*

*In tua miseria inuenies qualiter misereris proximo. Christus pati voluit, vt compati sciret.*

*---si vis me flere, dolendum*
*Primùm ipse tibi, tunc tua me infortunia laedent.*

Quin & illud stare Christi ad passionem Stephani, vt Gregor. Magnus asserit ad 1. lib. Reg. compati fuit. Stabat videlicet Stephanus inter carnifices illos accinctus obeundae pro Christo morti; at Christus id videns, cùm iam sederet ad dexteram Patris, assurrexit, ac patiētis in modum stare voluit, vt Stephanum consolaretur. Non dissimile est illud, quod August. ponderauit in hac ipsa statione Christi q. 88. super nouum Testamentum. Quaerit enim quare Christus visus sit Isaiae sedens (sedentem enim super solium excelsum, cap. 6. Christum interpretatur) Stephano autem stans, Actor. 7. 55. Et respondet: quoniam tūc, inquit, in pace erat diuinitas eius; in Stephano autem Saluatoris causa vim patiebatur: ideo sedente Iudice Deo, stans apparuit, quasi qui causam diceret: omnis enim, qui causam dicit, stet necesse est. At quia bona causa eius est, ad dexteram Iudicis stabat. Ita August. Allusit ad morem Romanorum; apud quos qui rei vocabantur in iudicium, non modò ipsi stantes causam dicebant, sed cognati, amici, familiares, cum illis simul stabant, sordidati, barbáque, ac caesarie promissa, ac si vna esset illis cum afflicto causa: id ergo vult August. Stephano in iudicium prolato, causámque dicenti ad populum rebellem, & contradicentem, Christum è caelis adfuisse, stantem cum illo pariter, ipsóque statu suo praedicantem, vnam sibi cum Stephano causam esse, & ideo compati se, & condolere ipsi tanquam familiarem.

Greg. Mag.

*Stat Christus cū Stephano stāns, in morem compatiētis.* D. August. Isai. 6. 1. Act. 7. 55.

*In Stephano Saluatoris causa vim patiebatur, ideo stat.*

*Mos Romanorum, stare reos cùm causam dicunt, & cum eis familiares.*

*Stat Christus tanquā familiaris.*

7. In

7. In medio, vel (vt alij vertunt) in corde rubi, vbi scilicet ardet intensior: nam licèt medium cuiusque rei Hebræi vocent cor, plerumque tamen inseruit ad exaggerandum. Sic ergo dicamus, Deum in corde tribulationum simul esse nobiscum, id est, vbi illæ maiores sunt, ac proinde feruent, vt in corde sanguis; vnde illa piorum vox: ibi Deum esse, vbi labores maximi, non procul videlicet à rubi ardoribus, sed omnino inter ipsos, è medio rubi. Vbi seruitus ergo magis vrget, vbi labores, vbi molestiæ, ibi non tenuit adesse Deus. Certè quidem notatu digna est in rem præsentem illa Dei querela de populo suo apud Isai. cap. 43. 24. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* quasi dicat: Non satis fuit, quòd me peccando offenderis, sed cùm necesse fuerit te ob id punire variis captiuitatibus, vt seruires apud exteras nationes, illud profectò euenit in magnam prædicationem clementiæ meæ; quòd te seruientem minimè deseruerunt, sed planè tui miserans, tecum ipse seruierim, vt seruitutis onus tibi esset, me præsente & compatiente, tolerabilius: seruire me fecisti in peccatis tuis, & laborem præbuisti. In te verò præsenti nimirum, quòd Deus in captiuitate Ægyptiaca concaptiuus fuerit, probatio in promptu est, eliciturque ex illo 2. Reg. 7. 23. cùm Dauid inter alia Domino dixit: *Quæ est autem gens in terra, vt populus tuus Israël, quem redimisti tibi ex Ægypto, gentem, & Deum eius?* vbi commemorato absolutè beneficio liberationis Hebrææ gentis ab Ægypti seruitute, quasi specificans, quinam, & quales educti fuerint; addidit, *gentem, & Deum eius:* ac si diceret, totus populus eductus est, & Deus eius cum eo: vtpote, qui cum suis captiuis veluti concaptiuus tenebatur. Si ergo se ipsum cum populo suo redemit Deus, profectò cum illo seruiebat antea, dum scilicet seruienti aderat, opera sua iuuans ad onera seruitutis faciliùs sustinenda. Illustrari id potest illo Sophon. 3. 9. *Humero vno seruient ei.* quæ est vna ex felicitatibus promissis fidelibus, nam seruient illi quidem Domino, sed vno humero; alterum enim ipsemet Dominus applicabit, ad iuuandum eos in seruitute sustinenda. Ita in medio flammæ apparens Moysi, efficiebat nihilominus, vt rubus, quem vndequaque corripuerat, nequaquam incenderetur.

*In medio rubi, id est, vbi maiores tribulationes.*

Isai. 43. 24.

*Deus miserans populi seruitiis, cũ eo quasi seruiebat.*

*Deus concaptiuus Hebræorum.* 2. Reg. 7. 23.

*Liberati à seruitute Hebræi, & verũ Deus.*

---

## *Deiparæ Virginitatem mysticè significatam in rubo ardente, & non combusto.*

## SECTIO IV.

1. *Rubo incombusto Deipara designatur, iuxta Nyssenum, idque in conceptu, & partu. Illustrat Rupertus, & Ambrosius loco Cant. 7.*
2. *Virgo in conceptu liliis coronata. Ex D. Ambros. illustratur loco Psalm. 109. Omnia in conceptu Virginis sancta. Primùm legatus, quod ostenditur. Deinde Virgo ipsa. Explicatur ex Basilio, & expenditur quomodo appellet Virginis carnem, sanctitate compactam. Item ipsa salutatio, ex D. Augustin. & Spiritus sanctus operator mysterij, tunc absolutè primùm dictus est sanctus. ostenditur ex Ruperto. Denique Verbum Diuinum est ipsa sanctitas, ostenditur.*
3. *Rubi item miraculum in partu Virginis ex Hilario, Augustino. decuit, vt ita fieret, ex D. Bernardo. ostenditur, ex Leone M. D. Ambrosio. similiter, & sine dolore peperit, ex D. Bernar.*
4. *Radix miraculorum istorum in Virgine Deus ipse, quasi in medio rubi. Augustin. Hugo Victorin. Leo Magnus.*

D. Fern. in Vis. vet. Test.

1. INSIGNIS figura est integritatis Deiparæ rubus ardens incombustus. Idcircò mirum, quomodo ad eam celebrandam conspirauerit omnis antiquitas. Hunc verò figuralem transitum egregiè timatus est Hilar. Greg. in serm. de sancta Christi natiuitate ponderans illud, quod iuxta Hebræum textum dictum est à Moyse hoc loco: *Transibo, & videbo Visionem hanc magnam.* Non de loco ad locum, ait, sed de tempore ad tempus, quod enim tunc in rubo per figuram disponebatur, in eo quod in Virgine contigit mysterio, apertè reuelatum est, vt enim ille frutex incendit ignem, & non crematur, itidem Virgo & lumen parit, & non corrumpitur pariendo. Ita Nyssè. In duobus autem impleta est hæc figura in Virgine: nimirũ in conceptione, & in partu, vtrobique enim verè fuit rubus ardens incombustus. Concepit ergo in se cælestem ignem, quo tamen tantùm abest, vt fuerit ambusta virginitas, vt viridior inde, & floridior euaserit. Quocirca meritò Rupertus lib. 1. super Cant. Ideo Virginem mirabilem prædicat, quòd ipso fuerit conceptu Verbi florida, cùm cõceptus alioqui cæteras defloret. Vnde illud Cant. 7. 2. *Venter tuus, sicut aceruus tritici vallatus liliis.* Deiparæ accommodat D. Ambr. de institutione Virginis: nempe quòd in ventre Virginis summa fuerit fœcunditas, cum summa Virginitatis integritate coniuncta. Floruerat ante liliis venter; sed post conceptum liliis vallatur, seu coronatur, vt non iam post illum integrior, sed multò euaserit honoratior. Vnde illud Chrysolog. serm. 146. quòd Virgo, inquit, conceperit, honor est Spiritus; non onus est ventris. Quod vlteriùs explicans D. Hieronym. in sermon. de Assumptione. Ante hoc ait vterus Virginis, licèt mundus, tamen adhuc vilitate humilitatis induitur; lana quidem candidissima, sed suo colore dealbata, ad quã cùm accessisset Spiritus sanctus, vt lana infecta conchylio, vertitur in purpuram, versa est & ipsa in Matrem Dei, vt non sit iam quod erat. Ita ibi.

*Figura Virginitatis Deiparæ, rubus ardens incombustus.* Hilar. Greg.

*Transitus ab historia Visionis ad Virginem.*

*Virgo lumen parit, & non corrumpitur pariendo.* Rupert.

*Virgo ipso fuit conceptu Verbi florida.* Cant. 7. 2. D. Ambrof.

*In ventre Virginis summa fœcunditas, cũ summa integritate.*

*Venter post conceptum liliis coronatus.* D. Petr. Chrysol. D. Hieron.

*Vt lana in purpuram, sic Virgo vertitur in Matrem Dei.*

2. Ex quibus colliges, Virginem in conceptu Verbi puritatem suam non solùm non amisisse, sed regiis insuper ornamentis condecorasse. Nã inde cœpit eam mundo ostentare coronatam liliis; inde & purpuratam spiritu. Ardebat igitur Diuino quasi succensa murice, ac radiis vallata candentibus: verè scilicet per hunc fulgorem regium, rubus ardens incõbustus. Ardor igitur hic illustrandæ conceptioni solùm inseruiit, cui congruit illud ad Dei Filium incarnatũ, Psal. 109. 3. *In splendoribus Sanctorũ,* neutraliter, pro sanctitatum, *ex vtero,* scilicet Virginis, *ante luciferũ,* id est, summo mane *genui te,* vel, iuxta Hebræum, *tibi ros generationis:* vt sit sensus: Generatio tua, ô fili mi, quamuis inter omnes sanctitatum splendores in vtero Virginis coruscauerit; tamen, vt ex matutino rore solet esse telluris germinatio, sic in tanto lucis feruore, amœnissima, hilarissima, ac dulcissima fuit; quasi cæteris omnibus Diuina indulgentia temperatis, vt solus esset locus splen

*Virgo post conceptum coronata, & purpurata.*

Psal. 109. 3.

*Generatio Christi in summo feruore sanctitatum summè hilaris ac suauis.*

I

*In generatione Verbi nihil non sanctum.*

splendoribus sanctitatum: rectè autem dicitur sanctitatibus clara conceptio, vtpote in qua nihil non sanctum, non purum interuenit. Primum, legatus ipse Angelus est; ac de Angelis quidem absolutè pronunciauit Ambros. ad illa verba Domini, Luc. 12. 27. *Considerate lilia agri*; qui verè, inquit, scilicet Angeli, mundi istius flores sunt, quòd eorum claritatibus ornatur mundus, & bonum odorem sanctificationis aspirant; quorum præsidio fulti possumus dicere: *Christi bonus odor sumus Deo.* Hoc verò munus aspirandi sanctificationem (intellige per mediationem) nusquam melius Angelus quiuis, quàm in Virgine præstitit Gabriel; eam enim primò statim afflauit plenitudine gratiæ, *Aue*, inquit, *gratia plena.*

D. Ambros. Luc. 12. 27. *Angeli flores mundi, qui odorem sanctificationibus inspirant.*

Quocirca, & Virgo tantam in conceptione Verbi sanctitatis opinionem adepta est, vt in illam hyperbolem audacter proruperit D. Basilius in homil. de humana Christi generatione: Sanctitate, inquit, compacta, caro digna erat, vt dignitati Vnigeniti vniretur. Quidquid de sanctitate animæ Virginis dixisset Basilius, nemini foret aut mirum, aut dubium, cùm anima propria sit sedes sanctitatis; at quòd ipsa Virginis caro dicatur sanctitate compacta, id summam continet exaggerationem sanctitatis. Ac primo sensu quidem significat oppositum illius, quod Dauid de se, & ex consequenti de cæteris hominibus asserit Psalm. 50. 7. *In iniquitatibus conceptus sum*, Vnde Paul. ad Rom. 8. 3. carnem peccati dixit. Sicut ergo communis hominum caro massa quædam est, iuxta August. peccati originalis quadam quasi infusione subacta; ita singulari priuilegio caro Virginis, in eius conceptione sanctitate compacta, & conglutinata est. Alio verò sensu significat, impleta ad summum anima Virginis, quasi exundasse, & in carnem eius effusam fuisse sanctitatem, vt vnioni Verbi diuini redderetur apta. Ita explicat Eusebius Cæsar. illud Lucæ 1. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te*, id est, qui supernè habitat in mente tua, descendet etiam ad sanctificandam inferiorem tui partem, id est, carnem, de quo & Bern. Vt ventrem (inquit) perfundat, qui perfuderat mentem. Consonat verò Greg. Nyssen. in sermon. de Natiuitate Domini. O beatum, inquit, vterum Mariæ, quæ bonitatis præstantia ad se traxit animi bona! in reliquis enim omnibus, animus purus Spiritus sancti præstantiam capit. Hîc autem caro fit Spiritus receptaculum. Ita Nyssen. Ex quibus apparet, quomodo tota Virgo, corpore, scilicet, & spiritu, sancta fuerit.

D. Basil. *Sanctitate compacta caro Virginis.*

Psal. 50. 7. ad Rom. 8. 3.

D. August.

*Ex anima impleta effusa est sanctitas in carnem Virginis.*

Eusebius Cæsari. Luc. 1. 35. D. Bernard.

Greg. Nyss. *Vterus Virginis ad se traxit animi bona.*

Præterea salutatio ipsa purissima fuit, de qua pulchrè August. serm. 11. de Natiuitate Domini; aut (sicut alij volunt) Fulgentius: Angelus, inquit, sermonem iecit, Virgo concepit, coniunctio hæc sine sordibus facta est, in qua, & maritus fuit sermo, & vxor auricula. Hoc splendore Filium Dei concipi decuit, hac munditia generari. sic ibi. Sed & Spiritus ipse Diuinus, qui ex appropriatione, huius mysterij operator fuit, nunquam absolutè dictus est sanctus, nisi cùm illud executioni mandauit in Virgine. Notauit hoc Rupert. ad 1. cap. Matthæi, nunquam scilicet in veteri Testamento assumpsisse sibi Diuinum Spiritum titulum sancti absolutè. Dicitur enim ibi sæpe Spiritus Dei, Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ; & Psalm. quidem 50. 15. nominauit Dauid *Spiritum sanctum*, sed statim addi-

D. August. *Angelus iecit sermonem, virgo concepit: sic maritus sermo, auricula vxor.*

*Spiritus sanctus in hoc mysterio primùm dictus sanctus.* Rupert.

Psal. 50. 15.

A dit, *tuum*, & Sapient. 1. 5. dicitur; Spiritus sanctus, sed cum hoc addito, *disciplinæ, effugiet fictum.* Ecclesi. item 1. 9. *Ipse creauit illum in Spiritu sancto*, &c. Sed illud, *in Spiritu sancto*, nec est in Græco, nec significat personam Spiritus sancti, sed ipsam Diuinitatem, vt constat consulenti literam. Itaque in veteri Testamento non est nominatus Spiritus sanctus, nisi restrictè, per relationem scilicet ad ipsum Deum, aut ad aliquod donum. At verò postquam sanctissimum mysterium Incarnationis operatus est, ab opere scilicet omni sanctitate claro, titulum sibi assumpsit sanctitatis absolutæ.

Sap. 1. 5.

Ecclesi. 1. 9.

Denique & Verbum Diuinum in vtero Virginis Incarnatum est ipsa puritas; Psalm. 2. 12. *Apprehendite disciplinam.* Iuxta Hebræ. *Osculamini filium*, vel, *puritatem*, quasi idem sint. Hinc illa alibi in locis puritatis eius symbola, candor, lux, sol, quæ vim habent penetrandi absque corruptione. Quò alludens Aug. serm. 17. de Natiuitate: Cum seruilem, ait, casam, per ostium fides speratus quondam dominator intraret, rubuit inuiolata virginitas, nec pessulum pudoris infregit, quia in sacris visceribus radius æternæ claritatis effulsit. Sic August. vt non aliter existimemus illustriorem, ac integriorem mansisse Virginem in conceptione Verbi, ac specularia, Solis radiis pertransita: Rubuit, inquit, inuiolata Virginitas, cùm scilicet ad ingressum Diuini solis verecundo rubore decentissimè ignescens Virginis facies, tunc quoque rubum ardentem, & incombustum verissimè repræsentauit.

*Verbum Diuinum incarnatum, ipsa puritas.* Psal. 2. 12. *Dicitur candor, lux, sol, quæ vim habent penetrandi absque læsione.* D. Aug. *Virgo post conceptionem, vt specularia radiis pertransita.*

*Verecundia Virginis in conceptione.*

3. Alterum est, in quo miraculum rubi manifestè apparuit, nimirum partus Virginis. Edidit enim in lucem Filium suum, & tamen Virginitatis non est passa detrimentum. Et fuit quasi consequens ex conceptione immaculata, immaculatus partus. Vnde illud Hilarij in sermon. de Ascensione. Sinum Virginis, ait, inuiolabiliter pertransiit, sicut reuerenter intrauit. Et August. in sermonib. variis de Natiuitate. Vbi Virginitas, inquit, concepit, Virginitas parit. Christus eodem omnipotentiæ signo conceptus & natus, Virginem habuit matrem cùm portaretur in vtero, & cùm ex vtero funderetur. Virgo genuit, quia Virgo concepit, inuiolata peperit, quia in conceptu libido non fuit. Vtrobique miraculum, & sine corruptione grauida, & in partu Virgo puerpera. Decuit autem maximè vt ita fieret, primùm ob rationem D. Bern. quàm ita eleganter proponit super Missus est. Porro, inquit, Deum huiusmodi decebat natiuitas, qua non nisi de Virgine nasceretur: talis & congruebat Virgini partus, vt non pareret nisi Deum. Voluit itaque esse Virginem, de qua immaculata immaculatus procederet, omnium maculas purgaturus ita Bern. Vbi meritò quæres, cur dixerit, *de qua immaculata immaculatus procederet?* an si aliter faceret, immaculatus non procederet qui nullius maculis inquinari potest? Certè quidem si Deus ex corrupta nasceretur matre, maneret quidem, quoad se ipsum immaculatus, sed in ipsa opinione hominum, non ita se probaret. Nam quomodo crederent, ipsum nasci ad purgandas peccatorum maculas, si maculam in Virginitate nascendo poneret? Vt ergo officium Saluatoris decenter, & cum fructu exequeretur in cæteris, omnino decuit, vt in ipsa Matre vim saluandi prius

*Consequens fuit immaculatus partus ad immaculatã conceptum.* Hilar. D. August. *Vbi Virginitas concepit, Virginitas parit.*

D. Bernard.

*Decebat Deum de Virgine nasci, & Virginem Deum parere.*

*Quoad opinionem hominum non maneret immaculatus Deus, si ex corrupta nasceretur.*

*Signũ, quòd tolleret à nobis dedecus & dolorem, mater ab vtroque exempta.*

priùs incorruptam testaretur. Quare Bern. serm. 4. in Vig. Natiu. Vt fiduciam, inquit, nobis daret, quòd tolleret hæc à nobis, i. dedecus & dolorem, priùs matrem suam immunem ab vtroque seruauit; vt nec in conceptu quicquam pudoris, nec; in partu quicquam doloris existeret. ita Bern.

Leo Mag. *Partus salutis, corruptionis expers. Custodia pudoris, editio veritatis.*

Quare, & Leo Magnus serm. 1. de Natiuitate; Meritò, inquit, Virgineæ integritati nihil corruptionis intulit partus salutis: quia custodia fuit pudoris, editio veritatis. Oportuit vt primò genitricis integritatem nascens incorruptio custodiret, & complacitum sibi claustrum pudoris, & sanctitatis hospitium, Diuini Spiritus virtus infusa seruaret, qui statuerat deiecta erigere, confracta solidare, & superandis carnis illecebris multiplicatam pudicitiæ donare virtutem. Hæc à Leone. Manifestè autem nominauit partum salutis à saluata Virgine; addit enim pro ratione, quia custodia fuit pudoris editio veritatis. Quomodo ergo veritatem Virginitatis adulteraret veritas? Mater ergo hac in re primitias salutis tulit, sicut notauit Ambros. ad 1. Lucæ. Vt per quam, inquit, salus omnibus parabatur, eadem fructum salutis hauriret ex pignore. Sic ille. Arsit ergo partu Virgo, sed Virginitas non est consumpta: similiter arsit partu, sed partus dolores singulari prærogatiua non sensit. Iure quidem (ait Cyprianus in sermone de Natiuitate) nulla præcedens delectatio, aliquam expetiit pœnarum vsuram. Cuius figura Isaac, id est, risus: hunc enim vt peperit mater, ait: *Risum fecit mihi Dominus.* Quò alludens Imperfectus homil. 1. in Matth. Noster Isaac, inquit, producitur à matre gaudium cunctis. quomodo ergo risus ipse dolentem faceret? Rectè quidem Bernard. serm. 4. in vigilia Natiu. Cui poterit, inquit, asper, & durus videri, qui nec ipsi matri in Natiuitate quidquam asperitatis, quicquam intulit læsionis? Dolores ergo matris, puer ipse in se, vagiendo, & lacrymando suscepit. Partus sine dolore absconditur, vagitibus paruuli, & mœrore (ait Bern. alibi.) Ob has ergo rationes omnes, verè fuit Virgo rubus ardens incombustus.

*Virgo tulit primitias salutis.* D. Ambros. — D. Cyprian. *Nulla pœnarum vsura, vbi nulla delectatio. Christus noster risus, dolorem non infert.* Imperf. D. Bernard. — *Dolores matris vagiendo suscepit.* D. Bern.

4. Radix autem horum miraculorum fuit Deus ipse, in Virgine, vt olim in rubo. Vnde illud August. Serm. 16. de Natiuitate. Intellige, inquit, natum Deum, & non mireris Virginis partum. Et Hugo Victor. ad illa verba Luc. 1. 35. *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Quia in corde eius amor Spiritus sancti singulariter ardebat; ideo in carne eius virtus Spiritus sancti mirabilia faciebat. Et Leo Magnus Serm. 2. de Natiuitate. Non hîc cogitetur, inquit, parientis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat, & poterat. Quamquam D. August. plus hac in re miratus est voluntatem Dei, quàm potentiam, Serm. 22. de Natiuitate. Mira est, inquit, ista potentia, sed plus miranda misericordia, quòd ille, qui sic nasci potuit, sic nasci voluit. Quò videtur alludere Bern. serm. 3. de Natiuitate. Magna, inquit, Dei misericordia, quia sic venire voluit, qui potuit subuenire, videlicet, potenter è cælo præstando auxilium. Propterea credo dixisse eúdem Augustinum serm. 4. de Natiuit. Natiuitatem Christi potentiam Diuinitatis honorasse: nam antea potentia Dei circa alia exercebatur, nunc postquam effecit, vt Deus ipse ex Virgine nasceretur, quasi circa Deum quoque vi sua exercita honorabilior, ac il-

D. August. *Natum Deum, Virgini matri probat.* Hugo Victor. Luc. 1. 35. Leo Mag. — *Magis miranda misericordia, quàm potentia nascentis.* D. August. D. Bern. *Qui potuit subuenire, maluit venire.* D. August. *Natiuitas Christi Dei honorauit potentiam, quoniã circa ipsum Deum operata est.*



A lustrior esse cœpit. Fortè autem eò spectat Hesychij Hierosolymitani dictum illud, Virginem Deiparam fuisse vniuersum Trinitatis complementum: nam personæ Diuinæ, quod attinet ad se, completissimæ sunt. Hesych.

## *Aliqui alij sensus mystici è pluribus, quos Patres aliquando afferunt.*

B

## SECTIO V.

1. *Ignis in rubo, Spiritus sanctus in populo Hebræo, cuius rebellionem non consumpsit.*
2. *Ignis in rubo, gratia Christi consumens peccata. Item species resurrectionis, ex Ambros.*
3. *Rubus incombustus, Christus resurgens, ex Chrysost. & Gregor. Magno.*
4. *Flamma rubi, lex vetus, quæ Iudaici populi peccata non consumpsit, ex D. Greg.*
5. *Rubo ardente significatur Verbi Incarnatio, ex Cyrillo Alex.*

1. Præter prædictos sensus, qui sunt celebriores, sunt alij mystici à Patribus variè vsurpati, quos proponam breuiter. Igitur D. August. in sermon. de Tempore, Ignem, ait, in rubo viridi, Spiritus sancti ignem repræsentare, qui diu quidem in synagoga arsit, nec tamen eius viriditatem, id est, rebellionem consumere potuit. De quo est illud Stephani Actor. 7. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut patres vestri, & vos.* Illud, *semper resistitis*, in præsenti significat ingenium seu naturam, ita ex se ad resistendum compositam, vt cùm in Spiritus sancti igne sit infinita actiuitas ad agendum, & consumendum, nihil tamen aut parum profecerit vnquam in naturali Iudæorum resistentia superanda.

C — D. August. *Ignis in rubo viridi, Spiritus sãctus in Synagoga rebelli.* Act. 7. 51. *Præsens in Scriptura significat ingenium.*

D 2. D. Ambros. lib. 1. de Spiritu sancto cap. 16. Vrebatur, inquit, rubus, & non exurebatur, quia Dominus venturus erat, spinas nostri corporis illuminaturus, ac adeò ærumnosos non consumpturus, sed mitigaturus ærumnas; ideo enim dicitur baptizare in Spiritu sancto, & igne; quia & gratiam tribuit, & peccata consumit. Similiter super Psal. 43. Ideo, inquit, rubus vrebatur, & non exurebatur, quia terram istam, quæ nobis spinas peccatorum germinat, disponebat vrere, per continentiæ disciplinam. Reuelauit ergo in hoc, futurum quoddam corporei splẽdoris indiciũ, quo

D. Ambros. *Dominus venit ærũnas nostras illuminaturus, non sublaturus.*

E per resurrectionem caro nostra fulgeret. Quid enim significabat ignis innoxius, nisi lumina resurgentium? Ita Ambros. Vultque priori loco Dominum assumendo carnem hanc nostrã, quæ spinas, id est, ærumnas generat, easdem citra culpam patienter ferendo illustrasse, & extulisse; in posteriori autẽ, propositum mysterium resurrectionis iustorũ, cùm eorũ corpora, quæ igne arserunt continentiæ, splẽdore gloriæ vestienda sũt.

*Ignis innoxius, lumina resurgentium.* — *In rubo ardente mysterium resurrectionis.*

3. Mysterium Christi resurrectionis Chrysostomus agnouit cũ ait; Sicut rubus ardebat, & nõ comburebatur, eadẽ ratione corpus Christi mortuũ quidẽ est, sed à morte detineri nõ potuit. Similiter & Gregor. homil. 3. in Ezechiel. Arsit, inquit, & non arsit in passione sua Dominus, quia ex humanitate quidem est mortuus, & tamen

D. Chrys. D. Greg. *Christus arsit in morte ex humanitate, & non consumptus est ex diuinitate.*

immortalis ex Diuinitate permansit: suscepit à nobis vnde sacrificium fieret pro nobis, & incommutatus permansit in propriis, vt nos commutaret à nostris. sic ille.

D.Greg. Deut.33.2. *Rubus ardens, Iudaicus populus legem habens, non cõbustus, quia peccatorum spinas non deseruit.*

4. D. item Greg. homil. 7. in Ezechiel. Quid flamma, inquit, nisi lex, de qua scriptum est Deut.33.2. *In dextera eius ignea lex?* Et quid rubus, nisi Iudaicus populus peccatorum suorum spinis obsitus? sed rubus ardens consumi non potuit, quia Iudaicus populus ignem quidem legis accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit.

D.Cyrill. Alex.

5. Cyrillus Alexand. Rubus, inquit, spinosa A ad modum plantæ, quæ correpta est à flamma ignis: significat autem Diuinum lumen humanæ naturæ, quæ ob transgressionem spinosa manserat, particeps futurum. Sicut ergo rubus ignem ferre non potest, ita nec humanitas Diuinitatem. In Christo tamen hæc duo conuenerunt; habitauit enim in illo plenitudo Diuinitatis corporaliter, sicut scriptum est: se ipsum nimirum contrahens, vt ab humana natura capi posset. Concinit Seuerus Sulpitius. Vbi sunt, inquit, qui dicunt, quomodo fieri potest, vt Deus carni copulatus sit? Hoc rubi ignis miraculum manifestat. Hæc de mysticis sensibus Patres.

*Rubus ardens & non consumptus, Diuinitas incarnata, & non confusa.*

Seuer. Sulpit.

## *De his, quæ Visionem secuta sunt.*

## COMMENTARIVS III.

TRia sunt, quæ post exhibitam Visionem contigerunt. Primum, conatus Moysis ad eam considerandam, & prohitio Dei. Secundum, missio Moysis ad liberandum populum ex nomine Dei. Tertium, eiusdem missionis confirmatio ex duplici miraculo: de quibus breuiter.

### *De conatu Moysis ad videndam Visionem, & prohibitione Dei.*

### SECTIO I.

1. *Prohibetur Moyses accedere propter curiositatem, quæ multis locis Scriptura damnatur, Eccles.3. Explicatur à D. Bern. ad Roman.11. Explicat Aug. Admirationes hominum quomodo opes Dei, ex Nazianz.*
2. *Repellitur Moyses, vt doceatur timore tractare Diuina. Timor initium sapientiæ. Locus Psal.2. & alter Isai.6. explicantur. Item locus Psal.83.*
3. *Soluere iubetur calceamenta in signum reuerentiæ, hinc sumpta ceremonia, vt Sacerdotes in templo discalceati incederent, ex Greg. Nyss. Tropologicè per calceos significantur peccata mortalia, ex Origene, pedibus significantur affectus, Cant.5. Cur Dominus prohibuerit Discipulis calceos portare in officio prædicandi?*

1. MOYSES stupefactus nouitate miraculi dixit: Vers.3. *Dixit ergo Moyses: Vadã, & videbo Visionem hanc magnã, quare nõ comburatur rubus.* Vers. 4. *Cernens autem Dominus quod pergeret ad videndũ, vocauit eũ de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit, Adsum.* Vers.5. *At ille, Ne appropies, inquit, huc, solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim, in quo stas, terra sancta est.* Primùm quidem amouet Deus Moysem propter curiositatem eius, ad perscrutãda secreta sua. Est enim curiositas (vt Bern. in tract. de gradibus humilitatis) primus gradus ad superbiam idcirco plurimis Scripturæ locis vetitã deprehendes, maximè Eccles.3.22. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* Sic enim (ait idem Bern. ibidẽ) a te, ô curiose, recedis, vt ne te ipsũ capias, ne dum ea ipsa quæ quæris. Quod de curiosis illis apud Gentiles sapientibus pronũciat Paulus ad Roman.1.21. *Euanuerunt in cogitationibus suis*, id est, suis se discursibus curiosis inutiliter dissipauerunt. Idcirco D. August. expen- B dens illa verba Pauli ad Roman.11.33. *O altitudo diuitiarum sapientiæ Dei, quam incõprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!* Cùm nihil inueniret, inquit, quod responderet, requieuit, quia inuenit admirationem: videlicet, quia in Diuinorum secretorum cognitione abundè profecit, qui commode illa admiratus est. Hoc nos, inquit, putas perscrutari posse, quod Apostolus beatus expauit? li inuestigabilia inuestigare venisti, crede, iam perniti: tale est, inuestigabilia inuestigare, & inscrutabilia perscrutari, quale inuisibilia velle videre, aut ineffabilia fari. Ita Aug. Concinit Nazianz. orat. 2. de Theolog. ad eadem verba Pauli. Orationem, ait, suam admiratione circunscribit; idque opes vocat, ac profundum Dei. Vult autem C Nazianz. (id quod maximè facit ad commendationem Diuinæ maiestatis) opes Dei esse admirationes hominum circa ipsius attributa contemplanda, atque has esse profundas diuitias sapientiæ, scientiæ, & reliquorum attributorum Dei, quas Paulus exclamando professus est.

*Curiositas peruersa, & primus gradus ad superbiam.* D.Bern. Eccles.3.22. D.Bern. *Curiosus à se recedit.* Ad Rom.1.21. *Se ipsos dissipant curiosi.* D.August.

*Admiratio, quies inuestigantis Diuina.*

*Inuisibilia videre, & ineffabilia fari vult curiosus.* Greg. Naz. *Admiratio ostendit opes & profundum Dei.*

2. Præterea prohibetur Moyses accedere, vt timoris, ac reuerentiæ in rebus Diuinis tractandis commonefiat. Nam equo præcipitantiùs se intrudere voluit in ostensam Visionem. *Vadam*, inquit, *& videbo*: illud enim, *vadam*, temerarium ausum præsefert, ac adeò malè sibi pollicetur Visionem, *& videbo*. Meliùs enim per timorem saperet, de quo Psalm.110.10. *Initium sapientiæ timor Domini.* Non ergo prohibet Deus conatum Moysis ad videndum, sed timorem, ac reuerentiam imperat. Vt Psal.2.11. ad denuo conuersos: D *Exultate ei cũ tremore*, quasi dicat: permitto exultetis ob nouam effusionem gratiæ; exultate, sed cum timore. Est vtriusque rei expressa imago apud Isai. cap.6.2. Ante thronum gloriæ Dei stãt Seraphini; sex alis ita instructi, vt duabus quidem volent, duabus velent faciem suam, duabus verò pedes. Duabus volant ad exprimendam exultationem, & gaudium, quo in Dei visionem feruntur, duabus velant oculos, quia plenos maiestatis radios sustinere non possint, ac adeò modestiæ causa interponunt alas; denique pedes

*Ausus Moysis ad videndum Deum.* Psal.110.10. *Conatus Moysis non damnatur, sed imperatur timor.* Psal.2.11. *Exultatio cum timore docetur.* Isai.6.2. *Seraphinorum exultatio, & reuerentia coram Deo.*

pedes contegunt, in magnum signum reuerentiæ; qui enim coram Rege astant, non solent diuaricatos habere pedes, sed continent illos intra breue spatium quietos, & compositos. Hæc eadem duobus verbis de se ipso expressit Dauid Psalm. 83. 3. cùm dixit: *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini*: quasi diceret: Cum gloriæ Dei pulchritudinem contemplor, nihil est quod magis optem; ardeo ipsius potiundæ desiderio, at cum sublimitatem, & excellentiam considero, præ timore deficio, & quasi tempero ardorem illum. Cùm ergo Moyses audacter nimis dixerit: Vadam, & videbo Visionem hanc magnam; iure prohibetur, Ne appropies huc. Et in eandem rem quadrat, quod vlteriùs iubet.

*Psal. 83. 3. Concupiscit, & deficit Dauid coram Deo.*

3. *Solue*, inquit, *calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Soluere calceamenta iubet in signum reuerentiæ. Hinc ait Nyssen. Greg. sumpsisse Moysem occasionem eius cæremoniæ, quam postea ritè obseruauerunt Sacerdotes in templo, vt nudis in eo pedibus incederent. Ratio verò huius cæremoniæ, à Patribus assignata, tropologica est, ac primùm Origenes homil. vnica in libr. Regum interpretans nomen Silo (qui locus erat tabernaculi) excalceationem significare vult, & ad illustrandam suam interpretationem affert præsentem locum, & reddit causam cæremoniæ: Moyses, inquit, ab Ægypto exiens calceamenta gestabat de pellibus mortuis, quadam veluti mortalitate constrictus, cùm primò cœpit proficere ad veritatem, & ascendere ad montem Dei, atque ibi immortalibus ministrare, tunc dicitur ad eum, vt indicia mortalitatis abiiciat. Ita Origen. Mortalitatem verò hanc explicat D. Hieroym. in epistol. ad Marcellam *, esse opera mortua, id est, existentis in peccato mortali.

*Soluere calceamenta, signum reuerentiæ.* Nyssen. Greg. *Hinc orta ceremonia Sacerdotum incedendi per templum nudis pedibus.* Origen.

*Ministrantes Deo indicia mortalitatis abiiciant.* D. Hieron. *Id est, peccata mortalia.*

Vt ergo sensus appareat, notandum per ipsos pedes significari in sacris literis affectiones animi, & leuiora peccata. Cant. 5. 3. sponsa vocata noctu ab sponso, *Laui*, inquit, *pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quo significatur, iustos post baptismalem ablutionem, cùm ad prædicationis officium, & animarum regimen vocantur, hinc absterreri, quòd videant fieri non posse, vt affectus in huiusmodi actionibus non identidem contaminentur, quos in otio iudicant se posse mundiores seruare.

*Pedes, affectus animi.* Cant. 5. 3.

*Timet anima abluta baptismate inquinari per curam animarum.*

Iam sic: Iubentur Sacerdotes, ne calceati ingrediantur loca sancta, sed omnino nudis pedibus, quia in peccatis quidem leuioribus, quæ omnino vitari non possunt, res sacras peragere tolerabile est; at leuioribus peccatis, quasi superinduere mortalia, atque ita Diuinis ministrare, id verò est execrandum. Quare, & electum ibi Moysen (ait Nyss. Greg.) ad regendum, ac erudiendum populum, nunquam ampliùs induisse calceos. Postquam, inquit, ex diuino mandato semel cadaueroso pellium tegumento pedes exoluit, quo tempore in solo sacro incedebat, nunquam deinceps calceamentis pedes cinxisse traditur.

*In peccatis leuioribus ministrare Deo, tolerabile, in mortalibus, execrandum.*

Greg. Nyss. *Moyses nunquam ampliùs vsus est calceis.*

Propterea Dominus exhibiturus Discipulis sui corporis, & sanguinis sacramentum, calceos detrahi iubet, & pedes insuper ipsorum lauat, vt plenam vtriusque noxæ munditiam commendet. Vnde illud Bernard. in Cœna Domini. Hoc sacramentum, inquit, & sensum minuit in minimis, & consensum tollit in grauioribus, scilicet, mortalibus. Ita Bernard. Similiter Dominus cùm mitteret Apostolos suos ad prædicandum Euangelium suum per solam Iudæam, prohibuit calceatos incedere, quia viam sanctam prædicationis (ait Nyssenus iam citatus) contingere nequit, quisquis mortui hominis indumentum non deposuit. Cuius rei explicatio est apud Origen. vbi suprà. Vt pedes, inquit, qui currebant ad annunciandum vitam æternam, omni carerent mortalitatis indicio; quippe qui illam viam docendo incedebant, quæ dicit: *Ego sum via, & vita.* Nemo autem viam vitæ prædicat morte conclusus. Quadrat huc etiam interpretatio Nazianzeni Orat. 2. de Paschate. Qui terram sanctam, inquit, ac diuinis vestigiis impressam contingit, calceamenta soluat, sicut Moyses, vt nihil mortuum coram Deo circunferat. Similiter siquis discipulus ad prædicandum mittitur, simplicitati studeat; quippe quem nudis pedibus incedere necesse est, vt pulchros ostendat Euangelij pedes. Ita Greg.

*Munditia venialium & mortaliū ad vsum Eucharistiæ.* D. Bern.

*Effectus Eucharistiæ minuere venialia, & tollere mortalia.*

*Via sancta prædicationis peragi debet sine mortalibus.* Greg. Nyss. Orig.

*Quoniam en via, est via vita.* Ioan. 14. 6. Nazianz.

*Prædicator soluat calceos mortalium peccatorū, vt pulchros ostendat pedes.*

* *D. Fern. in Vis. vet. Test.*

## *De Moysis legatione, & eius confirmatione.*

### SECTIO II.

1. *Descendens ad liberationem populi intelligitur Verbum, iuxta Hebræum, & Tertullianum.*
2. *Præsensit Ecclesia Hebræorum descensum hunc Dei, Cant. 2. Quid significet descensus salientis, & transilientis colles.*
3. *Confirmat Deus legationem, primùm nomine suo Iehouah, quia Deus serio rogatus de nomine, serio respondisse credendum est.*
4. *Nomen Iehuch esse idem ac Iehouah. Optima sententia Hilarij de nomine, Qui est, de eodem D. Bern. egregiè.*
5. *Confirmat etiam legationem Deus duplici miraculo, baculi, & manus. His duobus miraculis dedit Deus Moysi potestatem faciendi miracula in Ægypto. Figura Apostolorum, quos Christus misit ad prædicandum cum potestate faciendi miracula, optimus locus D. Bernardi.*

1. DOMINVS ad Moysem ita loquutus est, Vers. 7. *Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus*, &c. Vers. 10. *Veni, mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum, filios Israel de Ægypto.* Vers. 13. *Ait Moyses ad Deum: Si dixerint, quod est nomen eius? quid dicam eis?* Vers. 14. *Dixit Deus ad Moysem: EGO SVM, QVI SVM, ait: Sic dices filiis Israel; QVI EST, misit me ad vos.* Vidit, inquit Beda, non corporeo intuitu, sed miserationis aspectu. Irenæus 4. contra hæres. 20. hoc de verbo Diuino interpretans; ita super vocem, *descendi*, Qui finem legis intulit; sic & initium operatus est: assuetus videlicet descendere, & ascendere ob salutem eorum qui malè habebant. Simile est illud Tertulliani aduersùs Praxeam: Ipse enim, *Verbum*, & ad humana semper colloquia descendit; ab Adam vsque ad Patriarchas, & Prophetas, in Visione, in somno,

*Vidit Deus miserationis affectu Hebræos afflictos.* Beda. Irenæus. *Verbum assuetum descendere, ad salutem tandem descendit.* Tertull.

*Descensus Dei præstructio ad futurum descensum.*

no, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper; quæ erat persequuturus infinita, semper ediscebat. Non ergo ex infirmitate descendit, quasi si non descenderet, non posset liberare: sed fuit iuxta Tertullianum accommodata præstructio ad futura.

2. Hoc autem Dei cum Moyse dulce colloquium de liberando populo, Ecclesia Hebræorum in Ægypto quasi persentit, cùm in 2. Cant. 8. ait: *Vox dilecti mei.* videlicet expectata diu, & nunc præter opinionem dulciter insonans. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Exprimitur non solùm descensus Dei ad liberandum populum; sed celerrimus, & efficacissimus: nam post colloquium illud cum Moyse, nec moram ipse fecit vllam, ad liberationem peragendam, nec quicquam illi quantumuis arduum, ac difficile, impedimento fuit, quinimò difficultatem, moles oppositas, & obstaculorum montes proculcans, & latè transiliens, ad exitum vsque perduxit liberationis opus, idque est ad literam: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.*

*Cant. 2. 8. Expressio alacris descensus Dei ad liberandum populū.*

*Difficultas & obstacula per montes & colles.*

3. Confirmat verò Deus legationem primùm quidem suo nomine. Nam Moysi quærenti à Deo, quî vocaretur, respondit: *Ego sum, qui sum. Sic dices filiis Israel: Qui est, misit me ad vos. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob,* &c. Hebr. אהיה אשר אהיה, à substantiuo היה, est, vel fuit. hîc in futuro: *Ero, qui ero;* & illud, *qui est, misit me,* similiter in futuro: *Ero misit me.* Parum verò interest, quòd vulgatus in præsenti verterit: nam in Scriptura id sæpe fit, quòd fit ad intelligendum facilius. Putat ergo Burg. Deum hîc noluisse sibi nomen imponere, sed ostendere futurum se protectorem; quasi diceat, Ego ero, qui vobiscum semper ero. Cùm verò dicitur, *Dominus Deus patrum vestrorum,* vbi ponitur nomen tetragrammaton יהוה *Iehouah,* proprium nomen Dei poni. Atque hanc ait esse communem opinionem Hebræorum. Sequitur ex nostris Beda in Exod. Hugo Victorinus ibidem; qui etiam ait, voluisse Deum quadam cum maiestate silere suum nomen, vt si grauis aliqua persona rogaretur de nomine, responderet, Sum, qui sum; quasi diceret, Vocor, vt vocor.

*Nomen Dei.* — היה — *Præsentia, pro futuris in Scriptura.* — Burgens. — *Opinio Burgens. de nomine Dei.* — יהוה — Beda. — Hugo Victor. — *Deum siluisse proprium nomen maiestatis causa, credit Hugo Vict.*

Vera sententia est, illud: *Qui est, misit me ad vos,* continere primùm nomen Dei, & esse idem, ac Dei nomen tetragrammaton, quod infrà ponitur. Primum illud asseritur à Philone Iudæo in lib. Quòd deterius potiori insidietur. Sequuntur Iustinus in oratione paræneticа; Nazianz. Orat. 4. de Theolog. Origen. homil. in lib. Regum; Hieron. in comment. magnis epistol. ad Ephes. in illud cap. 3. *Ex quo omnis paternitas;* August. & alij. Argumento autem est, quòd Deus seriò à Moyse rogatus de nomine, seriò respondit: *Ego sum, qui sum;* & priuatim instruens Moysem addidit: *Sic dices, Qui est, misit me ad vos.* Tam minuta

*Vera sententia de nomine Dei.* — Philo Iud. — Iustinus. — Nazianz. — Orig. — D. Hieron. — D. August.

A verò, & exacta instructio apertè demonstrat proprium à Deo nomen exhibitum.

4. Quod verò nomen hoc, *Qui est*, sit idem ac nomen tetragrammaton, *Iehouah*, ex eo patet, quòd *Iehieh*, quod à nostro versum est, *Qui est*, habet easdem consonantes, ac *Iehouah*, nisi quod iod secundum mutatur in vau, vt frequenter apud Hebræos. Est autem illud, *Qui est*, veluti explicatio nominis Iehouah; vt si quæratur, Quid est Iehouah? rectè respondebitur: *Qui est*. Et significatur in eo omnimoda independentia, vel æternitas essentiæ. Qua de re grauiter Hilarius 1. de Trinitate. Admiratus sum, inquit, tam ab

B solutam illam de Deo significationem, *Qui est*, non enim aliud magis proprium Deo, quam esse intelligitur; quia ipsum quod est, neque desinentis est aliquando, neque cœpti; sed & Bernardus eleganter 5. de consideratione ad eadem verba, *Qui est*. Nihil competentius, inquit, æternitati, quæ Deus est. Si bonum, si magnum, si sapientem dixeris, in hoc verbo instauratur, *Qui est*; nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si plura dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, non minuisti, &c. Vide plura Patrum dicta in catena Lippomani. Alia verò mysteria nominis Iehouah reperies apud Galatinum lib. 2. de arcanis Catholicæ verita. cap. 10.

*Proprium nomen Dei, Qui est. Qui est, esse nomen Dei tetragrammaton.*

*Nomine hoc Dei significatur omnimoda independentia.* — Hilar. — *Nihil magis proprium Deo, quàm esse.* — *Nihil magis competens æternitati, quæ Deus est.* — Galatin.

5. Atenim Deus, vt penitus confirmaret

C Moysem dicentem: *Non credent mihi;* addidit duo miracula, quæ narrantur in principio cap. 4. Iussit enim baculum pastoralem in terram proiicere, qui subitò versus est in serpentem, trepidúsque repentè refugit Moyses; sed iussus apprehendere caudam eius, iterùm recepit baculum. Præterea iubetur manum in sinum mittere, quam statim leprosam eduxit: sed ex præcepto Dei rursus in sinum mittens, rursus sanam protulit. Multa hîc Patres allegoricè, quæ omitto. Ad literam. His duobus miraculis dedit Dominus Moysi potestatem faciendi miracula, vt ita se probaret primum Dei legatum, ac adeò facilem se præberet populus ad egressum, cùm mira-

D cula videret, interuentu Moysis, coram se fieri. Rectè autem autor imperfecti operis in cap. Matth. 4. Miracula, inquit, virtutum ædificant animas, videlicet in vnam fidem, vt facilè obediant. Idcirco Moyses armatus baculo, non iam pastorali, sed miraculoso, vadit in Ægyptum, debellaturus Pharaonem, & populum educturus in terram promissionis. Aperta figura Apostolorum, cùm à Christo doctrina, & miraculis instructi, missi sunt, ad liberandos homines de potestate diaboli, Marc. vltimo. *Euntes, &c. prædicate Euāgelium, &c. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, &c.* Vnde illud Bernardi. Insonat, inquit, tuba

E salutaris, coruscant miracula, & mundus credit, citò persuadetur quod dicitur, dum quod stupetur, ostenditur. Ita Bernard.

*Potestas à Deo datur Moysi ad facienda miracula.* — *Miracula ædificant animas.* — Autor Imperf. — *Moyses armatus baculo miraculoso.* — *Moyses hoc modo figura Apostolorum cùm à Christo missi sūt.* — Marc. vlt. — D. Bernard. — *Duobus clauersus est mundus, prædicatione, & miraculis.*

# VISIO SEPTIMA
## QVA MOYSES VIDIT POSTERIORA DEI.
### *Exodi* 33.

## ARGVMENTVM CAPITIS.

*MOYSES cùm se Deo gratum animaduerteret, ausus aliquando est ab eo petere, vt ostenderet sibi faciem suam. Et Deus quidem petitionis difficultatem exaggerans, parat tamen in aliquo morem gerere, iubétque illum stare super petram, vt cùm transierit gloria sua è foramine ipsius petræ, videret si non faciem, saltem posteriora Dei.*

CAPVT XXXIII.

1. LOquutúsq; est Dominus ad Moysem, dicens: Vade, ascende de loco isto, tu, & populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti, in terram quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam:

2. Et mittam præcursorē tui Angelum, vt eiiciam Chananæum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, & intres in terram fluentem lacte, & melle.

3. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es: ne fortè disperdam te in via.

4. Audiénsque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo.

5. Dixitque Dominus ad Moysem: Loquere filiis Israël; Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam quid faciam tibi.

6. Deposuerunt ergo filij Israël ornatum suum à monte Horeb.

7. Moy

PARAPHRASIS.

A 1. *DEus ita aduersùs populum irritatus, quòd vitulum adoraſſe, ac molestè nimis ferens hanc eius rebellionem, locutus cum Moyse ait: Abi hinc Moyses cum populo tuo isto, quem à captiuitate Aegypti nuper liberasti, vt introduceres ad terram promissam patribus eorum Abraham, Isaac, & Iacob: terram videlicet affluentem omnibus bonis suauibus, & necessariis ad victum humanum.*

2. *Abi, inquam, tu solus, mittam duntaxat Angelum meum, cui mandabo, vt gentes, quæ terras has incolunt, facescere iubeat, vt liberè ingrediantur ad possidendam terram optimam,* B *omnibúsque deliciis affluentissimam.*

Terra fluēs lacte & melle, id est, omnibus deliciis affluens.

3. *Ego enim ipse non ascendam tecum, quoniam populus tuus iste indomitus est, & ceruicem habet, ob duritiem, iugo legis meæ minimè congruam, ne igitur occasiones habeam (vt certum est me habiturum) perdendi eum in solitudine, egredere tu, & duc eum præcedente Angelo.*

4. *Audiuit populus ita loquentem Deum, ac sermonem hunc eius acerbissimum magna cum doloris, ac luctus significatione prosequutus, lætitiæ omnem ornatum deposuit, in sor-* C *dibúsque & squalore iacens lugebat.*

5. *Tunc Dominus per Moysem mandauit hac populo: Gens dura es, ac rebellis. Minimùm si ascendam tecum, extinguam te penitus, vt es populus exasperans ac pertinax. Abi nunc, exue te ornamentis lætitiæ, & induere sacco in signum pœnitentiæ, vt deliberem, quid de te agendum sit mihi.*

6. *Obediens ergo populus omnibus ornamentis se exuit, & squalidum se, ac situ obsitum exhibuit coram Domino prope montem Horeb.*

I 4 7. At

7. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocauítque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad tabernaculum fœderis,extra castra. A

8. Cúmque egrederetur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebántque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium.

9. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebatúrque cum Moyse

10. Cernentibus vniuersis, quòd columna nubis staret ad ostium tabernaculi. Stabántque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum.

11. Loquebatur autem Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cúmque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius Nun, puer, non recedebat de tabernaculo.

12. Dixit autem Moyses ad Dominum: Præcipis,vt educam populum istum;& non indicas mihi, quem missurus es mecum, præsertim cùm dixeris:Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.

13. Si ergo inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciam tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: respice populum tuum gentem hanc.

14. Dixítque Dominus:Facies mea præcedet te,& requiem dabo tibi.

15. Et ait Moyses: Si non tu ipse præcedas,ne educas nos de loco isto,

16. In quo enim scire poterimus ego, & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo,nisi ambulaueris nobiscum, vt glorificemur ab omnibus populis, qui habitant super terram?

17. Dixit autem Dominus ad Moysem: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me, & teipsum noui ex nomine.

18. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam.

19. Respon

*7. At Moyses fixit tabernaculum Dei procul à communibus castris, cui imposuit nomen, quòd Deus futurus erat eorum protector, & ipsi soli Deo seruituri. Si quis autem de populo quæstionem habebat de lege Domini, aut de iure suo contrà aliquem, recurrebat ad tabernaculum,& ibi per Moysem, consulto Domino,decidebatur.*

*8. Cùm verò Moyses è castris egrederetur ad tabernaculum fœderis, vt de re aliqua consuleret Deum, vnusquisque ab ostio tentorij sui terga Moysis pergentis obseruabat, donec ingrederetur tabernaculum, vel ob reuerentiam* B *assurgendo, vel vt sententiam Dei acciperent.*

*9. At Moyse ingresso intra septa tabernaculi, columna nubis cælitus missa inter Moysem & populum stabat posita ad ostium tabernaculi Domini.*

*10. Et vniuersus populus columnam aspiciebat, & ad præsentiam eius adorabat Dominum vnusquisque ab ostio tabernaculi sui.*

*11. Sed & Moyses cum Deo agebat non obscurè, aut per velamina, sed familiarissimè, vt solet homo cum amico suo loqui. Illo autem reuertente in castra, remanebat in tabernaculo* C *Domini Iosue filius Nun minister eius.*

*12. Porro Moyses cum Domino semel loquutus ait: Præcipis, vt ducam populum istum in terram quam pollicitus es patribus eorum, nec interim ostendis mihi,quem missurus sis mecum, cuius nempe auxilio hostes vincam,populúmque tuum incolumem seruem;& tamen dicere soles, me tibi & gratissimum, & notissimum esse, etiam ex nomine.*

*13. Si ergo tibi, vt ais, gratus sum,ostende te mihi manifestè,vt videam te,ac plenam apud* D *te inueniam gratiam; populúmque tuum hunc benignis quæso intuere oculis.*

*14. Respondit Dominus: Ego ipse vobiscum ibo, ego vos præcedam, nimirum præsentissimo fauore vobis adero; ita fiet, vt bono sis, ac tranquillo animo inter hostes hos barbaros.*

*15. Non satis mihi est, si fauore tantùm præsens adsis, volo, petóque, vt tu ipse præsentia tua nos præcedas, alioquin ne gradum quidem ab hoc loco faciemus.*

*16. Qua enim re alia declarabis gratos nos esse tibi, nisi tuam nobis exhibendo præsentiam? sic enim tantummodo consequemur gloriam sin-* E *gularem apud omnes nationes, quòd Deum habeamus hoc modo appropinquantem nobis.*

*17. Dominus ergo, vt est natura lenis, atque ad amandum suos pronus; Et huic etiam, inquit, petitioni tuæ annuo libens, quandoquidem gratia apud me vales, & nominatim te cognosco.*

*18. Moyses amoris hac lenitudine allectus,ausus est ampliùs rem grãdem petere. Quæso,Domine,vt ad plenitudinem amoris erga me tui,*

19. Respondit: Ego ostendam tibi omne bonum, & vocabo in nomine Domini coram te; & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.

20. Rursúmque ait: Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet.

21. Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram.

22. Cúmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam.

23. Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea; faciem autem meam videre non poteris.

A *tui, ostendas mihi vultum ipsum gloriæ tuæ, qualem exhibes in cœlo beatis mentibus; nam aliis modis te & vidi iam, & audiui, in splendore rubi, inter tonitrua in monte Sina, sed hæc non satiant mentem tui auidissimam: ardeo ergo videre te sicuti es, quæso desiderio huic meo satisfacias.*

*19. Placet desiderium, ait Deus, suo tempore implebitur; cùm te à vinculis corporis huius absolutum ad beatitudinem meam vocabo, tunc omne bonum in me ipso ostendam tibi, & apud*
B *te nominabor Dominus, re ipsa Dominum recognosces. Et totum hoc boni descendet tibi ex gratuita voluntate mea, qua misereor, & clemens fio, in quem mihi placet.*

*20. Vt verò ratum hoc maneat, addo, fieri non posse, vt quis dum in hac vita manet, me videat, sicuti sum.*

*21. Postremò concludens Dominus ait: Locum ego habeo destinatum in ea rupe, è qua soleo tecum loqui; in ea igitur stabis, vt desiderium tuum aliquo modo foueam.*

C *22. Interim ergo ostendam me tibi sub specie eximij splendoris, ponámque in foramine petræ, & cùm transierit species hæc mea gloriosa, vola manus tegam foramen.*

*23. Móxque tollam manum, & per foramen inspicies posteriora mea temperatiùs splendida; faciem enim nimiò plus fulgurantem videre sine læsione non poteris; pertranseunte igitur facie mea apponam, sicuti dixi, manum foramini petræ, mox detraham, vt solùm per foramen inspicias tergum.*

---

## COMMENTARIVS.

IN hac Visione primùm inquiremus, quomodo intelligendum sit, quòd Moyses petierit videre faciem Dei; deinde dicemus de præparatione illa ad videndum Deum; postea quæretur quæ sint posteriora Dei.

### *Quid intelligatur petiisse Moyses, cùm dixit: Ostende mihi gloriam tuam?*

### SECTIO III.

1. *Ex Hebræo elicitur, petiisse Moysem claram Dei visionem. Gloria ab onerando Hebraicè, quòd eam homo viribus naturæ sustinere non potest. Locus Pauli 2. Corinth.*
2. *Probabile est, Moysem petiisse ipsam claram Dei visionem. Probatur ex D. Aug. & D. Ambr.*
3. *Reuera Moysem vidisse Deum facie ad faciem affirmat Augustinus. Diuus Thomas, & Thomistæ communiter. Quo autem pacto id putauerit Diuus Ambrosius, & Diuus Basilius, declaratur.*
4. *Probabilius est, Moysem non vidisse clarè Diuinam essentiam, probatur autoritate Patrum, qui plures sunt pro hac parte.*

D 5. *Confirmatur eadem pars locis Scripturæ, Ioannis 1. & Ioannis 6. & 1. Timoth. 1. & Exod. 33. quæ loca expenduntur.*

1. FORMA petendi continetur his verbis. Vers. 18. *Qui ait, Ostende mihi gloriam tuam.* Vers. 19. *Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te, & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Vers. 20. *Rursúmque ait: Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, & viuet.* Septuaginta pro, *gloriam tuam; te ipsum.* Cùm Hebraicè dicitur, הראני נא אתכבדך. *Fac videre me nunc gloriam tuam:*
E ponderare oportet illud *nunc*, quasi dicat, quam tu gloriam in altera vita præparatam habes iis, qui timent te, nunc obsecro ostende mihi. radix nominis *chebod*, quod noster vertit, *gloriam*, est *chabad*, quod significat onerare, vt gloria quasi onus quoddam esse intelligatur, quod vt tollamus, oportet viribus internis pollere: & certè nisi

*Petit Moyses, vt in hac vita ostendat Deus sibi faciem suã. Gloria, quasi onus quoddam.*

nisi mens lumine gloriæ confortetur, gloriam illam sustinere nequit, vnde, violenti, robustique rapiunt cælum, Matth. 11. 12. & Paul. 2. Cor. 4. 17. dixit, gloriæ pondus. fortè autem id postulat Moyses, vt gloriæ pondus, quasi a se tentandum demonstret Deus: an scilicet illud sustinere valeat? cui congruit, quod respondet Dominus: *Faciem meam videre non potes, non enim videbit me homo, & viuet*; quasi per exaggerationem diceret; obruet te pondus gloriæ meæ, & planè occidet.

*Matt. 11. 12. 2. Cor. 4. 17. Fortè petit, det tentandum onus gloriæ. Obruet pondus gloriæ sustinentem suis viribus.*

2. Ante omnia ergo illud est valde probabile, Moysem petiisse à Deo, vt se ipsum sibi ostenderet, sicuti est, ac adeò per ostensionem gloriæ intellexisse, vt Theologi vocant, notitiam facialem, hoc est, claram. Ita sentit Suarius de Deo Trino, & vno lib. 2. cap. 30. n. 13. Primum, quia cognitiones alias in figura & gloria corporali satis familiares habuit Moyses. Deinde probatur ex modo ipso postulandi. Nam hoc loco dicit: *Ostende mihi gloriam tuam*, per quod manifestè petiit claram Dei visionem. Nam Dominus respondit: *Ego ostendam tibi omne bonum*, hoc est, me ipsum; & infrà: *Non videbit me homo, & viuet*. Non intellexit autem visionem sui obscuram, cùm hanc sæpe Moyses habuerit, nec ob id mortuus fuerit; intellexit ergo claram Dei visionem. Ita ratiocinatur August. 12. de Genes. ad literam cap. 27. Concupierat Moyses, inquit, videre Deum, non vtique sicut viderat in monte, nec sicut videbat in tabernaculo, sed in ea substantia, qua Deus est, nulla assumpta corporali creatura, neque in spiritu, figuratis similitudinibus corporis, sed speciem suam, quantùm eam capere creatura rationalis potest, seuocata ab omni corporis sensu, & ab omni significatiuo ænigmate spiritus: sic enim scriptum est Exod. 33. 13. *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi temetipsum manifestè, vt videa te*: cùm paulò superiùs legatur locutus Dominus ad Moysem facie ad faciem, sicut quis loquitur ad amicum suum; sentiebat ergo quid videbat, & quod non videbat, desiderabat. Sic Aug.

*Valde probabile, Moysem petiisse, vt videret Deû sicuti est.*

*Cùm promittat Deus ostensurû se omne bonû, sequitur petiisse Moysem videre faciem.*

*D. Aug. Probatur manifestè ex Augustino.*

*Exod. 33. 13.*

D. Ambros. ad Psal. 118. serm. 8. plus adhuc vult Moysem postulasse, vt Deus qua Deus ipsis se oculis præberet spectabilem. Moyses, inquit, rogauit Deum vt se demonstraret ei, & facie ad faciem eum videret. Notat vtique sanctus Vates Domini, quòd inuisibilem Deum facie ad faciem videre non posset, sed deuotio sancta mensuram supergreditur; putauit ergo, Deo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret id, quod est incorporeum, comprehendi. Non reprehensibilis hic error, sed etiam grata cupiditas, atque inexplebilis, quòd Dominum suum, velut manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat. Ita ille. Et cùm intermisisset aliqua de Visionibus Angelorum, quas habuit Moyses; Per eas, ait, magis accensum vt videret Dominum Angelorum: irritus quidem erat postulationis effectus, sed affectus probabilis serui, qui vltra naturam suam deuotione progressus, de Domini Angelis æstimabat, quantum in Domini vultu plus desideraret, quo cupiditatem suam gestiret explere. Hæc Ambros. Quid tamen hac in re D. Ambros. opinatus sit, statim dicemus. Hoc igitur de modo petendi præhabito, sequitur de ipsa exequutione videamus, An re vera Deus ostenderit Moysi clarè faciem suam?

*D. Ambr.*

*Deuotio sãcta mensurã nescit.*

*Grata cupiditas, quæ Deû obtutu videre, & manu tenere vult.*

*Per Visiones Angelorum magis accẽditur Moyses ad vidẽdum ipsum Deum.*

*De Angelis Domini æstimabat, quantum in Domini vultu desideraret.*

3. Affirmat ergo D. Aug. lib. illo 12. de Genes. ad literam cap. 27. Nam cùm ad finem cap. 26. tres modos posuisset videndi Deum; primum visione corporali in aliquo, scilicet, corpore assumpto: deinde visione spirituali, vt vidit Isaias cap. 6. 1. denique per speciem, os ad os, non corporis, sed mentis; addit hæc verba, quæ sunt principium cap. 27. Sic intelligendum arbitror, quod de Moyse dictum est. Et ad finem capitis respondet obiecto illi: Non videbit me homo, & viuet, intelligendum de morte quodammodo inchoata. Nisi ab hac vita, inquit, quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus ait, vtrùm in corpore an extra corpus sit, cùm in illam rapitur, & subuehitur Visionem. Ita ille. Idem habet epistol. 112. cap. 13. Consentit D. Thom. 1. p. q. 12. art. 11. ad 2. & alibi, & Thomistæ communiter.

*D. Aug. Augustinus opinatur Moysem vidisse clarè Deum. Isai. 6. 1.*

*Non viuet, intelligit August. quodammodo, per ecstasim.*

*D. Thom.*

D. Ambros. 1. Hexamer. c. 2. Moyses, inquit, sciuit Dominum, facie ad faciem, non visione, neque in somnio, sed ore ad os cum Deo summo loquutus, neque in specie, neque per ænigmata, sed clara, atque perspicua præsentia Diuinæ dignationis donatus. Ita ibi. Sed D. Ambros. fuit in ea sententia (quam D. etiam Chrysostomus habuit contra Anomæos) vt existimauerit Deum non videri à Beatis sicuti est; apparet enim, id ex præcedenti eius testimonium, quare hoc præsens non probat id, quod petimus. Quidam etiam citant D. Basilium pro eadem sententia, & quidem id clarè videntur ostendere illa eius verba in Hexam. hom. 1. Is igitur Moyses, inquit, dignus habitus est, spectator vt esset æquè, atque Angeli, faciei diuinæ. Ita ibi. Verùm D. quoque Basilius lib. 1. contra Eunomium latè probat Deum secundùm substantiam videri non posse à creatura intellectuali. Vnde visionem illam facialem videtur accepisse in aliqua substantia corporea factam, vtputà luce, tum in Moyse, tum in Angelis.

*D. Ambr.*

*D. Ambrosius opinatus est, Deû non videri sicuti est à Beatis.*

*D. Basil.*

*D. Basilius similiter opinatur Deum videri non posse nisi mediate aliqua luce.*

4. Quamquam verò autoritas duorum, videlicet D. Augustini, & D. Thomæ, magnum pondus habeat, est tamen ex alia parte primùm autoritas Euaristi Papæ in prima epistola decretali, vbi demonstrans, in alia vita quemlibet beatum clarè Deum visurum, subiungit: Non sicut Moyses, inquit, cæterique Prophetæ, per ænigmata, & figuram, sed ipsam veraciter in Filio contuebitur Deitatis maiestatem. Ita Pontifex Euaristus. Eiusdem sententiæ sunt plurimi grauissimique Patres. Dionys. 4. cap. de cælesti Hierarch. Irenæ. 4. contra hæres. 37. Origen. 2. Periar. 4. Hilar. ad illa verba Psal. 118. *Deprecatus sum faciem tuam*. Nazian. Orat. 34. quæ est 2. de Theolog. ad initium. Greg. 18. Moral. 28. Beda in quæstionibus super Exod. quæst. 42. Tertul. 4. contra Marc. 22. circa finem. Et contra Praxeam 14. His accedunt, qui videntur negare Deum in altera vita videri sicuti est. Chrysostom. contra Anomæos, & homil. 4. in Ioan. & 4. de incomprehensibili Dei natura. Cyrillus Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 22. Isidor. in Exod. cap. 41. Greg. Nyssen. in lib. de beat. Epiph. hæres. 70. Theod. in dialogo, cui titulus, Immutabilis. Ambr. in 1. cap. Lucæ, de Angeli apparitione, ex quibus apertè cernitur præponderare autoritatem ex hac parte.

*Hac opinio improbatur ob maius pondus autoritatis ex opposita parte.*

*Euarist.*

*Probatur ex Patribus. Dionys. Irenæus. Orig. Hilarius. Nazianz. Greg. Beda. Tertul.*

*Chrys. Cyrill. Alex. Isidor. Greg. Nyss. Epiphan. Theodor. Ambrosi.*

5. Quod attinet ad Scripturam, apertè ostenditur eadem pars. Ioan. 1. 18. dicitur à Baptista: *Deum nemo vidit vnquam*. Et cùm Ioannes dixisset: *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum*

*Probatur ex Scriptura sacra.*

*Ioan. 1. 18.*

Christum facta est: verba prædicta addidit: *Deum nemo vidit vnquam*, quasi diceret: Nec Moyses qui legem dedit, nec quiuis alius homo in hac vita mortali; sed hic solùm, qui est Vnigenitus, gratiámque, & veritatem fecit, enarrauit, quæ vidit. Nec enim dubium est, hæc à Ioanne dicta, vt Christum Moysi, & Prophetis præferret. Quòd si Moyses Deum sicuti est vidisset, non rectè videretur Ioannes in eo prætulisse Christum: ipse enim Moyses nobis quoque enarrare potuisset, non autem solus Vnigenitus. Idem colligitur ex generali illo Domini dicto Ioan. 6. 45. *Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quisquam, nisi is, qui est à Deo, hic vidit Patrem.* Nullus ergo præter Christum viderat Deum, nec ipse Moyses. Vnde ducitur communis illa conuenientia: non fuisse expediens, vt homo aliquis ante Christi animam, videret Deum sicuti est, etiam ad breue tempus. Simile est illud Pauli 1. Timot. 6. 16. *Quem nemo hominum vidit.* Et illud hoc eodem capite: *Non videbit me homo, & viuet*, in hac scilicet vita mortali. quasi pollicens Moysi visionem sui in altera vita; cui conuenit illud; *Ego ostendam tibi omne bonum*, suo videlicet tempore, cùm scilicet exueris mortale corpus. Atque hæc de præsenti loco satis est expendisse.

*Ponderatur dictũ Ioãnis.*

*Ioan. cap. 6. 45. Probatur ex dicto Domini Ioan. 6. & expenditur. Probatur ex conuenientia celebri.*


*1. Tim. 6. 16. Ex modo respondendi promisit Deus Moysi visionem sui in altera vita.*

---

## *Quomodo Moysem Deus præparari iusserit ad ostendendum se illi?*

### SECTIO II.

1. *Petitio Moysis non est omnino repulsa, sed aliqua ex parte concessa.*
2. *Opinio Caietani, historiam de reuelatione Dei in foramine petræ, parabolicam esse, reijcitur, vt singularis, & impugnatur.*
3. *Historia vt iacet explicanda. Modus declaratur, quo per foramen Moyses visurus est Deum, ex Hebræo, ex Augustino, ex Cyrillo Alex.*
4. *Hebraismus, locus apud me est, declaratur, & illustratur. Stare super petram, quid sit? Reijcitur explicatio Abulensis, nec probatur Augustini. Vera proponitur.*
5. *Petram, è qua vidit Moyses Deum, fuisse eandem cum ea, è qua aquas eduxit, Augustinus opinatur, sed de ea re nihil constat ex Scriptura, vel ex Patribus.*
6. *Per petram intelligi fidem, & per locum apud Deum Ecclesiam, affirmat Greg. Mag. & Theodoret. Nyss. Greg. petram Christum esse dicit. D. Th. applicationem manus ad foramen explicat attemperationem spiritus Prophetici.*



1. NE videretur Deus petitionem Moysis omnino repellere, se ipsum illi, vt fieri potest, exhibere parat. Vers. 21. *Et iterũ: Ecce, inquit, est locus apud me, & stabis supra petram.* Vers. 22. *Cùmque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam.* Vers. 23. *Tollámque manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.*

2. Cardinalis Caietanus existimat, hæc dici à Deo parabolicè, quoniam non leguntur vsquam exequutioni mandata, sed per petram intelligendam erectam, ac fixam mentem, ad quam eleuandus sit Moyses, vt Deum intelligibiliter cognoscat, qui tamen absconderur in foramine petræ, quoniam offuscabitur eius mentis capacitas à tam excellenti obiecto, quatenus excedit illam, & est illi improportionata; & quia hæc improportio non est suppleta, nisi ad quædam certa obiecta perspicienda in Deo, non autem ad videndam diuinam essentiam, idcirco dici appositam, & remotam manum; appositam quidem, quatenus negatum est lumen maius ad videndam faciem Dei; remotam verò, quatenus concessum est lumen minus, quo solùm aliqua Dei attributa visa sunt. Hæc existimatio licet peracuta, singularis tamen est, & ab ipso Oleastro iure reijcitur: quoniam tam expressa, ac tam minuta dispositio Dei, circa ea, quæ à Moyse facienda sunt, non est dicenda parabolica, nec est aperienda via ad eiusmodi parabolas, ne Scripturæ sensus eneruentur. Quòd verò non legantur fuisse hæc executioni mandata, non tollit exequutionem, nam multa alia gerenda præcipiuntur in Scriptura, quæ tamen exequutioni mandata non leguntur. Ezechiel. 10. 2. præcipitur viro, qui indutus erat lineis, vt prunas de medio Cherubim accipiat, iisque incendat ciuitatem, & tamen non legitur id exequutioni datum. Et Luc. 2. dicitur: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesu*, nec additur fuisse circumcisum, cùm tamen id negari non debeat.

*Caiet. Opinio Caietani, hæc dici parabolicè.*

*Reijcitur tanquã singularis.*

*Parabolica locutio non facilè admittenda in Scriptura. Multa præcipiuntur in Scriptura, quorum exequutio non legitur. Ezech. 10. 2. Luc. 2.*

3. Quamobrem litera, vt iacet, accipienda est, & explicanda iuxta communem Doctorum sententiam. Erat ergo in monte Sina rupes, è qua Moyses solebat cum Deo loqui; videtur autem in aliqua sui parte ita fuisse discissa, vt foramen haberet, non adeò magnum, sed quantum vola manus operiri posset: nam iuxta Hebræum, fissura cum Vatablo verti potest. Sic autem intelligitur rupes fuisse ex altera parte peruia, vt eò Moyses ingredi posset, ac oculum ad foramẽ, seu fissuram apponere ad videndum Deum in transitu. Exprimere hoc videtur lectio illa, quam habet August. in quæstionibus super Exod. Ponam te in cauernam petræ, quasi applicabo ad foramen. Quare non est existimandum, in rupe fuisse speluncam aliquam, & eò ingressum Moysem, per eius ostium (quod vnius hominis corpus capere oportebat) vidisse Deum: nam quo pacto intelligi potest, prætereuntem Deum vna manu totum ostium operuisse, ne Moyses anteriora sua videret? Consonat his dictum Cyrilli Alexand. in collectaneis cap. 25. vbi per foramen interpretatur exilem contemplationem, quasi populus ille rudis parum adhuc diuini luminis percipere posset, tantum videlicet, quantum foramen exiguum aptum est admittere.

*Modus Visionis proponitur.*

*D. Aug.*

*Cyril. Alex. Foramen, exilem contemplationẽ interpretatur Cyrillus.*

4. Cùm ergo ait Dominus, *Ecce est locus apud me*; iuxta Hebræum, *Ecce locus mecum*, noto idiotismo, mecum ipse destinaui locum in ea rupe, in qua soleo tecum loqui. Eodem sensu dixit Iob cap. 14. 5. *Breues dies hominis sunt, numerus dierum eius apud te est.* Hebrai. *numerus dierum eius tecum*, quod explicat verbis sequentibus, *Constituisti terminos eius*: hoc est, vnicuique homini in mente tua certum vitæ limitem designasti. Concinit illud Psal. 38. 8. *Et substantia mea apud te est*, id est, mea substantia, quandiu videlicet subsistere in mundo

*Hebraismus. Iob. 14. 5.*

*Ps. 38. 8.*

mundo debeam, *apud te est*, tecum est, in mente tua definitum latet. Iubet ergo Dominus Moysi, vt stet super petram, vt cùm transierit, ponat eum in foramine, è quo videat posteriora sua. Abulensis putat iubere Deum, vt stet Moyses super petram; idem esse ac iubere, vt stet in foramine petræ: alioqui si stans super petram expectare debet aduenientem Dei gloriam, & postea reponendus est in foramine, certè videbit anteriora aduenientis Dei, cùm tamen totus hic apparatus cò tendat, vt Moyses sola Dei posteriora videre possit. Dicendum est, literam apertè diuidere illa duo, stationem videlicet in petra, & applicationem Moysis ad foramen, & sic esse accipienda; quod verò addit, Moysem stantem supra petram visurum anteriora Dei, non probat: intelligendum enim est Deum venientem, antequam videndum se exhibeat, iussurum Moysi vt ad foramen se conferat.

Abulens.

*Statio super petram, & applicatio Moysis ad foramen, diuersa.*

D. Aug. in quæstionib. super Exod. q. 154. ita legit: *Stabis supra petram, statim vt transiet gloria mea.* Vbi intelligitur, inquit, post transitum suum promisisse supra petram, stabilitatem; quomodo ergo intelligendum est, quod ait: *Ponam te in cauernam petræ, & tegam manum meam super te*, &c. quasi iã illo in petra constituto, tegat manũ suam super illum, & deinde transeat; cùm esse in petra non possit, nisi post transitum? Sed recapitulatio intelligenda est rei prætermissæ, quali solet vti Scriptura in multis locis: postea quippe dixit, quod ordine prius est. qui ordo ita se habet: *Tegam manum meam super te, donec transeam, & tunc videbis posteriora mea, & stabis super petram, statim vt transeat gloria mea, & ponam te in cauerna petræ.* Verùm lectio communis non videtur indigere recapitulatione, cursúmque habet liberum, iuxta ea, quæ diximus, Deum videlicet iubere Moysi, vt expectet aduentum suum super petram; aduenientem verò, antequam se exhibeat, præcipere Moysi, vt ingrediatur cauernam, & foramini accommodet oculos, mox transire, ac manu admota impedire ne videat faciem suam, remota verò concedere, vt videat posteriora.

D. Aug.

*Recapitulatio rei prætermissæ in Scriptura consueta.*

*Non est hic opus recapitulatione.*

5. Petra hæc, supra quam Moyses stare iubetur, iuxta D. August. loco citato, est illa ipsa, è qua Moyses iussu Dei aquam eduxit populo sitienti, Exod. 17. 6. vbi sic: *En ego stabo ibi coram te supra petram Horeb, percutiésque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* De hac eadem petra ait Aug. locutum Dauid Psal. 77. 20. *Percussit petram, & fluxerunt aquæ*; & Paulum ad eandem allusisse 1. Corint. 10. 4. cùm dixit: *Bibebant autem de spiritali consequente eos petra.* Non inuenio apud aliquem alium autorem, præter Augustinum, petram esse eandem, sed nec vllus est, qui id neget. Et quidem petram, è qua Deus loquitur hîc ad Moysem, fuisse in monte Sinai, & ob id fuisse celebrem, quòd soleret inde cum eo agere, ex præcedentibus colligi potest. Imò D. Aug. in lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos ait: In monte Horeb Moysem è petra loquutum cum Deo. Similiter petram, è qua Deus per Moysem eduxit aquam, fuisse in eodem monte, ex eo constat, quòd loco citato Exod. dicitur fuisse in monte Horeb, qui pars erat montis Sinai. Neque enim in eodem loco, vbi fixerant castra filij Israël, & cœpit populus laborare siti, educta est aqua, sed consistente exercitu in Raphidim, duobus ab exitu mensibus, præcepit Deus Moysi, vt vaderet cum delectis senibus in montem Horeb, qui ab eo lo-

*Hæc petra, supra quam Moyses stat, est illa è qua eduxit aquam, iuxta Aug.*
D. Aug.
Exod. 17. 6.
D. August.
Psal. 77. 20.
1. Cor. 10. 4.
*Solus Augustinus hanc petram esse ait, de qua aqua educta, & nullus ei contradicit.*
D. Aug.
*Petram, è qua aqua educta est, fuisse in mõte Horeb, constat.*

A co distabat per quatuor milliaria, & rupem ibi monstratam virga percuteret, quæ percussa illico eiaculata est aquam instar fluminis per dicta quatuor milliaria vsque ad Raphidim, ac per totos quadraginta annos consequuta est populum, vel per se ipsam, vt tradunt Hebræi, innuítque Paulus loco citato, vel per fluxum aquæ, vt alij interpretantur. Mense autem tertio egressionis de Ægypto peruenerunt ad montem Sinai, Exod. 19. 1. & Deus in summo eius vertice (quem aliqui dicunt fuisse Horeb) locutus est cum Moyse. Hæc dicta volumus ad coniecturam dumtaxat probabilem, neque enim aut ex Scriptura, aut ex Doctoribus, vno Augustino dempto, aliquid in hac re certum habemus.

*Petra aquã emittens sequuta est populum vel per se, vel per fluxum aquæ.*
Exod. 19. 1.

B 6. Illud quidem vulgare, per hanc petram designari figuratè fidem Catholicam, & per locum, qui hîc penes Deum esse dicitur, Ecclesiam. D. Greg. 35. Moral. cap. 6. Quia enim, ait, in sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur: quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit. De qua soliditate Dominus dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Concinit Sixtus Papa scribens ad Episcopos Orientales, relatus in Catena Lippomani. Est locus apud me, & stabis supra petram. Quis est locus, qui non sit Domini, dum

*Per hanc petram significari fidem Catholicam.*
D. Greg.

*Fidei soliditas necessaria, vt Dei præsentiam cognoscamus.*

C cuncta in ipso, per quem creata sunt, continentur? Sed tamen locus apud eum, est sanctæ Ecclesiæ vnitas, in qua supra petram statur, dum confessionis soliditas humiliter tenetur. Theodoret. Super petram collocantur visuri Deum, quod profectò, inquit, fidem illam solidam, atque immotam declarant: & petræ foramen quid aliud est, quàm fidei oculus, quo ea conspicimus, quæ corporeis oculis non contemplamur? *Est locus*, ait, *apud me.* Diuinæ bonitatis locum vocat, per quem cùm à nullo capi possit, ab iis, qui digni sunt; quodammodo capi, ac contineri videtur. Ita Theod. Eodem tendit interpretatio Nyssen. Gregor. per petram intelligi Christum, qui lapis est, inquit, vt Paulo placet. Omnem autem bonorum spem, in Christo firmiter esse credimus: qui ergo bonum aliquod adeptus est, is

*Locus apud Deum, Ecclesiæ vnitas.*
*Petra foramen, fidei oculus.*

*Locus apud Deum, diuina bonitas.*

Greg. Nyss.
*Petra, Christus.*

D in Christo est, qui omne bonum continet: & locus currentibus est, & via, & lapis infirmatorum, & domus quiescentium. Sic ille. D. Thom. 2. 2. q. 171. art. 2. in corpor. transitum gloriæ, & applicationem manus ad foramen intelligit modum, quo Prophetæ communicatur lumen propheticæ, tantum scilicet, quantum Deus vult. Vnde sæpe apud Prophetias dicitur, *Facta est manus Domini super eum*: quia lumen propheticum non est permanens, sed quasi attemperatum manu, seu potentia Dei,

*In Christo omnis bonorum spes.*
D. Thom.
*Applicatio manus intelligitur modus, quo spiritus propheticus applicatur.*

E

## *Quomodo intelligantur hoc loco posteriora Dei?*

### SECTIO III.

1. *D. Augustini opinio de posterioribus Dei, quòd fuerit mera prophetia de mysteriis post Ascensionem.*
2. *Abulensis posteriora accipit terga corporis gloriosi, quod Deus assumpsit, qua parte temperatior lux Moysi*

*Moysis oculis videri potuit, quæ sententia plurium est. Quod addit Abulensis de clara simul Visione Dei in mente, reiicitur.*

3. *Probabilius est ita euenisse, vt in illo corpore apparuerit Deus. Reiicitur commentum Rabbinorum, per posteriora intelligi nomina Dei in tergo eius figuræ scripta. Nyssen. Greg. Videre posteriora Dei, esse in ipsum, quod sequi Deum.*



1. ASSIGNATO loco, & paratu ad futuram Visionem, modum eius ostēdit Deus. Vers. 22. *Cúmque transibit gloria mea, tollam manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.* D. August. expressè negat in quæstionibus super Exodum, q. 154. corporalem aliquam speciem visam à Moyse, sed meram fuisse prophetiam. Quod satis, inquit, res ipsa indicat: quandoquidem de petra, vel cauerna eius, & de manus eius superpositione, déque Visione posteriorum eius, nihil postea visibili opere subsequutum legitur; quare posteriora Dei putat Augustin. esse mysteria Christi post eius Ascensionem credita ab Israëlitis. Cùm enim transiit ex hoc mundo ad Patrem, tunc multi ex Iudæis dixerunt ad Apostolos; Quid faciemus? & baptizati sunt, & acceperunt Spiritum sanctum. Denique, & cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc etiam Israël saluabitur in fine mundi. Idem sentit Caietan. ad hunc locum, quem citauimus suprà. Non promittitur, inquit, res gerenda, sed parabola est. Verùm iam suprà ostendimus, etsi res ipsa non narretur gesta, non ideo probari non fuisse gestam.

*D. August. Augustinus negat corporalem speciem visam. Posteriora Dei, mysteria Christi post Ascensionem. Caietan.*

2. Abulensis de hoc transitu gloriæ Dei tractans opinatur, per gloriam suam significare Deum, corpus humanum valde gloriosum, quod è concreto aëre sic efformauit, vt summo esset splendore, longè, latéque fulgurans, ac ita gratè pulchrum, vt pulchrius nec fuerit vnquam, nec excogitari potuerit. Hæc verò exuberantia lucis in parte eius anteriori principaliùs, in posteriori verò temperatiùs, & ad intuitum accommodatiùs apparebat. Cùm ergo in hoc corpore pertransiret, obseruante iam Moyse per foramen petræ, apposuisse Deum foramini manum, ne macie eius plus nimio coruscante excæcaretur; iam autem anteriori hac parte prætergressa, remouisse, quo factum, vt Moyses facilè, ac sine læsione videret posteriorem, atque hoc ait esse posteriora Dei hoc loco, terga videlicet istius corporis prætereuntis. Sed addit Abulensis, præter hanc visionem corpoream habuisse simul Moysem alteram in mente, qua diuinam essentiam clarè vidit. Et sic compleuisse ait Deum promissum suum, nimirum omne se bonum ostensurum Moysi; scilicet bonum summum spirituale, demonstrando diuinam suam naturam sicuti est, & bonum corporale summum, in illo corpore glorioso. Verùm quod attinet ad Visionem claram diuinæ naturæ, iam demonstrauimus Sect. 1. impossibilem esse de lege ordinaria, ac adeò nec Moysem, nec quemuis alium ad eam in hac vita fuisse admissum. Quod verò attinet ad illam aliam Visionem posterioris partis corporis gloriosi. Ita sentiunt plures Autores. Lyranus hoc loco, Vatablus, Emanuel de Saa, Oleaster, Rabbi Salomon relatus à Lyrano, & alij Rabbini communiter.

*Abulens. Corpus è concreto aëre valde lucidum apparuisse. Lux corporis anterius maior, posterius temperatior. Remota manu Dei à foramine, apparuisse posteriora corporis temperatiùs lucida. Vidit Moyses omne bonum corporale, & spirituale, secundùm Abulensem. Lyran. Vatab. Eman. de Saa. Oleaster. Rab. Salom.*



A 3. Nobis probabilius videtur, ita planè euenisse, quod attinet ad figuram corpoream. Verùm an in ea sistendum sit, an per posteriorem partem eius figuræ innuere Deus voluerit aliquid aliud, vlteriùs quæri potest. Misso ergo Abulense, qui per posteriora nihil aliud accipit quàm terga eius figuræ: plures sunt Autores, qui variè posteriora accipiunt, nihil interim de ipso corporali spectro controuertentes. Non videtur autem curandum Rabbinorum commentum, per posteriora intelligi debere terga eius figuræ scripta præferentia nomina illa Dei, quæ sunt in sequentibus capitibus, Dominator, Domine, Deus, misericors, & clemens, &c.

*Probabilius est, partem posteriorem corporis gloriosi visam esse. Quæritur, an per id vlterius aliquid innuatur? Rabbinorū commentum reiicitur.*

B Igitur Nyssenus Gregorius paulò antè citatus, videre posteriora Dei intelligit sequi Deum, sicut Dauid, inquit, clamat: *Adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.* Vides quomodo Psalmista cum historia consentit? Nam vt hîc dicitur, eum à dextra suscipi, qui post Deum adhæsit; sic ibi eum manus tegit, qui vocem Dei expectat in lapide. Sed Dominus quoque, qui Moysi oracula dedit, qui ad implendum legem suam venit, ænigma id enodans apertissimè, similiter ad Discipulos ait: *Si quis vult venire post me*, non dixit, *ante me* Hoc idem ipsum cuidam de vita æterna cogitanti præcipit: *Veni, sequere me.* Qui autem sequitur, non faciem, sed tergum aspicit. Docetur igitur Moyses desiderans Deum videre, quomodo videre potest; sequi enim Deum corde, ac C animo, semper quocunque ducat, id ipsum est Deum videre. Etenim transitus ille Dei, Ducem esse Deum sequentis significat; & id est, tergum Dei respicere. Ita Nyssen. moraliter ac vtiliter. Lippomanus in sua catena, per anteriora Dei intelligit imperscrutabilem eius essentiam, posteriora autem manifesta & visibilia opera, quæ in tempore apparuerunt. Vnde & vulgus ait, cognitionem ab effectibus, vocat cognitionem à posteriori; & Paulus dicit, inuisibilia Dei à creatione mundi cognosci per opera; & Actor. 14. 16. Deum non sine testimonio se ipsum reliquisse, cùm de cælo benefacit, dat pluuias, & tempora fructifera, implens cibo, & lætitia corda hominum. Spectrum itaque aliquod præsentiæ D diuinæ, tunc quoque promisit Deus fidelissimo seruo suo, non tamen sine mysterio Christi ostenso, & intellecto. Ita Lippomanus. Créditque impletum hoc, cùm Deus recitauit illa sua attributa, quæ continentur cap. sequent. *Dominator Domine Deus*, &c. quia Deo transeunte hæc elata voce protulit Moyses.

*Nyssenus. Greg. Posteriora Dei videre, hoc est, sequi Deum, ex Nyss. Gregor. Lippom. Anteriora Dei, facies Dei, posteriora verò, opera eius. Actor. 14. 16.*

D. Ambros. super Psalm. 43. 24. ad illa verba, *Quare faciem tuam auertis?* Non videtur, inquit, ab homine facies Dei. Est tamen locus, in quo, fide se monstret homini Deus. Est hic locus apud Deum, & ideo si steterimus in petra, id est, in carnis istius conscientia, & fidei firmitate, etsi plenitudinem ipsius videre non possumus, qua- E si reliquias eius luminis hauriemus; neque enim Moyses totam diuinitatis eius plenitudinem vidit, quæ habitat in Christo corporaliter, sed vidit posteriora Christi, vidit splendorem eius, vt homo est, vidit eius gloriam passionis, per quam regnum nobis cœleste reparauit. Ita Ambros. Et colligi potest ex hac eius explicatione, vidisse Moysem Christum Optimum Maximum, flagellis cæsum, & coronatum spinis, qualem


*D. Ambros. Psal. 43. 24. Quæ anteriora Dei, quæ posteriora, iuxta D. Ambro. Posteriora Dei, humanitas Christi, ex Ambrosio. Colligitur, visum à Moyse Christum passū*

Pilatus exhibuit, cùm ad populū dixit: *Ecce homo:* Item vidisse eundem cruci affixum, & cætera sacræ passionis ostenta: quadrâtque illa attributorum inclamatio, quibus præcipuè misericordia exprimitur & in passione maximè claruerunt.
1.Petr.1.11. Sortè autem huc allusit D.Petrus epistola 1.1.11. cùm spiritum Christi in Prophetis dixit, prænunciasse eas, *quæ in Christo sunt passiones, & posteriores glorias.* videlicet, ipsasmet passiones Christi, quas Apostolus huc respiciens, posteriores glorias appellauit, quòd inter splendores gloriæ monstratæ sunt Moysi.

Tertull. Tertullianus 4. libro aduersùs Marcionem, cap. 22. existimat, cùm Moysi petenti, vt ostenderet sibi gloriam suam, respondit Deus: *Videbis posteriora mea*, per posteriora intellexisse humanitatem Verbi, & completam promissionem in Transfiguratione, cùm apparuit Discipulis inter Moysem, & Eliam, Luc. 9. 30. Si commemoremur, inquit, promissionis Moysi, hîc, id est, in Transfiguratione, inuenietur expuncta. Cùm enim desiderasset conspectum Dei Moyses, dicens: Si ergo inueni gratiam coram te, manifesta te mihi, vt cognoscenter videam te, eum conspectum desiderans, in quo hominem esset acturus, quod Propheta sciebat. Cæterùm Dei faciem (iam audierat) nemo videbit me, & viuet. Et hunc quidem sermonem, quem dixisti, faciam tibi. Et rursus Moyses: Ostende mihi gloriam tuam. Dominus similiter de futuro. Ego præcedam in gloria mea. Et reliqua. & in nouissimo; & tunc videbis posteriora mea. Non lumbos, non suras, sed quam desiderauerat gloriam in posterioribus temporibus reuelandam, in qua facie ad faciem visibilem se ei repromittit, etiam ad Aaronem dicens: Si fuerit Prophetes in vobis, in Visione cognoscar illi; Num.12.6. non quomodo ad Moysem, os ad os loquar (in specie vtique hominis, quam erat gestaturus) non in ænigmate, &c. Hæc à Tertulliano.

*Posteriora Christi, humanitas eius in Trāsfiguratione. Luc.9.30.*

VISIO





# VISIO OCTAVA,

## PLVVIÆ SVPER VELLVS, ET AREAM, quam habuit Gedeon. *Iudicum sexto.*

## PRÆFATIO.

### *De Gedeon Vidente.*

*Omen in nomine habuit, quòd fracturus esset idolum Baal.*

*Ioas, pater, id est, Princeps familiæ Ezritarum.* Abulens.

*Duplex Ephra.* Iosue 18. 23. *Mendum Iosephi.*

*Quòd vir fortissimus appellatur, indicat fuisse sexagenarium.*

*Colligitur ætas tota Gedeonis bona coniectura. Iudicum chronologia incerta.*

*Pater Gedeonis idololatra.*

1. GEDEON, quintus Iudex Hebræorum, à *Gadha*, quod est frangere, omen in nomine habens, quòd fracturus esset idolum, lucúmque Baal, fuit filius Ioas, de Tribu Manasse, & de familia Ezritarum, in qua primatum habuit pater Ioas; id enim significat Scriptura, cùm ait Iud. 6. 11. fuisse Ioas patrem, id est, Principem familiæ Ezri. ex Abulens. Erat, inquit, vir honorabilior in tota familia Ezritarum, & fortè descendebat directè ab Ezri per primogenitorum lineam, & ob hoc principatus familiæ pertinebat ad eum. Sic Abulens. Natus est Gedeon in oppido Ephra citra Iordanem; nam fuit altera Ephra vltra Iordanem, in Tribu Benjamin, Iosue 18. 23. Quare mendosè apud Iosephum legitur, *Ephraim*. Septuaginta, *Ephrata*, dixerunt; sed Romana correctio annotat, *Ephra*. Qua ætate electus in Iudicem, siue Principem populi, ignotum. Apparuit quidem illi Angelus sub specie viri, ac diuinam electionem enuncians, appellauit virorum fortissimum, cap. 6. 12. At virilis ætas, eo maximè tempore, & in ea virium præstantia, quam Angelus indicat, in septuagenariis, ac in octogenariis etiam reperiebatur, vt patet in Moyse, qui octoginta annos agens electus est ad liberandum populum de captiuitate Ægyptiaca. Demus ergo minimum, fuisse tunc Gedeoné sexagenariũ, certè cùm quadraginta annos iudicauerit, colligi potest centum vixisse annos. fuerit hoc cõiectura tantùm. Cùm verò reliquorum Iudicum præcedentium ætates incertæ sint, difficile quoque Gedeonis tempora ad conditum orbem, & alia, vti cœpimus, reduci possunt; & ideo in his, vt solent, Chronologi variant.

2. Patrem Gedeonis Ioas, fuisse idololatram certum videri debet. Constat enim cap. 6. 25. aram Baal, & lucum vicinũ fuisse Ioas patris eius. Constat & ex versic. 27.

A Gedeonem ea destructurum ex mandato Dei, timuisse patrem, & ideo noctu rem aggressum: quare locum non habet coniectura Benedicti, fuisse Ioas apud se quidem fidelem, & solùm ad speciem Baalitam. De Gedeone illud affirmatè dicendum, fuisse non modò fidelem, sed pium, ac sanctum, vnde amicissimè salutatur ab Angelo, & eius auspiciis eligitur in liberatorem, ac Iudicem. Quare Theod. q. 12. Memor erat, inquit, Gedeon mirabilium Dei, firmámque de eo tenebat opinionem,

*Benedict. Arias. Reiicitur coniectura Aria Montani. Gedeon fidelis, & sanctus. Theodoretus.*

B ac metuit, vt audiret ab Angelo: *Proficiscere in robore fidei huius, & vinces.* Ita Theodoret.

3. Igitur cùm septem iam annos Israëlitæ premerentur à Madianitis, missus est à Deo primùm vir Propheta, qui populum ad pœnitentiam cohortaretur; item qui Gedeonem liberationi, Dei nomine, præficeret. Gedeon candido ac pio vt erat animo, litare illico Deo ad conspectum Angeli studuit, impositis hædiculi carnibus visculo conspersis in vicina petra, quæ dum Angelus virga tetigit, ortus è petra

C ignis deuorauit oblationem. Euanescente Angelo Gedeon consternatus metu, à Deo erigitur, ac iussus euertere aram Baal, lucúmque propinquum, & excitare in petra altare nouum, duplici Visione, velleris, & areæ, confirmatur; quæ partim in Paraphrasi, partim in Cõmentario explicamus. Quis tamen fuerit Propheta ille, ignotum malim existimare, quàm fuisse Angelum, qui sub quercu apparuit vers. 11. vt credidit August. q. 31. in lib. Iud. Is namque appellatione ipsa Angeli diuersus est: & certè

D in Scriptura nunquam Angelus appellatur Propheta, vt fatetur idem Augustinus loco citato; sed mallem nihilominus cum Augustino credere Angelũ, quàm cùm Rabbinis, & Lyrano Phinees, qui multò antè decesserat; nam si fuisset superstes, & is foret, qui missus est, profectò, cùm vir esset famosus, nominaretur. Potiùs ergo dicendum, fuisse vnum è viris, qui ad populum concio

*Quis fuerit vir ille Propheta, ignotum.* D. August. *Angelum non fuisse probatur. Angelus in Scriptura nunquam appellatur Propheta. Credi non potest fuisse Phinees.*

*Credibile fuisse vnũ è concionatoribus populi, qui spiritu prophetiæ interdũ agebantur.*

*Angelus visus sub quercu probabiliter fuit Michaël.*

concionabantur, & spiritu prophetiæ interdum agebantur: nam pro ea tantùm vice fuisse actum eo dono, non est credibile: oportebat enim autoritate eum præstare apud populum. At quis Angelus sub quercu postea visus? Probabile est fuisse Michaëlem, qui Ecclesiam in eo populo inclusam custodiebat: opportunè verò adfuisse periclitanti, ac Gedeonem vindicem designasse; quare non est opus, vt fuerit diuinum Verbum, quod non semel hîc appelletur proprio Dei nomine Iehouah: nam Angelis, quatenus Dei legati, id nominis tribui, non semel vsurpatum in sacris literis. Notum illud Exod. 23. 21. vbi Deus commendat populo reuereatur Angelum (non quidem Iosue, vt perperam aliqui interpretantur) sed verum Angelum, quem illi ad custodiam destinauerat. *Obserua*, inquit, *eum, & audi vocem eius, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccauerit, & est nomen meum in illo.* Magna certè commendatio naturæ Angelicæ, quæ diuini nominis capax est. Est nomen meum in illo, quasi dixerit, non excedens, non exorbitans, sed iustæ veluti mensuræ coaptatum.

A

*Angelo, qui legatus erat Dei, nomen Iehouah tribuebatur. Exod. 23. 21.*

B

*Angelica natura Diuini nominis capax.*

C

4. Solo æquato altari, & luco Baal, meruit Gedeon nomen alterum, Ierobaal, impositum illi à Ioas patre cap. 6. *Ex illo die, inquit, vocatus est Gedeon Ierobaal, eo quòd dixisset Ioas: Vlciscatur se de eo Baal.* Radix nominis ירב contendere, litigare; vt videlicet sit Ierobaal idem, ac is, qui litem ac pugnam suscepit pro Deo contra Baal, seu qui causam Dei suscepit contra Baal. Igitur eo prostrato, erexit Gedeon in summo rupis vertice altare Domino, & vitulo vno fecit, titulúmque altari imposuit; Domini pax. quo ostensus, victoris Dei, quasi triumphus de Baal, & hac præuia victoria, & triumpho Dei excitatus est Gedeon ad victoriam ac triumphum reportandum de Madianitis. Ita re diuina procurata docuit cœptis magnis proprium id debere esse præludium. De quo illud Psalmi 4. 6. *Sacrificate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino. Multi dicunt, quis ostendit nobis bona?* quasi dicat: multi solicitè anguntur de euentibus rerum, prosperéne, an secus sibi cedere debeant. Ecce principium optatæ felicitatis; ritè sacrificare Deo, & in eum certò sperare, quod fecit Gedeon; ideoque excitatus est à Deo insuper Visione velleris & areæ, de qua latè in Commentario. Item viso illo haud dubiè diuinitus indito, quod narratur capite 7. 13. Gedeone quippe explorante noctu hostium castra, narrabat nescio quis Madianita somnium contubernali suo; vidisse

*Ierobaal, qui litem pro Deo suscepit.*

D

*Triumphus victoris Dei de Baal.*

*Cœptis magnis præludium, sacrificare Deo. Psal. 4. 6.*

E

*Principium optatæ felicitatis, sacra Deo peragere.*

se in somniis subcineritium panem hordeaceum per aëra volui in castra Madian, & ea penitus solo coæquare; quem panem illico interpretatus est contubernalis ille commilito, gladium Gedeonis desuper immissum, ac rotatum in stragem Madianitarum; gladius namque Gedeonis latebat antea sub cinere: ignotus, videlicet, & contemptibilis; sed illum Deus è cinere ac stercore erigens, altè sublatum vibrauit in perniciem Madian. At quæ panis hordeacei similitudo cum gladio? fortè quia inter omnia frumenta citiùs, vt erumpat, rumpit terram: nam septimò à satu emicat die, acuminosa cuspide instar gladij. Vide Plinium lib. 18. cap. 7.

*Somnium de subcineritio pane explicatur.*

*Gladius Gedeonis sub cinere, id est, contemptibilis.*

*Hordei cum gladio similitudo, ex Plinio.*

Plinius.

5. Hoc ostento commotus Gedeon, cùm è triginta duobus millibus hominum, quos è tribubus quatuor, Manasse, Asser, Zabulon, & Nephthalim coëgerat cap. 6. dimisisset iam ex præcepto Domini meticulosos vigintiduo millia: item eos, qui aquam è fluuio cernui biberant, nouem millia septingentos, reseruatis iis tantùm, qui stantes, ac præ metu circunspicientes aquam manu caua ad os trahebant, solùm trecentos: cũ his, sinistra manu tubas, dextera faces intra lagenas præferentibus, aggreditur hostes noctu, fractisque lagenis, faces huic vibrantes, inde inflantes cornua, terruerunt, ceciderunt, fugauerúntque Madianitas. Cur Deus tam paucos relinqui voluerit, & eos quidem ignauos, ac timidos, ipse rationem reddidit, cap. 7. 2. *Ne glorietur contra me Israël, & dicat: Meis viribus liberatus sum;* nam cùm hostium numerus fuerit centum triginta quinque millium, cap. 8. 10. sanè si trecentos illis diuisim apponas, singulos Israëlitarum aduersùs quadringentos quinquaginta Madianitas stare in acie oportebat. In quo maximè Dei potentiam elucescere necesse erat. Rectè quidem D. Aug. ad illa verba Psalm. 43. 4. *Non enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Vbi loquitur Propheta de Israëlitis debellantibus habitatores Palæstinæ. Et est sensus, ait Augustinus, Talibus signis eis affuisti, vt præsens intelligereris: nunquid enim quando nobis Deus aliquo miraculo adest, faciem ipsius oculis nostris videmus? Sed effectu miraculi suam præsentiam insinuat hominibus. Denique omnes, qui mirantur ad huiusmodi facta, quid dicunt? Vidi Deum præsentem. Quoniam complacuisti in eis. Hoc est, sic in eis egisti, vt bene placeres in eis, vt quisquis eos attenderet quomodo cum

*Relinquuntur pauci & imbelles, ne suis viribus vlcisse crederent.*

D. August. Psal. 43. 4.

D. August. *Cùm Hebræi vincebant, præsẽs intelligebatur Deus. Effectu miraculi suam præsentiam insinuat.*

cum eis ageretur, diceret: quia verè Deus est cum illis, & Deus illos agit. Vnde sequitur: *In te inimicos nostros ventilabimus cornu.* Ita Augustin.

*Deus brachium suum in nostrum insinuat, vt præualere possit.*

Ergo Deus brachium suum inexpugnabile, in nostrum debile quasi insinuat, vt possit ita infinitis etiam hostibus præualere. Idcirco hîc intra lagenam fragilem lampas includitur, vt lagena virium nostrarum fracta, ac deficiente, emicet tum maximè diuina virtus contra quoslibet hostium impetus.

*Lagena fragilitatis nostræ deficiête, emicat lampas Diuinæ virtutis.*

D.August.

Idem Augustin. allegoricè factum Gedeonis accipit serm. 108. de Tempore. Præuidit, inquit, mysterium sanctus Gedeon. Elegit trecentos viros ad prælium, vt ostenderet, non in numero multitudinis, sed in sacramento Crucis, mundum ab incursu grauium hostium liberandum. Trecenti enim in Græco T, similitudinem crucis ostendunt. Ita August.

*Trecenti sacramentum crucis continent.*

*Trecenti in Græco T.*

D.Greg.

Similiter philosophatus est B.Gregor. lib. 30. Moral. cap. 17. additque de fractione lagenarum, & de inflatione cornuum. Designatur, inquit, in tubis clamor prædicantium; in lampadibus claritas miraculorum; in lagenis fragilitas corporum. Tales quippe secum dux noster ad prædicationis prælium duxit, qui despecta salute corporum, hostes suos moriendo prosternerent, eorúmque gladios non armis, non gladiis, sed patientia superarent. Hæc & plura D. Greg.

*Tubarum clangor, prædicationem, lampas miracula significat.*

*Lagenis fragilitas corporum.*

*Eos Christus in prælium eduxit, qui spreta corporis salute moriendo vincerêt.*

6. Profligatis hostibus, partâque victoria, oblatum ab Israëlitis principatum respuit Gedeon, id verò vnum à singulis postulauit, vt inaures aureas largirentur, quas à Madianitis detraxerant, cúmque libenter obtulissent, Gedeon ex pretio fecit Ephod, seu ornamenta Sacerdotalia, quæ in vsum Sacerdotum Deo obtulit. Ac post quadraginta annos, susceptósque septuaginta filios, in senectute bona mortuus est, & sepultus in sepulchro Ioas patris sui. In his illud primum dubitationem facit, quomodo Gedeon respuerit principatum, si re vera iudicauit, seu gubernauit populum quadraginta annis? capit. 8. 28. Respondendum est, populum, non quemlibet principatum obtulisse Gedeoni, sed regium: nam ideo dixerunt, *Dominare nobis*, cap. 8. 28. quod significat Hebræum, משל & huiusmodi regium dominatum repudiasse Gedeonem, quòd solum Deum agnosceret Hebræorum regem, idcóque dixisse, *Non dominabor vestri; nec dominabitur in vos filius meus, sed dominabitur vobis Dominus.* Sciebat nempe illud, Deut. 7. 6. vbi dicitur: *Populus sanctus es Domino Deo tuo, te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris.* quem videlicet regat ipse,

*Gedeon regium dominatum, non iudiciarium respuit.*

*Solus Deus erat rex Hebræorum specialis.*

Deut 7. 6.

A non tantùm vt vniuersalis omnium gentium, sed vt specialis rex tuus. Idcirco quasi exulceratus in populum petentem regem 1. Regum 8. 7. dixit Samueli: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* quia, vt ait Lyranus, Samuel dominabatur, vt Vicarius Dei. Et rectè Gregor. Magn. loco Regum citato, In persona electi Samuelis ipse Deus præminebat. Itaque Samuel, & cæteri, qui præcesserant, Iudices Vicarij Dei, & veluti proreges erant: ac adeò qui eos abiiciebat, Deum veriùs abiiciebat. Vnde rectè se Gedeon intra limites potestatis sibi à Deo delegatæ continebat dicens: *Non dominabor vestri, nec dominabitur in vos filius meus.* quasi dicat, hæc

1. Reg. 8. 7.

*Samuel vicarius Dei in gubernãdo.*

D.Greg.

*Deus in persona Samuelis præminebat.*

*Iudices populi erant veluti proreges.*

B mea potestas, cùm sit vicaria, non traducitur ad posteros; nec vestri iuris est, eam in me transfundere, cùm speciali nomine ad Deum pertineat. Congruit autem iis, quod mortuo vno Iudice dicitur passim in libris Iudicum, *Suscitauit Dominus N.* quasi enim mortuam cum mortuo Iudice potestatem iterum resuscitabat in eo, qui succedebat.

*Vicaria potestas non traducitur ad posteros.*

*Quid sit, suscitare iudicem aliquem.*

C 7. Atenim, quod ad Ephod attinet, peccasse Gedeonem ex eo quòd illud fabricauerit, putare quis posset, motus illis verbis cap. 8. 27. *Fornicatúsque est omnis Israël in eo, & factum est Gedeoni, & omni domui eius in ruinam.* Pro quo notandum, Ephod, vt suprà tetigimus, esse hîc vniuersaliter, quidquid ad cultum sacerdotalem spectat; nam etsi strictim sumpta vox sumatur prò vno è sacerdotalibus ornamentis, quod erat vestis linea, 1. Reg. 2. 18. tamen Ephod à Gedeone factum, complectitur apparatũ cæterum ornamentorum sacerdotalium, quod piè Gedeon

*Nam peccauerit Gedeon faciendo Ephod.*

*Ephod, vniuersaliter hic pro ornamentis sacerdotalibus.*

*Ephod, strictim vna è sacerdotalibus vestibus.*

D.August.

D fieri curauit, in cultum altaris Dei à se erecti, credibilius putandum cum D. Augustino q. 42. in lib. Iud. & historia Scholastica. In eo autem non peccasse Gedeonem credi par est; primùm, quia horum ornamentorum vsum extra tabernaculum nulla lex damnabat; sicut nec altarium, in quibus non sacrificaretur, Iosue 22. Deinde, quia cùm Gedeon ante initum prælium iussus à Deo fuerit tanquam extraordinarius Sacerdos sacrificare in altari à se extructo, potuit piè credere, se aliquando rursum assumendum ad sacrificandum

*Credi par est, non peccasse Gedeonem.*

*Vsum ornamentorũ sacerdotalium nulla lex damnabat extra tabernaculum.*

*Vsus altaris, in quo nõ sacrificaretur, non erat vetitus.*

*Gedeon electus in sacerdotẽ extraordinarium, credere potuit iterum eligendum.*

E ibidem, ac ideo religiosè curauisse ornamenta ad id sacerdotalia præparare. Quod ergo dicitur Israël fornicatus in Ephod, intelligendum post mortem Gedeon absque vlla noxa sua: sicut in serpente æneo, quod iussũ Dei fabricauit Moyses, fornicatus est postea Israël, 4. Reg. 18. 4. nulla tamen Moysis interueniente culpa. Factum est ergo Ephod in ruinam Gedeoni, &

*Piè sacerdotalia ad id ornamenta voluit præparare.*

*Fornicatus dicitur populus in Ephod, non viuente, sed mortuo Gedeone.*

& domui eius, quoniam altare illud, ac ornamenta sacra verterunt posteri eius in cultum Baal, quod illis in ruinam, ac peccatum fuit, Gedeoni quoque in aliquam infortunij notam, quòd tam impiorum posterorum parens extiterit. Itaque is ipse sanctus in se, opinione hominum, quoquomodo infelix haberi potuit, quod pertinet ad quandam veluti ruinam ex culmine felicitatis apud mortales in pretio habitæ, vt bonorum quis filiorum parens sit. Nam ideo Ecclesf. 2. 18. detestatur Sapiens omnes suas felicitates, & industrias, habiturus fortè post se hæredem stultum.

*Factum dicitur Ephod in ruinam Gedeonis per suos posteros.*

Ecclesf. 2. 18. *Infelicitas patris, filius stultus.*

8. Mortem Gedeonis cômendat egregiè textus, cùm ait: *Mortuúsque est Gedeon filius Ioas in senectute bona.* Intellige, annosa, quieta, iusta. Dauid inter benedictiones dulcedinis, seu dulcissimas numerat Psal. 20. 5. longiturnitatem vitæ. Hinc regij applausus, *Viuat Rex.* Hinc præfata occurrentium, *Diu viuas.* Huc tendit felix illa precatio Iob. 5. 26. *Ingredieris in abundantia sepulchrum.* In abundantia non opum, sed annorum. Nam כלח quod noster vertit, abundantiam, senectutem innuit, non qualemcumque, sed abundantem, plenam, vberem, saturam annis, qualis in Abraham, qui plenus dierum decessit Genes. 35. 29. Quin & illud felicitas reputatur, si quis quietè senescat, ac moriatur in lecto suo, Prouerb. 3. 2. Merces custoditæ legis ponitur pax senectutis. Contrà verò inter mala vitæ censetur laboriosa canities. Sic Iacob renuens dare Benjamin aiebat filiis Genes. 42. 38. *Si quid ei aduersitatis acciderit, deducetis canos meos cum mærore ad inferos.* Quasi diceret: Malam reddetis senectutem meam. Denique iusta senectus, & bonorum operum laude digna, donum Dei præcipuum est, de quo illud Psalmi 9. 11. *Senectus mea in misericordia vberi*: iuxta Hebræum, *In oleo pingui.* Et significatur senectus læta dono gratiæ, & misericordiæ Dei. Vt enim oleum membra fouet, sic gratia Dei non solùm animam, sed ex occulta quadam redundantia fouet bonorum senum etiam membra, vt sint vegetiora, gratiora, lætiora. Rectè Genebrard. Oleum, inquit, pingue monstrat habitum corporis succulentum, ac vegetum, quo pios senes Deus afficere solet. Vt quod Cicero lib. de senectut. attribuit vitæ anteactæ temperantèr, hîc ascribatur pietati. Rectè ergo ad commendationem Gedeonis dicitur, quòd mortuus fuerit in senectute bona. Annumeratus videlicet tribus illis heroibus, de quibus tantùm in Scriptura canitur idipsum elogium: de Abraham, Genes. 15. 15. de Dauid, 1. Paralip. 29. 28. de Tobia seniori, Tob. 14. 15.

*Longiturnitas vitæ, inter felicitates humanas.*
Iob 5. 26. *Ingredi in abundantia sepulchrum, est diu viuere.*
*Idem est, ac plenum dierum esse.*
Prouer. 3. 2. *Felicitas est, mori quietè in pace.*
*Laboriosa canities, vnum è malis vitæ.*
Genes. 42. 38.
Psal. 9. 11.
*Senectus iusta, felicitas magna.*
*In misericordia vberi, hoc est, læta dono gratiæ.*
*Gratia ex occulta redundantia fouet bonorum senum etiã membra.*
Genebr.
Cicero.
*De tribus tantùm dicitur, quòd mortui fuerint in senectute bona.*

9. Denique de sepultura Gedeonis dicitur cap. 8. 32. *Sepultus est in sepulchro patris sui in Ephra de familia Ezri.* Sepulturæ honos, etsi, vt ait August. 1. de Ciuitate 12. magis pertineat ad solatia viuorum, quàm ad subsidia mortuorum; tamen idem August. in quæstionibus super Gen. q. 161. fatetur in ratione sepulchrorum inesse sacramenta. Cùm ergo pater Ioas, vt est probabile, visis tot mirabilibus, quæ Deus per filium Gedeonem patrauerat, ad auitam pietatem reductus fuerit, in eius sepulchro iure pius filius sepeliri voluit.

*In sepulchris inest aliquid sacramenti.*

---

# ARGVMENTVM CAPITIS.

*HEBRÆORVM populus oppressus à Madianitis, & Amalecitis in patriam idololatriæ, clamat ad Dominum, & impetrat liberatorem Gedeonem de tribu Manasse, qui quidem primùm iubetur à Deo templum Baal, & vicinum templo lucum euertere, ob idque vocatur Ierobaal; hoc facinore patrato prædictæ gentes, zelo videlicet destructi Baal, Gedeonem bello petunt; is verò à Deo confirmatus promissionem victoriæ duplici insuper miraculo velleris in area ratam vult. Primùm quidem, vt vellus duntaxat compluatur, area interim existente sicca: deinde contrà, area vndequaque madefacta, vellus in medio siccum sit. Vtrumque exhibetur à Deo.*

## CAPVT VI.

1. FEcerunt autem filij Israël malum in conspectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian septem annis, & oppressi sunt valde ab eis.

## PARAPHRASIS.

1. *POst Sisaræ cladem, cædémque Iabin, felicitas, & longa quies rempublicam Hebræorum fouit; nam totos quadraginta annos feriata est, ac læta interim affluentis fortunæ prosperitate fruebatur; sed, quæ solet esse hominum*

A *num feliciter agentium socordia, oscitánsque desidia, in illo otio cœperunt mala pullulare semina, ac in dies succrescere vitia, quibus tota respublica fœdè corrupta est, at tandem in omnium malorũ abyssum idololatriam delapsa, diuinam contra se accendit iram: inréque ea pœna mulctati sunt, vt Madianitis seruirent per septem annos. Itaque accitis quoquouersùs Orientalibus populis, Israëlitas debellarunt, & effusi longè, latéque per omnes vrbes atque pagos, omnia depopulati sunt, ipsósque incolas miris modis vexarunt. Nec verò resedit (vt in aliis victo-*
B *riis) furor ille bellicus, sed quotannis repetebatur eadem calamitas.*

2. Feceruntque sibi antra, & speluncas in montibus, & munitissima ad repugnandum loca.

2. *Itaque Israëlitæ miseri nusquam securi, relictis vrbibus, domibúsque suis, palantes, huc illuc vagari, montium abdita quærere, aut sibi ad latendum effodere, locáque prærupta, ac situ munitissima occupare, quo se tueri possent aduersùs importunas irruptiones.*

3. Cúmque seuisset Israël, ascendebat Madian, & Amalec, cæterique Orientalium nationum.

3. *Quòd si absentibus hostibus quippiam in remedium vitæ seuerant, id quasi ex specula prospectabant Madianitæ & Amalecitæ, cæteríque Orientales, coactísque denuo copiis irruebant.*

4. Et apud eos figentes tentoria, sicut erant in herbis, cuncta vastabant, vsque ad introitum Gazæ: nihílque omnino ad vitam pertinens relinquebant in Israël, non oues, non boues, non asinos.

C 4. *Tentoria figebant, víxque herbescentem segetem toto illo terrarum spatio, quod Occidentem versùs ad Gazam (quæ prope Mediterraneum mare sita est) vsque protenditur, demoliebantur: nec in segetes tantùm, sed in oues, boues, asinos, & in omne id, quod ad vitam hominum vel tuendam, vel alendam pertinebat, strages ita desæuiebat.*

5. Ipsi enim, & vniuersi greges eorum veniebant cum tabernaculis suis, & instar locustarum vniuersa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum, quidquid tetigerant deuastantes.

5. *Nam multitudine sua, gregúmque suorum, camelorum, ac iumentorum, & vastandi omnia diritate, locustarum comparabantur agminibus.*

6. Humiliatúsque est valde Israël in conspectu Madian.

D 6. *Ita factum est, vt calamitas super calamitatem ingruens in magnam miseriam, ac rerum omnium inopiam depresserit, detruseritque Hebræorum gentem: & quia paupertatem sequitur humiliatio ac despectus, opprobrio tunc, ac despectui erat Israël vicinis gentibus, exsibilatúsque & explosus ab hostibus suis iacebat in miseræ seruitutis sordibus.*

Paupertatem sequitur despectus.

7. Et clamauit ad Dominum, postulans auxilium contra Madianitas.

7. *Inter eas autem miserias recordatus Domini Dei sui (solet enim vexatio intellectum dare, & eius populi peculiare fuit, quærere Deum, cùm occideret eos) gemuit coram eo, &*
E *clamauit ex toto corde, postulans vindictam contra hostes suos Madianitas.*

8. Qui misit ad eos virum Prophetam, & locutus est. Hæc dicit Dominus Deus Israël:

8. *At verò Dominus illico exaudiit, misítque ad eos virum ignotum nomine, sed munere Prophetam; non quidem ad horam hoc spiritu instructum, sed iam diu illo perfunctum: nam vt exhortaretur populum, vtque inueheretur in eius vitia (quod proprium erat Prophetarum) autoritate opus erat, quæ non vnius horæ, sed multorum annorum experientia comparatur.*

Homo qui missus est à Deo, autoritate prophetali diu pollens.

9. Ego vos feci conscendere de Ægypto

9. *Igitur vir Propheta, quisquis ille fuerit, ad*

pto, & eduxi vos de domo seruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum, qui affligebant vos: eiecique eos ad introitum vestrum, & tradidi vobis terram eorum.

A *ad hunc modum cum populo, Dei nomine, expostulans ait: Ego vos plurimis beneficiis cumulaui; nam cùm in Aegypto pessundati, & proculcati iaceretis, erexi vos, ac in terram hanc, non solùm situ, sed rerum omnium excellentiâ sublimem conscendere feci: item cùm grauissima seruitute premeremini, graue hoc iugum à ceruicibus vestris amoui, sed & Aegyptiorum potentiam fregi, eorúmque superbiam, qui duris operibus præerant, compressi, & comminui. Denique gentes illas, quæ in solitudine sese vobis opposuerunt, ac variè vexarunt, hoc est, Amalecitas, & Madianitas, ego compuli, vt*
B *vobis loco cederent, ac terram eorum, quam vt incolerent antè promiseram, vobis dono dedi, ac liberè possidendam tradidi. Hæc igitur in vos beneficia contuli, quibus pro vice ingratitudinem rependistis immolando diis alienis.*

10. Et dixi: Ego Dominus Deus vester, ne timeatis Deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis. Et noluistis audire vocem meam.

*10. Cúmque ego sæpius obtestarer vos, non alium vobis esse Deum præter me, cæterósque omnes Deos futiles esse, & omnino execrandos, eos præsertim, quibus Amorrhæi, ac reliquæ finitimæ gentes, quarum terras incolitis, impiè adhærent: tamen vera monenti acquiescere noluistis. Hæc & similia Vates ille bonus concionabundus ad populum inclamabat, nec tamen*
C *spem vllam dabat euadendi à præsentibus malis, quare populus iacebat in mœrore pristino clamores suos ad Deum multiplicans.*

11. Venit autem Angelus Domini, & sedit super quercu, quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrem familiæ Ezri. Cúmque Gedeon filius eius excuteret, atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian.

*11. Ecce autem Gedeoni apparuit Angelus, haud dubiè Michaël, Hebræi populi custos, & eo tempore, quo premebatur ab hostibus, pro eo priuatim sollicitus. Visus est autem sedere sub vicina quercu, Ephrao in agro, qui erat Ioas Principis familiæ Ezri patris Gedeonis, & speciem quidem habebat hominis viatoris baculum manu tenentis, qui eò diuerterat paululùm quiescendi causa: ipsa autem & sedendi &* Angelus apparens Gedeoni, Michaël fuit, & quare
D *quiescendi forma hominem exhibebat pacificum, à quo minimè deberet sibi timere Gedeon. Casu verò accidit, vt totus in eo labore tunc esset, vt frumentum trepidè ac præmaturè à se collectum hora ferè meridiana flagello rusticano excuteret, purgarétque non in publica area propter metum, sed in torculari domestico, quo se tutiùs tritura fieret (neque enim torcularia per id tempus scrutabantur hostes, sed horrea) atque ita parato subsidio fugeret in montes, antequam Madianitæ in agros depopulabundi irruerent. Sedenim à labore paulùm remittens*
E *Gedeon, atque huc, illúcque per fenestram aliquam, vt trepidi facere solent, circumspiciens,*

12. Adparuit ei Angelus Domini, & ait: Dominus tecum, virorum fortissime.

*12. Vidit Angelum sedentem sub prædictâ quercu, non tamen cognouit esse Angelum, sed virum aliquem autoritate grauem. Qui vt Gedeon in se coniectos sensit oculos, salutauit eum magnificis verbis. Dominus tecum, ait, fortissime virorum. Erat quippe Gedeon corporis viribus, animíque celsitudine sic excellens, vt vnum aliquem Heroa, quales antiquitas habuit, præseferret:*

A *ferret; noua autem diuinæ præsentiæ in eum superuenientis accessione plusquam hominem diceres, quamquam autem longè aberat, vt hæc sibi arrogaret Gedeon; homo videlicet ruri intentus, ac minimè natura ipsa gloriosus; oportuit tamen ita salutari ab Angelo, quo excitaretur maiori cum fiducia Israelitici populi vindicias aggredi.*

13. Dixitque ei Gedeon, Obsecro, mi Domine, si Dominus nobiscum est, cur apprehenderunt nos hæc omnia? Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt: De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian.

13. *At Gedeon rectè intelligens salutationis formam, videlicet Deum dici cum suis esse, quando eos iuuat, protegit, felicitat; nec verò eam sibi vt peculiarem vindicans, sed omnino* B *communem esse malens, salutanti (quem nedum Angelum agnoscebat, sed virum aliquem è populo grauem) ad hunc modum respondit: Quæso ad me paululùm Domine. Vetus quidem opinio est, Dominum esse tum populo hoc suo, peculiari cura protegere, ita patres nostri narrauerunt nobis, nósque omnino verum credimus: itaque de re ipsa non dubito, de modo tantùm doceas velim, quomodo Deo nos protegente, tot mala tamen inuenêre miseros? Vbi illa in gratiam populi sui patrata miracula, quibus aures nostras quotidie implent patres nostri: Deum scilicet nos à seruitute Aegyptiaca* C *liberasse? Ecce videtur nos repulisse à se Deus, atque in manus Madianitarum proiecisse, vt seruiamus illis.*

14. Respexitque ad eum Dominus, & ait: Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israël de manu Madian: scito quòd miserim te.

14. *Hæc dicentem Gedeonem fixo intuitu prosequutus est Angelus, intuitu porro minimè nudo, sed fauoris, ac beneuolentiæ plenissimo, ac amicæ voluntatis, beneficæque potẽtiæ planè indice, quo fidem in eo robúrque mirè auxit: &, Vade, inquit, hácque fortitudine sic amplificata libera Israël de seruitute Madianitica: auctor ego audendi, & perficiendi. Sat verò tibi sit, quòd ego miserim te.*

15. Qui respondens ait: Obsecro, mi Domine, in quo liberabo Israël? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei.

D 15. *At Gedeon modestè admodum se excusans: Quæso, Domine, quáne ego instructus re aggredior opus hoc magnum? familia quippe mea tenuissima est in Tribu Manasse, & ego in eadem familia tenuior adhuc particula sum.*

16. Dixitque ei Dominus: Ego ero tecum: & percuties Madian, quasi vnum virum.

16. *Respondit Dominus: Non, vt tu ratiocinando deducis, res agetur, nec Tribus, ac familiæ potentia, ætatísve, aut virium prærogatiua requiretur, sed mea præsentiæ vis, & autoritas sola sufficiet. Ego ero tecum. Percutiésque Madianitas omnes ita facilè, ac si omnes vnus* E *homo sint.*

17. Et ille: Si inueni, inquit, gratiam coram te, da mihi signum, quòd tu sis qui loqueris ad me.

17. *Tum Gedeon: Si gratus quoquo modo tibi sum, ostende signo aliquo te esse talem, cui rem tantam promittenti fides meritò haberi debeat. Nouerat Gedeon sub specie viri grauis fallacem tegi posse impostorem, id ergo capiebat. vt, qui ipsa facie reuerentiam sibi conciliabat, fidem quoque ex soliditate personæ sibi astrueret.*

18. Nec recedas hinc, donec reuertar ad te, portans sacrificium, & offerens tibi.

18. *Addit etiam: Expecta quæso paululùm, dum praparo munus, quod ponam ante te Deo*

bi. Qui respondit: Ego præstolabor aduentum tuum.

19. Ingressus est itaque Gedeon, & coxit hœdum, & de farinæ modio azimos panes: carnésque ponens in canistro, & ius carnium mittens in ollam, tulit omnia sub quercu, & obtulit ei.

20. Cui dixit Angelus Domini: Tolle carnes, & azimos panes, & pone supra petram illam, & ius desuper funde.

21. Cúmque fecisset ita, extendit Angelus Domini summitatem virgæ, quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes azimos: ascenditque ignis de petra, & carnes, azimósque panes consumpsit: Angelus autem Domini euanuit ex oculis eius.

22. Vidénsque Gedeon, quòd esset Angelus Domini, ait: Heu mi Domine Deus, quia vidi Angelum Domini facie ad faciem.

23. Dixítque ei Dominus: Pax tecum: ne timeas, non morieris.

24. Ædificauit ibi Gedeon altare Domino, vocauítque illud, Domini pax, vsque in præsentem diem. Cúmque adhuc esset in Ephra, quæ est familiæ Ezri,

25. Nocte illa dixit Dominus ad eum: Tolle taurum patris tui, & alterum taurum annorum septem, destruésque aram Baal, quæ est patris tui: & nemus, quod circa aram est, succide.

26. Et ædificabis altare Domino Deo tuo in summitate petræ huius, super quam antè sacrificium posuisti: tollésque taurum secundum, & offeres holocaustum super struem lignorum, quæ de nemore succideris.

27. Assumptis ergo Gedeon decem viris de seruis suis, fecit sicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris sui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit facere, sed omnia nocte compleuit.

28. Cúmque surrexissent viri oppidi eius manè, viderũt destructam aram Baal, lucúmque succisum, & taurum alterum impositum super altare, quod tunc ædificatum erat.

29. Dixerúntque ad inuicem: Quis hoc fecit? Cúmque perquirerent auctorem facti, dictum est: Gedeon filius Ioas fecit

A *Deo offerendum. Vade, inquit, faciam, vt vis: expectabo lubens donec redeas.*

*19. Igitur Gedeon hædum tenellum, ac lactentem elixauit, panésque azimos ex seruatæ farinæ modio coxit: denique carnem in canistro, ius carnis in olla positum obtulit ei sedenti ad quercum.*

*20. Tum Angelus: Carnes has, inquit, panésque azimos pone super lapidem illum, iúsque superfunde. Cúmque fecisset ita Gedeon,*

*21. Angelus extenso scipione, quem præ manu tenebat, leuiter tetigit dapes appositas. Ecce tibi autem excitatus de lapide ignis momentò eas corripuit, atque consumpsit. Sublatúsque ab oculis Angelus in superna abiit.* B

*22. At Gedeon certè hinc sciens, non fuisse hominem, qui secum loquutus est, timore graui consternatus exhorruit, tum ob naturæ superioris eminentiam, tum ob insitam populo opinionem de discrimine vitæ ob eiusmodi Visiones. Et, heu me, inquit, Domine Deus, clarè, ac perspicuè vidi Angelum.*

*23. Tum vox Domini audita erexit ac mirificè confirmauit Gedeonem: Pax tibi, inquit, quiesce, facessat timor, viues, ne dubita.* C

*24. Tum Gedeon, non modò à timore liber, sed insuper auctus fide, altare illico erexit, memoriale Domino Deo, quod hoc titulo insigniuit, Pax Domini. Nimirum ob eam pacem, qua proximè recreatus à Domino fuerat. Adhuc Gedeon morabatur in Ephra, propriæ familiæ noto titulo.*

*25. At Dominus illa ipsa nocte, quæ proximè sequuta est apparitionem Angeli, loquutus cum Gedeone: Duos, inquit, tauros sacrificio appara, vnum patris tui, alterum quemuis alium, sed ætatis septem annorum: cúmque destinatos habueris, ac certo loco repositos, altare* D *illud impium, quod pater tuus Baali extulit, demolire, similiter & circumpositum lucum idolo ditatum, excide penitus.*

*26. Quo peracto, extrues aram in honorem Domini Dei tui super illam ipsam petram, in qua primum sacrificium posuisti, compositaque super eam pyra lignorum, ex nemore exciso, taurum illum septennem immolabis in holocaustum.*

*27. At Gedeon ascitis sociis vernaculis decem, imperata strenuè executus est, non quidem interdiu, timens sibi à patre, ac vicinis, sed* E *noctu.*

*28. Igitur oriente sole apparuit strages, & noua ara cum hostia.*

*29. Tumultuatique populares de auctore quæsierunt. Delatúsque est auctor facinoris Gedeon, filius Ioas.*

30. *Ac*

fecit hæc omnia. A

30. Et dixerunt ad Ioas: Produc filium tuum huc, vt moriatur, quia destruxit aram Baal,& succidit nemus.

*30. Ac Gedeonem esse cùm noscerent, postularunt ad necem: patrémque ipsius acriter vrgebant,vt traderet filium necandum, ob destructa altaria Baal.*

31. Quibus ille respondit:Nunquid vltores estis Baal,vt pugnetis pro eo? qui aduersarius est eius, moriatur antequam lux crastina veniat. Si Deus est, vendicet se de eo qui suffodit aram eius.

*31. Quibus Ioas pater Gedeonis: Quare vos,inquit, Baalis patronos facitis? Si Deus est, vindictam ipse sumat de subuersore aræ suæ. & quidem quod ad me attinet, moriatur illico auctor facti.*

32. Ex illo die vocatus est Gedeon Ierobaal; eò quòd dixisset Ioas: Vlciscatur se de eo Baal,qui fodit aram eius. B

*32. Et verò ex hoc facinore, ipse sibi Gedeon nomen alterum assequutus est,dictúsque à deiecta Baalis ara Ierobaal.*

33. Igitur omnis Madian, & Amalec, & Orientales populi congregati sunt simul,& transeuntes Iordanem,castrametati sunt in valle Iezraël.

*33. Igitur Madianitæ adulto, vt solebant, verè, cum auxiliaribus Amalecitis, & aliis Orientalibus, transito Iordane fixère castra in campo Iezraël.*

34. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit domum Abiezer,vt sequeretur se.

*34. Tum verò Deus spiritu fortitudinis suæ totum muniuit Gedeonem, ac veluti lorica diuini zeli armauit contra irruentes hostes, ac bellicum illico occinens, primùm gentiles suos Abiezritas euocauit.*

35. Misítque nuncios in vniuersum Manassem, qui & ipse secutus est eum, & alios nuncios in Azer, & Zabulon, & Nephthali,qui occurrerunt ei. C

*35. Deinde nunciorum opera Manassæos omnes, trésque Tribus alias, Asseritas, Zabulonios, Nephthalitas, qui statim occurrerunt Gedeoni.*

36. Dixítque Gedeon ad Deum:Si saluum facis per manum meam Israël, sicut locutus es,

*36. Is verò cum Deo agere cœpit de successu pugnæ. Da,inquit, signum Domine, quòd me elegeris ad liberandum Israël,non quòd dubitem, sed quo fiam ad præsens facinus confirmatior.*

37. Ponam hoc vellus lanæ in area: si ros in solo vellere fuerit,& in omni terra siccitas, sciam quòd per manum meam, sicut locutus es,liberabis Israël. D

*37. Primùm id peto, vt posito hoc lanæ vellere in area sicca, ac per totam noctem in ea remanente, existat in solo vellere ros, minimè verò in area circumposita. Si enim ita fiet, cognoscam certò liberandum à me populum, maiorique ad hoc facinus patrandum alacritate accendar.*

38. Factúmque est ita.Et de nocte consurgens expresso vellere, concham rore impleuit.

*38. Annuit Deus voto Gedeonis, tam prolixè autem, ac largiter, vt postridie manè tantum è rorulento vellere expresserit Gedeon, quantum capaci implendo vasi satis fuit.*

39. Dixítque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere. E Oro vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.

*39. Addidit vltrà Gedeon, veniam priùs iteratæ precis perhumiliter obsecrans: Oro, inquit, vt aream istam, & circumiacentem lotum imbuat, madefaciátque ros, non verò vellus, sed omnino incircumfusi roris medio siccum, aridúmque maneat.*

40. Fecítque Deus nocte illa vt postulauerat: & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.

*40. Deus verò morem & in hoc Gedeoni gerens, rem ipsam, vt postulauerat, opportunè fecit.*

## *Primus Commentarius de sensu literali.*

DVo tantùm sunt, quæ in sensu literali considerare possumus. Primum, cur ante pugnam cum Madianitis iubetur Gedeon excindere templum Baal, & vicinum lucum. Secundum, quare confirmatus à Deo promissione victoriæ, petit n[illegible] minus signum velleris?

## *Gedeon eligitur ad euertendos Madianitas, & templum Baal, ac vicinum lucum.*

### SECTIO I.

1. *De fortitudine Gedeonis partim naturali, partim diuinitus immissa. Reiicitur commentum Rabbinorum.*
2. *Quales populi Madian, & Amalec? quomodo vexauerint Hebraeos? Datur Gedeon in liberatorem, praecipitur ei, vt destruat aram Baal, quia ea erat radix calamitatis, ob crimen idololatriae. Idolum Baal quale? Explicatur locus Exod. 32. Nudare se, quid in Scriptura?*
3. *Ob idololatriam puniti saepius Iudaei. Poena peccato annexa. Explicatur locus Genes. 2. & locus Psalm. 2. locus item Isai. 27. Salutare est, inquirere in causas suppliciorum. Cur Pharao sanatus non sit? & cur mortes inopinatae Corinthiis?*
4. *Cur locus iubetur succidi? nimirum, quia in eo patrabatur idololatria. Illustratur comparatione, & loco Ambrosij de Cain & Abel. Item loco Isaiae 2. Peccata quomodo etiam loca ipsa foedare soleant, ex Psal. 6.*

1. ELIGITVR à Deo vir fortissimus Gedeon ad profligandos Madianitas. Sic enim salutatur ab Angelo, Vers. 12. *Dominus tecum, virorum fortissime.* Licèt apud Septuaginta non sit nominatiuus, sed, ἰσχυρὸς τῆ δυνάμεως, hoc est *fortis virium*, vt intelligi pro Deo possit, quod placuit Augustino q. 32. non obstat, quia Vers. 14. impertat Angelus: *Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Israel de manu Madian: scito quòd miserim te.* Cùm ait, *in hac fortitudine tua*, intellige: quia scilicet à natura ipsa praeditus es, quaeque mea ope in te ampliùs augebitur. Certè quidem licèt Deus eligat natura ipsa aptos ad opera aliqua perficienda, plus tamen est, quod in idipsum impendit. Idcirco &, *vade*, dixit: quasi Gedeon in via fuerit ad perfectionē fortitudinis à Deo consummandae. Scitè enim Origenes ad illa verba Roman. 8. 29. *Quos praesciuit, & praedestinauit*, Deum ait, tanquam optimum dispensatorem, vti singulorum motibus ad sua opera perficienda: sunt enim naturalia in nobis, veluti saltus quidam ac motus tantùm ad opera maiora Dei adiutorio feliciter absoluenda. Nota autem Gedeonis fortitudo fuit apud Israëlitas, vt testatur Abulensis ad hunc locum, nec est opus alio argumento (ait idem) quàm quòd ipse Dei testimonio pronunciatus sit virorum fortissimus. Quare id, quod Rabbini astruunt, Gedeonem exhortatum patrem senem, vt quia infirmus erat fugeret Madianitas, se verò remansurum, quia fortis erat, Angelum verò ob id per iocum appellasse illum fortissimum, omnino ioculare est, nec dignum, vt refutetur.

*Varia lectio. Intelligitur Gedeon natura sua fortis.* D. August. *Fortitudo Gedeonis ope diuina adiuta. Natura via est ad perfectionem.* Ad Rom. 8. 29. *Naturalia in nobis, saltus quidam ad maiora.* Abulens. *Rabbinorū commentum reiicitur.*

2. Madian, & Amalec, populi duo ad Meridiem Terrae sanctae, aliqualiter vergentes ad Orientem, totos septem annos multis cladibus vexauêre Hebraeos dimidiae Tribus Manasses, qui primi ad Iordanem Occidentalem sedes posuerant. Inter alia verò, id maximè calamito-

*Quales populi Madian & Amalec, & quales in Hebraeos?*

A sum, quòd singulis annis irrumpebant in agros, & quicquid agricolarum cura vel seuerat, vel plantauerat, omnino demoliebantur. Hebraeis vociferantibus datus est à Deo Gedeon, qui Madianitas fregit, ac primùm in eam curam ex praecepto Dei incubuit, vt templum Baal, & vicinum lucum solo aequaret, vt narratur cap. 7. sequenti. Et quidem euersionis templi Baal illa ratio in promptu est, quòd ipsum radix erat praedictarum cladium, propter idololatriam. Erat autem Baal, vt Iosephus ait, idolum Sidoniorum. Commune porro fuit Iudaeorum vitium, idola vicinarum gentium sibi colenda proponere, ab eo iam tempore quo frontem primò coram illis perfricuit ad radices Sinai in vitulo aureo.

*Templum Baal, radix cladium ob idololatriā.* Ioseph. *Baal, idolū Sidoniorum. Hebraeorum vitium, vicinarum gentium deos colere.*

B Hinc ergo rectè videtur illustrari posse locum illum difficilem, Exod. 32. 25. *Videns Moyses populum, quòd esset nudatus (spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat) stans in porta castrorum*, &c. In Hebraeo vtrobique idem verbum פרע quod noster reddidit per nudare, & spoliare: fortè, vt vitaret repetitionem, & illud, *propter ignominiam*, ex Hebraeo datiuus est, vt verti possit: *Videns Moyses populum, quòd esset nudatus (nudauerat enim eum Aaron ignominia sordis, & inter hostes nudū constituerat.)* Nudare autē, seu discooperire se ad ignominiam sordis, modus loquendi vsitatus in Scri-

*Locus Exodi difficilis explicatur.* Exod. 32. 25. פרע

C ptura, ad exprimendam prostitutionem spiritualem ex allusione ad fornicariam, Isai. 57. 4. Ezechiel. 23. 18. Est ergo sensus: Videns Moyses populum quòd esset semel deposito pudore ad idololatrandum prostitutus (namque Aaron dum illis idolum effinxit, quasi discoopertum prostituerat ad omnem ignominiam sordis, hoc est, idololatriam admittendam) stans in porta castrorum iussit omnes ferè idololatras occidere. Hinc ergo primùm ad vicinas gentes denudata gens Hebraeorum, nullam deinceps non admisit occasionem cum illis idololatrandi. De quo illud Iere. 2. 20. *A seculo confregisti iugum meum (quasi coniugale foedus violasti) in omni enim colle, & sub omni ligno frondoso tu prosternebaris me-*

*Nudare se, quid sit? Significatur prostitutio spiritualis per nudationem.* Isai. 57. 4. Ezech. 23. 18. *Populus nudatus, hoc est, deposito pudore expositus ad idololatriā.* Ier. 2. 20.

D *retrix*, significat eos dereliquisse Deum, quasi maritum suum, & more meretricis omnibus se adulteris prostituisse. *Prosternebaris*, צעה זנה ibas meretricis instar ex vna arbore in aliam, probans videlicet omnem idololatriam.

*Hebraei vagi per omnē idololatriā.*

3. Ob haec autem grauiter à Deo puniebantur Iudaei, nunc immissa pestilentia, & fame, nunc bello, ac agrorum vastationibus; quod sub Gedeone contigit ob cultum Baal. Haec enim propriè sunt annexa peccato. Vnde rectè Paul. Roman. 6. 23. *Stipendia peccati mors.* Per mortem omnes tribulationes posuit, & Graecè pro stipendio est ὀψώνια, quod propriè est illud, quod pani, & vino additur: & in re militari, tessera frumentaria in quotidianum victum: significatúrque, tri-

Rom. 6. 23. *Supplicia annexa peccatis. Mors, omnis tribulatio.*

E bulationes, ac poenas ita esse peccato annexas, vt certus quibusdam animalibus à natura victus. Idcirco Deus Gen. 2. 17. praecipiens Adamo, ne comederet ex illo ligno, comminatúsque poenam sceleri, non dixit: *In quacunque die comederis*, interficiam te: sed, *morieris*; quasi diceret: Non erit opus, tortores quaerere, parare cruces, stringere gladios aduersùs peccantem: certa peccatum sequetur poena, tu ipse peccatis morieris; causa scilicet mortis non aliunde quàm a te ipso peccatore oritura. Quadrat illud Psal. 7. 15.

*Poena, peccati opsoniū, quasi additamentum victus.* Gen. 2. 17. *Certa peccati poena. Hebraei puniti ob idololatriam. Causa mortis, ipse peccator.* Psal. 7. 15.

Ecce

*Ecce parturiit iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem.* Ad literam est sermo de inuido, non sine anxietate, & afflictione parante malum inferre proximo: id enim est propriè parturire. Quæritur verò quare parturitionem præposuerit conceptui; parturiit iniustitiam, concepit dolorem? Nimirum, vt quasi rationem redderet præcedentis anxietatis in meditatione mali inferendi: quasi dicat: Mirum non est, si ipsam quoque iniustitiam cum dolore enitatur, quoniam dolores simul ac peccatum ipsum iniustitiæ concepit.

*Inuidus non sine suo malo parat alienum.*

*Dolorem simul cum iniustitia concipit peccator.*

Isai. 27. 7.

Aliter idipsum exprimitur Isai. 27. 7. *Nunquid iuxta plagam percutientis se, percussit eum? in mensura, contra mensuram iudicabis*: & loquitur Deus de suppliciis illatis genti Iudæorum. *Nunquid iuxta plagam*, &c. Quasi dicat Deus: Non percussorem hac in re, sed iudicem egi, qui suum scilicet vnicuique tribuit. Est peccatum velut mensura, tantum videlicet supplicij capiens, & quasi suo iure postulans: id ipsum ergo iudicaui, vt retribueretur illi, & non ampliùs. *In mensura, contra mensuram.* Sedenim quia sæpe accidunt tribulationes ob alias causas; nempe vt per eas detur occasio merendi (qua de re alibi diximus) idcirco salutare cōsilium est, & laudabilis solicitudo, inquirere in causas tribulationum, vt si peccata in causa fuerint, emendentur, ac adeò malorum radices præscindantur. Quod Chrysost. homil. 5. de pœnitentia absolutam vocat medendi artem. Nimirum consummati medici non satis habent emergentia in cutem curare vlcera, quoniam illis amotis alia repullulabunt, sed occultas eorum causas rimantur, vt ab ipso capite perfecta fiat malorum auulsio.

*Peccatum est mensura pœnæ.*

*Ius peccati ad tantum pœnæ.*

*Inquirere in causas tribulationum, salutare cōsilium.*

Chrys.

*Absoluta medendi ars, radices malorum euellere.*

Hinc apparet, cur Pharao nunquam sanatus fuerit, quia solos plagarum erumpentium dolores auertere curabat, non ipsam plagarum radicem, cor induratum. Hinc est, & Corinthiorum illæ ægritudines, ac deploratæ mortes, de quibus Paulus: *Propterea inter vos multi infirmi, & dormiunt multi*: quia scilicet non iam curabant fratrum necessitatibus occurrere, appositis, vt solebāt, communibus mensis: vt enim sanctissimus hic mos languere inter eos cœpit, inuasêre similiter eos languores corporis, ac mortes inopinatæ. Quare in re illud erat malorum caput, quòd in ipsas eorum causas non inquirebant, Deo interim iustè condemnante eorum conniuentiam, ac supinum torporem. Id enim sequentia significant: *Quòd si nosmetipsos diiudicaremus, non vtique iudicaremur.* Docemur ergo cùm malis affligimur, malorum causas Deo adiuuante perscrutari, sicut fecit Gedeon, ita locutus cum Angelo: *Cur apprehenderunt nos hæc mala?* Cui Angelus, dum templum Baal, & lucum vastare iubet, quasi digito commonstrat, ipsam calamitatum radicem, idololatriam.

*Quare Pharao nunquā sanatus? Radix plagarum Pharaonis, cor induratum.*

1. Corint. 11. 30.

*Corinthiorum ægritudines peiores, quòd radicitus non quærebantur.*

*Angelus tēplum Baal, radicē malorū, excindere primùm iubet. Lucus plectitur etiam, ad horrorem sceleris.*

4. At cur lucum pariter succidere iubet? quid mutæ commeruêre arbores? nihil omnino: nec merito id tribuendū, sed quasi infelicitati, quòd in eo loco contigerit tam fœda patrari scelera. Probè quidem res explicabitur in hunc modum: Si in domo alicuius Magnatis, eo tamen inscio, fiat coniuratio contra regem, non dubium, quin delato ad tribunal crimine ipse simul cum delinquentibus condemnandus sit; atqui nullam ipse in se admisit parricidij notam, sed est omnino innocens. Verum quidem, sed infelix nimirum fuit, quòd intra eius parietes coniurationis



fuit patratum scelus; vnde ipse quoque grauem incurrit suspicionem eiusdem criminis. Similiter respondendum est de luco Baal. D. quidem Ambros. 1. de Cain, & Abel, cap. 8. expendens quomodo scelera quædam patrata sint in locis sterilibus, grauiter subdit: Iustum natura est impertita iudicium, ea loca muneris sui dote priuando, vt ex innocentis quadam condemnatione ostenderet futura supplicia noxiora: propter scelera igitur hominum etiam elementa damnantur. Denique Dauid montibus Gelboë, in quibus Ionathas cum patre interemptus est, perpetuæ pœnam sterilitatis optauit. Atque hinc explicari potest locus Isai. 2. 13. vbi postquam Propheta multa comminatus est supplicia Principibus Hierosolymitanis, conuersus ad montes, atque lucos, & loca alia, vbi publicè peccabatur, ita pronunciat: *Dies Domini exercituum super omnes cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelsam, & super omnem murum munitū, & super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est*, &c. Sermo est ad literam de vastatione inferenda per Babylonios super montes, &c. ipsas scilicet scelerum machinas; quas ita rectè vocauit Lyranus, quòd eas impij quasi erexerint machinas, ad exhibendos publicè scelerum actus. Magna verò exaggeratio turpitudinis peccati; quæ scilicet loca ipsa inficit, ac digna reddit, in quæ, nihil re ipsa commerita, furor tamen Domini meritò sæuiat. Fœdauerat ergo montes ipsos idololatria; muros, & propugnacula, militaris licentia; naues auaritia; res pulchras, partim luxuries, partim cupiditas. Hinc illud Dauidis Psal. 6. 7. post adulterium commissum: *Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Iniquitate, ait Theodoretus, contaminatum semper lauabit, quoad reddatur purum. Sic ergo dicendum, ex scelere idololatriæ lucum alioqui expertem culpæ, ex quadam veluti redundantia sordidatum.

D. Ambros.

*Ex innocentis condemnatione, grauitas pœnæ maior ostenditur.*

*Comminatio in mōtes, in quibus peccabatur.*

Isai. 2. 13.

*Mōtes quasi machinæ, in quibus scelerum actus exhibebantur.*

Lyranus.

*Turpitudo peccati magna, quæ etiam loca inficit.*

Psal. 6. 7.

Theodor.

*Lectus Dauid contaminatus peccato, abluitur lacrymis.*

---

## *Quare Gedeon petierit signum pluuiæ super vellus.*

### SECTIO II.

1. *Cur petiit Gedeon signum post promissionem Dei. Ob insitam Hebræis ad credendum difficultatem. Illustratur loco Bernardi, & loco Iob. 18. Iuxta Gregorium Magnum explicantur ibi duæ periphrases Iudæorum; prior, quòd eos oblitus sit Deus, posterior, quòd sint inuij.*
2. *Multis modis Deus duritiem populi Iudaici tollere curauit, ex loco Tertulliani, maximè signorum ostentatione. Ieremiæ locus explicatur, quem D. Chrysostom. illustrat. Quo sensu Irenæus miracula illa voces characteres Iudæorum, explicatur loco Pauli, Galat. 4.*
3. *Conuenienter Gedeon petiit, & Deus dedit illi signum velleris & areæ, videlicet homini agricolæ, qui ea ex officio curabat. Illustratur loco Matth. 16. de signo Ionæ, & loco Ioannis 4. de conuersione Samaritanæ.*
4. *Signum velleris, & areæ designauit modum victoriæ, quam Gedeon reportaturus erat. Explicatur.*

1. ETIIT Gedeon signum in cõfirmationé promissionis dicens, Vers. 37. *Ponam hoc vellus lanæ in area. Si ros in solo vellere fuerit, & in omni terra siccitas, sciam, quod per manum meam, sicut locutus es, liberabis Israel.* Vers. 38. *Factúmque est ita; & de nocte consurgens expresso vellere concham rore impleuit.* Vers. 39. *Dixitque rursus ad Deum: Ne irascatur furor tuus contra me, si adhuc semel tentauero, signum quærens in vellere. Oro, vt solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens.* Vers. 40. *Fecitque Deus nocte illa, vt postulauerat, & fuit siccitas in solo vellere, & ros in omni terra.* Hebr. Pro, concham, phialam. Septuaginta lagenam. Ratio dubitationis præ- B sentis hæc est. Constat Gedeonem accepisse à Deo promissionem victoriæ; cur ergo insuper signum petit? Quoniam erat Hebræa gens suapte natura ad credendum difficilis: eius enim optimè callebat ingenium Isaias 6. 10. cùm & incrassatum cor dixit, & aures ad audiendum graues (vt Dominus citat Matth. 13. 15.) significauit enim mentis aciem naturaliter obtusam, & sensum ipsum fidei, nempe auditum, omnino hebetem, & quasi obturatum. Vnde Bernard. serm. 26. super Cant. D. Petri gladium mysterio credit euibratum in aurem Malchi potiùs, quàm in manum, aut crura. Abscidit auriculam, inquit, vt fidei viam faceret. Atque hinc optimè sese aperit via ad intelligendum Magni Gregor. C interpretamentum ad cap. 28. 4. Iob. super illa verba: *Eos, quos oblitus est, pes egentis hominis, & inuios.* Existimat enim duplicem hìc esse Iudæorum periphrasim; primam, *Quos oblitus est pes egentis hominis.* Pes egentis hominis, vel sumi potest transitiuè pro pede, seu pedibus, id est, prædicatoribus Christi: *qui pro nobis egenus factus est, cum esset diues,* 2. Corint. 8. 9. Prædicatoribus autem suis, quasi pedibus perambulat mundum: vel sumi potest intransitiue pro ipsis Apostolis, qui non modò pauperes, sed iuxta Isaiam cap. 14. 30. *primogeniti pauperum*, id est, prima capita fuerunt pauperum spiritu, & significatur, ait Gre- D gor. Iudæos esse eos, quos Apostoli propter cordis duritiam, conuersa ad Gentes prædicatione, ita obliti sunt, ac si ad eos non pertinuerit annunciatio salutis; vt si quæratur, qui nam sint Iudæi, rectè responderi posset: Quos Deus oblitus est.

*Varia lectio.* *Hebræa gens suapte natura ad credendum difficilis.* Isai 6. 10. *Sensus naturaliter obtusus & hebes ad fidem.* D. Bernard. *Petrus abscidit auriculam, vt viam fidei faceret.* Greg. Mag. Iob. 28. 4. *Duplex Iudæorum periphrasis.* 1. Corint. 8. 9. *Prædicatores, pedes Christi.* Isai. cap. 14. 30. *Pes egentis hominis, id est, Apostoli.* Greg. *Iudæi, quos oblitus est Deus.*

Secundam periphrasim agnoscit Gregorius in vocabulo *inuios*, & vult esse quasi explicationem prioris: nam ideo Iudæos pes egentis hominis oblitus est, quoniam erant inuij: sicut si rogatus viator, cur iter non carperet per syluam aliquam densam, atque horridam? rectè responderet: quoniam est inuia. Ita prorsus Apostoli rogantibus, cur non prædicarent Iudæis, ad quos præcipuè promissio Euangelij facta fuerat? probè satisfacerent; quoniam sunt homines inuij. Rectè (ait Gregor.) inuios vocat, quia dum in infidelitate E sua obdurati sunt, verbis vitæ, ad cor viam præbere noluerunt. Est ergo optima Iudæorum periphrasis, Homines inuij, quasi nemus implexum fruticibus, crebra pinu tectum, atque ilice nigra; quod proinde quantumuis circumeas, nunquam inuenias, quà penetrare possis, ac adeò desperans aliò gressum vertas. Quantum insudatum est ab Apostolis, vt viam aliquam ad salutem aperirent in eo populo? sed obstitit semper magna cordium obscuritas, oculorum cæcitas, aurium grauitas, vt iure quasi desperantes exclamauerint illud, Actor. 13. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei sed quoniam repellitis illud, Ecce conuertimur ad Gentes.*

*Iudæi, inuij, sicut sylua horrida.* Greg. *Inuij, quia viam ad cor verbis vitæ negant.* *Frustra insudatum ab Apostolis, vt in eis viam verba aperirent.* Act. 13. 46.

2. Idcirco Deus hanc insitam ad credendum tarditatem Hebrææ gentis multis modis excitare solebat, religione, institutis, promissionibus, signis; qua de re egregiè Tertullian. 2. contra Marcionem, ponderans quomodo Deus minutissima quæque in lege, ac religione distinxerit: Deus in lege, inquit, assignanda ipsorum vasculorum curam distinxit, vt istis legalibus disciplinis occurrentibus vbique nulli momento vacarent à Dei respectu: quàm legem non duritiès autoris promulgauit, sed ratio summæ benignitatis, populi potiùs duritiem edomantis, & rudem obsequio fidem operosis officiis dedolantis. Ita Tertul. Quibus verbis ostendit, Deum in tanta præceptorum, ac cæremoniarum vbique occurrente multitudine ad Hebræorum se ingenium accommodasse. Sciebat enim, tam esse difficile, tardúmque ad credendum, vt multis ad hoc ipsum adminiculis indigeret. Egregiè verò clausit, cùm Deum dixit, rudem obsequio fidem operosis officiis dedolasse: boni videlicet architecti instar, qui lignorum, lapidúmque durities ac ruditates multiplici opera ædificio sustentando coaptat. Ita scilicet fidem Iudæorum tortuosam, & asperam multis necesse fuit officiis dedolare ad conuenientem fabricam Synagogæ.

*Tarditas Iudæorum multis modis à Deo excitata.* Tertull. *Minutissimis disciplinis vsus est Deus, ne vllo si vacarent à sui respectu.* *Operosis officiis edomabat & dedolabat rudem populum.*

Ante omnia verò signorum ostentatio ad hoc ipsum celebris fuit: iis enim quasi viarum indicibus, cæcutientes ad se Hebræos alliciebat Deus. Quare ad verba illa Ieremiæ 32. 20. *Qui posuisti signa, & portenta in terra Ægypti, vsque ad hanc diem in Israel, & in hominibus*, egregiam continet descriptionem Dei, quatenus erga populum illum à principio liberationis Ægyptiæ, ac deinceps, se gessit. Signans, ait Chrysostom. viam monumentis cælestibus, sicut nimirum communes viæ erectis designantur lapidibus. Chrysostomi ergo sententiam non intelligo de nube illa per diem, & de columna per noctem, ducente populum, sed de plurimis in Ægypto, & per totam solitudinem patratis miraculis, quæ tanquam monumenta quædam erigebat Deus, ne populus suapte natura vagus, & inconstans, aberraret à cælo. Hinc est, quòd Irenæus 4. aduersùs hæres. 18. hæc eadē signa, & prodigia characteres cælestes nominauerit, quibus videlicet Hebræus populus tanquam elementaribus characteribus rudem intelligentiam exerceret, vt sit allusio ad illud Pauli Galat. 4. 3. *Cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes.* Quod Hieronym. ad Algasiam interpretatur figuras, atque signa in veteri Testamento, quæ tanquam elementaris charta, ac prima fidei rudimenta adhuc infantibus à Deo data sunt. Ideo enim, & sub pædagogo viuentes eodem capite pronunciauerat, nimirum quasi rudis ingenij pueros, à quorum latere nunquam discedere necesse est pædagogum. Hæc est igitur radix signorum in veteri Testamento, Iudæorum ingenio apprimè conueniens. Vt mirum non sit, Gedeonem signum velleris petiuisse, maximè hominem agricolam, quique, cùm à Deo electus est in ducem populi, frumenta purgabat in torculari. Idcirco licèt in hac petitione signi, post exhibitum ab Angelo miraculum ignis in sacrificio, intercesserit error aliquis, tamen specta

*Signis, quasi viarum indicibus, ad se ducebat.* Ierem. 32. 20. *Signa, monumenta cælestia, vt lapides viarum.* Irenæus. *Signa, characteres cælestes.* Galat. 4. 3. *Elementa mundi, id est, figuræ & signa, in prima rudimenta infantis Iudæorum.* D. Hieron. *Pædagogus assignatus, quasi rudi puero.*

spectata hominis conditione dignissimus venia fuit.

3. Illud iure quis interrogauerit, quare Gedeon in area, & vellere, & pluuia signum petierit? Occurrit statim prima ratio; quoniam hæc sunt, quæ tractat agricola, aream, vellera, pluuias conuenientes, aut non conuenientes segetibus. Cõuenientissime ergo Gedeon ipse petiit, & Deus in iis rebus exhibuit signum. Hinc porro intelligi potest, quare Christus Pharisæis petentibus signum è cælo, respõderit: *Generatio mala & adultera signum petit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ*, Matth. 16. 4. Correxit nimirum Christus male conuenientem petitionem: nam illis, terreni cùm essent, non conueniebant cælestia signa, sed terrena, quale Ionæ signum. *Sicut enim*, inquit, *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ*, &c. Hunc puto esse sensum literalem eius loci, alioqui difficilis, vbi non prædicantem Ionam assumit, sed ceto inclusum, vt sibi terra sepeliendo conueniat, sitque ipse terra clausus Pharisæis typus, quatenus terrenis inhærent, vt è terra surgens post tres dies exemplum fiat deserendi terrena. Similiter in illo colloquio Christi cum Samaritana, Ioan. 4. 7. quærit Chrysost. cur tam multa verba fecerit Christus de aqua & fonte? & respondet: quia nulla esse poterat conuenientior disputatio cum muliere, circa aquam, & puteum satagente: sumpta videlicet à materiali aqua occasione tractandi de illa spirituali, quæ salit in vitam æternam. Pulchrè autem Chrysostomus hæc verba addit: In aqua, inquit, mulieris salutem designat. Nimirum id vnum Christus cupiebat, vt viam salutis edoceret Samaritanam; quomodo verò id meliùs in muliere alioqui rudi, & quæ solum fontem, ac hydriam suam nouerat,

*Petentibus Pharisæis de cælo signum, datur terrenum, vtpote terreis.*

*Christus terra clausus, & postea resurgens typus Iudæis, vt à terrenis resurgant.* Ioan. 4. 7.

D. Chrys. *Samaritanã per aquam, quam tractabat, allicit.*

A assequeretur, quàm si in ipso fonte ac hydria salutis quasdam veluti lineas, atque typos effigiaret? Rectè igitur Chrysostomus. In aqua, inquit, mulieris salutem designat. Nec verò aliter agens Deus cum pastore Moyse de liberatione Hebræorum, eam ipsam illi quasi delineauit in baculo pastorali, modò in colubrum verso, modò in baculi formam restituto. Qua de re plura diximus in Visione Rubi. Ita prorsus Gedeoni homini rustico congruentissimum fuit signum pluuiæ super vellus, & aream.

*In hydria ducit salutis lineas.*

*Salutem Hebræorum delineauit in pedo pastorali Moysis.*

4. Sed est alia ratio velleris, atque areæ propriè spectans ad promissam victoriam. Petiit Gedeon à Deo vt plueret primùm super vellus, & non super aream: quo facto expressit vellus,
B & concham impleuit aqua; deinde vice versa, vt super aream plueret, & non super vellus, & factum est ita. Significatum est autem id, quod statim contigit: pro quo notandum, per aquas in Scriptura significari populos, Apocal. 17. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt*, &c. Sensus ergo est; ad Gedeonem primùm, Deo excitante, confluxisse plurimos populos, eique, vt velleri aquas, adhæsisse ad prælium; qui tamen Deo sic iubente dimisit à se multos, & quasi excussit, ne multitudine magis, quàm auxilio Dei vincere videretur: fusis verò prælio Madianitis, cùm Tribus Ephraim per inuidiam concitaretur in Gedeonem, quòd se ad pugnam non vocauerit, sed solus voluerit potiri victoria, prudenter addidit, sibi nihil deberi, sed totum ipsis, qui
C traditos haberent à Deo Principes Madian: ita siccum se quasi vellus vrbaniter exhibuit in Ephratæos, quasi in aream totam refundens felicitatem. Aliæ rationes afferri solent de vellère, & area; sed quoniam mysteria sapiunt, speciali Commentario illustrandæ sunt.

Apocal. 17. 15.
*Vellus vere plenum, ipse Gedeon cum plurimis populis sibi adhærentibus. Excussit vellus, qui à plurimos à se dimisit. Excusans se Ephraitis, quòd sibi nihil deberetur, sed totũ ipsis, vellus siccum se ostendit, & eos aream madidam.*

---

## *Secundus Commentarius de sensu mystico.*

IN sensu mystico duo similiter sese offerunt in Visione pluuiæ super vellus, & aream. Primum, comparatio Synagogæ, & vniuersalis Ecclesiæ. Secundum, Incarnatio Verbi Diuini in vtero Virginis.

### *Qualis sit comparatio Synagogæ, & Ecclesiæ in pluuia, vellere, & area?*

### SECTIO I.

1. *Mysticè significatur per vellus, & aream vicissim madentia gratia veteris, & noui Testamenti. Ostenditur id loco D. August. isque ipse apertam gratiam in lege noua demonstrat in apertione lateris Christi. Explicatur effusio gratiæ in lege noua loco Apocal. 22. & exaggeratur quasi venalis exposita loco Actor. 8.*

2. *Proponitur locus D. Ambrosij ponderantis duo illa indicia velleris & areæ. Quomodo Gedeon fuerit figura Christi bellatoris. Inquiritur in Ambrosio, cur area significet crescentem Ecclesiam, cùm in area nihil crescat? Cui respondetur ex Aug. Cur per vellus populus Iudæorum significetur? Respondetur ex Rup.*

D. Fern. in Vis. vet. Test.

D 1. MVLTA quidem hac de re Patres, quorum dicta præterire non possumus absque iniuria Visionis, quam tractamus. Igitur August. serm. 2. de verbis Apostoli, agens de manifestatione gratiæ in nouo Testamento aduersùs Iudæos, hanc de vellere historiam affert in probationem; & addit: Repete tempus veteris Testamenti: gratia occultabatur, tanquam imber in vellere: attende tempus noui Testamenti; discute gentem Iudæorum, quasi vellus siccum inuenies: orbis verò totus tanquam area plenus, est gratia, non oc-
E culta, sed manifesta. Hæc Augustinus. Et paulò antè, tempus nouæ legis appellauit tempus apertæ gratiæ, quasi tempore legis veteris clausa fuerit. Reuera autem ita fuisse eruit Augustin. idem, ex eo quod dicitur Ioan. 19. 34. *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua.* Vbi sacramenta Ecclesiæ in publicum educta significantur è Christi pectore, quod proinde Euangelista non percussum dixit, sed apertum. Clausum igitur erga

D August.

*Tempore veteris Testamenti, gratia in vellere: tempore noui, [illegible] in ar[illegible] [illegible].*
*Tempu[illegible] [illegible]na legis, [illegible]pus aperta gratia*
Ioan. 19. 34.
*Clausũ pectus Synagoga aperuit Christus in cruce Ecclesiæ suæ.*

ga, Synagogam pectus, Ecclesiæ suæ penitus manifestauit, & in aream quasi exposuit omnes gratias, eductas videlicet ab inuolucris pristinis: est quippe area granis eglumandis destinatus locus. Vnde August. sermon. illo citato Ecclesiam vocat aream manifestæ gratiæ: quasi diceret, in qua gratia, non vt antea apud Iudæos figuratum, ac ænigmatum inuoluta glumis, sed ab illis omnino excussa, aperta, ac enucleata sit.

*...in area, vbi grana eglumantur, quia in Ecclesia gratia manifestantur. Ecclesia area manifesta gratia.*

Apocal. 22. 1.

*Fluminis aqua viua, Spiritus sancti gratia. Gratia tempore legis nouæ in plateis exposita.*

Act. 8. 18.

Certè quidem id mihi videtur magna ponderatione dignum, quod Apocalyp. 22. 1. dicitur *fluuius aquæ viuæ à sede Dei, & Agni* procedere in medium plateæ ciuitatis. Plerique enim Patres per fluuium intelligunt Spiritus sancti gratiam, quæ primis illis tẽporibus ita publicè ac liberaliter fluxit, vt quasi in plateis cuilibet exposita videretur. Quod quidem vehementer exaggerat illud, licèt peruersè pronunciatum à Simone Mago, Actor. 8. 18. Cùm enim videret per solam impositionem manuum Apostolorum, dari fidelibus omnibus Spiritum sanctum: eam sibi potestatem, rem quasi venalem pretio comparare voluit: *obtulit* enim *pecuniam*, & ait: *Date & mihi*, inquit, *hanc potestatem*. Tanta erat igitur Spiritus sancti effusa liberalitas gratiarum, vt homo impius, quasi in foro, ac platea expositas emere voluerit. Hæc autem tam effusa gratiæ per aream monstrata exhibitio, manifestè conuincit, velleris quandam quasi auaritiam, vtpote quòd è cælo immissum rorem sic tenaciter imbiberit, vt non nisi paruam concham, & quidem bene expressum, implere potuerit. Vnum videlicet proselytum, post multas maris, terræque circuitiones, vix efficiebant, Matth. 23. 15.

*Et opinione Simonis venalis.*

*Velleris auaritia quadam in retinendo imbre, quid?*

Matth. 23. 15.

D. Ambros.

2. Sed & Ambrosij locus elegantissimus in lib. de viduis, in hanc eandem sententiam optimè quadrat. Sic enim ibi. Sanctus, inquit, Gedeon mystici certaminis præliator, futuræ capiens insigne victoriæ spirituale sacramentum, vigore mentis agnouit pluuiam illam rorem esse verbi Diuini, quæ primo quidem pluit in vellus, cùm terra omnis perpetuis siccitatibus æstuaret: secundo verò indicio vniuersam terram imbre fuso madefecit, cùm siccitas esset in vellere. Aduertit quippe in hoc vir præsagus futuræ Ecclesiæ crescentis insigne, aream cælesti rore completam; veteris autem Synagogæ vellus siccum. Primum illud notari oportet, quòd Ambrosius Gedeonem vocat mystici certaminis præliatorem; quia (vt Rupert. existimat) Gedeon figura fuit Christi bellatoris: quia vterque sine armis hostes vicit: nam sicut Gedeon trecentos viros, non cum armis, sed cum lampadibus intra lagenas, ac tubas præ manibus habentes in aciem eduxit, qui fractis lagenis, solo fulgore lampadum, ac tubarum sonitu hostes fugarunt: ita Christus collegit (sicut ait Clemens Alexandrin. in exhort.) incruentum exercitum, nimirum Apostolorum, ac Martyrum suorum, qui quantumuis perfracto in laboribus, ac tormentis corpore, tamen solo miraculorum splendore, ac prædicationis sonitu hostes fidei superarunt. At cur aream, in qua nihil crescit, vocat insigne crescentis Ecclesiæ? nimirum, quoniam (vt ait Aug.) in area communior, & securior est futuræ messis prouentus. Ideo autem per vellus (inquit Rupertus) populus Iudæorum intelligitur, quia sicut vellus sine corruptione, ac dolore agni succiditur: ita Iudaicus populus Deo primùm

*Gedeon mystici certaminis præliator, quia fuit figura Christi bellatoris.*

Rupert.

Clem. Alex.

*Christi exercitus incruentus. Prædicatione, & miraculis duntaxat vicit. Sicut in area, sic in Ecclesia securior prouentus fidei.*

D. Aug.

Rupert.

*Vt vellus sine corru-*

A adhærens, à fide Christi, sine damno ipsius Domini separatus est. Ita Rupert. Similia sunt & apud Chrysostomum tom. 1. ad Psalm. 72. & Origen. homil. 8. in lib. Iud.

*...primi agni, sic Iudaicus populus à Christo separatus.*

D. Chrys. Orig.

---

## *Eadem Visione pluuiæ, velleris, & areæ, Incarnationem in Virginis vtero significari.*

### SECTIO II.

B 1. *Visione velleris & areæ Incarnationem significari in vtero Virginis, elicit Rupertus ex ipsa notione nominis. Insignis ea de re prophetia in Psal. 71.* Descendet sicut pluuia in vellus. *Locus egregius D. Ambr. super eandem prophetiam.*

2. *Proponitur Bernardi locus in eandem sententiam.*

3. *Expenditur locus Bernardi, maximè quòd in ea posuerit Deus gratiam particularem, & gloriam.*

1. Illustrior longè est illa de Incarnatione Verbi in vtero Virginis allegoria, quam similiter Patres communi consensu rimati sunt in C vellere, & area. Atque vt vel inde initium sumatur, in ipso Gedeonis nomine Incarnati Verbi mysterium Rupertus agnouit: nam Gedeon interpretatur, circumiens in vtero. Quid est (ait Rupertus) circumiens in vtero, nisi omnipotens Deus sua dispensatione nos redimens, & sua diuinitate cuncta complectens, vt in vtero incarnatus esset, & clausus non esset? Ita Rupert. Atque huius rei habemus insignem prophetiam Psalm. 71. 6. *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Quem locũ omnes ad literam de præsenti mysterio interpretantur, atque ad vellus Gedeonis manifestam agnoscunt allusionem. Inter omnes D. Ambros. serm. 13. de Natiuitat. Domini ad citatam Psalmi sententiam. D Quid tam silenter, inquit, & sine strepitu fit, quàm cùm imber in lanæ vellus infunditur? nullius aures sono verberat, nullius corpus humore repercussionis aspergit, sed sine inquietudine hominum, totum imbrem per multiplices effusum partes, toto corpore in se trahit, vnius meatus scissuram nesciens, solida mollitie plures præbens meatus, & quod clausum videtur per densitatem, est paruulum per tenuitatem. Rectè ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto eum hauserit corpore, nec discissuram corporis passa sit, sed omnino mollis fuerit ad obsequium, solida ad sanctimoniam. Rectè, inquam, Maria velleri comparatur, de E cuius fructu salutaria populis vestimenta texuntur. Vellus planè Maria est, siquidem de molli sinu eius Agnus est egressus, qui & ipse matris lanicium, hoc est, carnem gestans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum: omne enim peccati vulnus Christi lana suffunditur, Christi fouetur sanguine, & vt sanitatem recipiat, Christi indumento vestitur. Huc vsque Ambros. In cuius verbis illa Virginis descriptio inprimis placet, qua per similitudinem ad velleris mollitiem, & soliditatem, dici-

*Nomen Gedeonis mysterium Incarnationis notat.*

Rupert.

Psal. 71. 6.

D. Ambros.

*Elegans descriptio infusi velleris.*

*Virgo mollis ad obsequium, solida ad sanctimoniam.*

tur

tur mollis ad obsequium, solida ad sanctitatem. quæ duo inprimis enituerunt in legatione Gabrielis: solida enim ad sanctitatem fuit, cùm dixit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* mollis verò ad obsequium, cùm illud addidit: *Ecce ancilla Domini*, &c.

*Solida, cùm dixit: Quomodo fiet istud: mollis, cùm dixit: Ecce ancilla Domini.* D.Bern.

2. Quàm pulchrè & Bernard. in hoc eodem argumento versatur homil 2. super Missus est? Ibi namque inter alias figuras, hanc de vellere Gedeonis, ita Virgini accommodat: Quid illud, inquit, Gedeonis vellus significat (quod vtique de carne tonsum, sed sine vulnere carnis, in area ponitur, & nunc quidem lana, nunc area rore perfunditur) nisi carnem assumptam de carne Virginis, & absque detrimento virginitatis? cui vtique distillantibus cælis tota se infundit plenitudo diuinitatis; adeò vt ex hac plenitudine [omnes] accepimus, qui verè sine illa non aliud, quàm terra arida sumus. Huic quoque Gedeonico facto Propheticum dictum pulchrè satis conuenire videtur, vbi legitur: *Descendit sicut pluuia in vellus.* Nam per hoc, quod sequitur: *Et sicut stillicidia stillantia super terram*, idē datur intelligi, quod per aream rore madidā. Pluuia quidem voluntaria, quā segregauit Deus hæreditati suæ, placidè priùs, & sine strepitu operationis humanæ,

*Vellus detonsum sine vulnere carnis, Christus natus sine læsione matris. Maria plenitudine diuinitatis infusa, omnes impleuit. Pluuia diuinitatis absque strepitu humanæ operationis in Virginem illapsa.*

A suo se quietissimo illapsu, Virgineum demisit in vterum, postmodum [verò vbique terrarum diffusa est per ora prædicatorum, nō iam sicut pluuia in vellus, sed sicut stillicidia stillantia super terram, cum quodam vtique strepitu verborum, & miraculorum. Ita Bernard. In quibus illud acutè dictum: Vellus de carne, sed sine vulnere carnis; quia caro Christi de carne Virginis, sed sine corruptione virginitatis. Idem Bernard. in serm. de Natiuitate Mariæ, ostēdens, in Maria posuisse Deum totum remedium nostrum, ita loquitur: Cælesti rore Deus aream rigaturus, totum vellus priùs infudit, redempturus humanum genus pretium vniuersum contulit in Mariam. Et sermon. 3. de Annunciatione asserens, singularem simul ac generalem fuisse Mariæ gratiam, singularem,
B inquit, quòd sola inuenerit plenitudinem generalē; quod de ipsa plenitudine accipiant vniuersi. Sic nimirum, sic olim ros totus in vellere, totus in area fuit, sed in nulla parte areæ totus sicut in vellere. ita ille. Significat autem vtroque loco Bernard. non modò excellentiam gratiæ in Maria, sed illud etiam peculiare priuilegium, quòd per eam orbi terrarum cæteras gratias communicauerit Deus. Plura Patres in hanc materiam, quæ consultò nunc omittimus.

*Postea cum strepitu prædicationis, & miraculorum effusa. Imber in vellere, postea in area: pretium nostrum priùs in Maria, postea in omnibus hominibus. Sola Virgo inuenit plenitudinem generalem. Gratia maior in Maria, quàm in cæteris. Per Virginē Deus communicauit omnes gratias.*




# VISIO NONA

## QVAM HABVIT ELIAS.

### 3. *Regum* 19.

## PRÆFATIO.

### *De Elia Vidente.*



LIAS idem ac Dominus Deus, autore D.Hieronymo; vel, Deus fortis, autore Rabano: natus in regione Galaad, quæ erat in sortibus duarum Tribuum, Ruben, & Gad, & dimidiæ Manasses, vltra Iordanem, Num.32. in oppido Thesbe, quæ sita erat in sorte Gad, vel dimidiæ Tribus: nec enim constat (ait Abulens.) in qua illarum fuerit. Hæc illa Thesbe, in qua mulier è turri molarem lapidem iaciens occidit Abimelec filiū Gedeonis ex ancilla, regem, seu potiùs tyrannum apud Sichimitas, Iudic.9. A Thesbe hac dictus est Elias Thesbites. Floruit regnante Iosaphat in Ierusalem: Achab in Samaria anno ab orbe cōdito ter millesimo sexagesimo. Quærit Abulensis, an Elias fuerit Sacerdos, aut Leuita? Nam immolauit taurum in probationem fidei veri Dei contra Baal, 3.Reg.18. Respondet, neu-

*Elias quid significet.* D.Hieron. Rabanus. *Vbi natus.* Num.32. *Thesbe, quod oppidum.* Iudic.9. *Sub quibus regibus, & quoto anno ab orbe floruit.* 3.Reg.18.

C trum fuisse; eruitque id ex eo quod dicitur fuisse tātùm ex habitatoribus Galaad. Si enim fuisset Sacerdos, significaretur id in contextu sacro, sicut de Ieremia, Ierem. 1.1. *qui fuit de Sacerdotibus, qui erant in Anathoth:* at cùm dicatur Elias fuisse absolutè de habitatoribus Galaad, inter laicos Prophetas censendum esse, constare debet. Ita censet Abulens. At Epiphanius Leuitam fuisse asserit de Tribu Aaron, natúmque, igne visum ablui, & cibari, responsúmque datum, igne illum & romphæa iu-
D dicaturum Israel.

2. Rectè verò obseruat Rabanus, quòd sicut Melchisedech, ita & origo Eliæ tacetur: nam eius nomen subitò introducitur in Scriptura, cap.17.3. Regum, absque vlla mentione de patre aut matre illius eo loco, aut alibi in sacris literis. Quod verò sanctus Epiphanius, & Dorotheus asserunt, patrem Eliæ dictum Sobacha, res est incerta.

*Non fuisse Sacerdotem nec Leuitā, ēst vit Abulens.* Rabanus. *Nomē Eliæ subitò introducitur in Scriptura, sicut Melchisedech.* S.Epiphan. Doroth.

*Incertũ quis fuerit pater Eliæ.*

incerta. Fuit ergo in hoc Elias, sicut & Melchisedech, typus Saluatoris nostri, qui nec patrem in terris habuit, nec in cælis matrem. Et sanè cùm Elias in iis, quæ ad Dei zelum pertinebant, summam profiteretur in loquendo libertatem etiam coram regibus, ducibus, sacerdotibus; talem oportuit esse, vt nec patrem, nec matrem, nec genealogiam in mundo agnosceret: in eo vel maximè similis Christo, qui in iis, quæ Patris eius erant, visus est matrem etiam sanctissimam non agnouisse. Luc. 2. 48. inuentus in templo cùm esset annorum duodecim, dicẽte B. Virgine: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ego & pater tuus dolentes quærebamus te*, respondit: *Quid est, quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* & Matth. 12. 48. cùm concionaretur ad populum, & accepisset ipse à quodam, adesse matrem, & fratres eius, respondit: *Quæ est mater mea, aut qui sunt fratres mei?* Talis profectò Elias iure interpretatus Dominus Deus, quasi humanitatis nihil haberet, sed totus quasi Deus diuinitus è cælo ad terras missus.

*Eliam in loquendo liberrimum oportuit esse sine patre, sine matre, sine genealogia.*

Luc. 2. 48. *Christus in iis, quæ Patris erant, nec matrem sanctissimã agnoscebat.*

Matth. 12. 48.

*Elias ideo Dominus Deus, quasi nihil haberet humanitatis, sed totus esset diuinus.*

3. Primùm inducitur 3. Reg. 17. denuncians Achab futuram siccitatem, ac adeò famem; móxque iussu Dei fugit versùs Orientem, latuítque in specu iuxta torrentem Carith, è regione Iordanis: vbi pane, & carne pauit illum Deus per coruos manè, & vespere. Grauiter quidem Greg. Nyssen. Orat. de laudibus Basilij fratris, personam Eliæ describit, cùm primùm venit ad Achab: Cùm Achab, inquit, traxisset populum ad idololatriam, exhibet Deus Eliam ad curandum populum, virum, qui curationem, & cultum corporis despiceret, facie squalenti, qui multitudine suorum crinium obumbraretur, qui peculiari modo viuendi vteretur, aspectu venerandum, vultu tristi, ac risus experti, obtutu oculorum recto, & eodem quo intendisset vergenti; pelle caprina tantum de corpore tegentem, quantum abscondi decorum erat, reliqua corporis ad aëra perdurantem; & nihil curantem vel æstus, vel frigoris iniquitatem: qui cùm populo exhibitus esset, primùm flagello famis, veluti scutica, incessit eius petulantiam. Ita Nyssenus. Atenim qua occasione Elias siccitatem hanc prædixerit, controuertitur. Refert quidem Abulens. opinionem Rab. Salomonis, quòd cùm ad finem capitis præcedentis facta fuisset mentio de supplicio eius, qui instaurauit Hierico iuxta verbum Iosue, Iosue 6. 26. omnésque mirarentur prophetiam Iosue exactè completam: solus Achab irridens, casu id euenisse dixit: quoniam & Moyses prænunciauerat futu-

Greg. Nyss.

*Elegans descriptio Eliæ, ex Greg. Nyss.*

Abulens. Rabbi Salomon. *Occasio inferenda siccitatis, ex Abulense.* Iosue 6. 26.

ram siccitatem, & famem apud Hebræos, si ad idola declinarent, & tamen cùm sæpius ita declinauerint, non fuerunt ea pœna mulctati: tunc Elias opportunè prophetiam ingerens contra Achab, qui erat idololatra cap. 17. 1. citato, dixit: *Viuit Dominus, in cuius conspectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba.* Hanc existimationem Rab. Salomonis putat Caiet. non esse à ratione alienam; Abulens. verisimilem non credit: ego nugas dixerim Rabbinicas: illud tamen mihi videtur certum, cum Caietano, Eliam ob peccata Achab, & populi, maximè verò ob idololatriam, siccitatis plagam prænunciasse. Iurauit Elias per Dei vitam, addens peculiarem loquendi modum, videlicet, *In cuius conspectu sto.* Caietanus orationem hîc cõminiscitur, quod Elias orando (vt Iacobus ait vltimo suæ Canonicæ) impetrauit à Deo, *vt non plueret.* Itaque idem esse stare in conspectu Dei, & orare ad Deum, quoniam oratio nihil aliud est, quàm eleuatio mentis ad Deum. At verò Abulens. credit fuisse modum loquendi familiarem Eliæ, quòd & solus, & sæpius eo modo loquendi vtatur. Sunt enim plerumque hominibus speciales quidam loquẽdi modi, quos frequenter vsurpant: quare & Eliæ in vsu fuit sic loqui, *Deus, in cuius conspectu sto*, hoc est, cui seruio. nam serui coram dominis stare solent. vel quem mihi semper præsentem habeo, cui omnia mea (inquit Abulens.) astãtia sunt, vt ab eius obsequio nunquam recedere audeam. id quod maximè ad perfectionem vitæ iuuat, iuxta illa Domini ad Abraham Genes. 17. 1. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Quasi nullum sit medium, sed posita hac præsentiali inambulatione coram Deo, necessariò sequatur perfectio. Cùm tamen constet ex Canonica Iacobi orasse Eliam, vt non plueret, præmissam talem orationem, certum est: at eam expressam per modum loquendi, *in cuius conspectu sto*, minùs probabile, quàm id, quod de tali modo tenet Abulens. Etsi autem hoc loco non exprimatur in quot annos Elias siccitatem indixerit, tamen ex loco citato Canonicæ Iacobi habemus, tres annos ac dimidium durasse.

3. Reg. 17. 1.

Caiet. Abulens. *Plagam siccitatis illatam ob peccata populi, maximè ob idololatriã.*

Caiet. Iacobi vltimo. *Stare in cõspectu Dei, id est, orare, ex Caiet.*

Abulens. *Modus loquendi familiaris Eliæ, ex Abul.*

*Stare in cõspectu Dei, id est, seruire, vel præsentem eum ducere.*

Genes. 17. 1.

*Ambulare coram Deo, & esse perfectum, idem esse.*

*Præmissam orationem certum est ex D. Iacobo, significatam per eũ modum loquendi, minùs probabile.*

*Tres annos ac dimidium durasse famem, certũ.* Abulens.

4. Latuit Elias aptè in torrente Carith, quoniam (vt ait Abulens.) erat in abdito solitudinis remotissimus ab hominum frequentia: futurum autem sciebat Deus, Achab requisiturum Eliam per totam terram Israël, vt cogeret eum etiam adhibitis tormentis orare pro remedio siccitatis. Mansit ergo Elias solus in spelunca aliqua prope torrentem, ídque per tres ferè annos, vt ait Abulens. ibique diuinis contempla

*Iuxta Abulens. latuit in spelunca Carith per tres annos.*

templationibus vacabat. Elias ibi ( ait Chrysost.serm.de Elia)altior mundo, proximus cælo, Dei colloquio fruebatur. Sic ille. Pascebatur autem Deo intus diuinis consolationibus, foris pane, & carnibus, quæ duo corui iussu Domini afferebant manè, & vespere. Dicitur autem Deus præcepisse coruis, vt hæc facerent, non quòd corui capaces fuerint diuini præcepti, sed quoniam Deus ita mouebat eorum inclinationes, vt certò deferentes ea, quæ volebat, quasi dicto eius audiẽtes viderentur. De hoc autem per coruos ministerio, plura Patres. Chrysostomus eò factum existimat, vt Deus per immites natura coruos erudiret Eliam. Serm. de Elia, Prophetam, inquit, per illas aues, quibus sui fœtus inuisi sunt, nutriuit. Odit enim prolem suam coruus, quod Propheta insinuat dicens: *Et pullis coruorum inuocantibus eum.* Vnde per illos apud Eliam, qui Iudæis, tanquam filiis malæ frugis succensebat, Deus intercedit, quasi dicat: Ecce corui, qui natura pullis sunt immisericordes, illi ipsi, vt hospites tibi seruiunt: absurdum ergo non est, quod apud te misericordiæ meæ patrocinentur corui. Ita Chrys. Idem D.Chrys.super Psal.96. Non solùm, inquit, Sanctis testificantur feræ, vt vipera Paulo, sed & seruiunt; Ionæ cetus triduo subiugatꝰs fuit, vt quo intus gubernãs, nõ quò ipse volebat duceretur; sicut corui Eliæ quotidie cibos, ceu domino afferebãt. Gratè verò commẽtus est D.Aug. coruis hoc ministerium impositũ, vt lucerent carnificinã à se factam post diluuium. A coruis, inquit, ministerium Prophetæ præcipitur, vt culpam, quam in diluuio commiserat, purgare auis illa videretur, dum fidelis minister efficitur Eliæ, qui negligens, ac fallax fuerat Noë. Illud quoque in hoc ministerio ostenditur, qualiter homo, si non peccasset, animalium ministeriis vteretur. Vnde verò illas carnes & panes attulerint corui, ille viderit, qui tale officium committebat. Sic Augustinus. Corui infidelitatem erga Noë, intelligit illam Gen. 8.7. qua missus ex arca à Noë, vt regressus indicaret, an aquæ diluuij cessassent, *egrediebatur, & non reuertebatur*, cadauerum carnibus inhians, vt coniectant interpretes. Vnde autem detulerint panes, & carnes, putat Abulensis è domo Achab, vt vel inuitus pasceret Prophetam. Rectè autem Caiet. Nota moderamen, inquit, modicum enim fuit, quod corui rostro vehebatur, videlicet quia Dominus necessitati subueniebat, non voluptati.

*Elias altior mundo, proximus cælo.*

*Deus præcepit coruis, quoniã certò mouit inclinationes eorum ad suũ nutum.* D.Chrys.

*Per coruos pascit, vt per immites feras erudiret Eliam ad clementiam. Coruus odit prolem suã.*

*Ionas intus gubernabat cetum.*

D.Aug. *Cur coruis impositum hoc præceptum, opinio D.Aug.*

*In ministerio corui ostenditur, quales feræ in hominem futuræ, si nõ peccasset.*

Abul. *Carnes è domo Achab attulisse carnes, putat Abul.* Caiet. *Modico cibo pauit Deus Vatem.*

5. Igitur siccato torrente Carith monuit Deus Vatem, Sarepta Sidoniorum pe-

A teret, vt ibi quod reliquum erat famis apud viduam mulierem tutò transigeret; insuper, & miraculosè aucta farina hydriæ, & oleo lecythi, & filio mulieris è mortuis suscitato, denique statuto tempore mittitur à Deo in occursum Achab daturus pluuiam; quod præstitit, probata priùs fide veri Dei per solennem immolationem, & occisis quadringentis quinquaginta Sacerdotibus Baal. Sarepta (vt ait Iosephus 8. Antiquit.) ciuitas erat parua inter Tyrum, & Sidonem, in qua habitabat vidua, etsi inter Ethnicos, religiosa tamen, vt affirmat

B Caietan. & apparet ex eo, quòd loquens ad Eliam, iurat per Deum eius. *Viuit Dominus Deus tuus.* D. Chrysostomus ( homil. illa citata prosecutus eam conceptionem, quòd Deus ipse variis modis placare nitebatur Eliam erga populum ) ponderat etiam quomodo miserit eum ad viduam Gentilem, ac adeò abominabilem homini Iudæo, vt potiùs eligeret pluuiam à se postulare in remedium communis famis, quàm ad eam diuertere, vt mox, inquit, audiens nomen Gentilis fœminæ, ab ali-

C mento ab ea sumendo abhorreret, & vel sic Deum, pro effundendo imbre imploraret. Verùm ex contextu patet, ideo missum Eliam in Sarepta, quia iam vidua præceptum à Deo acceperat, vt eum pasceret, *Præcepi*, inquit, *mulieri viduæ, vt pascat te*: eo verò præcepto Dei mundata est mulier, eiúsque hospitium dignum Elia factum. At quomodo id præcepit Deus mulieri, quam sciebat vnum tantùm habere farinæ pugillum, & parum olei? Rectè quidem

D Card. Hugo, hoc præceptum Dei ad viduam fuisse ait nimiam eius charitatem erga pauperes, cuius sciebat non futuram præuaricatricem, vt vel ex modico farinæ pugillo, & guttula olei demeret, quo Eliam pasceret: mandauit ergo Deus viduæ, inspirando charitatem erga Eliam ( sicut loquitur Aug. serm.201. de Temp.) eóque meruit, vt à Domino per Eliam indeficiẽter pasceretur. *Hydria*, inquit, *farina non defuit, & lecythus olei non est imminutus.* Qua de re grauiter dictum à Chrysost.

E hom.42. Genes. Lingua, inquit, Prophetæ, quæ cæli habenas moderabatur, farinæ pugillum, & olei amphoram iugiter scaturire fecit. ita Chrysost. Sed & nouo insuper beneficio bonam viduam affecit, mortuum filium reuocando ad vitam. Notum quomodo id fecerit, videlicet ter, orans, & incumbens cadaueri, vt hoc sensibili signo ( ait Caietanus ) ostenderet, quàm arduum erat miraculum pro quo orabat, non genuflexus, sed prostratus tribus vicibus orat. & addit Caiet. Et hic est primus

*Sarepta, vrbs parua inter Tyrum & Sidonem.* Iosephus.

*Vidua Sareptana, mulier religiosa.* D.Chrys.

*Cur missus ad mulierem Gentilem?*

3.Reg 9 17.

*Præcepto Domini mũdata est vidua.*

*Præceptum Dei ad viduã, nimia eius charitas erga pauperes.*

D.Aug.

D.Chrys. *Lingua Eliæ cæli habenas moderabatur, item hydria, lecythique scaturigines.*

Caiet. *Incuruans se Elias super cadauer, difficultatẽ miraculi ostendit.*

mortuus, qui ab initio mundi resuscitatus est. De hoc filio viduæ suscitato refert ad initium Prophetiæ Ionas B. Hieron. traditionem Hebræorum, fuisse illum Ionam Prophetam, & idem scribit S. Epiphanius, de vitis, & mortibus Prophetarum. Hieron. rem nec probat, nec improbat. Ribera verisimilem negat, cui libenter adhæreo; vide Riberam initio primi cap. Ionas.

*Hic puer legitur primò suscitatus.* D. Hier. D. Epiph.

*Puer suscitatus, non fuit Ionas Propheta.* Ribera.

6. Post annos indictæ famis missus est à Deo Elias in occursum Achab, vt pluuiam daret, 3. Reg. 18. cúmque à Rege petulanti interrogatione impeteretur, liberrimè in illum retorsit Vates interrogationem petulantem, móxque ad probationem fidei veri Dei, proposuit, vt verum eius foret signum ignis cælitus decidens in sacrificium propositum spectaculum; sed in eo Baalitæ causa cadere, Elias per ignem vincere visus est: mox illis populari tumultu abreptis, ac internecioni datis, Elias in montem Carmelum ascendens, pluuiam è cælo elicit. Occursum Achab & Eliæ D. Chrysostomus celebrat per illustres antitheses, hom. 8. ad populum Antiochenum. Vidit, inquit, Regem ad se venientem Elias, & dicente illo: *Tu es ille qui conturbas Israël? Non ego turbaui Israël*, inquit, *sed tu, & domus patris tui*; Verè iustus, inquit, vt leo, confidit: sicut enim leo, ita is in regem tanquam vilem catulum insurrexit; purpuram habebat ille, hic melotem, indumentum purpura venerabilius. Purpura illa famem peperit difficilem; melote dissoluit. Diademate fulgebat Achab; at Elias diadema non spectabat, sed animam sordibus squalidam, dúmque illum intuitus est vitiorum seruum, principatum eius contempsit, & tanquam in scena Regem, non in veritate sibi cernere videbatur. Ita D. Chrysost. Venitur ergo ad sacrificium, quo parabat Elias Sacerdotes Baal confundere, & Israëlitas conuertere. Stabat (inquit Chrysost. homil. citata) Elias medius inter Deum, & populum, hîc populum obiurgat, illic Deum exorat, optimum, videlicet, mediatorem agens, qui vtriusque partis impedimenta coadunationis remoueat; ita fit per Eliam vna concordia inter Deum, & homines. sic Chrysost. Adhibuerat Elias sacrificio conditionem hanc: *Deus, qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus.* quæ conditio in solo ipsius sacrificio impleta est. Solus ergo Elias vicit igne diuinitus dato, qui deuorauit holocaustum, lapides altaris, aquam infusam, puluerem terræ. Et verus in eo igne patuit Deus. Id verò congruenter, quoniam verus Deus propria periphrasi *ignis consumens* dicitur, Deuter. 4. 24. propterea in textu dicitur,

D. Chrys.

*Elias, vt leo confidẽs.* Prou. 28. 1.

*Melote Elias purpura Achab venerabilior. Elias Achab contempsit purpuratum, quia videbat animã eius squalidam.*

*Elias mediator inter Deum & populum.*

3. Reg. 18. 24.

*Verus in igne Eliæ patuit Deus.* Deut. 4. 24.

A *Ignis Domini*, quasi, ignis Dominus. Vnde acutè Abulensis. Per aduentum, ait, huius ignis significatur præsentia Dei: ideo & qui præsentes aderant ceciderunt illico in facies suas ob reuerentiam Numinis. Vtiliter huc spectans D. Ambros. in Psal. 118. Oct. 14. dominari optat in Ecclesia hunc ignem Dominum. Quibus precibus, inquit, emerear, vt veniat in Ecclesiam Verbum Dei, & fiat ignis consumens, deuorétque stipulas, fœnum, puluerem, vt quidquid est seculare, graue plumbum iniquitatis liquefaciat, ferreum peccati rigorem

*Ignis Domini, quasi ignis Dominus.* Abul. *Hoc igne, præsentia Dei adsuit.* Ps. 118. 14. *Hunc ignem Dominum optat Ecclesiæ D. Amb.* Ps. 118. 14.

B molliat. Bonus ignis, quo vnusquisque Sanctus ad reuerentiam sui auctoris incenditur. Ita Ambros. Igne igitur, tanquam signo Diuinitatis elato, corripuit populus omnes Sacerdotes Baal, & occidit in torrente Cison; placatúsque est Dominus interfectis subuersoribus iniquitatis. Mox enim vt Elias Carmelum ascendens orauit, pluuiam, & quæ inde secuta est, abundantiam impetrauit.

7. Commune hoc beneficium tantùm abfuit vt gratum habuerit Iezabel vxor

C Achab impia, vt ob interfectos Sacerdotes Baal exarserit odio in Eliam, ac certissimam illi necem intentauerit; fugit ergo Elias in desertum Arabiæ, viam vnius diei, & præ lassitudine proiecit se in terram pertæsus vitæ, dormiénsque excitatus est ab Angelo, ac pane subcineritio, & aqua ab eo pastus, ambulauit absque alio cibo quadraginta diebus, ac noctibus, vsque ad montem Dei Horeb; ibique latens in spelunca habuit Visionem magnificam, quam latiùs explicamus in Commentario ad

D cap. 19. 3. Reg. Quærit Abulensis, cur Elias timuerit mulierem Iezabel, qui non timuit Achab? Respondet, id factum, quoniam Elias, Deo ipsum mouente in Achab, confidebat plus quàm homo: eleuabat enim Deus cor eius, vt omnia infra se posita reputaret, etiam horrendos Reges, & immania pericula: ne verò Elias hanc cordis eminentiam, quasi propriam, ac sibi debitam vendicaret, se ipsum vti Deum reputans, sibi relictum fœminam timuisse. Sic Abulensis; affértque locum D. Greg. super

Abul. *Cur Elias timuit Iezabel, qui non timuit Achab?*

*A Deo roboratus non timuit Achab, relictus sibi fœminam formidauit.*

E Ezechielem. Propterea Vatem cum sæpe dictum à Deo filium hominis, ne propter magnitudinem, inquit, reuelationum extolleretur, putans se non hominem, sed plus quàm hominem esse. Caietanus meritò etiam hîc hæret, quomodo Elias optet mori, dicens: *Sufficit mihi Domine, tolle animam meam*, & fugiat mortem, cùm ibidem dicatur: *Timuit ergo Elias, & abijt quocunque eum ferebat voluntas*, hoc est, vagabatur huc atque illuc, proprium hominis trepidi, ac sui

Greg. Mag. *Ezechiel filius hominis sæpe dictus, ne visionum magnitudine extolletur.* Caiet. 3. Reg. 19. 3.

*Elias fugit non mortem, sed mortem à fœmina inferendam, ne illa gloriaretur cōtra Deum.*

sui minimè compotis præ timore. Respondet Caietanus, Eliam non declinasse mortem, sed modum mortis, scilicet per fœminam; ne daret, inquit, cornu peccatrici mulieri, quasi præualenti in Deum, cuius mandato Elias occiderat sacerdotes Baal. Itaque non tam suæ vitæ timebat, quàm honori diuino. Iure autem Patres celebrant prandium, quod Dominus ad Eliam per Angelum misit, subcineritium panem, & vas aquæ, accommodum videlicet Eliæ pabulum, qui nō delicias, sed frugilitatem sectabatur; vt propterea vocauerit eum Clem. Alex. 3. Pædag. 7. pulchrum frugalitatis exemplum. Porro valde admiranda virtus data est illi pani (ait Caietanus) vt sat fuerit peragendo itineri 40. dierum, ac noctium. Num autem inerit ea virtus pani ex ratione suæ conditionis, an addita insuper fuerit à Deo pani communi, an ex sola voluntate Dei factum, vt sustentare diu posset, incertum est. Noui autorem de mirabil. sacr. Scrip. panem hunc asserere mirabiliter per Angelos, factum, vt posset diu alere comedentes; sed facilius est, ait Abulensis, si dicamus panem fuisse communem, portatum ab Angelis è domo aliqua, & Deum virtute sua conseruasse Eliam, vt illo inediæ tempore non deficeret.

*Magis timuit honori Dei, quàm sibi.*

*Clem. Alex. Elias, pulchrum frugalitatis exemplum.*

*Incertum, inerit ne illi pani virtus ad sustentādum, an desoris superuenerit.* Aut. de mir. S. Scri.

*Facilius Deum virtute sua cōseruasse Eliam.* Abul.

8. Post exhibitam Visionem, & expleta mandata illa de creandis Regibus Israël, & Syriæ, ac de constituendo Elisæo in Prophetam, de quibus mox dicendum, vbi reliquum vitæ duxerit Elias, non constat ex Scriptura; sunt tamen coniecturæ, quas sectari possumus. Ac primùm quidem certum est, sacrificium illud celebre, de quo suprà, exhibitum ab eo in monte Carmelo, 3. Reg. 18. 19. vbi ad Achab: *Mitte, & congrega ad me vniuersum Israël in monte Carmeli*, &c. & finito sacrificio, vt dicitur vers. 42. *Ascendit Elias in verticem Carmeli, vt oraret pro pluuia.* Vnde patet sacrificium celebratum, vel ad radicem montis, vel in medio ascensu, vt verum sit, inde ad verticem ascendisse. Vlteriùs 4. Reg. 1. 9. misit Ochozias Rex Israël quinquagenarium illum primum ad comprehendēdum Eliam, *qui ascendit ad eum, sedentique in vertice montis, ait*, &c. vbi omnes Interpretes per montem accipiunt Carmelum: & cùm dicitur ibi sedere, non intelligitur simplex sessio, sed permansio habitationis ex more linguæ. ישב enim vtrumque importat, Deut. 1. 46. *Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.* Psal. 136. 1. *Super flumina Babylonis, illic sedimus.* Isai. 32. 16. *Habitabit in solitudine iudicium, & iustitia in Carmel sedebit.* In Hebræo vtroque loco est idem verbum, & occurrent passim similia loca. Quare & hic cùm dicitur venisse quinquagenarium ad Eliam sedentem in monte, Interpretes intelligunt habitationem, maximè Abulensis. Ait enim ab eo tempore, quo in monte Carmelo cælitus accepit ignem pro sacrificio, sedem sibi in eo posuisse, non quouis modo autem habitauisse in loco, sed religiosam ibi duxisse vitam, cui plures alij adhærebant, qui dicti sunt filij Prophetarum, 4. Reg. 1. Post raptū verò Eliæ suscepisse Elisæum religiosam illam præfecturā, indicio est, quòd assumpto Elia, reuersus fuerit in mōtem Carmelum, & ibi à filiis Prophetarum adoratus vt pater, cui deinceps obedientiam essent præstituri, 4. Reg. 2. Hinc est, quòd hos duos, Eliā scilicet, ac Elisēū, agnoscāt plurimi Patres, appellēntque Principes, ac primos parētes religiosæ vitæ. Vnde est illud D. Hieronymi epist. 13. cùm de se, ac de cæteris Monachis loqueretur: Noster, inquit, Princeps Elias, noster Elisæus, nostri Duces filij Prophetarum. Et Ioannes Cassianus lib. 1. de cœnobiorū institutis, monēs viros religiosos, zona vt præcincti sint, veluti milites, hoc est, in procinctu semper ad bella spiritualia: Quales, inquit, ambulabant, qui religiosæ vitæ fundauēre primordia, Elias videlicet, ac Elisæus. ita Cassian. Eliam verè sequutus Ioannes Baptista, eodem habitu vsus est, nam & vestē habuit de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos, Matth. 3. 4. quippe ob similitudinem indumenti, putauerunt Iudæi Ioannem Baptistam esse Eliam; sicut per legatos suos illum interrogarunt, Ioan. 1. 21. & Gabriel prædixit Zachariæ Ioannem filium præcessurum Messiam *in spiritu, & virtute Eliæ*, vel quia præcursor futurus primi aduentus Christi, vt Elias erit secundi, quod placet Augustino tract. 4. in Ioan. vel quia (vt ait Beda) simillimi conuersatione futuri, ambo deserta sequuti, victu frugi, vestitu inculti, cinctu despecti, spiritus ergo Eliæ, continuata serie in deserto per homines religiosæ vitæ, denique in Ioannem transmissus, illum quoque exhibuit mundo monachorū parētem, quod fatetur D. Hieronymus de eremitis disserens in epistola ad Eustochium de seruanda virginitate. Huius vitæ, inquit, autor Paulus, illustrator Antonius, &, vt ad supera conscendam, Princeps Ioannes Baptista. Et Chrysostom. hom. 1. in Marc. Sicut, inquit, Sacerdotum Principes sunt Apostoli, sic Monachorum Princeps Ioannes Baptista.

*Sacrificium Eliæ exhibitum in mōte Carmelo.*

4. Reg. 1. 9.

Deut. 1. 46.

Psal. 136. 1.

Isai. 32. 16.

*Elias habitabat in monte Carmelo.* Abul.

*Et religiosā ibi duxit vitā, iuxta Abul. nō solus sed cum filiis Prophetarum.* 4. Reg. 1.

*Elisæus successit religiosæ præfecturæ.* 4 Reg. 2.

*Elias & Elisæus apud multos Patres, primi religiosæ vitæ Principes.* D. Hieron.

*Eliam ac Elisæū verè sequutus Ioannes Baptista.*

Matt. 3. 4.

Ioan. 1. 21.

Beda.

*Baptista & Elias simillimi.*

*Baptista monachorū parens.* Hieron.

D. Chrys. *Apostoli Sacerdotum Principes, monachorū Ioan. Bapt.*

9. Denique à conuictu hominum sublatus

latus est, non morte, sed raptu, 4. Reg.2. E Galgalis ibat Elisæo comite versùs Iordanem, quò cùm peruenisset, pallio diuisis aquis, sicco vestigio vterque pertransiit; constitutus in vlteriori ripa, sublatus in cælum est igneo cursu, nec ampliùs comparuit: visus postea semel in Transfiguratione Domini, Matth.17. 3. iterum videndus in fine mundi, vt restituat omnia, ibidem 11. Pulchre D. Chrysost. hom. de ascensione Eliæ, Post bellorum, inquit, fatigationes, post illustres victorias, optima de mundo referentem spolia, triumphali gloria præfulgentem, curru igneo, equis flammantibus, Eliam suum Deus cælestibus intulit. Oportebat enim errantis populi rectorem, qui ad iugum timoris Dei, concordiæ frænis adstrinxerat discrepantes voluntates, ac recto disciplinæ tenore bonus auriga rexerat, cælesti ad cælum curru transuolaret euectus. ita ferè D. Chrysost. Deprehendit Elisæus conuenientiæ huius modum, cùm ad raptum Eliæ clamauit: *Pater mi, Pater mi, currus Israël, & auriga eius*; quasi diceret: Bene quadrat, vt qui Israëlem vehebat, tanquam currus, & eum dirigebat, tanquam auriga, curru in cælum subuehatur, in quo ipsemet sit auriga. Abulensis notauit cum affectu dictũ, *Currus Israël*: quasi diceret: O currus, qui defers in te totum bonum Israël, hoc est, Eliam, to-

*Elegans Chrysostomi locus de ascensione Eliæ.* D.Chrys.

4.Reg 1. 12.

*Elias totum bonũ Israël.*

A tum videlicet bonum Israël. iuxta Hebræum: *Currus Israël, & militia eius.* Explicat Rabbi Salomon, quòd Elias Israëli fuerit instar curruum, ac militum bellatorum aduersùs omnes hostium impetus. Congruit autem currus igneus (ait Caietanus) Eliæ igneo animo erga Deum. Nec mirum (ait D. Chrysost. vbi suprà) si ignis, cui is toties imperauerat, vt & contra quinquagenarios impij Regis, & contra Sacerdotes idolorum antea è cælo eduxerit, in currus B formam redactus suum deferat Imperatorem. Quantum iste, inquit, gehennalibus ignibus illusisset, qui sic assueuerat cælestibus imperare? Sic Chrysost. Creditur autem sublatus Elias ad paradisum terrestrem, vbi cum Enoch quiescit, vsque ad Antichristi aduentum, quem vterque & prædicatione sua, & morte pro veritate fortiter obita confundet, & comprimet. Tertũl. lib. de Anima cap. 50. Morituri reseruantur, vt sanguine suo Antichristum extinguant. Apparuit tamen Elias cum C Moyse in Transfiguratione Domini, vt à præcipuis veteris legis Heroibus graue testimonium haberet noua lex. Idem Tertul. 4. aduersùs Marc. 12. Apparuit cum principibus suis, quorum alter populi informator aliquando, alter reformator quandoque, alter initiator veteris Testamenti, alter consummator.

*Elias Israëli instar multorum curruum, militúmque.*

*Elias animo igneo congruit currus igneus.* D.Chrys.


*Elias cælestibus imperans, gehennalibus illusisset.*

*Antichristũ suo sanguine extinguet Elias.* Tertul.

*Elias reformator, & consummator veteris Testamenti.*

---

## ARGVMENTVM CAPITIS XIX.



*XHIBET se Deus Eliæ in sibilo auræ tenuis. Iubet Damascum pergat, & regem Syriæ vngat Hazael; in Regem Israël, Jehu; in Prophetam pro se, Elisæum.*

| CAPVT XIX. | PARAPHRASIS. |
|---|---|
| 1. NVnciauit autem Achab Iezabel omnia, quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset vniuersos Prophetas gladio. | D 1. *ELias Propheta, post solenne sacrificium, quo ignem de cælo mirabiliter eduxit, ac fidem vnius Dei confirmauit coram omni populo, Prophetas omnes Baal comprehendi iussit, & occidit. Narrauit Rex Achab Reginæ Iezabel rem omnem, maximè verò, quomodo Vates occidisset omnes Prophetas Baal.* |
| 2. Misitque Iezabel nũcium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis. | 2. *Quo nuncio vehementer perturbata mulier impotens temperare à minis non potuit, sed misit illico, qui suo nomine Eliæ dicerent: Dij me perdant, nisi recurrente hac hora in crastino, te quoque in numerum redigam eorum, quos interfecisti.* |
| 3. Timuit | 3. *Vidit* |

3. Timuit ergo Elias, & surgens abiit quocunque eum ferebat voluntas: venítque in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum viam vnius diei.

4. Cúmque venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum, quàm patres mei.

5. Proiecitque se, & obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & comede.

6. Respexit, & ecce ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ: comedit ergo & bibit, & rursus obdormiuit.

7. Reuersúsque est Angelus Domini secundò, & tetigit eum; dixítque illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via.

8. Qui cùm surrexisset, comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vsque ad montem Dei Horeb.

9. Cúmque venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eum; dixítque illi: Quid hîc agis, Elia?

10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum Domini filij Israël: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.

11. Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus.

12. Et

A *3. Vidit Elias in periculum se vocatum, & timore perculsus fugam proripuit, ibíque incertus, & animo insuper fluctuabat vagus. Declinans ergo à terra Israël, venit in Bersabee Iuda, vbi puerum suum reliquit, ne eodem periculo innolueretur.*

*4. Solus ergo in solitudinem se contulit, per quam diem vnum iter faciens, sedit lassatus sub iunipero: vitámque ipsam fastidiens, ex deliberata sententia precatus est Deum ad hunc modum: Sat vitæ datum, Domine, accipe hanc animam, méque his exolue periculis; non enim maioris meriti sum, quàm fuerint maiores mei,*
B *quos tamen ex hac vitæ miseria liberasti. Tu ipse Domine interfice me, non Iezabel, ne contra te glorietur, quòd me sustulerit ob interfectos mandato tuo Prophetas Baal.*

*5. Postquam ita Deum orauit, partim ob animi tristitiam, partim ob iuniperi grauem vmbram, proiectus in terram dormiuit. Cùm subitò stetit Angelus è cælo missus, qui dormientem quasi manu tangens excitauit, aitque: Excute somnum, ô Elia, surge, comede.*

*6. Excitatus à somno reperit ad caput suum panem, non delicatum, sed qualem pauperes è*
C *corrupta massa ad focum coquere solent aggregatis cineribus; item vas aquæ. Elias recreatus ob diuinam in se curam, comedit, ac bibit, sed relapsus, vel eo ipso, in somnum est.*

*7. At verò Angelus iterum reuersus excitauit dormientem, monuítque, vt resumpto cibo surgeret, séque itineri accingeret, quod restabat adhuc longius peragendum.*

*8. Extemplò surrexit Elias, ac se iterum cibo, potúque reficiens, tantam ex ferculo illo diuinitus misso corporis fortitudinem sensit, vt per totos ipsos sequẽtes quadraginta dies, ac noctes nullo alio cibo sumpto perrexerit, vsque ad*
D *collem illum altissimum montis Sinai, qui dicitur Horeb.*

*9. Ibíque nactus ad latendum idoneam speluncam, sese intra illam abdidit: statímque inuisit eum Deus; & familiariter alloqutus, ait: Quid tu, Elia, hîc?*

*10. At Elias, vt erat præferuidus spiritu, respondit: Maximo, quo potui, zelo me opposui pro defensione honoris tui, Domine, & vt video, actum est; omnia corruerunt, altaria nomini tuo dicata solo æquata sunt, Prophetæ omnes extincti, ego solus superstes vix euasi manus hostium: nam me iam ad necem destinatum quærit Iezabel impia.*
E

*11. Cui Dominus adhuc in spelunca latitanti, Egredere hinc, ait, & sta in monte ad conspectum Domini, egressóque foras, Eliæ monstrata est à Domino horribilis Visio. Nam primò sensit præire ante Dominum turbinem vehementem, quo montes, quasi suo loco propelli, ac saxa latè concuti videbantur; & tamen in turbine non erat Dominus. Postea sequutus est ingens*

12. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus,& post ignem sibilus auræ tenuis.

13. Quod cùm audisset Elias, operuit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum, dicẽs: Quid hîc agis,Elia?Et ille respondit.

14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam,vt auferant eam.

15. Et ait Dominus ad eum:Vade,& reuertere in viam tuam per desertum in Damascum: cúmque perueneris illuc, vnges Hazael regem super Syriam.

16. Et Iehu filium Namsi vnges regem super Israël:Elisæum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges Prophetam pro te.

17. Et erit quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu: & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Elisæus.

18. Et derelinquam mihi in Israël septem millia virorum, quorum genua non sunt incuruata ante Baal, & omne os,quod non adorauit eum,osculans manum.

19. Profectus ergo inde Elias reperit Elisæum filium Saphat arantem in duodecim iugis boum, & ipse in duodecim iugis boum arantibus vnus erat:cúmque venisset Elias ad eum, misit pallium super illum.

20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait: Osculer, oro, patrem meum, & matrem meam, & sic sequar te. Dixítque ei:Vade,& reuertere:quod enim meum erat,feci tibi.

21.Reuer

A *gens terramotus, qui totum montem conuulsit, sed tamen in terramotu non erat Dominus.*

12. *Vlteriùs egressus ibat ignis deuorans, nec tamen in eo Dominus. Denique vltimo loco sibilus auræ tenuis, seu vox quadam subtilis, ac suauis auditu, & in ea videlicet Dominus sedebat: quasi enim aliena sunt à Deo seueritas, ac rigor, sponte autem vtitur erga nos suauitate, & mollitudine.*

13. *Ad præsentiam Domini in sibilo auræ tenuis Elias pallio circunducto obtulit faciem,& ad ostium speluncæ,ad quod egressus fuerat, sub-*
B *stitit. Et Dominus ad eum rursus: Quid tu, ô Elia? Et Elias similiter ad eundem modum respondit:*

14. *Nimio ego zelo pugnaui pro te Domine, eò quòd perduelles isti filij Israël ad cultum alienorum Deorum trãsierunt, tuámque religionem, ad quam,ex maiorum pacto iam diu tenebantur, impiè deseruerunt; quin & aras tuas, & Prophetas tuos sustulere de medio, relictúsque ego solus,ad necem tamen postulor.*

15. *Cui Dominus:Vade hinc, reuertere quadamtenus eadem via, qua venisti, & postea re-*
C *ctà tẽde per desertum in Damascum, curabísque per Elisæum filium Saphat, quem pro te Prophetam constitues, vngere in regem Syriæ Hazael.*

16. *Et in regem Israël Iehu filium Namsi, quem simul cum Hazael destinabis vltorem idololatriæ.*

17. *Modus ergo puniendi hos idololatras, in quos tu ita stomacharis, erit suauis,& efficax per hos ipsos duos reges, ac Prophetam:nã omnes ad vnum interficient; qui enim euaserit gla-*
D *dium Hazael, cadet in gladium Iehu, & vice versa; & qui effugerit gladium Iehu,pœnas dabit Elisæo. videlicet in pueris,quos per vrsos interficiet, semina multorum idololatrarum de medio tollet.*

18. *Quamuis autem tu solus relictus fueris Propheta, & cultor meus manifestus, notum nihilominus sit tibi, septem millia hominum in populo meo adhuc superesse, qui nec genuflexione, nec osculatione manuum adorauerunt Baal, & eos mea quoque cura seruat adhuc incolumes à furore Achab,& Iezabel.*

E 19. *Abiens ergo Elias inuenit Elisæum arãtem in agro cum aliis; nam inter duodecim vomeres vnum ipse tractabat. Et accedens ad Elisæum Elias pallium suum iecit super caput eius, quo ritu intellexit diuinitus Elisæus, vocari se à Deo ad munus prophetandi.*

20. *Relictoque agricolandi studio secutus Eliam dixit: Fac, obsecro, facultatem, vt vale priùs dicam patri, & matri,& hoc pietatis officio exhibito, sequar te liberiùs. Vade, inquit Elias, & regredere:nam ego partes meas egi, tu præsta tuas.*

21. Abiens

21. Reuersus autem ab eo, tulit par boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgénsque abiit, & secutus est Eliam, & ministrabat ei.

A 21 *Abiens ergo Elisæus, vocationem suam celebrauit exhibito conuiuio, & par boum interfecit, confrißoque in asseres aratro extruxit pyram, coxitque carnes, ac populo gaudens distribuit. Peractis verò epulis ad Eliam se contulit, ac se in ministrum, ac discipulum tradidit.*

## COMMENTARIVS.

PRimùm quidem, vt Caietanus ait, est apparatus præcedens ipsum Deum, nimirum grandis, & vehemens spiritus commotio; mox ignis; deinde aura tenuis, in qua solùm Dominus. Agemus ergo primùm de ipso Elia, déque eius natura feruida ac zelo vehementi, vt scopus Visionis meliùs intelligatur. Deinde de apparatu præcedente. Postea de sede Dei.

### *De natura ac zelo Eliæ.*

### SECTIO I.

1. *Describitur ingenium Eliæ, quod fuerit præforte, ex ipsa ratione nominis. Eius iuramentum de fame futura, eiúsque libertas loquendi ad Achab.*
2. *Potentia eius talis, vt bellicos etiam fuderit cuneos. Locus Cypriani in hanc sententiam.*
3. *Ipsa quoque Dei potentia quodammodo illi cessit; probatur iuramento eius, cui quasi subscripsit Deus, & quasi cum ambiens satagebat pro populo, vt pluuiam concederet. Denique rapitur in cælum, quod non potuerit mundus ferre tantum zelum.*

1. ELIAM oportet primùm probè agnoscere, vt meliùs ipsa Visio intelligatur. Eum optimè describit Sapiẽs Ecclesiastici 48.1. *Elias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat.* Et paulò infrà, vers. 13. *Non pertimuit Principẽ, & potẽtia nemo vicit illum.* Rectè ergo vocatus est Elias, hoc est, vt interpretatur Hieronymus, fortis Domini. Erat videlicet ingenio præforti, ac rigido, idque in obsequium Domini; fortis Domini. Quamobrem non pertimuit Principem Achab; nam ob impietatem eius audacter iurauit, dicẽs: *Viuit Dominus Deus Israel, in cuius cõspectu sto, si erit annis his ros, & pluuia, nisi iuxta oris mei verba,* 3. Reg. 17.1. Propheticam sententiam reueritus est Deus, & honorem iuramento dedit. & infrà. Et subscripsit Dominus iuramento Eliæ (ait Chrys. in homil. de Elia) *Itaque per tres annos nõ pluit, fuitque fames in ea regione,* 3. Reg. 18.2. Quamobrẽ D. Chrysost. linguam eius appellauit clauem cæli, quoniã ea clausit, aperuitque cælum cùm voluit. Ob hæc ira percitus dixit, vt eodẽ capite refertur, ad Eliã: *Tu es qui conturbas Israel?* Respondit, quasi leo cõfidens (ait Chrysost.) *Non ego turbaui Israel, sed tu, & domus patris tui.* Vides vt in regẽ tanquã in vilem catulum, insurrexit? Purpuram habebat ille, hic melotem, indumentum purpura venerabilius. Non spectabat Elias diadema regis, sed animam eius pannosam; ideo ipsius principatum contempsit: etenim tanquam in scena, & non in veritate regem sibi cernere videbatur. Ita Chrysost. Rectè autem. Eum enim, qui re ipsa regias in se dotes non habet, etsi natum regem, regem potiùs dixeris personatum.

*Ecclesiast. 48.1.*
*Elias, fortis Domini, quo modo?*
*D. Hieron.*
*3. Reg. 17.1. Subscripsit Dominus iuramento Eliæ de non pluendo.*
*D. Chrys.*
*3. Reg. 18.2. Lingua Eliæ, clauis cæli.*
*Elias, leo confidens.*
*Sub diademate & purpura, anima pannosa.*
*Achab rex scena visus Eliæ.*
*Inermis Elias, bellicos fudit cuneos.*

2. Vsque adeò autem verum est illud, *& potentia nemo vicit illum,* vt bellicos etiã inermis fuderit cuneos. Rectè cernitur id in duobus illis quinquagenariis, quos accito desuper igne ab-

B sumpsit. Quin & præsentibus militum castris, regéque, ac populo cũcto audiẽte (ait Chrysostom.) vnus homo reprehẽdit eos acriter dicens: *Vsquequo claudicatis vtroque pede:* &c. Et in hoc capite. Interfectis cæteris Prophetis per Achab, relictũ se solum ait non destitisse zelo zelare legem Dei. Quare meritò in eius encomiũ profert illud Cyprianus in epistol. ad Clerũ Hispaniæ. Nouimus, ait, Eliam Iudæis deficientibus, atque à religione diuina recedẽtibus, stetisse, & certasse sublimiter.

3. Omnem autem excedit admirationẽ, quòd ipsa quoque Dei potentia quodammodo illi cesserit. Nam postquam illud emisit iuramẽtum, de non futura pluuia, nisi iuxta oris eius verba, Dominus

C iuramento deferẽs, cùm aliàs vellet misereri, ac pluuiã præstare, certo id modo nõ poterat. Quod latè expẽdit D. Chrysost. in illa homil. citat. de Elia. Nãque per ambages quasdã agebat cũ eo, vt pluuiam concederet, ac si ipse nõ posset per se id facere. Nempe ideo illũ quoque immissa fame cõflictauit, vt fame victus disceret misereri, ac sententiã soluere. Prçterea eundem famelicum per coruos pauit, quod animal erga pullos suos immite dicitur, vtpote quos nutrire, vt cæteræ aues solent, miro crudelitatis genere refugiat. Denique cùm plus nimio seuerus pietatis exquisitor esset, nec peccantes ferre valeret, rapuit eum Dominus curru igneo in cælum, quasi diceret: Ascende; nam si diu manendũ tibi esset in terris,

D propediem humanũ genus aboleretur. Hæc ferè ex Chrysost. illa homilia omnino legẽda. Ex quibus apparet, fuisse illum natura seuerum, ac rigidum, & zeli acrimonia non parum excedentem, quo posito magis elucescit proposita Visio.

*D. Chrys.*
*D. Cyprian.*
*Elias certauit sublimiter.*
*D. Chrys. Deus agebat per ambages cum Elia, vt pluuiam concederet.*
*Deus fame oppressit Eliam, vt suo malo disceret misereri.*
*Per coruos pauit, immite animal, vt doceret benignitatem.*
*Elias raptus ob nimiam seueritatem.*

### *De apparatu Visionis.*

### SECTIO II.

1. *Hanc Eliæ Visionem qualem appellet D. Basilius? Duo requirunt huiusmodi Visiones, vt in homine fiant, ieiunium, & secessum.*
2. *Quam amicè Deus cum Elia congressus sit, ex Tertulliano Deus Eliæ contubernalis.*
3. *Quæ altaria destructa intelligat Elias? A tẽpore Abrahã relicta multa altaria in montibus, in quibus post legẽ, etsi nõ licebat, impunè tamẽ sacrificabatur, quorum vsũ qui aliqua ex parte tollebat, laudabatur, & ideo maximè laudatur Iosias, quia omnino sustulit.*
4. *Responsio Eliæ, Zelo zelatus sum, &c. significat duplici zelo instructũ. Quòd zelus Eliæ fuerit æquo effusior & iniucundus. Illustratur loco ex epist. Iacobi.*

E

*Iacobi. Quomodo eum correxerit Deus.*

5. *Proponitur visio. Caiet. opinio, ventum, commotionem, ignem, non fuisse vera, sed ad similitudinem. Reiicitur. Cur non in illis fuerit Dominus? vt ostenderetur, seueritatem esse quasi alienam ab eo, & vt hoc ipso temperaret rigorem Eliæ.*

D. Basil. *Visio Eliæ, magnum miraculum.*

1. DIVVS Basilius de laudibus ieiunij appellat hanc Eliæ Visionem magnum miraculum. Ieiunium, inquit, magni illius miraculi Eliam spectatorem fecit. Qui cùm quadraginta dierum ieiunio repurgasset animam, ita demum in spelunca Horeb promeruit videre Dominum, quatenus homini videre datum. Et in tractatu de Gordio. Martyre, Eliam, ait, vt videret Deum idcirco in speluncam Horeb secessisse, ac sese ab omni humana conuersatione abdicasse. Collige has Dei admirabiles Visiones, duo maximè requirere, vt dignè haberi queant, ieiunium & secessum: nam ieiunium, vt proximè dicitur, repurgat animam, quo puriùs possit diuina discernere: secessus recolligit, quo liberiùs euolet. Egregiè enim Nazianz. ait, in Apologet. solitudinem esse matrem diuinæ ascensionis.

*Visiones Dei requirunt ieiunium, & secessum.*

Nazianz. *Solitudo mater diuinæ ascensionis.*

2. Igitur Eliæ post quadragenarium ieiunium in spelunca Horeb latitanti apparuit Dominus. Vers. 9. *Ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis, Elia?* Vers. 10. *At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israël: altaria tua destruxerunt, Prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Vers. 11. *Et ait ei: Egredere, & sta in monte coram Domino. Et ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum; non in spiritu Dominus; & post spiritum commotio: non in commotione Dominus.* Vers. 12. *Et post commotionem ignis: non in igne Dominus.* Septuaginta pro, Dominus trāsit; transibunt Dominus. Hunc familiarem congressum Dei cum Elia celebrat Tertullianus contra Psychicos. Dehinc, ait, minantem Iezabel fugiens post vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipse quadraginta diebus, & noctibus, vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Horeb, vbi cùm in spelunca diuertisset, quàm familiari Dei congressu exceptus est? Quid tu, Elia, hîc? multò amicior ista vox, quàm, Adam, vbi es? Illa enim pasto homini minabatur, ista ieiuno blandiebatur. Tanta est circunscripti victus prærogatiua, vt Deum præstet homini contubernalem, parem profectò pari, &c. Ita Tertul. Quanta verò cum energia dixit Deum Eliæ contubernalem in illa interrogatione, Quid hîc agis, Elia? paris profectò, vt dixit, ad parem loquutio est.

*Varia lectio.*

Tertull.

*Ieiunũ blāditur Deus. Per ieiuniū Deus homini contubernalis. Sermo Dei ad Eliam, paris ad parem.*

3. At Elias, vt erat spiritu feruens, respondet: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactū Domini filij Israël, altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderūt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt auferant eam.* Altaria hæc intelligit Caiet. quæ à tempore Abrahæ constructa fuerant pluribus in locis in honorem Dei, vbi sacrificia peragebantur ante ædificationem templi; vocabantur excelsa, quoniam in excelsis montibus erecta erant. postea verò, etsi non licebat in illis sacrificare iuxta præceptum Domini, Deuter. 12. 4. tamen perseuerarunt eadem altaria, & in illis populus, etsi non licitè, impunè tamen sacrificabat, & ex

Caiet. *A tempore Abraham altaria erecta in excelsis conseruabantur.*

Deut. 12. 4. *In excelsis populus, etsi non licitè, impunè tamen sacrificabat.*

A dispensatione. Elias enim in monte Carmelo erexit altare, & sacrificauit, vt narratur cap. 17. præcedēti. Quid ergo queritur altaria hæc destructa, in quibus non licebat immolare? Certè Iosiæ, loco magnę laudis tribuitur, quòd illa omnino destruxerit, vt videre est 4. Reg. 23. Et passim in libris Regum pro reprehensione aliquorum regū additur, quòd excelsa non abstulerunt, sed adhuc populus in illis immolaret. Abulensis ergo intentionem Iezabel damnat, quòd cū populus adhuc in eis sacrificia Deo offerret, ea sustulerit, vt omnino deleret diuinum cultum in regno Israël. Iosias autē laudatur, quòd illa euerterit, quia reuera, etsi in honorem Dei ædificata fuerant, & populus in eis vero Deo sacrificabat, tamen illicitū erat, quia inde sumebāt multi occasionē idololatriæ, propterea semper desideratū à bonis, vt excelsa delerētur, reduceretúrque cultus diuinus in vnum templum Hierosolymitanum, iuxta præceptum Domini. Desideria porro hæc tam pia, ac tam necessaria solus Iosias compleuit, & idcirco magnam inde laudem consecutus est. Vnde illud Ecclesi. 49. 1. *Memoria Iosiæ in compositione odoris, & tulit abominationes impietatis.* Nam præter altaria, quæ multi verterant in cultum abominabilem, tulit multa alia abominanda, quales fuerunt ædiculæ effœminatorum, & cætera quæ narrantur toto illo cap. 23. 4. Reg.

4. Reg. 23. Abulens.

*Iezabel sustulit excelsa, vt deleret cultum diuinum, etiā illicitum, iuxta legem Dei. Iosias laudatur, quia illicitum sustulit, & occasionē idololatriæ.*

Ecc. 49. 1.

C 4. Notari debet in eadem responsione Eliæ, quod ait, *Zelo zelatus sum:* quo Hebraismo rectè exprimitur eius superabundans zelus, cùm nō zelatus simpliciter sit, sed zelo zelatus, quasi duplici zelo, quasi effuso zelo, & metas ipsas trāsgrediente. Id ostendit series ipsa responsionis: *Dereliquerunt pactū Domini filij Israël, altaria tua destruxerunt, Prophetas occiderūt, relictus sum ego solus:* quasi diceret; Actum est, omnia corruerunt, vix ego euasi, solúsque superstm, qui honorem tuum defendā. Proprium est hoc ardentis ingenij, vt ebulliat longiùs, quàm par est. Solent eiusmodi homines res plus æquo exaggerare, & turbas ciere. Ideò Iacob. epistola illa sua cap. 3. 14. vocat hunc zelū amarum, hoc est, insuauem, & qui adiunctam habeat contentionem, & inconstantiam, iuxta vim Græcam, *tumultum,* tales enim insuaues sunt reliquis, & in nihilo tumultuantur, *homēs de que ninguem gosta, q̃ a todos amargao, homēs que de nada fazem Caualeiros armados.* Hoc genus zeli furorē vocat D. Chrysost. homil. de nomine Abraham. Zelus, inquit, veniam negans, potiùs furor est, & admonitio misericordia carēs, tortura quædam est. Certè quidem Elias eximio zelo pollebat. At negare non possumus, fuisse amarum, ac tumultuosum, quē ob id nititur Deus seriò corrigere præsenti hac Visione, ac monere; nō iam omnia corruisse penitus, nec se solum relictum in mundo, qui suam causam defendat; habere se adhuc in Israël septem millia virorum, qui non curuauerunt genua sua ante Baal, sed qui pactum Dei fideliter custodiant.

*Zelo zelatus est Elias, quia zelus eius superabundauerat.*

*Proprium ardentis ingenij.*

Iacob. 3. 14. *Zelus amarus, quid apud Iacobum?*

*Zelus nimius, furor est, iuxta Chrysost.* D. Chrys.

5. Quare, cùm verba illa Domino respōderet, iussit illum egredi ex spelunca, & stare in monte. *Egredere,* inquit, *& sta in monte corā Domino.* Stante autem illo exhibita est à Domino Visio in hunc modum: *Ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Deū. Non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio: non in commotione Dominus. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus, & post ignem sibilus auræ tenuis,* &cæt. Spiritus subuertens,

&

*Spiritus subuertens, intelligendus subuertere potens. Opinio Caietani. Caiet. Reiicitur Caietanus.*

& conterens, intelligendus subuertere potens, & conterere pro vehementia sua. Caiet. putat ventum, commotionem, & ignem fuisse similitudines formatas, quas oculis ipsis Elias vsurpauit, & solam vocem fuisse veram, quam auribus hausit. sed gratis hæc opinatur: nam expresse appellatur spiritus, item commotio, & ignis. Cur ergo non proprie intelligemus, hæc fuisse exhibita? Deinde non est facile ostendere, quomodo aliæ similitudines apparuerunt. Dicendum igitur, turbinem verum præmissum, qui videbatur montes subuertere: item verum terræmotum, qui montem conuulsit: mox ignem adglomeratum transuolasse, & quòd in illis non fuerit Dominus, significatum, seueritatem esse quodammodo alienam à Deo, & per hoc edoctum Eliam, etsi Deo suppetunt varij modi puniendi, tamen plerumque ad solam comminationem præmittere eos, qui seueritatem continent, vt ita exemplo suo discat Vates mitiùs agere, ac rigorem animi temperare. Quamobrem Rab. Leui relatus in Glossa ordinaria, sic ait in hanc sententiam: Horrendus ille ventus, & fragor, ignisque à Domino Eliæ ostensus est, vt illum doceret, impiorum magis desiderandam pœnitentiam, quam perditionem. Elias autem nimio feruens zelo nullum putabat dandum peccatori pœnitentiæ locum. At Dominus non inuenitur in turbine impetuoso, non in fragore omnia concutiente, aut in igne deuastante, sed in voce placida, & gracili. Ita ille.

*Seueritas à Deo aliena quodammodo. Ad solam comminationem præmittit sæpe seueritatem. Rab. Leui. Locus egregius ad ostendendam Dei benignitatē.*

## De sibilo auræ tenuis.

### SECTIO III.

1. *Aura tenui veluti curru vehi Deum, agentibus currum vento, turbine, igne, &c. loco Ieremiæ illustratur.*
2. *Ventum, commotionem, & ignem præire Deum, vt satellites custodia præcedunt regem sereno incedentem vultu. Vox Dei harmonica, & mollis vtroque modo ad componendum Eliam, Prouerb. 25. Illustratur exemplo Dauid, musica sua tranquillantis furorem Saül: quomodo id intelligatur; opinio Caiet. illustratur loco August.*
3. *Voce subtili significari eruditionem. Explicat Caiet. Item subtilitate significari potest efficacia vindictæ.*
4. *Locus Irenæi interpretantis vocem tenuem pro aduentu Domini suaui. Illustratur loco Luc. 9.*
5. *Vox tenuis illa ipsa, Quid hic agis, Elia? Iubetur vngere reges Elias, & Elisæum, quoniam id præstitit per eum ipsum electum a Deo.*

*Varia lectio.*

1. POSTQVAM in aliis negauit esse Dominum, ponit sibilum auræ tenuis dicens Vers. 12. *Post ignē sibilus auræ tenuis.* Hebr. pro, *sibilus auræ tenuis*; *vox tenuis.* Septuaginta, *Vox auræ tenuis.* Non erit ab re, si Deum cogitemus quodam veluti curru vectum, sic vt sedens in aura tenui, tanquam in amoris throno, præcedant turbæ, terræ motus, ignis, qui currū trahant, quos aliàs frementes equos, ac præcipites, habenis tamen misericordiæ cohibeat. Idcirco Ieremiæ 4. 13. de curru Dei dicitur: *Ecce quasi nubes ascendet: & quasi tēpestas currus eius, velociores aquilis equi eius.* Quo significatur, nihil esse, quòd turbemur, ac horrea-

*Deus in aura tenui vt in amoris throno, quē trahunt turbines, terræmotus, ignis, sed coërciti fræno misericordiæ. Ierem. 4. 13.*



A mus quadrigam Dei, solàm enim habet speciem tempestatis, re ipsa nubes quædam est non solùm mollis, sed facile dissipabilis, & equos habet pernicissimos, qui vt vindictam citò trahunt, ita citissimè transire faciunt. Non enim ira Dei diu hæret, incumbit ve prædæ, sed veluti per transitū; non quidem vt aquilæ facere solent, sed longè adhuc celeriùs. Ob id transire etiam hoc loco dicitur turbo, commotio, & ignis, solùque in aura tenui sedere, & morari Deus loquens cum Elia.

*Currus Dei ad speciem terribilis, reuera benignus. Equi Dei pernicissimi vt iram citò trahunt, ita citò deferunt. Solùm in aura sedet Deus: in aliis ira indiciis trāsit.*

2. Dici etiam potest, turbinem, cōmotionem, & ignem præire Deum, tanquam satellites, & apparitores, vt solent Regem armati milites præcedere ad custodiam, & ad pompam. At Rex ipse

B ponè sequitur quietissimo incessu, ac pro maiestate admodū sereno vultu, vt siquis supplex accurrat, stet aliquantulùm, audiat benignè, respondeat placidè. Nō aliter hoc loco cùm præcesserint turbines, terræmotus, ignis, & (vt vertit Chaldæus) tres exercitus Angelorum, qui iis nominibus vocabantur ad ostentādam diuinam maiestatem: ipse nihilominus sequitur placidissima in aura placidissimus; occurrentémque sibi Eliam blandissimo sermone excipit. *Post ignē*, inquit *sibilus auræ tenuis.* Septuaginta, *Vox auræ tenuis.* Heb. *Vox tacita, & tenuis.* Chald. *Vox canentiū in silentio.* Significantur enim harmonicæ voces, sed non sonoræ admodum, quales in publico aliquo theatro exhibētur, sed quales in cubiculo secreto, ac

*Præcedunt turbines, & c. vt satellites.*

*Iuxta Chaldæum tres exercitus Angelorum præcedebant Deum.*

*Significatur vox suauis, qualis in cubiculo emittitur ad delectationem.*

C à turbis amoto, submissè, ac in silentio suauiùs funduntur. Notari autem debet, etsi in nostra editione non dicatur Deus in sibilo auræ tenuis esse, tamen Septuaginta addere, *Et ibi Deus.* Accōmodatè autem iuxta prædictas versiones, se gerit Deus ad componendum, ac demulcendum Eliæ præferocem animum. Nam si accipiamus vocem tenuem, hoc est, blandum sermonem, experimento notum, quàm sit potens ad sedandā iram, iuxta illud Prouerb. 25. 15. *Lingua mollis confringit duritiam.* Si verò sumamus musicam illam secretam, ac in silentio, id clariùs ostendit Regius Psaltes, qui furentem Saülem citharæ suæ harmonia mi-

*Septuaginta addunt: Et ibi Deus, quod noster omisit. Iuxta varias lectiones docetur Elias lenitatem. Prouerb. 25. 15.*

D tigabat, 1. Reg. 16. 23. *Quotiescunque spiritus Domini malus arripiebat Saül, Dauid tollebat citharā, & percutiebat manu sua; & refocillabatur Saül, & leniùs habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.* Etsi autem Interpretes, spiritum Domini malum intelligant dæmonē, Caietanus tamen interpretatur impulsum melancholicum, quo sæpe Saül in furorem vertebatur; & credit naturali vi musicam Dauidis (quam aliqui non cithara solùm, sed & cantu elatam asserunt) prædictam melancholiam sedauisse, colligitque id ex ordine effectuum: nam primùm refocillabatur Saül; hoc est, ipsū eius cor per impulsum melancholicū, vt fit, coarctatū, harmonico illo concentu dilatabatur, incipiebátque me-

*1. Reg. 16. 23.*

*Spiritus Domini malus, iuxta Caiet. impulsus melancholicus. Caiet.*

E liùs habere, donec cōtinuatione harmoniæ recedebat ab eo ad tempus illa cōflictatio; & hic modus paulatim operandi, est proprius naturalium causarum. Probat autem Caietanus suā interpretationem, quoniam ægritudo corporalis redundat in phantasiā, & proportionata melodia delectat animum, tranquillitatémque reddit turbatis motibus tum animi, tum corporis; vt enim passiones corporis redundant in animum, ita animi redundant in corpus. Confirmari hæc possunt autoritate D. Aug. 10. Confess. cap. 33. affirmantis, omnes spiritus nostri affectus habere in musica modos suos, quibus occulta quadā familiaritate arridēt, quod maximè in illo patet quod de Ale-

*Modus paulatim operandi proprius causarum naturalium. D August. Omnes animæ nostræ affectus habent in musica modos suos. Animus Alexandri cantu variè inflexo, & perturbatur, & tranquillatur.*

xandro narratur: nã, vt suprà retulimus, cum tibicen coram illo concitatius inflasset tibiam, concussus animo surrexit, ac lanceam correptam librauit in vulnus; statímque tibicen molliùs inflexo cantu, paulatim turbatum tranquillauit animum. Ad eundem ergo modum vt commotum Eliæ sedaret animum, sedens in aura tenui Deus vocem adhibuit canentium in silentio. *Deu lhe hua musica de camara pera ò abrandar.*

3. Cùm verò dicitur sibilus, intelligitur vox subtilis, vt alij vertunt. Et voce quidem (ait Caietanus) innuitur auditio: pertinet enim ad auditum, qui est sensus disciplinabilis, subtilitate autem primùm penetrandi vis, qua blanda eruditio faciliùs sese insinuat in corda hominũ, vt Eliam doceat, plus assequi doctorem submissa, quàm clamosa eruditione. Nam hæc ex aliqua perturbatione procedit, illa ex tranquillo, & quieto animo: vnde & impetu illa prodit crassior, hæc paulatim subtilior. Potest & subtilitas vocis ad vindictæ efficaciam referri, vt quanuis vox blanda sit, tamen habeat efficaciam ad puniendos malos. Ergo directè docetur Elias, non terribilibus instrumentis ignis, turbinis, terræmotus, sed suauiter erudiendo cum mansuetudine, & patientia, diuinam œconomiam procedere ad vtilitatem electorum, & punitionem reproborum. Hæc ferè ex Caietano.

*Caiet.* — *Submissa eruditio, melior quàm clamosa.* — *Sub leni voce, vindictæ efficacitas.* — *Diuina œconomia suauiter erudiendo procedit.*

4. D. Irenæus aduersùs hæreses Valentini, locum hunc interpretatur pro aduentu Domini mansueto. Docentur, inquit, Prophetæ mitiùs agere, ac aduentus Domini secundùm hominem significatur, mitis, & tranquillus, in quo, nec calamum quassatum confregit, nec linum fumigans extinxit; ostendebatur autem regni eius mitis, & pacifica requietio. Nam post spiritum, qui conterit montes, & post terræ motum, & post A ignem, tanquilla, & pacifica regni eius aduenient tempora, in quibus cum omni tranquillitate spiritus Dei viuificat, & auget hominem. Ita Irenæus. Concinit locus ille Luc. 9.55. vbi Dominus indignantibus Discipulis contra Samaritanos, quòd non recepissent eum; & Iacobo, & Ioanni priuatim petentibus, vt ignem permitteret è cælo educere, respondit: *Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed saluare.* quo loco putat Maldonatus, Spiritum ipsius Christi insinuari, nõ totius Euangelij. Ipse enim Christus nihil asperum in homines molitus est, nec armis voluit obtrudere Euangelium, sed persuadere mansuetudine, doctrina, & miraculis. At ipsa lex Christi gladium suum habet, B quamquam rarò distringit. Petrus quidem Actor. 5.3. distrinxit in Ananiam, & Saphiram, Paulus in Elymam Magum, Actor. 13.11.


*Irenæus.* — *Aduentus Domini mitis significatur.* — *Tempus legis tumultuosum, Euangelij tempus gratiæ pacificũ.* — *Luc. 9.55.* — *Maldon.* — *Spiritus Christi lenis & mansuetus.* — *Actor. 5.3.* — *Act. 13.11.*

5. At quænam est ista vox? illa ipsa qua Deus Eliam compellat, vt priùs: *Quid hic agis, Elia?* quo eodem modo respondente, addit Deus pro mandatis tria. Primum, vt vadat Damascum, vngátque in regem Syriæ Hazael. Secundum, vt Iehu similiter vngat in regem Israel. Tertium, vt Elisæum in Prophetam populi. Est hoc loco dubium: Non constat reges istos fuisse vnctos postea per Elisæum; sed nec Elisæum ab Elia vnctum legimus. Caietanus veritatem tamen literæ stare ait, quoniam cùm Dominus dixit: C *Unges Elisæum Prophetam pro te*, ad hoc ipsum dicitur subrogandus Elisæus pro Elia, vt de eius mandato vngeret prædictos reges. Quod intelligendum est, non eodem modo: nam Hazael non vnctione, sed declaratione regem Syriæ constituit Elisæus, 4. Reg. 8.13. Iehu verò reuera vnxit per vnum de filiis Prophetarum, 4. Reg. 9.6.

*Caiet.* — *Quomodo intelligẽdũ, illos tres fuisse vnctos.*

VISIO





# VISIO DECIMA,

## DE DEO SEDENTE SVPER SOLIVM EXCELSVM, quam habuit Isaias.

### *Isaiæ Cap.6.*

## PRÆFATIO.

### *De Isaia Vidente.*

1. ISAIAS de Tribu Iuda, natus Ierusalem ex patre Amos, non illo (ait D. Hieron.) qui inter minores Prophetas numeratur, constátque fuisse de pastoribus Thecue, Amos 1. 1. sed qui iuxta Hebræos, frater fuit Amasiæ Regis Iuda: vt hanc inprimis habeat ex patris regia stirpe commendationem Isaias. Obseruatum namque est à viris doctis, patrum nomina adhiberi solita in libris sacris, vel causa distinctionis personarum, vt vnus distinguatur ab alio eiusdem nominis, sicuti Iacobus Alphæi, ad discrimen Iacobi Zebedæi, Matth. 10. Alexander Philippi, 1. Mach. 1. quoniam multi alij dicti sunt Alexandri; & similia, quæ passim occurrunt: vel, vt filius ex patris nobilitate clarior etiam, illustriórque reddatur; ita Marc. 1. 1. *Initium Euangelij Iesu Christi, Filij Dei?* Prouerb. 1. 1. *Parabolæ Salomnis filij Dauid Regis Israel*, &c. Altera ergo duarum causarum, vel vtraque solet Scriptura sacra adhibere patrum nomina. idcirco & Amos pater Isaiæ positus est, vt acceptior (ait Basilius ad 1. Isai.) redderetur Vates: quò enim quisque est sanguine clarior, eò apud plerosque maiorem impetrat fidem. ita Basil. Propterea & Dauid Kimhi Sophon. 1. animaduertens eius Prophetæ parentes adhiberi initio prophetiæ, rectè ita coniicit: Maiores eius fuerunt sine dubio celebres, ac propterea eorum meminit. At Daniel, dices, nobilis erat, imò & à regibus ortus, & tamen in eius prophetia non sunt præfixa parentum nomina. Erat tamen Daniel per se ipsum satis celeber, maximè ob iudicium Susannæ, quare non opus fuit celebrem ex maioribus ostendere. Nobilitatis autem prærogatiuæ in Isaia illud quoque adiicit calculum, quòd iuxta

*D.Hieron.* — *Amos 1.1.* — *Nomina patrum quare adhibeantur in Scripturis.* — *Math.10.* — *Marc.1.1. Prouerb.1.1.* — *Quò quisque sanguine clarior, eò magis fide valet.* — *Cur in Danielis prophetia non sunt posita nomina patrum.*

A communne placitum Hebræorum (vt refert D. Hieronymus lib. 5. in Isaiæ cap. 20.) fuerit socer Manasse, filij Ezechiæ Regis Iuda.

2. Isaias (ait D. Hieronymus) interpretatur, Saluator, seu Iesus Domini, quasi in quo præsideat Dominus, vt per eum salutem operetur, quod maximè in Isaiam quadrat: nam præterquam quòd eius interuentu seruata est à Deo vrbs Sion ab obsidione Sennacherib, cæsis centum octoginta quinque millibus hominum, Isai. 37. 36. pro æternæ quoque salutis B beneficiis erga Sionem præcipuè satagebat, ob id enim dicitur Eccl. 48. 27. consolari *lugentes in Sion vsque in sempiternum*, nam fideles in Sion, qui ob zelum salutis publicæ lugebant, eos ipsos, qui alibi dicuntur viri gementes, certissimæ salutis promissionibus erigebat: maximè cùm cap. 26. 1. prædixit futuram Sion, vrbem fortitudinis, in qua stare debebat Saluator Dominus pro muro, & antemurali. Hinc est, quòd C Isaias inter omnes Prophetas nomen meruit Euangelistæ, sicut scribit beatus Hieronymus in Prologo ad Isaiam; quia non tam videtur de futura hominum salute vaticinari, quàm de præterita, ac iam peracta Euangelia proponere.

3. Sub Ozia Rege vaticinatus est Isaias; incertum, qua ætate, quóve anno Regni Oziæ; certum sub hoc Rege concionatum fuisse omnia, quæ continētur primis quinque capitibus eius prophetiæ: nam capite D sexto narratur Visio, quam suscepimus explicandam, & eam habuit Isaias, cùm mortuus est Rex Ozias, Isai. 6. 1. Vnde non est audiēdus Forerius, qui primū caput Isaiæ scriptum ab eo asserit post absolutam totam prophetiam, & esse quasi concionem præmissam toti operi. Certum quoque, vaticinatum toto tempore trium Regum

*Isaias socer fuit Manasse.* — *Isaias idem ac Saluator.* — *Isa.37.36.* — *Eccli.48.17* — *Viri lugentes idem ac gementes alibi, qui zelo boni publici suspirant.* — *Ezech.9.4.* — *Isaias nomen Euangelistæ meruit.* — *D.Hieron.* — *Sub Ozia vaticinatus, incertū qua ætate.* — *Forerius reiicitur.*

consequentium, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ: cùm autem Ioathan regnauerit sexdecim annis, 4. Reg. 15. 33. Achaz verò similiter annis sedecim, 4. Reg. 16. 2. Ezechias viginti nouem, 4. Reg. 18. 2. constat prophetasse annos vnum, & sexaginta, præter eos, quos sub Ozia, & Manasse, qui eum occidit, prophetauit, vnde ad nonaginta circiter annos vaticinatum, in Chronicis suis refert Genebrard. Agebatur autem tunc, eodem autore, annus ab orbe condito circiter ter millesimus quadringentesimus octauus, quo & Roma condita, & Assyriorum monarchia cœpta, & Olympiades ortæ, sub annum videlicet octauum Regis Achaz, vt annotauimus Visione 6. in chronologia Moysis.

*Isaias prophetauit annis vno & sexaginta.*
*Iuxta Genebr. ad nonaginta annos.*
*Colliguntur anni chronologia.*

4. Iure autem Isaiam appellat Sapiens Prophetam magnum, Eccli. 48. 27. & rationem subiungens ait: *Spiritu magno vidit vltima*; rectè verò id: quoniam iuxta mensuram spiritus prophetici, Prophetæ magnitudo spectari debet; cùm autem is spiritus in Isaia sufficiens fuerit ad videnda vltima, videlicet quæ sub finem mundi, & in vltimo iudicij magni die euentura sunt, fuit sanè non iam Propheta magnus duntaxat, sed Videns maximus. Omnia ergo mysteria gratiæ, quantumuis recondita, & longinqua, spiritus sui magnitudine comprehendit Isaias, vt meritò D. Hieronymus dixerit in præfatione expositionis in Isaiã: Quidquid sanctarum Scripturarum est, in prophetia illius contineri; siue igitur veteris Testamenti, siue noui mysteria quæras, apud Isaiam inuenies. Vnde ibidem Hieronymus, In explanatione, inquit, huius Prophetæ imitabor patremfamilias, qui profert de thesauro suo noua, & vetera. Et Sponsum dicentem in Cantico Cant. *Omnia noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* & cum Paulo, 1. Cor. 14. 21. qui citans locum Isai. ex cap. 8. *In lege quid scriptum est? quoniam in aliis linguis, & labiis loquar populo huic*, nomine totius legis hanc prophetiam manifestè intellexit. item cùm Ioannis 6. dixerit Dominus, *Scriptum est in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei* (quod vnus Isaias scribit cap. 54. 13.) vnum Isaiam videtur existimare, continere in se omnes Prophetas, in magnam profectò commendationem eius prophetiæ, vtpote in qua vniuersa lex pendeat, & Prophetæ. Iure igitur Cardin. Hugo in prooemio in Isaiam testatur, significari hanc prophetiam libro illo signato, resignatóque per Agnum, apud Ioannem Apoc. 5. 1. qui liber scriptus dicitur intus, & foris. In ipso enim quasi cortice literæ, veteris populi captiuitates, liberationes, aliósque varios euentus præfert; at verò in medulla spiritus seruat (vt Hieronymus ait) Domini sacramenta; vt tam natus de Virgine Emanuel, quàm illustrium patrator operum, mortuus, sepultus, resurgens Saluator omnium gentium prædicetur. Vnde Isaias ipse cap. 29. 11. *Erit*, inquit, *vobis Visio omnium, sicut verba libri signati.* quem locum sic interpretatur Origenes, Leu. 22. homil. 13. vt loquatur Vates de sua prophetia, quæ omnia tam veteris, quàm nouæ legis sacramenta, obscuris tamen ænigmatibus inuoluta, contineat. Liber ergo signatus apud Isaiam, & Ioannem idem esse videtur, cum hoc tantùm discrimine, quòd apud Ioannem aperitur à Christo, vt nihil aliud sit Isaiæ prophetia, quàm Euangelium signatum, nihil item Euangelium, quàm ipsamet prophetia resignata, & completa per Christum: quod voluisse videtur Hieronymus, cùm loco citato Isaiam vocat Prophetam pariter, & Euangelistam. Propterea Christus adeò studiosus Isaiæ fuit, vt eum non modò passim citare solitus sit, sed etiam publicè illum fuerit interpretatus in Synagoga Nazareth, Luc. 4. Meritò autem suum Prophetam dicere potuit, cui vel ipso nomine cognatus fuit: nam, vt suprà, Isaias valet idem, ac Iesus Dominus.

*Isaias Propheta magnus.* Eccli. 48. 27.
*Maximus Videns, quia vidit vltima.* D. Hieron.
*Quidquid sanctarum Scripturarũ est, in prophetia Isaiæ continetur.*
Cant. 7. 13.
1. Cor. 14. 21.
*Nomine legis intellexit Paulus prophetiam Isaiæ.* Ioan. 6.
*Vnus Isaias omnes Prophetas continet.* Hugo Card.
Apoc. 5. 1. *Prophetia Isaiæ, liber scriptus intus & foris.*
Hieron.
Isa. 29. 11.
Orig. *Prophetia Isaiæ omnia sacramenta noua ac veteris legis continet.*
*Prophetia Isaiæ, Euangelium signatum.* D. Hieron. *Euangeliũ, Isaias resignatus.*
*Christus Isaiam publicè est interpretatus.* Lucæ 4.
*Isaias, Propheta Christi.*

5. Cùm verò Isaias fuerit generis claritate præcellens, ac in aula regia natus, & institutus, sermonis quoque elegantia inter omnes Prophetas eminet. Hieronymus Prologo in Isaiam: Isaias, inquit, vir nobilis, & vrbanæ eloquentiæ, nihil in eloquio rusticitatis habens, non tam Propheta dicendus est, quàm Euangelista: ita enim liquidè Christi, & Ecclesiæ mysteria prosequitur, vt de præteritis putetur historiam texere. sic Hieron. Idcirco ibidem fatetur ingenuè, non potuisse se, ipsum sermonis eius florem in translatione conseruare. Florem sermonis pulchrè dixit, elegantiam, & venustatem in loquendo, qua Isaias longè aliis præstitit Prophetis. Ostendam vno loco eius florem hunc dicendi, quem interpres assequi non potuit. Cap. 25. 6. vbi sermo est de conuiuio Eucharistico, Hebræa quidem egregiam habent paranomasiam suauitati conuiuij suauissimè respondentem: *Faciet Dominus in monte hoc, misste semanim, misste semarim; semanim memuchaim, semarim mezukkakim.* Vbi noster crassiùs: *Faciet Dominus in monte hoc conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Egregiè ergo D. Thom. Prologo in Isaiam, Isaias, inquit, tripliciter excellit alios Prophetas, scilicet pulchris similitudinibus, expressione sententiæ, venustate verborum,

*Isaias sermonis elegantia eminet, vtpote aulicus.* D. Hieron.
*Isaias videtur texere historiam de præteritis.*
*Sermonis Isaiæ florem, id est, elegantiam, nõ potuit Hieron. exprimere.*
*Ostenditur loco Isa. 25. 6.* Isa. 25. 6.
D. Thom. *Isaias tribus excellit alios Prophetas.*

rum, quia nobilis erat, & eloquens. ita ibi. Solet autem diuinus Spiritus sui ipsius illapsum coaptare ad conditionem Prophetæ (vt alibi obseruauimus) vt in eloquentibus suapte natura appareat eloquens, vrbanus in vrbanis, in rusticis rusticanus. Ideo enim Sapient. 7. 22. dicitur Spiritus vnicus simul, & multiplex, quia, *subtilis*, inquit, *disertus*, &c. videlicet, quia cum subtili Propheta, subtiliter, cum diserto disertè loquitur. & ob id ipsum Deus ibidem cap. 1. 7. scientiam habere vocis, quoniam scienter se accommodat variè loquentibus: sicut tibicen in tibiis subtilibus subtiliter sonat, in crassioribus crassiùs. Ita mirum non est, si in Isaia Propheta, subtili nimirum, ac diserta Spiritus tibia, disertè is ipse Spiritus, ac subtiliter prophetiam moduletur.

*Spiritus sanctus coaptat suum illapsum ingenio Prophetæ.*

Sap. 7. 22.

*Spiritus multiplex, quia multipliciter se accommodat Prophetis. Spiritus sanctus scientiam dicitur habere vocis, quia scitè se accommodat loquentibus.*

6. Duo illa valde excellunt in hoc Propheta, quòd eius precibus retro rediit sol, & addidit Regi vitam, Eccli. 48. 26. & Angelum à Deo impetrauit, qui nocte vna fudit exercitum Sennacherib, cæsis centum octoginta quinque millibus hominum, ibidem, 25. *Purgauit*, inquit, *eos*, Hierosolymitas, *in manu Isaiæ sancti Prophetæ; deiecit castra Assyriorum, & contriuit illos Angelus Domini*, 4. Reg. 19. 35. Egregiè quidem D. Chrysost. hom. de comparatione Regis, & Monachi, tomo 5. Ezechias, inquit, Rex bello Persico pulsante, iámque ciuibus pro aris, ac focis periclitantibus, preces Isaiæ multis Persarum millibus opposuit, nec sua illum spes fefellit: nam simul vt Propheta manus in cælum sustulit, statim Deus sagittis è cælo missis Persicum bellum confecit: reges erudiens, eo se loco ministros suos habere debere, vt eos communes esse terræ seruatores existiment. Ita Chrysost. Quod verò attinet ad miraculum regredientis solis, dubitari potest, quare in eo præcipuè signum constituerit Vates? De hoc Cyril. Alex. in cap. 38. Isai. Quia regressus, inquit, solis significabat remigraturum Ezechiam ad plures vitæ annos; sed & autor de mirabilibus sacræ Scripturæ apud August. lib. 2. cap. 28. Conuenienter, inquit, tale signum regi, in mortis expectatione posito, aptissimum dat Isaias, quoniam sicut sol in procinctu occasus sui positus in diei initium reducitur: sic Rex in mortis expectatione constitutus, quasi ad incipientis vitæ gaudia reuocatur. sic ibi.

Eccli. 48. 26.

D. Chrys. *Ezechias preces Isaiæ multis Persarum millibus opposuit.*

*Iusti, communes terræ seruatores.*

Cyril. Alex. *Regressus solis, remigratio Ezechiæ ad plures annos.*

*Rex ab occasu vitæ regreditur quasi sol ad ortum.*

7. Memorabile illud etiam, quod de se ipso Isaias narrat c. 20. 2. iubente Domino nudum, ac discalceatum inambulasse per vrbem, in signum Ægyptiis, & Æthiopibus, quos sibi Israëlitæ euocauerunt auxiliarios contra Assyrios: eos enim similiter spoliandos, & nudandos facto ipso prædicat ab Assyriis. Qua de re Alexandrinus Cyrillus. Fecit id Propheta, inquit, non admodum solicitus, quomodo elegans, ac venustus appareret, Deique decreto nihil adiecit, licèt graue, & irrisioni expositum videretur; prudens sanè vir, modestus, omni virtute cumulatus, donóque Prophetiæ coronatus, ac eo exercitio planè illustris, centonem, calceósque deponens, nudus vadit; vt spectatores duri nouum admirati, causas inquirant, ac resipiscant. ita Cyrillus. Fuit ergo Dei mirabile consilium aduersùs Israëlitas supinè vecordes, qui ad verba Prophetæ aures iam obstruxerant, oculis ipsis ingerere, quod futurum erat. de quo Procopius. Ad metus, inquit, incussionem insuetatus habitus, nudo sermone futurus efficacior, adhibetur. De hac re plura diximus ad prædictum Isaiæ locum.

Isai. 20. 2.

Cyril. Alex. *Elegans ac deuota descriptio Isaiæ dum nudus incedit.*

*Vecordibus opus fuit in oculos ingerere pœnam futuram.*

8. Post vitam in summa sanctitate actam, denique decessisse Isaiam serra lignea sectum iussu Manasse Regis, traditio est Hebræorum, quod agnoscit D. Hieron. lib. 15. in Isai. cap. 57. Vnde, ait, Nostrorum plurimi, illud quod de passione Sanctorum in epistola ad Hebræos ponitur, *serrati sunt*, ad Isaiæ referunt passionem; *serrati sunt*, legit Hieronymus, & eodem modo in cap. 26. Matth. cùm loco Hebr. citato sit, *secti sunt*; & vtrumque significat Græcum. Duas verò causas refert idem Hieronymus ad cap. Isai. 1. eius inflictæ necis; primam, quòd Hierosolymitanos appellauerit principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ: secundam, quòd Domino dicente ad Moysem, *Non poteris videre faciem meam*, Isaias ausus sit dicere, *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum.* Certè ob libertatem, qua Vates arguebat malos, necem subiisse, tenent Patres: inter quos Tertul. lib. de patientia. His viribus, inquit, patientiæ secatur Isaias, & non tacet. & D. Ambros. ad cap. 20. Luc. Quis ille, inquit, in capite vulneratus? Nimirum Isaias, cuius faciliùs compagem corporis serra diuisit, quàm fidem inclinauit, constantiámque detriuit, aut vigorem mentis excussit. ita Ambrosius. Piè annotauit Cornel. noster ad cap. citatum ad Hebr. serra Isaiam sectum, nimirum, vt qui nomine suo Saluatoris nomen, & aduentum figurabat, morte quoque sua materiam & formam crucis in lignea serra figuraret. Consentiunt, quod ad genus mortis attinet, omnes Patres, maximè Irenæus, Dorotheus, & Isidorus de vitis, & interitu Prophetarum. addítque Irenæus, tumulatum

*Serra sectus Isaias, ex traditione Hebræorum.*

Heb. 11. 37. *Per sectos intelligit Paulus ad Hebræos 11. Isaiam.*

*Duæ causæ necis Isaiæ, iuxta Hier.*

*Ob libertatem, qua arguebat malos, necatus est.*

Tertul.

D. Ambr. *Isaias secatur, & non tacet.*

*Serra faciliùs corpus Isaiæ diuisit, quàm fidem excussit.*

Cornelius.

*Lignea serra crucem Domini figurauit.*

Irenæus.

Doroth. Isidor.

*Sepultus sub querceu Rogel.* tum sub quercu Rogel, iuxta transitum A aquarum, quem fontem à Deo impetrauerat Vates obsidionis tempore, ne populus siti periret. Memorat porro, dum Assyrij ad fontem sitibundi accurrerent, *Isaias fontē impetrauit olim Hebræis* solitos sese subducere latices, dum Iudæi aquatum venirent, solito alacriùs scaturire. *obsessis, ita vt fugeret Assyrios ille fons.* Cæterùm vt gratitudinē exhiberent suam erga Prophetā benefactorem, erexisse monumentum Hierosōlymitas iuxta perennes aquas, vt eius in posterū perennis memoria permaneret. Hæc ferè ex Irenæo. *Monumentū erectū Isaiæ.*

---

## ARGVMENTVM CAPITIS VI.



*Vt maius pondus addat verbis suis Isaias, insignem Dei Visionem sibi exhibitam populo exponit. Describit solium Dei, astantes Seraphinos, & laudes Deo cum clamoribus efferentes, commoueri videt superliminaria, & domum obduci fumo. Ostendit postea quomodo ad hæc visa stupuerit; quomodo & calculo per Seraphinum purificatus sit. Denique offert se Deo ad ineundam legationem ad Hierosolymitanos, & ad eos mittitur cum mandatis.*

### CAPVT ISAIÆ VI.

1. IN anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solum excelsum, & eleuatum: & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.

### PARAPHRASIS.

B 1. *MOrtuo Ozia Rege illo temerario, qui munus Sacerdotale arrogare sibi ausus est, ac incensum, Pontifice summo repugnante, adolere in templo instituit, vidi ego Isaias Dominum Deum (neque enim viuente rege impio dignabatur Deus populum Visionibus suis, imò subtrahebat illas in signum auersi animi) vidi autem Deum sedentem in throno per se sublimi, ac insuper apparatu ipso euehente illum altiùs. Nam vestis Dei tam latè effundebatur, vt vel extremi eius limbi totum orbem, qui templi instar Deo est, latè replerent:* C *nam totius naturæ quanta maxima moles, Diuini numinis amplitudinem minimè continet. Imò certum id est, cultus eius, ac decoris oras extremas, & quasi fimbrias vniuersæ naturæ complendæ, satis & esse, & abundare.*

2. Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.

2. *Circa thronum innumerabilis eorum cælitum, qui amore flagrant, multitudo stabat, alati autem vndequaque: nam quilibet senas alas necessariò sibi asciuit, bina ante oculos; cùm enim immensus è Diuina facie splendor emicaret, sustinere illum intentis oculis non valentes,* D *binis alis obtegebant vultus. Præterea duas alas ad imos vsque pedes demissas præferebant: nam ante Dominum stare oportebat, non diuaricatis cruribus, sed compositè, ac reuerenter, & ideo binis illis alis pedes intra gyrum modestiæ quasi continebant. Denique binas alas intermedias extendebant ad volatum, atque ita quasi perpetuò librantes corpus, mandatis se diuinis exhibebant promptos.*

3. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.

3. *Non contenti autem iis corporis partibus tum reuerentiam, tum promptitudinem ostendere,* E *ora quoque ipsa soluebant in diuinas laudes, magna sese animorum & conspiratione, & sancta æmulatione exhortando inuicem, ac dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus,*

4. Et

*Deus*

A *Deus, cui cælestes exercitus parent, & cuius maiestas replet orbem terrarum. Trina autem illa sanctitatis repetitione, haud dubiè sanctissimam innuebant Trinitatem; adeóque Patrem primò, totius sanctitatis, vt diuinitatis, fontem; deinde Filium, sanctissimè sese ad voluntatem Patris affingẽtem; postremò Spiritum sanctum, omnis sanctitatis & largitorem, & conseruatorem optimum.*

4. Et commota sunt superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.

4. *Hæc illis clamore maximo intonantibus, ipsa quoque templi limina, & postes ingenti concussa motu horrendum perstrepuêre, ac denso adglomerante fumo, tota domus impleta, &*
B *obducta est. Is enim Deus est, vt illius vel leuissimo tactu, tota natura cohorreat, montium fundamenta quatiantur, flammis cacumina dehiscant, caligine inuoluantur omnia; quæ simul, & quàm metuenda sint iudicia eius, & quàm ab humanis oculis aliena natura, latè demonstrant.*

5. Et dixi: Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & Regem Dominum exercituum vidi oculis meis.

5. *Atenim cùm viderem Angelorum illam alacritatem in diuinæ maiestatis laudibus prosequendis contentis adeò viribus certare inuicem, denuo cœpi angustiis premi, ac inter spem timorémque agitari acriùs: spes enim An-*
C *gelorum me æmulatione incendebat ad diuinas laudes celebrandas, timor verò contrà mea impuritatis, ac flagitiosæ vitæ bene conscius de tam præclaro conatu depellebat. Atque ita in angusto positus prorupi in suspiria. Heu me, inquam, miserum, quia inter tam sublimes diuinæ gloriæ laudatores mutus sum, eò quòd linguam pollutam habeo, assuefactus videlicet maledicentiæ, ac impuris colloquiis: viuo enim inter homines coinquinata linguæ, & ad maledicendum procliues, ac ex eorum consuetudine deprauatus, non sum ausus diuinas laudes vsurpare. Accessit Visio ipsa diuinæ puritatis, quæ oculorum*
D *meorum aciem perstrinxit, & suo planè iure damnauit.*

6. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari.

6. *Hîc Dominus gratam habens confessionem pusillitatis, ac impuritatis meæ, vni ex Seraphinis astantibus imperauit, meæ vt infirmitati propiùs moderetur: qui ignitum ex altari corripiens calculum (viuam nempe diuini Verbi imaginem) ad me volauit.*

7. Et tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

7. *Ac labia mea, linguámque tangens: Ecce, inquit, igneo Diuini Verbi contactu extersa est omnis impuritas tua. Et illico expertus in me sum erectum animum ad maxima quæque pro diuino obsequio perpetranda.*

8. Et audiui vocem Domini dicentis: Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi: Ecce ego, mitte me.

E 8. *Vsque adeò autem animositas creuit in pectore, vt Domino quasi consultante, de legatione quadam obeunda, ac interrogante, Quemnam præficiam huic muneri? opus nobis est viro fideli, ac impigro, qui nullo metu ab officio, nulla socordia impediatur. Ego, non expectato consultationis exitu, nec legationis ratione comperta, me vltrò obtuli, ac operam meam ad omnia, quæ vellet, latè pollicitus: En adsum, dixi, ad*

9. Et

*omnia*

A *omnia paratus, mitte quò libuerit.*

9. Et dixit: Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte Visionem, & nolite cognoscere.

*9. Tunc Deus meam hanc promptitudinem minimè aspernatus, Vade, inquit, & hæc nomine meo dices populo huic: Quandoquidem oblatam odistis veritatis lucem, & in aperta voluntatis meæ denunciatione cæcutitis: efficiam, vt rectè cùm audieritis, quæ saluti vestræ necessaria sunt, mente tamen non capiatis, quid sibi illa velint: & visu ipso percipientes disciplinam interiùs per sensum comprehendere nequeatis; nimirum iusta obstinatæ mentis stupiditate,* B *& execrabili cæcitate damnati in posterum.*

10. Excæca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum.

*10. Claude ergo illis omnem viam salutis; oculos, ne videant; aures, ne audiant; cor, ne intelligant, néve quoquo modo resipiscere, aut salutem consequi possint: hoc est, prædic, exigente id peccatorum ingrauescentium mole, excæcandos, ac stupore mentis aggrauandos esse.*

11. Et dixi: Vsquequo Domine? Et dixit: Donec desolentur ciuitates absque habitatore, & domus sine homine, & terra relinquetur deserta.

*11. Hic ego metas rerum agnoscere cupiens, Quousque, dixi, malum hoc durabit? Vsquequo, inquit, extrema Iudææ vastitas inferatur, nec reliquus sit vllus à tanta clade?*

12. Et longè faciet Dominus homines, & multiplicabitur, quæ derelicta fuerat in medio terræ.

C *12. Domúsque, ac regio tota à cultoribus suis deseratur, sítque summa vbique solitudo, ablegatis in varias orbis partes habitatoribus, multísque seculis derelicta terra diuino præsidio destituta.*

13. Et adhuc in ea decimatio, & conuertetur, & erit in ostensionem sicut terebinthus, & sicut quercus, quæ expandit ramos suos: semen sanctum erit id quod steterit in ea.

*13. Non tamen omnes peribunt, sed reliquiæ, quasi decimæ Deo consecratæ, reseruabuntur. Relinquetur ergo gens ista sicut terebinthus, aut quercus foliis, fructibúsque nudatæ, quæ licèt aruisse videantur, tamen in ipso trunco latente virtute, suo tempore reuirescunt, & fructificant:* D *ita prorsus conseruato sanctitatis semine prodibit aliquando in fructum benedictione, & gratia plenum: nempe Christum Seruatorem optimum maximum.*

---

## COMMENTARIVS.

Nihil in hac Visione non plenum mysteriis; quamobrem singula expendamus oportet. Primum, quo tempore contigerit? Secundum, cur, & qua maiestate apparuerit Deus? Tertium, cur in throno sedens? Quartum, an Isaias verè Deum viderit? Quintum, de astantibus Seraphinis, & eorum alis. Sextum, de illorum clamoribus.

### *Quo tempore contigerit hæc Visio?*

### SECTIO I.

1. *De tẽpore Visionis. Narratur historia Regis Oziæ, de ausu eius ad sacrificandum, & quæ pœna ob id percussus. Cur eius tempore non fuerit hæc Visio. Ostenditur à Chrysostomo comparatione optima. Illustratur mysterio Vrim. & Thummim in Rationali, explicante primum Iosepho, & congruentibus multis Scripturæ locis.*
2. *Mortuo Ozia vidit Isaias Deum, reddita scilicet vrbi felicitate pristina. Quantùm prosit ciuitatibus carere malis, declaratur clarificatione Christi ex-* E *pulso Iuda, ex D. Augustino.*
3. *Ostenditur idem loco Isaiæ 1. Explicatur vis Hebraicæ interiectionis, Heu: est enim veluti exonerantis animum, & respirantis ad vindictam.*
4. *Cura Dauidis in exterminandis ab vrbe improbis, ex Psalmo 100. Illustratur loco Bernardi, & altero D. Hieronymi.*

1. IN ipso statim limine tempus Visionis notatur. Vers. 1. *In anno, quo mortuus est Rex Ozias, vidi Dominum.* De hoc 4. Regum 15. 2. Regnauit Azarias, seu Ozias in Iuda annos 52. è quibus vltimos 17. leprosus vixit. Nam cùm temerario ausu adolere 4.Reg.15.2.

adolere vellet incensum ad altare thymiamatis, nec Azariæ Sacerdoti summo factum reprehendenti cederet, percussus lepra est à Deo in summa fronte. Prioribus igitur annis bene se gessit, *in posterioribus eleuatum est cor eius, & contempsit Dominum Deum suum*, 2. Paralip. 26. Hîc igitur Patres occasionem sumunt ponderandi quod Isaias ait: *In anno, quo mortuus est rex Ozias, vidisse se Visionem*, &c. Cur enim, ait Chrysost. viuente Ozia non vidit Visionem? Hanc pœnam, inquit, irrogauit vrbi infideli, quam solet amicus offensus offendenti amico irrogare, abstinens se à conuictu, & consuetudine pristina, subtracta etiam communi colloquendi familiaritate.

4. Reg. 15.
2. Paralip. 26.
D. Chrys. *Pœna infidelis vrbis, carere Visionibus Dei. Sicut amicus offensus subtrahit colloquium.*

Illustrare hoc possunt quæ de Vrim, & Thummim in Rationali summi Sacerdotis, graues Autores narrant. Ornamentum erat operis polymiti in pectore summi Sacerdotis quadrangulum, cui affabrè insertæ erant per quatuor quasi versus duodecim gemmæ, & in singulis duodecim Tribuum cælata nomina cernebantur: insuper addita erant iussu Domini Doctrina, & Veritas, Hebraicè אורים *Vrim*, propriè, illuminationes; Septuaginta τὴν δήλωσιν dixère, id est, manifestationem; & תמים *Thumim*, id est, perfectiones; Noster vertit Doctrinam, & Veritatem. Est autem vetus ac celebris quæstio, quomodo hæc in Rationali fuerint? Missis autem infinitis opinionibus, Iosepho homini Iudæo ex genere Sacerdotali, & scriptori fidelissimo adhæremus. Is ergo 3. Antiquitat. cap. 9. ait, In ipsis lapidibus Rationalis diuinissimo quodam miraculo solitum Deum per splendores quosdam docere populum, ac manifestare voluntatem suam; ad solum verò Sacerdotem summum spectasse varias illas radiorum emicationes interpretari.

*Vrim, & Thummim quid.*
אורים
תמים
*Doctrina, & Veritas.*
*Vetus quæstio de Vrim & Thummim.*
Iosephus.
*In lapidibus Rationalis per splēdores quosdam significabat voluntatem suam Deus.*

Huic sententiæ multa quadrant Scripturæ loca, in quibus reges consulentes Dominum per Sacerdotes postulant, vt sibi applicent ephod, id est, superhumerale, in quo erat Rationale, idque, vt in eius lapidibus per Sacerdotes inspicerent, quid sibi faciendum, aut fugiendum esset: & in vniuersum, quoties dicitur in Scriptura, consultum Dominum ab aliquo per Sacerdotem, intelligitur in lapidibus Rationalis; quare ob id noster Interpres vertit, Doctrinam, & Veritatem, quoniam hoc modo, quæ vera, quæ falsa essent, certissimè docebantur. Atenim tam insigne priuilegium Hebrææ gentis, vt Deus ipse tam familiariter eos doceret (ait Iosephus loco citato) ob legum diuinarum præuaricationes, subtractum penitus ante ducentos annos, quàm is historiam illam suam commentaretur. Non aliter igitur Ozia rege impiè se gerente, ac toto populo simul cum rege suo præuaricante, iustum Dei iudicium fuit, ne isthæc insignis Visio tunc contingeret, Deo sic vlciscente offensionem suæ maiestatis, per subtractionem suæ præsentiæ.

*Applicare ephod, in Scriptura, quid? Consultus Dominus intelligitur in lapidibus Rationalis per Sacerdotem. Doctrina & Veritas, quomodo hoc modo quæ vera, quæ falsa essent docebantur.*
Iosephus.
*Subtractus hic modus docendi ducentis annis ante Iosephi scripta, ob peccata populi. Vlciscitur Deus offensionem suæ maiestatis subtractione suæ præsentiæ.*

2. In anno igitur, quo mortuus est Rex Ozias, vidit Isaias Dominum, &c. Reddita est videlicet oppressæ vrbi lux illa pristina fauorum Dei, vt digna iam habita fuerit diuinis Visionibus, pulso è viuis rege temerario. Magna videlicet populi felicitas, carere malis: qua de re est locus insignis Ioan. 13. 31. Cùm enim Iudas è conuiuio illo mystico, ac conuentu Apostolico exiisset, vt traderet Dominum, exclamauit Christus: *Nūc clarificatus est Filius hominis: & Deus clarificatus est in eo*, &c. Quasi verò antea præsente Iuda, ipse

Ioan. 13. 31.
*Pulso rege temerario, iterum fit Visionum communicatio.*

A Christus, qui lux mundi erat, tenebrarum aliquo fuerit obscuratus afflatu, & collegium illud sanctissimum caliginosum reddiderit vnus proditor. Placuit certè Augustino ita interpretari: Imò, ait, in hac clarificatione expulso proditore Christum significare voluisse illam vltimam, qua pulsis in infernum reprobis, ipse cum solis prædestinatis in cælo exaltabitur. Exiit, inquit, Iudas, & clarificatus est Iesus. Exiit ille, de quo dixerat: *Vos mundi estis, sed non omnes*. Exeunte itaque immundo, omnes mundi cum suo mundatore remanserunt. Tale aliquid erit, cùm victus à Christo transierit hic mundus, cùm nemo in populo Christi remanebit immundus, cùm zizaniis à tritico separatis, iusti fulgebunt sicut sol in re-

*Felicitas vrbis, carere malis. Pulso Iuda, clamat Christus se, suosque clarificatos.*
D. Aug.
*Pulsis damnatis in die iudicij Christus cum suis exaltabitur. Exeunte immūdo Iuda, omnes mūdi remanent.*

B gno Patris. Hoc futurum præuidens Dominus, & nunc significatum esse contestans, discedente Iuda tanquam zizaniis, remanentibus tanquam tritico Apostolis sanctis; *Nunc*, inquit, *clarificatus est Filius hominis*. Tanquam diceret: Ecce in illa clarificatione mea quid erit; vbi malorum nullus erit, vbi bonorum nullus perit. Hæc Aug.

*Apostoli triticum mundum, excusso Iuda.*

3. Magnum igitur beneficium Dei erga vrbes, atque regna fuerit, si malos quoque ab illis amoueat: sic enim aliis beneficiis præstandis viam munit. Certè quidem id vnum se facturum in Ierusalem pollicitus est Deus per Isai. cap. 1. 25. *Propter hoc, ait Dominus exercituum, fortis Israel, heu consolabor super hostibus meis, & conuertam manū meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, &*

*Magnum beneficium Dei erga vrbes, si malos inde pellit.*
Isai. 1. 25.

C *auferam omne stānum tuum, & restituam Iudices tuos, vt fuerūt prius: post hæc vocaberis ciuitas iusti, vrbs fidelis*. Primùm notari obiter debet oratio illa, *heu consolabor de hostibus meis*. quomodo enim Deus, quasi arma capiens aduersùs hostes suos, consolationem cum dolore miscet? Erit qui ita interpretetur, pertinere id ad magnam Dei misericordiam, qui puniturus ingemiscat. Nam & D. Chrysostom. rectè adnotauit ad illud Christi, *Si oculus tuus scandalizat te, abscinde eum*, velle Christum, vt quando Prælati Ecclesiæ necessitate coacti malos punirent, omnino id facerent cum magna doloris significatione, sicut nemo oculum eruere potest, quin ingemiscat. Verùm

*Deus puniturus ingemiscit. Prælati dolentes puniant, pellantque malos, ac si ocul. eruāt.*

D in præsenti interiectio, *heu*, non tam videtur dolentis, quàm ad vltionem parati: ea vis Hebræo נחם *nacham*, Latinus dicit, *Ah*; consolabor de hostibus meis. Propriè verò *nacham* passiuè de illo, qui ob alicuius malefacta coarctato intus spiritu discruciatus, tandem effusa in hostem indignatione respirat.

*Interiectio, heu, quid?*
נחם

Rectissimè igitur in rem nostram Deus videns in vrbe suo cultui dicata malos florentes, ac impunè volitantes, concepto furore discruciabatur intus, donec illis expulsis grauatum ex indignatione animum exonerauit, ac veluti refocillatus est dicens, *Heu cōsolabor de hostibus meis*. Sed & illud, *Excoquam ad purum scoriam tuam, &*

*Deus pulsis malis quasi respirat.*

E *auferam omne stannum tuum*, eandem sententiam continet: ciuitas enim dum malos ciues inter bonos fouet, aurum est, sed scoriis plenum; argentum fuerit, sed apparet stannum. Deus ergo magnum parat Hierosolymis beneficium, etiam per vastationes, obsidiones, captiuitates: nam per hæc eò solùm tendit, vt decussis, ac deiectis impiis, vrbem ipsam ad purum educat, sic vt dici queat, Ciuitas iusti, vrbs fidelis.

*Ciuitas malos habens inter bonos, aurum scoriis plenum. Deus vrbem ad purum educit eiectis malis.*

4. Hanc curam inprimis iniit rex Dauid electus à Deo, vt à Ierusalem, ac toto regno suo peccatores amoueret. Narratur 2. Reg.... & 1. Parali

*Cura Dauid circa pellendos malos.*
2. Reg....

1. Paral.... Psal. 100. 8. Euthym.

Paralipom.... Vnde Psalm. 100. 8. qui totus est de hac materia, ait: *In matutino interficiebā omnes peccatores terræ, vt disperderem* (Euthym. legit. *vt exterminarem*) *de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatē.* Dolebat optimus rex in ciuitate Domino tam multis dicata titulis vigere improbos, de quo ipse alibi, *Vidi præuaricantes, & tabescebam*; idcirco, *in matutino*, id est, quam citissime, nulla interposita mora (huiusmodi dicendi modis Hebræi festinationem exprimunt) omnes de medio tollebam, excindebam penitus, vt ad purum educta ciuitas Deo suo conuenienter seruiret, purissimo Domino, videlicet, purissimum exhibens famulatum. Hæc ergo prima cura regibus, hæc patribusfamilias, ac rectoribus congregationum, vt malos à se propellant; nam vel ob aliena peccata, B bonus etiam rector displicebit Deo. Vnde est illud Bernard. 4. de consideratione ad Eugenium: Ne te, inquit, sanum dixeris, dolentem latera: id est, ne te dixeris bonum malis innitentem. Ita Bern. monens Eugenium bonos collaterales habeat ad ineunda consilia. Magnum ergo felicitatis cumulum assecuta est ciuitas Ierusalem Ozia rege mortuo, vt pristinis Visionum, ac Prophetiarum fauoribus potiretur. Recte enim D. Hieronym. ad hoc caput Isaiæ: Multos, inquit, Prophetas florere in vrbe, pietatis indicium est.

*In matutino, Hebraismus, quàm citissimè.*

*Puro Domino purum famulatum exhibere cōuenit.*

*Bonus rector sæpe ob aliena peccata displicet Deo.*

D. Bern.

*Dolent prælati latera, dum malos habet collaterales ad consilia.*

*Multi in vrbe Propheta, magna felicitas.*

---

C

## *Cur, & qua maiestate apparuerit Deus?*

### SECTIO II.

1. *Quæritur, cur Deus apparuerit Isaiæ. Curauit Deus suos Prophetas semper honorare, vt eorū dictis maior haberetur fides. Documentum proponitur ad intelligendos multos Scripturæ locos, ex Ruperto.*
2. *Duo requiri in prophetia asserit Hieronymus in 1. Ezechielis. Autoritatem quoque prophetiæ cōciliat, quod Deus illud dixerit. Locus Ambrosij de fidei sublimitate. Quantum conferat maiestas Visionum ad excitandos animos.* D
3. *Sedens super thronum excelsum Deus legationi suæ maiorem autoritatem dat. Illustratur per Ambrosium in legatione Apostolorum ad omnes gentes. Cur thronus Dei apud Isaiam non describatur factus ex materia aliqua, sed solum excelsus & eleuatus dicatur. Ponderat D. Bern D Chrys. quid super eo philosophetur: quid sentiat Lyran.*
4. *Ea quæ sub ipso erant Hebraicè* vesulau, *quasi fimbriæ vestis diuina toto templo effusa. Per templum quid significetur. Opiniones tres. Fimbria quid D. Bernardo, & quid Clementi Alexandrino.*

E

1. MAGNO verborum apparatu Isaias Visionem suam proponit. Vers. 1. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatum, & ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Hebr. pro, *ea, quæ sub ipso erant*; *& fimbriæ eius.* Septuaginta: *Et plena domus gloria eius.* Primùm inquiramus, cur Deus apparuerit Isaiæ? Illud semper bonis Prophetis solicitudinem peperit, ne mendaces apud populum haberentur. Idcirco Deus eorum dictis autoritatem multipliciter procurabat. Primus modus fuit, quem egregiè notauit Rupertus in

*Varia lectio.*

*Insigne documentum ad intelligēdos Prophetas.*

*Cur Deus apparuerit Isaiæ?*

Rupert.

A Prologo ad Oseam, quique ad intelligendos Prophetas insigne documentum est: cum Prophetæ mittebantur ad prænunciandum, verbi causa, Christi aduentum de longinquo, simul etiam dabatur, vt prædicerent aliquid de propinquo futurum, cuius euentum populus cum oculis ipsis conspiceret, id etiam quod simul in longinquum prænunciabatur, certo futurum sibi persuaderet. Huius documenti ignoratio, multos sæpe aut perplexos detinuit, aut in varias opiniones diuisit, quòd longinquos euentus in Prophetis, à propinquis separare nescierint.

*Appropinquis euentibus, longinquos confirmabant.*

*Multi lapsi, quòd longinquos euentus à propinquis non separarunt.*

2. Notauit Hieronymus ad primum caput Ezechiel. super illa verba, *Et manus hominis sub pennis eorum* (animalium scilicet mysticorum sub B throno Dei) in ipso prophetiæ quasi corpore duo requiri: primum quidem, manum, propinquioribus apprehendendis inseruientem, id est, sensum, qui ipsos in propinquo euentus discernat, & capiat: deinde super manum pennas, sensus, videlicet, altiores, quibus ad longinqua perniciter euoletur. Deinde cùm Prophetæ crebrò adhibent, *Hæc dicit Dominus*, autoritatem quoque Deo sic inspirante conciliant. Sic enim (vt Hieronym. ait ad caput 46. Isaiæ) & diuinationem diuinitate, & diuinitate diuinationem probant: quippe cùm (vt idem testatur Ierem. 28.) Deus, & Propheta, prophetiæ fine monstratur. Igitur, dixisse Deum, quin aliud pro ratione C addatur autoritatem dictis facit. Hinc enim tota fidei fortitudo oritur. Quare Ambros. de vocatione Gentium, Magna est, inquit, fortitudo consensionis, cui ad sequendam veritatem autoritas sufficit, etiam latente ratione. Ita Ambros. Maiori autem auiditate, & admiratione capiebat populus eas Visiones Prophetarum, quas illi per insolitas imagines sibi factas publice testabantur. Talis autem est hæc Visio apud Isaiam ob id vel maxime facta, vt ad ea, quæ prædicenda sunt, fides sterneretur.

D. Hier.

*In Prophetia opus est manu, ad propinquiora apprehēdenda, aliis ad penetrāda longinqua.*

Hæc dicit Dominus, *ad cōciliandam autoritatem dictis.*

D. Hier.

*Diuinitate diuinationē, & diuinatione diuinitatem probant Prophetæ.*

*Deus & Propheta prophetiæ fine monstrātur.*

D. Ambr.

*Autoritas Diuina sufficit etiam latente ratione.*

3. At quo apparatu est exhibita? *Vidi*, inquit, *Dominum sedentem super solium excelsum, & eleuatū.* Hæc etiam faciunt ad autoritatem futuræ legaD tionis ad populum. Nam similiter animaduertit Ambros. lib. 2. de vocatione Gentium, missos primùm Apostolos ad prædicandum Iudæis, adhibito præcepto illo, Matth. 10. 5. *In viam gentium ne abieritis.* In Ascensione verò sedente Domino ad dexteram Patris, missos indiscriminatim ad omnes gentes. Marc. vltimo 15. *Euntes in mundum vniuersum, prædicate*, &c. Causam verò huiusce rei vult Ambros. esse, vt Domino iam sedente ad dexteram æterni Patris, maior eius legationi autoritas accederet. Idcirco antequam Deus Isaiam mittat, apparet sedens in solio. Mirum autem, quòd cùm apud Ezechielem describatur solium Dei è sapphiro factum, hic solùm E dicatur excelsus, & eleuatus. Ponderauit hoc Bernard. serm. 1. de hac Visione. Nulla, inquit, omnino materia corporalis tanto solio, ac tanto habitatori videtur apta; viuis est constructa lapidibus fabrica spiritualis, quam vera, & æterna vita sua inhabitare dignetur: quòd si minùs tanto ædificio sufficit Angelica creatura, præuaricatorum vtique minorata præcipitio: suscitet certè de terra inopem, & de puluere erigat pauperem, vt collocet cum Principibus, & solium gloriæ compleat. Et fortasse propterea ipse, qui vidit, non modò excelsum solium, sed & eleuatum quoque describit; vt proinde, & Angelorum

*Visiones maior fides sequebatur.*

*Apparet in throno, ad maiorem autoritatē legationis quamparat.*

D. Ambros.

Matt. 10. 5.

*Legatio Apostolorū ad omnes gentes per Christum iā sedentem ad dexterā Patris maioris autoritatis fuit.*

*Cur thronus hic excelsus & eleuatus, apud Ezechielem è sapphiro factus?*

D. Bern.

*Thronus excelsus, id est, angelica natura: eleuatus, humana natura eleuata ad Deum.*

stabi

stabilis celsitudo, & hominum miserorum eleuatio designetur. Hucusque Bernard. Thronus ergo Dei, iuxta Bernard. constat ex materia spirituali, partim quidem ibi nata, id est, Angelis, partim e terra misericorditer eleuata, id est, hominibus, & idcirco dicitur excelsus, & eleuatus.

D.Chrys. *Eleuatus thronus significat Dei incomprehensibilem statum. Eleuatio importat subtractionẽ ab oculis mentis.*

Aliter Chrysost. de hac eadem Visione tom. 1. Quam ob causam inquit, cùm dixisset excelsum, adiecit, eleuatum? vt cathedram incomprehensibilem demonstraret, quandoquidem quod excelsum est apud nos, cogitationem quandam præbet comparationis ad ea, quæ humilia sunt, veluti excelsi montes ad campestria. Cæterùm eleuatio solius est illius naturæ, quæ cogitatione incomprehensibilis est. Ita Chrysost. Vúltque eleuationem significare subtractionem ab oculis mentis, vt idem sit thronus eleuatus, ac thronus absconditus, quam significationem meliùs expressit Regius Vates cùm dixit Psalm. 8. 2. *Eleuata est magnificentia tua super cælos:* cùm enim cæli omnia ambitu comprehendant, eo modo loquendi significatum est, magnificentiam Dei incomprehensibilem esse. Simpliciorem sensum secutus est Lyranus hoc loco, per excelsũ, & eleuatum solium intelligens cælũ ipsum, de quo Deus apud eundem Prophetam, cap. 66. 1. *Cælũ*, inquit, *sedes mea; terra autem scabellum pedum meorũ.* Maiorem dubitationem continent, quæ sequuntur.

Psal. 8. 2. *Eleuata magnificentia Dei, id est, incomprehẽsibilis.*

Lyranus. *Thronus excelsus & eleuatus, id est, cœlũ ipsum.*

4. *Et ea, quæ sub ipso erant, replebant templum.* Ea quæ sub ipso erant, Hebraicè vna dictione שוליו qua videntur significari vestium fimbriæ, seu limbi prolixiores, & circumquaque fluentes, ad præferendum fastum. Sicut ergo regius thronus aureo peristromate sic ornatur, vt quæ supersunt pendentes fimbriæ diffundantur prolixè per totam aulam: ita putandum est, solium Dei vidisse Prophetam, tanta circumuestitum gloria, vt eius quasi fimbriæ, seu malis, reliquiæ, toti templo complendo abundè suffecerint. Vnde iuxta Septuaginta, *& plena erat domus gloria.*

שוליו *Quæ sub ipso, id est, vestiũ fimbria.*

*Reliquiæ, seu fimbriæ ornatus throni replebant templum.*

At quid sibi vult hoc templum, de quo Propheta nullam antea mentionem fecit? Sunt qui velint, Deum visum esse Isaiæ in summitate templi Salomonici super solium prædictum, ita vt eius gloria in subiectum templum vndequaque difflueret. Hoc quidem incertum est, & tamen contingere potuit. Simplicius est, si per templum accipiamus cælum, quod templum Dei est, Psal. 10. 4 *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* est enim pleonasmus. Potest etiam per templum significari totus mundus, quem scilicet Plato Dei templum appellauit. Sed notari oportet: quomodo, quæ sub ipso erant, ac adeò solæ quasi fimbriæ gloriæ Dei, templum, id est, totum cælum, vel ipsum mundum repleant? Id verò non omnes eodem modo explicant. Quidam intelligunt generalia Dei erga homines beneficia: item spirituales gratias. Qua de re est à Bernardo egregiè dictum serm. 18. super Cant. Ipse, inquit, fons vitæ Deus, in se ipso, & se ipso plenus, primùm ebulliens, & saliens in proxima secreta cælorũ omnia impleuit bonitate, impletísque superioribus partibus, tunc demũ erupit in terras, ac de superfluo homines, & iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiam suam Deus. priùs interna repleuit, & sic exundans in multis miserationibus suis, visitauit terram, & inebriauit eam, multiplicauit locupletare eam. Hæc Bern. Itaque à Deo bonorum omnium fonte varij gratiarum riui deducuntur fo-

*Apparuisse Deum in summitate templi, aiunt aliqui.*

*Simpliciùs intelligitur cælum per templum.* Psal. 10. 4. *Aliter mundus ipse significatur nomine templi.*

D.Bern. *Sola fimbria gloriæ Dei totum cœlũ ac mundum replent. Fimbria secundùm aliquos beneficia generalia: secundũ alios spirituales gratia. Deus fons se ipso plenus, sed ebulliens omnia implet bonitate.*



A ras ad irrigandum mundum. Ab illo item, vt sole multiplices eiibrantur radij ad eundem illuminandum. Vt enim rectè ait D. Antiochus relatus in appendice Bibliothecæ: Diuina pulchritudo diuinum perpetuò splendorem explicat. Videlicet, quia non potest auare continere naturam ad illuminandum prælium, vt non aliis, sed vt sibi soli luceat.

D.Antioch. *Diuina natura diuinos splendores explicat.*

Et Clemens Alexand. eodem spectans in adhort. Fiunt, inquit, omnia lux, quæ sopiri non potest, quæque rorem iugiter instillat veritatis, &c. Nec dissimile est illud D. Augustin. 6. de Trinit. Et est in Trinitate, inquit, Spiritus sanctus, non genitus, sed genitoris, genitíque suauitas, ingeniti largitate, ac vbertate perfundens omnes B creaturas. Sic Augustin. Congruítque Paulo 1. Corint. 12. 11. *Hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult: diuisiones enim gratiarum sunt, &c.* Hæc igitur, quæ sub Deo esse dicuntur, quasi fimbriæ gloriæ illius templum replent: vt hinc certam facere coniecturam liceat de immensitate gloriæ Dei; quando eius solùm reliquiæ mundo replendo satis sunt. Alij per has fimbrias interpretantur humanitatem Christi: nam mansionem illam quidem Beatorum se ipso illustrat Dominus, Ecclesiam verò suam militantem humanitate sua illustrem reddit. Nec enim caro Domini, & quæ in carne gessit, aliud C sunt, quàm fimbriæ quædam diuinæ maiestatis, si conferantur cum illa immensa gloria, quæ reuelabitur in nobis.

Clem.Alex. *Lux Dei rorem instillat veritatis.* D.Aug. *Spiritus sanctus Patris ac Filij suauitas.* 1.Corint. 12.11.

*Secundùm alios fimbria Dei, humanitas Christi, qua illustrat Ecclesiam.*

---

## *Cur Deus in throno sedeat?*

## SECTIO III.

1. *Sedere in Scriptura iudicantis est. Psalm.* 121. Illic *sederunt sedes in iudicio, significat excellentiam iudicandi in ciuitate regia Ierusalem. Illustratur loco Dan. 7. Throni ibi vacui, in Apocalypsi repræsentantur pleni.*

2. *Sedere item maiestatem exprimit. Illustratur loco* D *Isai. 14. Item loco Matth. 19. interprete Imperfecto in Matthæum. Per thronos Apostolorum in die Iudicij significatur eorum excellentia in iudicando.*

1. SEDERE in sacris literis significat primùm autoritatem iudicandi, Ps. 121. 5. *Illic sederunt sedes in iudicio*, id est, Hierosolymis, vbi erat præcipua autoritas ad iudicandum: in aliis enim vrbibus erant quidem tribunalia, sed minoris autoritatis. Igitur illa paronomasia, *sederunt sedes*; amplificat, ac excellentiam quandam significat, ad ferenda iudicia, quæ semper in regiis vrbibus maior est. Idcirco Deus iudicaturus Dan. 7. 6. sedes inducitur. *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus* E *dierum sedit: thronus eius, flamma ignis, rotæ eius ignis accensus.* Ad quæ verba Hieron. Habitus, inquit, æterni Iudicis. Quasi dicat, eo noscitur esse Iudex, quòd in throno sedeat. Notari autem debet, quomodo cùm plures throni positi fuerint, vnus tantùm sedeat in vnico throno? cuius rei causa primùm esse potest, vt significetur Dei perfectissimum iudicium: perinde enim sufficienter iudicat solus, ac si quamplurimos ad iudicandum haberet socios. Itaque is vnus plurium sibi instar est Iudicum. Sed mysteriũ est, plures illos thronos in veteri Testamẽto vacuos expectare Iudices legis gratiæ. Vnde Apoc. 4. 2. repræsentat Ioan. hoc idẽ iudiciũ, sed tã plenũ. *Ecce*, inquit, *sedes posita erat in cælo*,

*Sedere in Scriptura importat autoritatem iudicandi.* Psal. 121. 5. *Sederunt sedes, est paronomasia, innuens excellentiam iudiciorum. Sedere, habitus iudicis. Cur plures sedes, & vnicus sedens? Quia solius Dei perfectissimum iudicium, & instar omnium. Sedes vacua in veteri Testamento expectant iudices sessuros in nouo.* Apoc. 4. 2.

*cælo, & supra sedem sedens; & in circuitu sedis sedilia vigintiquatuor, & super thronos vigintiquatuor seniores sedentes.* Cùm ergo Deus hoc loco sententiam laturus sit de excæcatione Iudæorum, non immeritò inducitur à Propheta sedens in throno, quasi pro tribunali rem ipsam iudicaturus. A

*Sedere in throno significat maiestatem.* Isai.14.13.

2. Præterea in throno sedere, significat in Scriptura maiestatem absolute, & quandam præ cæteris eminentiam. Vnde est illud Isaiæ 14.13. *In cælum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Siue enim hæc de Lucifero, siue de Nabuchodonosor intelligantur, significatur certè ingens quidam appetitus excellentiæ, qua rebus omnibus emineat, etiam Deo. Et certe Imperfectus in Matth. ad cap.19.28. per allegoriam accipiens illud Christi ad Discipulos, *Sedebitis & vos super sedes duodecim*: Omnes Apostoli, inquit, omnia bona habuerunt, non autem omnia ad perfectum, sed vnusquisque in aliquo bono priuato magis excelluit, vtpote Petrus in fide, Ioannes in innocentia. Ideo ergo Petrus requiescit in fide, Ioannes in innocentia, & vniuscuiusque Apostoli virtus illa est thronus, in qua perfectior cæteris fuit. Sic ille. Cuius interpretationem eo solùm afferimus, vt ostendamus solij vocabulo significari eminentiam, alioqui thronos Apostolorum in die Iudicij existimamus veros futuros; quanquam de illorum materia constare non possit: probabile tamen est, è nubibus formandos in aëre ministerio Angelorum, quod colligitur ex cap.14. Apocal. B

*Exaltare solium super cælum, innuit ingentem appetitum excellentiæ.* Imperf. in Matth. Matth.19.28. *Sedes Apostolorum, virtutes in quibus cæteris excelluerunt, iuxta Imperfectũ in Matth.*

Sedenim huiusmodi thronis, quales quales futuri sint, significari spiritualem quandam excellentiam Apostolorum super cæteros etiam Sanctos, inde colligitur; quòd cùm plurimis aliis in locis asseratur, Sanctos iudicaturos, non tamen fit mentio vlla de thronis, 1. Corint.6.3. *An nescitis quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Sapient.3.7. *Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent, iudicabunt nationes, & dominabuntur populis.* Quod igitur Christus Apostolos suos iudices mundi creans thronos illis specialiter assignet, ineffabilem (ait Chrysost.) honorem & excellentiam significat, vt certum sit, futuros quidem Iudices cum quadam eminentia, quæ tamen explicari non possit. Hæc igitur significatio sessionis in throno, etiam quadrat in præsentem Visionem: nam cùm Deus missurus esset Vatem ad rem magni momenti, iure se exhibet in solio sedentem, maiestatis ergò; vt legationi futuræ maius quoque accedat pondus. C D

*Thronis Apostolorũ significatur eminentia super cæteros Sanctos.* 1.Corin.6. Sapient.3.

*Ineffabilis honor Apostolorum ex thronis.* D.Chrys. *Deus è throno mittens Isaiam, legationi eius pondus addit.*

---

## *An Isaias verè Deum viderit?*

## SECTIO IV.

1. *Causa necis Isaiæ hæc ipsa Visio. Opinio, quòd mori deberet qui Deum vidisset, apud Hebræos perantiqua, Iudic.13. de Manue, & 6. de Gedeone. Timore quo modo erudiebatur populus Iudæorum. Cur Moysi ad regendum populum data sit virga, Apostolis prohibita, ex Hieronymo.*
2. *Opinio hæc de morte, ex falsa interpretatione effusa est in populum. Nam Visio Dei potius reficit, ex Gregorio Nyssen. Consonat D.Paul.1.Corint. explicante D.Ambros. mirumque quomodo aliter senserit Athanasius.*
3. *Quomodo intelligatur sententia illa,* Non videbit me homo, & viuet. *Explicat D.Ambros. D.Gregorius Magnus, & Rupert. sed allegoricis sensibus.*
4. *Sensus literalis est, Non videbit me homo clarè in hac vita, sed in altera, ex loco D.Ambrosij.*

1. DISERTIS quidem verbis asserit Vates se vidisse Deum, Vers.1. *Vidi Dominum.* Sed hoc eius assertum necem ei attulisse constat, imperante videlicet Manasse rege impio, vt vel ob id medius secaretur, quòd rem assereret apertè repugnantem dicto Domini, Exod.33.28. *Non videbit me homo, & viuet.* Idque non solùm ab eo tempore, quo hæc à Domino dicta sunt, sed multos ante annos, animis Hebræorum insederat: neminem scilicet videre posse Deũ, quin statim moreretur. Nam Iacob Genes.32.30. post illum suum cum Deo congressum, dixit: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea!* Quæ quidem per admirationem dicta fuisse intelligenda sunt; quasi dixerit: Mirum, quòd non statim mortuus fuerim. Et Manue postquam, Iudic. 13.22. cognouit Dominum fuisse, qui apparuit ei, ad vxorem ait: *Moriemur, quia vidimus Dominum*; quem vxor consolata: Si Dominus, inquit, nos vellet occidere, holocausta de manibus nostris non suscepisset. Idem de Gedeone, Iud.6.22. & de vniuerso populo ad montem Sinai, Deut. 5.25. Hoc timore populus ille exercebatur ad reuerentiam, & cultum Dei. Iure enim Nazianz. Gregor. in Orat. ad sancta limina: Timoris, ait, rudimentis imbuti, purgati, ac extenuati in altum efferimur. Cùm ergo populus Hebræorum nimis crassus esset, & graui corde, timore hoc extenuari oportebat, & sub eo, quasi sub rudimentis, agere, quousque ad perfectum educeretur.

*Isaias ideo necatus est, quod asseruerit se vidisse Deũ.* Exod.33.28. *Vetus opinio Hebræorum, moriendum esse illi, qui Deum videret.* Genes.32.30. Iud.13.

Iud.6. Deut.5. *Conuenienter timore mortis exercebatur populus Iudæorum.* Greg.Naz. *Populus crassus timore extenuabatur vsque ad perfectũ.*

Hinc Hieron. ad illa verba Mich.7.14. *Pasce populum tuum in virga tua*, ponderat quomodo Moysi ad regendum populum data fuerit virga, Apostolis autem prohibita: *Neque calceamenta, neque virgam*, Matth.10.10. Quia populus, inquit, Israël duræ ceruicis erat, vtebatur Moyses virga legali: Apostolis autem Domini, qui sapientiam loquebantur inter perfectos, virga est excussa de manibus; quia perfecta charitas foras mittit timorem. Ita Hieronym. Hic igitur timor, qui Hebræorum animis inhærebat, in causa fuit, vt eam imbiberint opinionem circa illam Domini sententiam, *Non videbit me homo, & viuet.* Omnes scilicet, qui Deum viderent, ab eodem occidendos; quare, qui audacter, & sine aliqua timoris specie Deum se vidisse profiteretur, mirè execrabantur, vt impium, & irreligiosum, vtpote qui non metu erga Deum duceretur: & hoc modo malè acceptum apud populum Isaiam, vt vel propterea serra impacta contrucidatus sit.

D.Hieron. Mich.7.14. *Moysi datur virga ad regendum populum, Apostolis prohibita: quia perfecta charitas foras mittit timorem.* Matth.10.10.

2. Verumenimvero non eam fuisse Deo mentem, cùm prædicta verba pronunciauit, sed opinionem in populum effusam ex falsa interpretatione, constat; primùm, quia si intelligatur de visione faciali, vt vocant, ea tantùm abest vt occidat hominem, vt omnino perficere, & ornare debeat. Rectè enim Gregor. Nyssen. ad prædicta verba Exod. *Non videbit me homo, & viuet.* Non quia causa mortis, inquit, videntibus erit illa facies: quomodo enim vitæ facies, causa mortis erit appropinquantibus ad illam? Ita Nyssen. Nec iuxta Paulum 1.Corint.13.10. aliter sentire possumus, vbi sic, *Cùm venerit quod perfectũ est, euacuabitur quod ex parte est: cùm essem paruulus*, &c. Quæ omnia interpretatur D.Ambros. de

*Opinio de morte ob visum Deum falsa. Visio Dei perficit ornatque hominem.* Greg.Nyss. *Facies vitæ, quomodo causa erit mortis?* 1.Corint.10. D.Ambros.

*Visio beatifica perficiet animas.*

de bono mortis, cap. 11. intelligenda esse de visione beatifica perficiente animas in altera vita. Hic enim, ait, omnia imperfecta: hic paruuli sumus, illic robusti. Quare miror vehementer D. Athanasium serm. 3. contra Arian. hoc argumento vsum, vt probaret, solam Christi diuinitatem non descendisse ad Patres in Limbo. Christus, ait, descendit ad inferos, ad seruandas, non ad perdendas animas, ergo sola diuinitas non descendit. Quia *Non me videbit homo, & viuet.* Sic Athanas. Atenim non apparet, quomodo visio clara Dei animabus illis Patrum mortem attulisset, & non potiùs summam delectationem spiritualem, maximè cùm iam essent separatæ à corporibus. Non ergo videtur argumentum Athanasij habere vim. Si verò intelligatur de visione in aliqua similitudine corporali, multò minùs sequeretur, vt videntem interimeret: quoniam sub huiusmodi similitudinibus visus est sæpenumero Deus à veteribus Patriarchis citra vllam omnino læsionem.

D. Athan. *D. Athanasius probat solam Christi diuinitatem non descendisse ad Patres, quia alioqui eos interficeret.*

*Argumentum Athanasij non videtur habere vim.*

3. Quomodo igitur intelligenda est diuina illa sententia, *Non videbit me homo, & viuet?* D. quidem Ambrosius super Psal. 118. hunc sensum tradit. Quoniam, inquit, adhuc homo erat, ideo ei dicitur, *Non videbit me homo, & viuet:* processu ergo ei debebatur, vt Deus fieret, cùm scilicet corporis, hoc est, vitiorum omnium inuolucra deponeret. Hæc Ambros. Eodem tendit Gregor. 18. Moral. *Non videbit me homo, & viuet.* Ac si apertè dicatur, Nullus Deum spiritualiter videt, qui mundo carnaliter viuat: qui enim Deum videt, eo ipso moritur, ab huius vitæ delectationibus totamente separatus. Rupertus ad Incarnationẽ refert: *Non videbit me homo, & viuet:* id est, ascendã ad eum homo factus inter homines, vt in me reuiuiscat homo: nam si ascendero Deus manifestus, crucis vtilitas impedietur, & homo non viuet. Hæc secundùm allegoriam dicta fuerint.

D. Ambros. *Moysi, quia processu Deus futurus, propterea dictum,* Non videbit me homo.

D. Greg. *Nullus Deū spiritualiter videt, qui mundo carnaliter viuat.*

Rupert. *Sine videlicet homo Deum, non viuet, quia crucis impeditur mysterium.*

4. Sensus germanus est: *Non videbit me homo, & viuet*, id est, in hac vita corporali, & animali non me videbit homo, & viuet; videbit autem in altera, postquam deposuerit corpus, quod aggrauat animam. Ita habet Glossa interior, Origen. Hier. & alij. Moyses igitur à Deo petiit, vt ostenderet sibi viuenti faciem suam sicuti est, de quo D. Ambros. quem citauimus ad eum locum Exodi, serm. 8. in Psalm. 118. Non reprehensibilis, inquit, error, sed grata cupiditas, & inexplebilis, quòd Dominum velut manu tenere, & obtutu oculorum videre cupiebat. Ita Ambros. Huic autem petitioni rectè congruit responsio Domini: *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & viuet.* Quasi dicat, Gratam habeo hanc tuam cupiditatem, vtpote ex amoris abundantia licèt per errorem, profectum: petis autem rem, quæ non congruit huic vitæ mortali, sed solùm futuræ. Ita solet Deus errores ex amore nascentes non seuerè coarguere, sed ob id maximè leues, ac veniales, vt vocant, reputare.

*In hac vita mortali non me videbit, sed cùm è vita excesserit.*

D. Ambros. *Grata cupiditas & inexplebilis, velle Deum in hac vita videre.*

Id quod similiter accidit in matre filiorum Zebedæi, cùm petiit à Christo, vt filiorum alter ad dexteram eius sederet, alter verò ad sinistram. Ad eundem ergo modum excusatur ab Ambros. 5. de fide ad Gratianum. Et si error, inquit, pietatis error est: nesciunt enim materna viscera patientiam: & si voti auara, tamen venialis cupiditas, quæ non pecuniæ est auida, sed gratiæ. ita ibi. Vult autem Ioannem & Iacobum in ea prærogatiua sedium non honorem ambiisse, sed gratiam, & amorem Christi; & ob id maximè venia dignam ambitionem. Itaque diuina illa sententia, *Non videbit me homo, & viuet*, cùm de altera tantùm vita intelligatur, in liquido manet, nullo modo temerarium fuisse Isaiam, cùm dixit: *Vidi Dominum sedentem super solium*, &c. Nam hæc ostendunt, visum fuisse Dominum sub corporali specie, quod quidem plurimis ex Patribus contigisse certum est: ac adeò liquet iniquissimè egisse Manassem, cùm ob id Prophetam necari iussit. Ex prædictis quoque rectè colligitur, communem illam interpretationem, quòd viso Deo sub corporali specie mori omnino necesse esset, nequaquam ex Dei mente, sed ex populi sub timoris lege enutriti falsa existimatione ortam fuisse.

D. Ambr. *Error pietatis in matre filiorum Zebedæi.*

*Iacobus & Ioannes non honorem ambiebant, sed gratiam.*



---

## *De astantibus Seraphim.*

### SECTIO V.

1. *Hic solùm facta mentio de Seraphinis, vnde est illa periphrasis Isaiæ à Nazianz. Seraphim spectator. Notatio nominis, qualis per Hieronymum. Duplex lectio de velatione faciei, visi sunt stare super templum, non duo, sed plures. Hebraismus, sex vni, & sex alteri.*
2. *Faciem, & pedes Dei velant, quia quæ ante mundum, & post mundi finem sunt, nescimus, sed media tantùm. Hieronym. Cur Deus, qui sedet manifestè in Cherubim, in Seraphim partim appareat, partim non, iuxta eundem. Alia responsio Cyrilli Alexandrini de alis velantibus Deum. Item alia D. Ambros.*
3. *Alia lectio de alis velantibus facies Seraphinorum expenditur à D. Chrysost. & illustratur loco Psalmi 83. Sequitur Forerius.*
4. *Alia interpretatio Gregorij Magni, vt per stantes significetur quies beatitudinis, per volantes desiderium. Aliter significatur beatitudo essentialis, & accidentalis. Illustratur loco Aug.*
5. *Moralis sensus est, significari obedientiam per istos Seraphinos, & abnegationem proprij iudicij, & compressionem inferioris partis, id est, carnis. Ostenditur etiam insignis promptitudo, & omnino alata.*

1. VT solent Aulici astare regibus, ita Deo sedenti in throno suo astare dicuntur Seraphim. Versicul. 2. *Seraphim stabant super illud: sex alæ vni, & sex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Hebr. pro *faciem eius; faciem suam.* Septuag. absolutè, *faciem.* Magnum puluerem (inquit Hieron.) mouet hic locus: obscurissimis enim est intricatus mysteriis. Obseruat ergo primùm, hîc, & nusquam alibi in Scripturis Canonicis, fieri mentionem de Seraphinis. Vnde est illa periphrasis Isaiæ, quasi è re singulari collecta à Nazianzeno Orat. de Theologia: Ille gloriæ Dei, & Seraphim spectator. Est autem celebris illa notatio nominis, ab eodem Hieronymo tradita, qua Seraphim significat incendium, quòd in eis amoris vis effusius ardeat. Præterea aduertit non esse cur scrupulum moueat, quòd in vulgata sit, *duabus alis velabant faciem, & pedes eius.* Nam iuxta Hebraicum verti potest, *eius*, &, *suam*: vt Seraphim,

*Varia lectio.* D. Hieron. *Hoc loco solùm fit mentio de Seraphim.*

Naziānz. *Isaias, gloriæ, & Seraphim spectator.*

*Seraphim amoris incendium.* *Variæ lectio conciliatur.*

& faciem pedésque Dei, & suam faciem ac pedes operire dicantur. *Seraphim stabant super illud*, id est, templum, cui non repugnat, quod Septuaginta dicunt: stare in circuitu maximè, quia verisimilius est iuxta Hieron. super illud *Volauit ad me vnus de Seraphim*, non fuisse duos tantum, sed innumerabiles; illud enim, *sex alæ vni, & sex alæ alteri*, Hebraismus est, id est, singuli senas alas habebant.

2. D. ergo Hieróny. alarum mysteria sic declarat. Duabus velabant faciem eius, id est, Dei, & duabus pedes; quia, videlicet, & præterita ante mundum, & futura post mundum scire non possumus; sed media tantùm, quæ sex diebus facta sunt, contemplamur. Expendit autem quod B in Cherubim manifestatur, Psal.79. *Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim*, &c. at hîc in Seraphim ex parte ostéditur, ex parte celatur: videlicet, quia opera sapientiæ suæ, ab ipsa statim mundi origine expoluit Deus contemplationi hominum, non ita amoris opera, quæ magna ex parte in occulto erant. Tot verò alas habere dicuntur, vt ostendatur Deus celeriter venturus, vt supplicia sumat: quod illi superiùs quasi irridendo petebant. Hæc ferè ex Hieron. Cyrillus Alex. in lib. de spiritu, & litera. In eo, inquit, quòd ait, *Duabus alis velabant faciem Dei*, ostendit Dei nullum esse principium; quòd autem duabus C alis pedes operiant, eius vias, siue opera esse inscrutabilia. Vnde illud, Psalm.76.20. *In mari via tua*, id est, tam non possunt opera tua comprehendi, quàm nec in mari vestigia. D.Ambros. tom.4. lib.3. de Spiritu sancto cap.22. *Seraphim stabant. Et duabus alis velabant, &c. & duabus volabant.* Si stabant, inquit, quomodo volabant; & si volabant, quomodo stabant? Stant tempora, volant tempora, stant præterita, & futura, præsentia volant. Ne quæras principij eius, vel finis arcana, quæ non sunt, habes præsentia, sed laudato, non discute, Seraphim laudant, tu discutis? Dici etiam potest, Seraphim faciem Dei velare, & simul volare: quia cùm non pos- D sint plenè sustinere maiestatem eius, permittit, vt eius faciem quasi interuelent, vt eorum oculis attemperetur. Quadrat illud Bernardi, Dilectio claudit oculos maiestati, aperit voluptati.

3. Aliter explicant, qui legunt, *duabus alis velabant faciem suam, & duabus pedes.* D.Chrysost. Duabus, inquit, alis velabant faciem, simul excludentia radium è throno prodeuntem, eò quòd ferre non poterant immensam gloriam, ac metuendum spectaculum: pedes verò, quia inexplicabilem erga conditorem reuerentiam exhibere studebant, ipso habitu, voce, aspectu, statione. Quoniam igitur, id quod desiderant, quódque E conueniebat, nó assequuntur, declarant eo, quod vndique velantur: nam ita defectum circuntegunt, & quod deest affectui, velo obtegunt. Ita Chrysost. Collige, quia in Deo summa est pulchritudo cum summa maiestate coniuncta, quarum illa repellit intuentes, ista verò attrahit, ideo nil mirum, si Seraphim simul volabant, & stabant velantes faciem, ac pedes: pulchritudinis enim desiderio quasi in Deum volando rapiebátur, maiestatis verò radiis percussi retrahebantur. Quæ duo Dauid breuiter expressit Psalm. 83.3. *Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Quomodo simul anima & desiderio fertur, & quasi deliquio labitur? nimirum, quia

Hieron. *Plurimi Seraphim apparuerunt. Hebraismus. Faciem, & pedes Dei velant, quia præterita ante mundum, & futura post mundum, ignota. Media tantùm in sex diebus facta scimus.* Psal.79.2. *Cur in Cherubim manifestatur Deus, in Seraphim occultatur. Plures alæ ostendunt Deum citò venturum.* Cyrill. Alex. *Velant faciem Dei, vt eius ostendatur nullum esse principium. Pedes velant, quia via eius, seu opera sunt inscrutabilia.* Psal. 76.20. D.Ambros. *Stant Seraphim, & volant, quia tempus præteritum & futurum stant, præsens volat. Interuelant faciem Dei, vt sustinere valeant splendores eius. Dilectio claudit oculis maiestati, aperit voluptati. Velant suã faciem, & pedes, quia ferre non possunt gloriam vultus Dei, & vt reuerentiam exhibeant. Pulchritudinis desiderio feruntur in Deum, maiestate perculsi retrahuntur.* Psal.83.3.

A contemplata pulchritudinem Dei rapitur in eum desiderio; sed conspicata maiestatem, in medio conatu deficit; vt Esther viso Assueri vultu. Rectè hoc loco Forerius. In facie velata, inquit, reuerentiam tantæ maiestatis cogita, coniunctam tamen summo videndi desiderio, quod volitatio illa supra Dominum significat: vt quando auis summo desiderio prædæ circumuolitat, sed metu aliquo retardatur, pugnátque in ea cum timore desiderium. Quid si occultatio illa faciei, non tam designat timorem ac reuerentiam, quàm intolerabilem oculis humanis splendorem diuinæ maiestatis: nequit enim comprehendi diuina maiestas. Volitant ergo B beati spiritus, & videre desiderant, & in hoc toti sunt, quia tamen sibi opus esse vident, vt facies suas operiant, ne opprimantur à gloria, corpus quoque suum operiunt, ne videantur & ipsi: quonam enim pacto nudi apparerent coram eo, cuius splendores ipsi sustinere non possunt? aut quid in se ipsis dignum admiratione, atque inspectione intelligent, qui maiestatem illam intuentur? Hæc ille.

*Concupiscit, & deficit anima in Deum, dum pulchrum, & maiestate plenum videt. Volitatio supra Dominum quomodo exprimat desiderium?*

4. Ex Gregor. Magno 18. Moral. cap.28. elici potest hic alius sensus, vt stantes ostendant quietem, & complementum appetitus in beatitudine; volantes autem significent, non esse in ea quiete fastidium, sed semper vigere in ea C Visione alacritatem. Quærit enim sanctus Doctor, quomodo Matth.18. 10. dicatur, *Angeli eorum semper vident faciem Patris?* At verò 1. Petri 1.12. *In quem desiderant Angeli prospicere*; videntur enim, ait, pugnare sibi; si enim semper vident, quomodo videre desiderant? Maximè cùm Psalmista dicat Psalm.16.15. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Vbi ergo satietas, nullum ampliùs desiderium. Respondet; Ne sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne verò sit in satietate fastidium, satiati desiderant. Et desiderant igitur sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Ita D Greg. Illustratur ex illo Apoc. 47. *stat enim ante thronum Dei aquila volans*: id est, quilibet Beatus, qui in videndo Deo semper volant, præ desiderio videndi: vt exprimant perennem alacritatem in videndo. Dici etiam potest, per stantes significari beatitudinem essentialem, in qua (vt August. ait) non mobiles sunt cogitationes nostræ; per volantes autem beatitudinem accidentalem, quæ per nouas reuelationes contingit in Beatis.

5. Moraliter per huiusmodi Seraphim docetur insignis obedientia: per alas enim extensas ad volatum significatur promptitudo ad exequenda mandata, per alas quibus velatur facies, E siue caput, abnegatio proprij iudicij commendatur, vt sit obedientia cæca; per eos quibus teguntur pedes, compressio inferioris partis superiori voluntati repugnantis: vel ita, obedientem debere esse totum alatum, vt Prælati mandata, alato iudicio, alatis pedibus, alatis humeris sequatur.

* * *

Greg. Mag. *Volant, vt ostendant se non fastidire, stant, vt complementum appetitus ostendant.* Matth.18. 10. 1.Petr.1. 12. *Angeli quomodo semper desiderant videre Deũ, cùm eum semper videant.* Psal. 16.15. *Sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur. Satietas ex desiderio semper accenditur.* D.August. *Stantes repræsentant beatitudinẽ essentialem, volantes accidentalem. Ostenditur insignis obedientia. Velatio faciei significat cæcam obedientiã. Pedes velati, compressio inferioris partis. Obediens sit totus alatus.*

De

*De clamoribus Seraphim, & commotione templi, à gloria Domini.*

SECTIO VI.

1. *Clamoribus Seraphim significari sanctam Trinitatem, ex testimoniis Patrum. Mos Ecclesiæ clamantis, Sanctus, Sanctus, Sanctus, in sacrificio Missæ.*
2. *Proprium legis gratiæ mysterium Trinitatis. Legem naturæ, & legem veterem carvisse lingua, qua explicaretur.*
3. *Quid fumus? in Scriptura, gloria Domini symbolum. Cæcitatem Iudæorum, vel incendium vrbis significari. Morale documentum.*

1\. POSTQVAM descripsit Vates habitum Seraphinorum, nunc de clamoribus eorum sic scribit. Vers. 3. *Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sāctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius.* Vers. 4. *Et commota sunt superliminaria cardinum a voce clamantis, & domus repleta est fumo. Alter ad alterum*, quasi inuicem se cohortantes ad laudes Dei. Similiter, & de animalibus Ezechiel. dicitur, quòd iunctæ erant pennæ alterius ad alterum, quia, vt Gregor. notat, cælestes illi spiritus se ipsos mutuo iuuant, atque excitant ad laudandum Deum. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus.* Mysterium Trinitatis in vna diuinitate demonstrant, inquit Hierony. & communiter aliqui Doctores. Nazianz. Orat. 38. Trinitatem tribus hic sanctificationibus celebratam, vocat Sancta Sanctorum. Quia, vt Nicetas ait, Deus est totius sanctitatis Dominus, & D. Greg. Magn. 1. Reg. 2. 2. in illud Cantici Annæ, *Non est Sanctus vt est Dominus.* In eo, inquit, quod Dominus asseritur, sanctitatis eius excellentia commendatur; quia, scilicet, non quouis modo Sanctus, sed vt Dominus totius sanctitatis. Cur verò solam Dei sanctitatem prædicat, non sapientiam, non misericordiam, &c? quia rectè D. Ambros. 3. lib. de Spiritu sancto, cap. 18. Nos quoque, ait, nihil pretiosius inuenimus, quo Deum prædicare possimus, nisi vt Sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius est Deo, inferius est Domino; ergo hinc quoque considerate, vtrùm aliquid sancto Spiritui derogandum sit, cuius nomen, Dei laus est, sic enim laudatur Pater, sic laudatur & Filius, quemadmodum Spiritus nominatur, & laudatur. Ex hoc loco, vt habetur in 5. Synod. Constantinopol. in epistola Cicimani, & Asclepiadis, desumpsit Ecclesia morem in mystis similiter inclamandi, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus. Vt fieret, inquit Chrysost. duplex ex vtraque creatura chorus, Deum laudans, a quo tamen arcendus est peccator, quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Quemadmodum enim, ait, in coronis non satis est, flores esse puros, nisi pura sit & manus eos contexens, sic & in sacris hymnis oportet non verba tantum esse pia, sed etiam animum hymnos concinentem.

*Cælestes spiritus se mutuo excitant ad laudandum Deum.* D. Greg. *Mysterium Trinitatis in clamore ter repetito.* Hieron. Nazianz. *Trinitas, Sancta Sanctorum.* Nicetas. Greg. Mag. 1. Reg. 2. 2. *Deus totius sanctitatis Dominus.* D. Ambrof. *Nihil pretiosius in Deo, quàm sanctitas. Nomen Spiritus sancti, Dei laus est, quo modo ergo ipse non Deus? Ex hoc loco sumptum, vt in solenni Sacro dicatur Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Synod. Constantinop. D. Chrys. *Duplex chorus creaturarum laudantium Deum, vno peccatore excluso. Elegans comparatio de Dei laudibus.*

2\. Quòd verò sequitur, *Plena est omnis terra gloria eius*, significat, ait Hieronym. futuram Trinitatis notitiam in omni terra, quod maximè contigit in lege gratiæ; vt Athanasius ait de Incarnatione Verbi. Nam in lege naturæ perexiguum erat vestigium diuinæ Trinitatis: sicut enim in humano corpore sæpe ex nutu aliquo coniicimus quod quisque intus imaginatur, sola tamen lingua apertè id enunciat: ita licèt in mūdo hoc corporeo quidam quasi nutus essent, ac vestigia Trinitatis, tamen non erat adhuc apta hominum lingua tanto mysterio declarando. Sed nec Ieremias cap. 1. aptum se credidit: nam excusat se dicens, *A, A, A, Domine Deus. Ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ter quidem balbutiendo tribus personis enunciandis ineptum se esse fatetur. Igitur in lege gratiæ cùm Verbum Caro factum est, habuit mundus linguam, quæ dilucidè reconditum mysterium propalauit. Imò cùm ne vna quidem lingua esset in veteri Testamento, quæ hoc præstaret, in nouo cælum igneas linguas super Apostolos pluit, quibus toto orbe diffusa est gloria Trinitatis.

*Trinitatis notitia in omni terra.* Athanaf. *In lege natura solum quidam nutus Trinitatis.* *Ieremias balbutiem prafert in enunciandis tribus personis.* Ierem. 1. 6. *In nouo Testamento lingua pluunt, ad annunciandam Trinitatem.*

3\. Clamores Seraphim adeò erant validi, vt ipsos templi cardines conuellere viderentur. *Et commota sunt*, inquit, *superliminaria cardinum à voce clamantis, & domus repleta est fumo.* Fumus siue nebula, symbolū erat gloriæ Domini, & ad Domini præsentiam solebat excitari, adeò vt ipse fumus vocari videatur aliquando in Scriptura gloria Domini. Hieron. Clamantibus Seraphim, & in tota terra Trinitatis mysterium prædicantibus, quando Passionem Domini terra vniuersa cognouit, statim commotum est siue sublatum liminare templi, & omnes illius cardines conciderunt, impleta Saluatoris voce: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Et domus repleta est fumo.* Quàm pulcher ordo, inquit, postquam terra repleta est gloria Domini, Iudæorum templum impletum est ignorantiæ tenebris, vel certè per fumum monstratur incendium templi futurum; nam Euangelij luce per totum orbem diffusa post duos & quadraginta annos à Passione Domini Ierusalem capta est, templum succensum. Illud certè notandum est, voluisse Deum, vt Propheta, qui nunciaturus esset populi excæcationem ob irreuerentiam & contemptum Dei, specimen quoddam diuinæ gloriæ priùs videret, beatos quoque Spiritus, Dei sanctitatem prædicantes, ipsáque assistendi specie ostendentes, quàm dignus esset, quem terra tota coleret, & quàm dignè plecterentur illi, qui res diuinas irreligiosè tractarent.

*Fumus siue nebula symbolum gloria Dei.* D. Hieron. *Cùm annunciatum est mysterii Trinitatis in tota terra, Iudæoriũ religio corruit.* *Gloria Domini repletur terra, & Iudæorum gens tenebris offunditur. Incendium templi per fumum. Ostenditur reuerentia cælestium spirituum coram Deo, ad confundendos Iudæos.*



# VISIO VNDECIMA,

## DE VIRGA VIGILANTE, ET OLLA SVCCENSA, quam habuit Ieremias.

*Ierem. Cap. 1.*

## PRÆFATIO.

*De Ieremia Vidente.*

*Ieremias, excelsitas Dei, ipso nomine præfigurat Saluatorem.*

1. EREMIAS, idem ac excelsitas Dei, aut extollens Deum, ipso nomine præfigurat Saluatorem: vt Hieronymus ait procemio in eius prophetiam. Natus in Anathoth viculo paruo in sorte Benjamin tribus milliaribus ab Ierusalem. Sacerdotem de Sacerdotibus appellat Hieronymus; filius nempe fuit Helciæ celebris Sacerdotis. Hic ille magnus Helcias, qui octauo anno Iosiæ Regis Iuda librum legis superiorum regum negligentia perditum inuenit, 4. Reg. 22. 8. Prophetare cœpit ab anno 13. Iosiæ Regis Iuda, ter millesimo trecentesimo vigesimo quarto ab orbe condito, Tarquinio Prisco Romanorum Rege, Babyloniorum Nabuchodonosore magno. Sub Iosia vaticinatus est annis decem, ac nouem: sub Ioachas tres menses, sub Ioachim, siue Eliachim annis vndecim, sub Iechonia tribus mensibus: annis vndecim, & (vt Hieronymus ait) quinque mensibus, sub Sedecia quatuor, aut quinque annis Taphinis apud Ægyptios, vbi mox vitam finiuit. Cùm verò puer videlicet quatuordecim (ita coniiciamus) aut quindecim annorum prophetare cœperit: manet, plusquàm vnum, & quadraginta annos prophetasse, vita verò functum propè sexagenarium.

*Ieremias Sacerdos.* *Ieremiæ chronologia.* *4. Reg. 22. 8.* *D. Hieron.*

*Ieremias in matris vtero sanctificatus.* *D. Hieron.* *Virgo fuit, & merito virginitatis seruatus.*

2. In matris vtero sanctificatus est, de quo infrà dicemus. Non solùm autem virginem fuisse, sed & virginitate sua Euangelicum virum dedicasse, testatur D. Hieronymus in eius Prologo; sed & 1. libro contra Iouinianum virginitatis merito tribuit, quòd omnibus in captiuitatem ductis, ac cæteris omnibus, etiam templo, ac oraculo solo æquatis, solus Ieremias non modò seruatus, sed victorum dono stipendiatus sit. Et cùm Nabuchodonosor, ait, A Nabuzardano de Sanctis Sanctorum non præceperit, præcepit tamen de Ieremia seruando. Hoc enim verum templum Dei est, & hæc Sancta Sanctorum, quæ virginitatis puritate Domino consecrantur. Ita D. Hieronymus. Cui B. Ignatius consonat in epistola ad Philadelphiens. Is enim asserit Ieremiam coluisse virginitatem vsque ad fidem, id est, ita exactè ac fidem. Idem sentit Isidor. lib. de vita, & morte Prophetarum, cap. 38. Scio apud Chaldæum paraphrasten scriptum, Ieremiam habuisse filios cap. 37. 11. B vbi sic: *Egressúsque est Ieremias de Ierusalem, vt iret in terram Tribus Benjamin, vt diuideret hæreditatem quam habebat filiis suis.* Verùm vulgata longè aliter: *Egressus est*, inquit, *Ieremias de Ierusalem. vt iret in terram Benjamin, & diuideret ibi possessionem in conspectu ciuium.* Cùm ergo autoritas nostræ vulgatæ pro hac parte stet, & translatio Chaldæa in multis sit deprauata, nec præter Rabbi Salomonem sit autor, qui coniugatum faciat, síntque C autores adeò graues, qui virginem fuisse asserant, ita potiùs sentiendum iudicamus.

*Virginitas, verum templum Dei, & Sanctum Sanctorum.* *B. Ignatius.* *Ieremias virgo vsque ad fidem, id est, ita exactè, ac fidem, seruauit virginitatẽ.* *Isidor.* *Ierem. 37. 11.* *Ieremias non habuit filios.*

*Ieremias tolerantia, & charitate excellens.*

3. Quanuis autem Ieremias omnium virtutum splendoribus sanctitatem suam illustrem fecerit, tamen excelluisse inprimis tolerantiæ laude, & egregia quadam charitate erga ciues suos, notissimum est. Incidit nempe in tempora valde laboriosa, ac summam Reipub. suæ perturbationem non prædixit tantùm, vt Isaias, Oseas, & alij D Prophetæ, sed vidit ac expertus est. Vnde Hieronymus ad cap. Ierem. 25. Pessimo, inquit, tempore, & iam imminente captiuitate prophetare compulsus est, & dura perpeti à populo non credente, propterea & illum omnium Prophetarum πολυπαθέστατον, hoc est, calamitosissimum, appellauit Isidorus Pelusiota, epistola 298. nam cùm peccata populi argueret, ac

*D. Hieron.* *Ieremias calamitosissimus.* *Isid. Pelus.*

ac debitas pro iis pœnas ex mandato Dei prædiceret, omnium, vt fieri solet, in se odia concitabat. Itaque semel percussus alapis est à Præposito templi Phasur, & neruo, carceréve damnatus, Ierem. 20. 2. de quo est illud Hieron. Animaduertenda Prophetæ patientia, quòd missus in carcerem tacet, & silentio vincit iniuriam. Semel item est à Sacerdotibus ac pseudoprophetis reus mortis pronunciatus, cap. 26. 11. Semel missus in cœnosum carcerem, vt ibi moreretur, cap. 38. 6. Denique ab anno Sedeciæ 9. vsque ad 11. iacuit in carcere, vbi dabatur ei torta panis duntaxat. Sed in his omnibus adfuit illi Dominus, ac liberauit eum, vt promiserat cap. 1. *Ego tecum sum, vt eruam te.* Non quo Propheta (ait Hieron.) persecutionibus careat, & angustiis, sed vt patiens omnia superet, nec cedat angustiis. sic ille. Atenim charitatem suam erga ciues, etiam persequentes, etiam inimicos, crebrò pro iis orando testatus est: vnde eius vox illa ad Dominum, cap. 18. 20. *Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.* Fecit hoc non semel viuus, fecisse & mortuum indicauit Onias Pontifex clarissimo duci Machabæo, 2. Machab. 15. 14. cùm visus in somnis est ostendere virum ætate, & gloria, & magni decoris habitudine mirabilem, de quo sic ipse ad Iudam: *Hic est fratrum amator, & populi Israel, hic est qui multum orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate Ieremias Propheta Dei.* Itaque reliquos Prophetas ac Patriarchas suam erga populum charitatem & condolentiam vltra mortem extendisse non legimus, Ieremiæ commiserationem etiam vltra mortem literis sacris contestatam habemus. Vnde, & Sanctos orandos, conuincitur contra Iudæos, ac nostri temporis hæreticos. Quare & Nazianz. Greg. Ieremiam iure pronunciat præ omnibus Prophetis ad commiserationem propensissimum.

*Percussus alapis.* — Ierem. 20. 2. — D. Hier. — *Ieremias silentio vincit iniuriam.* — Ier. 26. 11. — Ierem 38. 6. — *Ieremiam Deus non liberat ab angustiis, sed vt eas libenter ferat, præstat.* Hier. — Ier. 18. 20. — 2. Machab. 15. 14. *Ieremias ostenditur post mortem orare pro suis.* — *Sancti orandi.*

4. Non modò autem viuus, ac mortuus Propheta orationibus suis patriæ salutem procurauit, sed diuinarum rerum (vt decebat Sacerdotem) curam gessit, videlicet arcæ Dei, tabernaculi, altaris, ne scilicet hæc in manus Barbarorum deuenirent, ac despicatui haberentur. Narratur ergo 2. Machab. 2. Ieremiam ex mandato Dei abstulisse arcam è templo, altare thymiamatis, & tabernaculum, & collocauisse hæc in spelunca montis, *in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem:* & ostium speluncæ obstruxisse, vt à nemine inuenirentur, eos autem qui curiosè voluerunt scrutari locum, seuerè repulisse, ac prædixisse locum futurum ignotum, quousque Dominus congregaret congregationem populi, ac reliquiis Israel propitius fieret.

*Ieremias seruat altare, arcã, &c.* — 2. Machab. 2.

5. Dubium igitur inprimis est, quando Ieremias tulerit arcam, &c. num ante trãsmigrationem Iechoniæ, cui persuasit, vt dederet ciuitatem? num post captam vrbem sub Sedecia? Sunt qui velint, capta vrbe sub Sedecia id contigisse, facilè verò impetratum per Ieremiam à Nabuchodonosor, apud quem autoritate, & gratia valebat, vt constat ex cap. Ierem. 39. Verùm probabilius est, contigisse ante transmigrationem Iechoniæ, & ita sentit Epiphanius in vita Ieremiæ. Egit ergo Vates primùm cum Iechonia de deditione, simul autem de auferenda arca, tabernaculo, & altari, ante hostium ingressum in ciuitatem, qui vel vltrò dedita vrbe insolenter se gesserunt. At cùm armorum vi capta est vrbs sub Sedecia, non potuit Ieremias, quantumuis autoritate potens apud Regem Nabuchodonosor, tollere arcam, tabernaculum, & altare, & extra ciuitatem in montibus abscondere. Vnde &

Ierem. 39. — *Tulit arcã, &c. ante transmigrationem Iechonia.*

6. Dubitatur etiam, quomodo potuerit Ieremias, in tanta præsertim perturbatione populi, ac hostium vndique obsidentium aperta vi, arcam, ac prædicta alia exportare. Respondetur primò habuisse Ieremiam ea in re designatos socios, vt ait Lyranus, quorum opera, & industria fieri potuit tutò eiusmodi exportatio. Aliorum tamen, nec à sacro textu abhorrens opinio est, delata hæc fuisse Angelorum opera: nam citato loco dicuntur illa ipsa instrumenta sacra comitata Ieremiam, quousque exiit in montem, in quo Moyses vidit Dei hæreditatem, qui est mons Nebo, vnde Moyses Deo ostendente vidit terram promissionis, antequam moreretur, nec procul inde sepultus est, Deuter. 34. Cùm ergo hæc Ieremiam per se non sunt comitata, & alioqui Vates conscium habere voluerit neminem, probabile est delata per Angelos, etiam nullo homine vidente præter Ieremiam. Modum quo hæc à Propheta abscondita sunt, narrat Epiphanius, & Dorotheus de vitis Prophetarum, refértque D. Thom. precibus Ieremiæ in solidam petram, quæ inter duos montes iacet, absorpta ea, quæ detulerat, ac Dei nomine obsignatam petram nube illico tectam fuisse, vt nemo deinceps locum, aut obsignationem deprehendere potuerit. Nec verò vnde hæc auferenda, nisi cùm omnes gentes adorauerint lignum: specialiter arcam à solo Moyse, tabulas à solo Aarone eruendas. Hæc ferè D. Thomas ex Epiphan.

*Ieremias hæc exportauit adiuuantibus, vel designatis sociis, vel Angelis.* Lyranus. — Deut. 34. *Instrumenta dicuntur comitata Ieremiam, non per se, sed delata per Angelos.* — Epiphan. Doroth. — D. Thom. *Precibus Ieremiæ absorpta sunt in solidam petrã, & Dei nomine obsignata est.* — *Moyses arcã, Aaron tabulas eruet.*

*Huc vsque non sunt reuelata illa instrumenta.* 7. Quidquid autem sit de hoc speciali modo absconsionis arcæ, & tabernaculi Mosaici, illud equidem credo probabilius, non fuisse huc vsque reuelata, ac adeò nec fuisse in templo à Zorobabele instaurato, vt opinatus est Ribera. *Vnde nec fuerunt in templo Zorobabelis. Ribera.* Primò, quia notaretur id 2. Machab. 2. Secundò, quia si arca fuisset in illo templo, inter spolia à Tito delata numeraretur, quod tamen non refertur à Iosepho 7. de bello Iudaico 17. *Iosephus.* imò lib. 6. cap. 6. expresè docet, nihil tunc fuisse intra Sanctum Sanctorum, quin etiam 14. Antiquitatum 8. enumerans diligenter quæ Pompeius in templo viderit, de arca ne verbum fecit. Nec verò ablatam antea per Epiphanem, aut Crassum quis opinabitur; quoniam nec id à Iosepho taceretur, nec omitteretur eorum vasorum mentio 1. Machab. 1. Vnde & hæc tum veterum, tum recentiorum communis est existimatio. Quare rectè colligitur, nec arcam in triumpho Titi fuisse, vt asserit historia Scholastica; nec in arcu triumphali eiusdem Titi expressam Romæ cerni, vt fatetur Ribera; nec primas legis tabulas, ac Cherubinos Mosaicos Pompeium vidisse, vt narrat Egesippus lib. 1. cap. 17. *Egesippus.* Vltimò, nec haberi palàm ex sacris literis, quando arca, & cætera abscondita reuelanda sint, probabile tamen videri, in fine mundi reuelanda, *Probabile, reuelanda esse in fine mundi.* quoniam tunc erit congregatio omnium Iudæorum ad veram fidem Christi, autore Elia & Enoch, qui completam Ieremiæ prophetiam de reuelatione arcæ tunc concionabuntur, ac facilè inducent populum ad cultum veræ arcæ Christi Iesu Domini nostri.

*Ieremias quæ scripserit.* 8. Scripsit Ieremias primùm prophetiam suam excipiente Baruch scriba, ac pro varietate, & difficultate temporum, armatus à Deo est, & constitutus murus æneus, & columna ferrea contra Iudæorum, ac aliarum gentium Principes, vt exprimitur eiusdem prophetiæ 1. varias enim tum verbis, tum rebus calamitates prædixit, inter quas iure numerantur Visiones duæ, quas suscepimus explicandas; quarum prima expressit, vnde captiuitas in populum Israeliticum ingrueret; altera Sedeciæ, & Iechoniæ diuersam fortunam per bonas, & malas ficus demonstratam. Colligunt alij plures alios libros compo-

A fuisse Ieremiam, qui tamen non extant. De styli ratione ita Hieronymus epistola *D. Hier.* 118. Ieremias sermone quidem apud Hebræos Isaiæ, & Oseæ, & quibusdam aliis Prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est, *Ieremias stylo inferior Isaia, sed spiritu par.* quippe qui eodem Spiritu prophetauerit. Porro simplicitas eloquij à loco ei, in quo natus est, accidit: fuit enim Anathotites, qui est vsque hodie viculus, &c. Et in proœmio in sextum librum super Ieremiam; Ieremias, ait, quantùm in verbis simplex videtur, & facilis, tantùm in maiestate sensuum profundissimus

B est.

9. Post captam vrbem iussu Nabuchodonosor eductus de carcere est Ieremias, ac liberè permissum ei, vt quò vellet abiret. *Ieremias post captam vrbem liber dimittitur, sed manet cum suis, vt eos consoletur.* Placuit tamen Vati cum Godolia, ac populi reliquiis permanere, quò illis in tanta calamitate solatio esset. Verùm septimo pòst mense compulsus est cum cæteris fugere in Ægyptum, vbi cùm Taphinis ageret (vt refert Genebrardus in Chronicis) philosophiæ incunabula posuit, secretiore sapientia Hierophantas imbuens. *Philosophiã & secretiorem sapientiam docuit Ægyptios.*


C Eius fama excitati Græci peregrinationes, ac nauigationes multas in Ægyptum susceperunt, & philosophiam post 70. fermè annos in Græciam deriuarunt, ita Genebr. Postea cùm ibidem suis, & Ægyptiis calamitatem prædiceret, quæ postea à Nabuchodonosor illata est, lapidatus à conciuibus occubuit, *Lapidatus in Ægypto occubuit.* vt graues Autores asserunt; Tertullianus in Scorpiaco cap. 8. Epiphanius lib. de vita, & interitu Prophetarum, Dorotheus in Synopsi, Chrysost. homil. *Tertul. Epiphan. Doroth. Chrys. Hier. Autor Imperfect. Isidor.*

D 26. in 11. ad Hebr. Hieronymus in proœmio, Auctor Imperf. op. homil. 41. Isidorus lib. de vita, & morte Sanctorum cap. 38. In Ephre regia Pharaonis sepultum memorant, *In Ephre sepultus.* quò religionis ergò confluunt indigenæ, multis, videlicet, Ieremiæ precibus seruati periculis, maximè à serpentibus, ac crocodilis. Nam solo interdum sepulchri eius puluere vulneribus admoto sanabantur, *Miracula ad sepulchrum Ieremiæ.* vt referunt Epiphanius, Dorotheus, Isidorus. Additque Epiphanius, prædixisse Ieremiam Sacerdotibus Ægyptiis

E fore tempus, quo omnia ipsorum simulacra corruerent, cùm Ægyptum, inquit, ascendet cum suo Infante Virgo enixa Deo similis. *Simulacra Ægypti casura prænũciat tempore Christi.*

ARGV

# ARGVMENTVM CAPITIS I.



*ONTINETVR initio capitis colloquium Domini cum Ieremia excusante se à munere concionandi. Deinde confirmatur ac instruitur ostensa duplici Visione significante malum imminens captiuitatis Babylonicæ. Primùm videt specimen virgæ vigilantis; deinde ollam ab Aquilonari plaga succensam versùs Ierusalem. Quid autem vtroque Viso significare voluerit Deus, statim exponit.*

## CAPVT IEREM. I.

1. VErba Ieremiæ filij Helciæ, de Sacerdotibus, qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. A

2. Quod factum est verbum Domini ad eum in diebus Iosiæ filij Amon Regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius.

B

3. Et factum est in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, vsque ad consummationem vndecimi anni Sedeciæ filij Iosiæ regis Iuda, vsque ad transmigrationem Ierusalem in mense quinto.

4. Et factum est ver bum Domini ad me dicens:

5. Priusquam te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in Gentibus dedi te. C

6. Et dixi, A, a, a, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.

7. Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum: quoniam ad omnia quæ mittam te, ibis: & vniuersa, quæcunque mandauero tibi, loquéris. D

8. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego sum, vt eruam te, dicit Dominus.

9. Et misit Dominus manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me:

10. Ecce

## PARAPHRASIS.

1. *CVm moris sit apud Prophetas, genus suum, ac tempus, quo prophetarunt, quasi titulum operis præfigere, id seruans Ieremias sic prophetiam auspicatur suam: Sermones Ieremiæ filij Helcæ, qui erat de illa Sacerdotum familia, quæ incolebat Anathoth, vrbem ex iis vnam, quæ assignatæ fuerunt filiis Aaron in Tribu Beniamin, non longè à Ierusalem.*

2. *Quos sermones afflante Spiritu sancto edidit. Primùm regnante Iosia filio Amon regis Iudæ, cùm tertiamdecimum regni annum ageret.*

3. *Item regnante Ioacim filio Iosiæ, postea sub Sedecia fratre Ioacim vndecim annis, vsque dum mense Iulio demigrauit Ierusalem in Babylonem, compellente Nabuchodonosor Rege Assyriorum.*

4. *Ille ego sum, qui à Deo primùm vocatus ad officium docendi populum intima cordis aure sic eum ad me loquentem audiui.*

5. *Huc ades, Ieremia, quem ego ante ipsam in vtero formationem, noui peramanter, ac adeò prædestinaui ad gloriam, & antequam in lucem prodires, per gratiæ infusionem sanctum feci, ac muneri concionandi præfeci, non solùm contra Iudæos, sed contra Babylonios, Aegyptios, & alios Ethnicos.*

6. *Tum ego nimiùm demiratus, quòd Deus prouinciam imponeret meis humeris valde imparem. Ah! Domine, ne quæso, ne me huic tanto muneri præficias, nempe puerum, ac planè infantem.*

7. *Dominus autem increpans timiditatem meam: Ne dixeris, inquit, Puer sum, néve tuam causeris infantiam: ibis enim, autore me, ad omnem quò te misero locum, & quidquid prædicandum commendauero, loquéris audacter ad Iudæos, atque Ethnicos.*

8. *Caue timeas eos ad quos te mittam: adero scilicet egomet tibi, & siquid occurret durius, ope mea liberaberis, ne dubita; ego Dominus fidem præsto.*

9. *Hæc postquam Deus interiùs loquutus est mihi, visus deinde humana sub specie quasi appropinquare, ac manu sua contingere linguam meam,*

A *meam, addens hæc insuper:*

10. Ecce dedi verba mea in ore tuo: ecce constitui te hodie super gentes, & super regna.

*10. Ecce constitui te Prophetam, & concionatorem meum. Attende autem animum ad ea quæ dicam. Te ego hodie Superiorem, ac veluti Principem in gentes, ac regna facio, vt interminеris hostibus meis (quos in regionibus suis, ego quasi hortulanus plantaui, collocaui, confirmaui) me, nisi resipuerint, euulsurum illos, per captiuitates varias.*

11. Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. Et factum est verbum Domini ad me, dicens: Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Virgam vigilantem ego video.

*11. Et contrà, me ædificaturum rursus, & plantaturum eos, quos destruxero, si peccata sua agnouerint, ac pœnitendo abiecerint. Tum verò Dominus ad me: Intende oculos, Ieremia: quidnam*
B *nam contrapositum vides? Virgam (dixi) amygdalinam ego video, ac adeo non torpentem, & quietam, sed vigilantem, & quasi vibratam ad percutiendum.*

12. Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.

*12. Optimè, ait Dominus: nam amygdalina virga est, & quidem aptè: nam sicut amygdalus inter omnes arbores festinat ad florescendum, & fructificandum; ita me imperante iam festinat, ac propè adest Rex Assyriorum, ad percutiendam Ierusalem. Neque enim dormitabo, aut conniuebo in erratis eius, sed vigilanter ac festinatò exequar quidquid pœnarum inferen-*
C *dum statui.*

13. Et factum est verbum Domini secundò ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video, & faciem eius à facie Aquilonis.

*13. Et iterum ad me Dominus: Quid vides? Ollam, inquam, ebullientem video, cuius ebullitio ab Aquilone tenditur versùs Ierusalem.*

14. Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur malum super omnes habitatores terræ.

*14. Tum Dominus: Exactè vidisti; nam ab Aquilonari Chaldæa calamitas hæc à me soluta veniet contra incolas Terræ sanctæ.*

15. Quia ecce ego conuocabo omnes cognationes regionum Aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponent vnusquisque solium suum in introitu portarum Ierusalem, & super omnes muros eius in circuitu, & super vniuersas vrbes Iuda.

*15. Accersam enim omnes regnorum Aquilonis familias, & in arma cogam, & postquam in hanc terram peruenerint, ponet vnusquisque tentorium suum ad ingressus portarum Ierusalem, & in omnibus eius per circuitum muris: si-*
D *militer & in cũctis vrbibus Iuda & Benjamin.*

16. Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum, qui dereliquerunt me, & libauerunt Diis alienis, & adorauerunt opus manuum suarum.

*16. Et ibi quasi iudicem agam, ostendámque illis, me iustis de causis pœnas de ipsis sumere, nempe propter omnia scelera eorum: deseruerunt enim me, & thura incenderunt ante aras Deorum alienorum, ac iis honores diuinos tribuerunt, quos humana sciebant arte fabrefactos.*

17. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge; & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: nec enim timere te faciam vultum eorum.

*17. Tu ergo Ieremia præstò ades, ac zona tua præcinctus agilem te promptúmque exhibe; vt loquaris ad eos quidquid mandauero tibi. Ne tu vultus eorum perhorresce, en ego tibi adsum, omnémque à te expellam formidinem.*

18. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ.

E *18. Hodie te fortissimum ope mea reddidi; eris quippe ad illos veluti munitissima ciuitas, quam nulla vis expugnare potest; eris columna ferrea, quam nemo etiam valentissimus mouere queat suo loco; eris murus æneus, quem nullo tormentorum genere quisquam perforare valeat: ídque sibi persuadebunt, nolint, velint, reges Iuda, Principésque & Sacerdotes, & vniuersus populus.*

19. Et

*19. Nam*

19. Et bellabunt aduersùm te, & non præualebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.

19. *Nam te non semel per vim aggredientur, vt tecum collatis quasi signis pugnent, sed nequaquam præualebunt: sentient enim malo suo præsentem in te virtutem meam, atque potentiam, qua & illos longè repellam, & te saluum, incolumémque statuam.*

---

## COMMENTARIVS I.

### *De colloquio Domini cum Ieremia.*

PRimùm, vt Ieremiam excitet ad munus prophetandi, testatur Deus se ob id vnum sanctificasse illum in vtero matris. Is verò suam humiliter causatur infantiam. Dominus os eius manu tangens futuro muneri aptum reddidit. De singulis dicemus.

---

### *De sanctificatione Ieremiæ.*

### SECTIO I.

1. *Minoribus miraculis exercet Deus ad maiora credenda, ex Nysseno Gregorio. Ieremias typus Christi officio, & nomine. Sanctificationem Ieremiæ valde amplificant Origenes, & Bernard.*
2. *Hæretici sanctificationem Ieremiæ negant, sumúntque pro sola destinatione ad munus prædicandi: vsurpatur quidem verbum in ea significatione, sed hic pro vera sanctificatione, per gratiam sumitur communiter à Patribus. Ostenditur loco Psalm. 45. explicatore August. Eadem sanctificatio innuitur verbo noscendi, quod in Deo admistum habet affectum, Amos 3. Nazianzeni locus optimus, alter Nysseni de peculiari efficacia videndi in Deo, illustratur à Ruperto.*
3. *Concionator dono gratiæ præparatus esse debet. Locus Cant. 8. ideo Paul. Rom. 1. gratiam inprimis, postea Apostolatum sortitum se ait, illustratur Nazianzenus.*

1. DISERTE, ac magnificè loquitur Deus de sanctificatione Ieremiæ. Vers. 5. *Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Sanctificare hîc sumi pro sanctum facere per gratiam, existimat Dionys. Carthus. Hugo Card. D. Thom. & alij. Et quidem magnorum miraculorum, quæ in posterum futura prædestinantur, solet Deus fidem præstruere similibus aliis miraculis. Notauit hoc primùm Nyssenus Gregor. homil. de Christi generatione, in Elizabethæ partu. Sterilis, inquit, ac decrepita parit, id quasi præludium fuit miraculi, quòd Virgo paritura erat. Ita minoribus miraculis exercendo fideles, assuefecit ad credendum. Hæc Nyssen. Non aliter sanctificationem Ieremiæ, & electionem eius in Doctorem gentium multi Patres credunt præmisisse Deum in figuram Christi. Vnde Hierony. in Apolog. aduersùs Ruffinum. Ieremias, inquit, in vulua sanctificatur, eligitur, roboratur, & in typo Christi Propheta Gentibus mittitur. Similiter Dorotheus, vt refert Canis. 1. de Maria Deipara, cap. 9. Certè, inquit, nullum puto esse sanctiorem Ieremia, qui Virgo, Propheta, sanctificatúsque in vtero, ipso nomine præfigurat Saluatorem. Ieremias enim significatur Domini excelsus. Sic ibi. Iure ergo celebratur hæc Ieremiæ sanctificatio. Rem nouam (ait Origenes homil. vnica in Ieremiam) & donum nulli veterum concessum adeptus est. Et D. Bernard. in sermon. de excellentia, & sanctitate Baptistæ: Cùm omnes (inquit) in iniquitatibus concepti sint, neminem vnquam mortalium intra materna viscera sanctificatum legimus, præter Ieremiam, & Ioannem Baptistam. Et infrà: Mira res, & à transactis seculis non audita, hominem conceptum in peccatis, nasci sine peccato! Hæc Bern. Similia apud Chrysostomum reperies tom. 1. serm. de Ieremia Propheta, Augustinum, Epiphanium, & alios veteres.

*[Margin: Sanctificare, pro sanctum facere. — Dionys. Carthus. — Hugo Car. — D. Thom. — Quædam maiora miracula, similibus aliis probantur. — Greg. Nyss. — Sanctificatio Ieremiæ in figurã Christi. — D. Hier. — Doroth. — Ieremias ipso nomine præfigurat Christum. — D. Bern. — Ieremias, & Ioannes Baptista sanctificati in vtero. — D. Chrys. — D. Aug. — D. Epiph.]*

2. Et tamen sunt inter hæreticos pessimi quidam Nouatores, qui sanctificationem Ieremiæ in vtero matris negant, solámque hîc electionem ad prædicandum interpretentur, vt idem sit, *Antequam exires de vulua, sanctificaui te,* ac, segregaui te ad officium prædicandi, sicut de se ipso Paulus ait ad Galat. 1. 15. *Qui me segregauit ab vtero matris meæ, vt reuelaret Filium suum in me.* Verùm quidquid illi dicant, præualere debet sanctorum Patrum autoritas, quæ fundamentum habet in ipsa proprietate verbi, *sanctifico*, apud Scripturam sacram. Vsurpatur quidem aliquando pro destinatione ad diuinum seruitium, quidquid interim fit de dono gratiæ interioris. Quod frequenter etiam significatur per verbum, *segregare*, Act. 13. 2. Rom. 1. 1. Sic Christus dixit Ioa. 17. 19. se pro nobis sanctificare, id est, offerre se ad officium Redemptoris. Sic Leuitæ Domino sanctificabantur: quin & de Medis, ac Persis, quos Deus in consilia bellica egerat, vt se per illos de Babyloniis vlcisceretur, ob id tantùm sanctificatos suos vocat, apud Isai. cap. 13. 3. *Ego mandaui sanctificatis meis.* Annotat Strabus, obedientibus meis, quasi mera executione mandatorum, id cognominis assecuturis. Sic autem sumi etiã hoc loco verbum *sanctificare*, probat locus Eccli. 49. 9. de Ieremia, *qui à ventre matris consecratus est Propheta.* Ita sentit Aug. epistola 57. & D. Hier. in commentario. Obiter reiiciendi Origenistæ, qui hoc loco abusi sunt, vt probarent, animos ante corpora extitisse. Item reiiciendus Victorinus, qui quoniam hîc eligitur Vates ad prædicandum Genti

*[Margin: Hæreticorũ opinio de sanctificatione Ieremiæ. — Ad Galat. 1. 15. — Vsurpatur verbum sanctificare, pro segregare ad Dei seruitium. — Isai 13. 3. Obedientia sanctificat. — Eccli. 49. 9. — Reiicitur error Orig. & Victorini.]*

Gentibus, *Prophetam in Gentibus dedi te*, affirmauit Ieremiam hodie viuere, prædicaturúmque Gentibus Euangelium, cùm id nondum fecerit. Nam ex vi literæ destinatur Propheta, vt prædicet Gentium victoriam contra Iudam & Benjamin.

A

Sed est etiam frequens in Scriptura vsurpatio eiusdem verbi ad significandam interiorem sanctificationem, quæ fit per gratiam Spiritus sancti in mentibus fideliũ. Vnum adhuc fuerit exemplum è Psalm. 45. 5. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, sanctificauit tabernaculum suũ Altissimus.* Ad literam enim agit de interiori sanctificatione Ecclesiæ: Græca, & Hebræa pluraliter, *Impetus lætificant.* Vnde August. Ab vno flumine, inquit, Spiritus sancti multi impetus gratiarum, & ij quidem animas fidelium, perinde ac multæ aquarum deductiones, ciuitatem aliquam interluentes, mirificè lætificant. Solent enim vrbes, quas eiusmodi fluenta intersecant, cæteris hilariores esse; quòd verò metaphoricè dixit, statim per pleonasmum proprio vocabulo explicans, addit: *Sanctificauit tabernaculum suum*; quasi idem sit sanctificare, ac spiritualem gratiam infundere. Idcirco & Augustinus addit: Si ergo, inquit, sequitur sanctificationis nomen, manifestum est, fluminis illos impetus de Spiritu sancto esse. Quare cùm Patres in Ieremia sanctificationis vocabulum, quo vtrumque illud significatur, pro interiori etiam effusione gratiæ sumendum statuunt; dubitare iam non licet ex hoc etiam loco haberi, fuisse illum in vtero matris eodem modo sanctificatum.

Psal. 45.

D. August. *Ab vno flumine Spiritus sancti, multi impetus gratiarum.*

B

*Sanctificare, idē ac gratiam infundere.*

C

Idem quoque sanctificationis genus indicatum est priori illo membro: *Priusquam te formarem in vtero, noui te.* Significatur enim non simplex Dei cognitio, sed specialis illa quæ coniunctum habet amoris affectum, de quo Deus ad Israëlitas, Amos 3. 2. *Tantummodo vos cognoui, ex omnibus cognationibus terræ.* Intelligitur enim de cognitione affectuosa, vt iure de populo Israël pronũciauerit Nazianz. æternæ illum prouidentiæ tulisse primitias, id est, optimum illud, quod in diuina prouidentia facilè eminet, videlicet affectus paternos, & specialem curam. Hoc genus cognitionis affectuosæ in Deo sibi vendicant homines pij, nec est vnquam sine speciali communicatione Dei, de qua præclarè dictum à Nazianz. Gregor. de eo, quòd non putandum sit, tres esse Deos. Ex hoc discimus, inquit, specimen Dei in homine, quatenus Deus intelligitur habere peculiarem efficaciam videndi. Ita ille. Nimirum efficaciùs oculos intendens in iustorum animas, sese in eis magis ad viuum exprimit, per gratiam scilicet, qua *efficimur diuinæ consortes naturæ*, 2. Petr. 1. 4. Efficaciam ergo videndi rectè dixit, quia non simplex est apprehensio, sed coniuncta cum effectu gratiæ, & salutis. Quod egregiè declarauit Rupert. Ioan. 6. 5. vbi agitur de miraculo quinque panum ad illa verba: *Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, &c.* Subleuati, inquit, oculi Iesu, fenestræ salutis, & patentes misericordiæ ianuæ, per quas gratia, virtúsque emittitur. Ita Rupert. Et apparet manifestò, qua ratione, videre, & cognoscere Dei, sit gratiam ipsam effundere in piorum animas, vt non solùm sit discrimen inter facultatem videndi in Deo, ac nobis, quòd nostra locupletetur à rebus, diuina locupletet res, sed etiam præsentissima ostendatur eadem locupletatio, vtpote facta sensu omnium citatissimo ad operandum,

*Sanctificatio Ieremiæ, ex speciali & affectuosa Dei cognitione.*

Amos 3. 2.

Nazianz. *Populus Hebræorum æternæ prouidentiæ tulit primitias.*

*Homines pij notitiam affectuosam Dei sibi specialiter vindicant.*

Greg. Nazianz. *Deus efficaciùs oculos intendit in iustos.*

2. Petr. 1.

D

Rupert. Ioan. 6. 5.

E

*Subleuati oculi Iesu, fenestra salutis.*

*Differentia videndi in Deo, & in nobis.*

*Diuina visio locupletat res, & est præsentissima.*

qualis est visus. Vnde rectè addidit Rupertus: Subleuatio oculorum Iesu, miserorum compassio est. Cùm ergo Deus tanquam peculiare quippiam de Ieremia pronunciet, *Priusquam te formarem in vtero, noui te*; manifestum etiam est, hanc specialem cognitionem cum gratia sanctificante coniunctam esse, & ex illa, quasi ex proprio fonte, manare.

3. Accommodatè verò Deus postquam asseruit Ieremiam sibi esse specialiter notum, atque gratum, addidit: *Et Prophetam in Gentibus dedi te.* Oportet ergo, & concionatorem dono gratiæ, & amicitiæ Dei præparatum esse ad munus suum debitè exequendum. Sponsa quidem, Cant. 8. anxie solicita de sorore sua paruula, *Soror nostra*, inquit, *paruula est, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ, quando alloquenda est?* Per sororem paruulam intelligit fideles, qui in via Dei parum adhuc profecere, è quibus optans aliquos in perfectum educere, vt multos quasi filios Deo generent, iure queritur; quòd paruulis doctrinæ vbera non satis intumeant. *Quid ergo faciemus illis, quando alloquendi sunt?* id est, quando sermo habebitur de perfecto eorum statu, id est, idoneo ad spirituales filios doctrinæ suæ lacte nutriendos? Respondet ipsa sibi sub figura ciuitatis sororem inducens: *Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea; si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* Nihil, videlicet, de interioris vrbis, hoc est, hominis, cultu agens, sed tota in exterioribus adornandis, nimirum splendore verborum, & eloquentia, quam significant argentea propugnacula; item odore bonorum operum, expresso per cedrum odoriferam. Quæ duo licèt multum conferant, non tamen præcipuè curanda sunt, sed quæ intus ornant, id est, gratia & amicitia cum Deo. Idcirco respondet soror: *Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem habens*, id est, ab eo iam tempore, quo Deus meis oculis aspexit æquis, ac sibi præsentem ita cognoscendo fecit, summam pacem inter me & illum per infusionem donorum omnium consequuta sum. Mox autem postquam interiora mea ita bene constituit, cœpit me ad aliorum vtilitatem aptè componere, vt murus essem communi defensioni congruus, vberáque haberem instar turrium ob sublimitatem doctrinæ ad procreandos Deo filios spirituales.

*Prædicator cpus est dono gratiæ sit preparatus.*

Cant. 8.

*Soror paruula, fideles qui in via Dei nõ profecerunt.*

*Propugnacula argentea significant eloquẽtiam in Ecclesia.*

*Cedro significatur odor bonorũ operum.*

*Interior sãctificatio principaliùs curanda.*

*Murus ad defendendũ vbera ad generandos filios spirituales.*

Hic est ordo præparandi Deo ministros aptos, vt à gratia, & Dei familiaritate sit principium. Idcirco enim, vt notauit Augustinus, Doctor Gentium se ipsum describens, Roman. 1. 5. ait: *Per quem*, id est, Christum, *accepimus gratiam, & Apostolatum.* Ecce gratiã primo loco posuit, Apostolatum secundo. Sic enim tuba Euangelica (vt rectè notauit Nazianz. in Orat. de Episcopatu Asinorum) aptam reddidit harmoniam, ab interiori homine optimè secundùm Deum composito conuenienter emisso Spiritu; idcirco & Saülis prophetationem in prouerbium irrisorium abiisse ait: quoniam organum prauum, ac dissonum, decorem ac harmoniam reddere nequit. Iure ergo in præsenti, vt de Ieremia Deus pronunciaret illud, *Et Prophetam in Gentibus dedi te*, præmisit: *Priusquam te formarem in vtero, noui te*; cõuenienter autem, non prædicatorem, sed Prophetam dixit; quia vt Propheta sine spiritu prophetiæ constare non potest, ita nec prædicator sine spiritu, & gratia prædicandi. Vnde Chrysost. homil. 19. in Matth. reddens causam, quare Doctores

Ad Rom. 1. 5.

*Paulus gratiam præposuit Apostolatui.*

Nazianz. *Optima harmonia ab interiori homine incipit.*

*Saul prophetans, organũ prauum ac dissonum.*

D. Chrys. *Doctores Christiani dicuntur Prophetæ, quia vncti sunt gratia.*

ctores Christiani Prophetæ dicātur, quia vt Prophetæ, inquit, olim vngebantur, ita Doctores Christianos vngi priùs oportet vnctione gratiæ.

---

## *Quomodo Ieremias sese excusauerit à munere concionandi, & quomodo à Deo confirmatus fuerit.*

### SECTIO II.

1. *A, A, A, interiectio cum admiratione respuentis, non significatio balbutiei detrectatio Ieremiæ grata, quoniam ex humilitate oriebatur. Errores sæpe ex bona radice orti, solent esse grati, ex D. Hieron. ex loco Matth. 9. de cæcis contra præceptum Dei diffamantibus miraculum eius, ex repugnantia Petri in lotione pedum, iuxta Cyrillum Alexand.*
2. *Officium prædicandi res magni ponderis. Optima comparatione id ostenditur a Nazianz. Exaggeratur loco Psal. 67.* Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa; *& explicatur. Et loco Apocal. 15 explicante Ruperto.*
3. *Pollicetur Deus Ieremiæ vires,* Ego tecum sum; *quod explicat Euthymius: ostēdit hoc in Paulo Gregorius Magnus, cuius dicta expenduntur Probatur & à simili Apostolorum confortatione. Ego sum, præsentiam Christi, quatenus Deus est, exprimit.*
4. *Tangit Deus manu sua os Prophetæ, hoc signo externo demonstrans confortationem internā. Locus Bernardi. Ostenditur ex Psal. 73. quid sit, Deum habere in sinu manum? Tactus manus Dei significat potentiæ maiorē efficacitatē adhibitā, illustratur loco Cātic. 5.*
5. *Gratia Dei præbet eminētiam autoritatis, Illustratur ex Ps. 44. de Christi gratia in labiis effusa Euellere, dissipare, & ædificare, significant, bonum Doctorem prius debere dedocere mala, quam doceat bona.*

1\. RENVIT Ieremias oblatum munus, sequitur enim Vers. 6. *Et dixi, A, A, A, Domine Deus: ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Vers. 7. *Et dixit Dominus ad me: Noli dicere, Puer sum,* &c. *quia tecum ego sum.* Quod noster, A, A, A, Hebraice אהה vna dictione, qua more linguæ aliquid cum admiratione respuitur. sicut Ezech. 4. 14. cùm iuberetur Vates comedere panem illum immundum, respondit: *A, a, a, Domine Deus: ecce anima mea non est polluta, & morticinum, & laceratū à bestiis non comedi,* &c. Septuaginta, O, O, eodem sensu. Nō est ergo infantium balbuties, vt ignari idiomatis opinantur, nec verò terna eiusdem literæ repetitio apud vulgatum quidquam habet mysterij, præter communem illam significationem, quanquam non aspernēda, quæ Patres in ea rimantur. Porro hæc diuini præcepti detrectatio, non ex animi peruicacia oritur, sed ex humili verecundia, qualis decebat puerum Ieremiam. Vnde illum Hieron. egregiè testatur, verecundia, ac pudore isto congruentissimè decorari; nā & errores quoque, interest, vnde prodeant, aut quò tendant: nescio enim qua ratione fiat, vt interdum decenter cadant. Propterea duo cæci, Matth. 9. 31. cū à Christo etiam cū interminatione iussi fuerint tacere miraculum, tamen statim *diffamauerunt eū in tota terra illa.* quod cùm ex gratitudine fecerint, haud dubiè gratos habemus: vt iure Theophylactus gratam eorum inobedientiam pronūciet, ex virtute quippe gratitudinis hausit, vt omnium auribus gratè insonaret. Similiter & Petrus Domino ad pedes suos prouoluto, vt sibi lauaret pedes,

*Varia lectio.*

*A, a, a, nō est balbuties, sed interiectio respuentis.*

*Ieremias verecundia decoratus. Errores ex bono affectu, etiam decenter cadunt.* Matth 9. 31.

Theoph. *Cæterum grata inobedientia.*



A obstitit acriter, *Non lauabis mihi pedes in æternum,* Ioan. 13. 8. & tamen communi Patrum sententia, ex humilitate, & reuerentia ergaChristū excusari solet. Vnde Cyrill. Alex. vocat eum reuerenter inobedientem; quare mirum non est, D. Hier. subterfugium hoc a Vate nostro obiectum appellare decoru, ac pulchrum, vtpote natum àverecundia, quæ minori ætati, ait Ambros. ornamento est.

Ioan. 13. 8.

Cyrill. Alex. *Petrus reuerenter inobediens.* D. Hieron. *Subterfugium Ieremiæ pulchrum.*

2\. Augetur maximè decor excusationis ab ipso magni ponderis officio concionandi, quod Ieremiæ pueri imponebatur humeris. Est enim ipsum per se difficillimū: quale (inquit Nazianz. in Apologetico) multarum fidium instrumentum musicū, pluribus simul pulsibus ad harmoniam B percutere. quis enim tot voluntates, quot sunt auditores, concinnabit aptè, ad reddendam Deo conuenientem harmoniam? Longè autem maius est, quod paulò infrà pro eiusdem muneris difficultate exaggeranda subdit, concionatores opifices esse superno mūdo, qui, videlicet, homines eo dignos suæ doctrinæ artificio efformare debeāt. An hæc puerilibus apta sunt humeris, & non potiùs Atlanteos exigūt? Idcirco Psal. 67. 12. dicitur: *Dominus dabit verbū euangelizantibus virtute multa.* In quibus verbis illud primò considerandum occurrit, vocem, *euangelizantibus,* non sine mysterio esse in Hebręo fœminini generis: nimirum vt significetur, quoslibet etiam robustissimos, ac magnitudinis summæ viros, ad opus tamē prædica- C tionis esse imbecilles penitus, ac planè fœminas: quapropter diuina ope, non quidem cōmuni, sed omnino extraordinaria opus habent, vt id muneris debitè præstare possint. Ideo Propheta addit, *virtute multa;* est enim ordo inuersus ita constituendus: *Dominus virtute multa dabit verbū euangelizantibus:* id est, eis suppeditabit multas vires, & magnam fortitudinem ad annūciandum Euangeliū; maior adhuc vis in altera significatione nominis צבא, id est, exercitus, vt sit sensus: *Dominus dabit euāgelizātibus multos exercitus,* quasi dicat: Ita roborabit cōtra hostes visibiles, ac inuisibiles, ac si illos numerosissimis exercitibus circūuallatus D sit. Propterea credo septē Angelos, id est, prædicatores, generaliter de cælesti templo exire, *vestitos lapide mundo, & candido, & præcinctos ad mammillas zonis aureis,* Apoc. 15. 6. quia videlicet è cęlo trahunt conuenientem aduersùs omnis generis hostes armaturam; è templo autem specialiter, id est, loco orationis, quoniam id ipsum crebriùs orando, ac cum superis omnibus ea de re agendo impetrare debēt, nempe, vt lapide vestiti, & præcincti ad māmillas zonis aureis, quidquid foris, aut intus obstiterit, facilè vincant. Vnde Rupertus pulchrè annotat, Bene, inquit, præparati, & præmuniti exeunt, foris cōtra persecutiones lapidei, intus contra tentationes præcincti. Zonis E porro aureis, id est, vinculis charitatis, aut dotiū sapientiæ, quibus pectora, ac adeò corda contingunt, & continent, ne dæmonum insidiis diffluāt ad illicita. Quæ cùm ita sint, quis miretur Ieremiam puerum detrectare prophetandi, seu concionandi munus, ac dicere, *A, A, A, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum?*

D. Athan. *Onus concionandi per se difficillimum.* Nazianz. *Concionari est citharam voluntatum harmonicè percutere. Concionatores sunt opifices superno mundo.* Psal. 67. 12.

*Quilibet etiam robustissimi viri, ad concionādum per se imbecilles. Ope diuina extraordinaria indigent.*

*Exercitibus eos circumroborat Deus.*

Apocal. 15. 6. *Armatura prædicatorū. Quare è tēplo exeunt.*

Rupert. *Foris contra persequutiones lapidei, intus contra tentationes præcincti. Zona aurea, vincula charitatis aut sapientiæ.*

3\. Idcirco Deus detrectantē non reprehendit, sed viriū supplementa pollicitus addit: *Ne timeas à facie eorum, quia ego tecum sum.* quasi dicat: Licèt puer sis, ac adeò nullis ex natura armatus viribus, macte animo esto, tecum ego sum: cooperans, inquit Euthymius, ac impedimenta complanans; vt non interna solùm, ac veluti contubernali,

*Deus Ieremiæ virium supplementa promittit. Deus in concionatore cooperans, ac impedimenta complanans.* Euthym.

sed externa quoque ac planè victrici roborem efficacia. Exhibet huius rei formam viuam in Gentium prædicatore Paulo Gregor. Magn.27. Moral.8.ad illa verba Iob.36.29. *Si volueris extendere nubes quasi tentorium,*&c. Per nubes enim intelligit prædicatores, iuxta illud Isai.60.8. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant?* complutentes, videlicet, terram doctrinæ suæ imbribus? Alludens autem Greg. ad tentoria, siue tabernacula, in quibus olim veteres habitabant, sic de Paulo: Dum catenis, inquit, vinctus Romam peteret occupaturus mundum, latens in eius pectore, quasi sub tentorio ibat Deus, quia & occultus videri non poterat; & per verba prædicationis proditus iter inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. Ita Gregor. Ecce quomodo Paulus, non solùm per naturam, sed etiam ex vinculorum colligatione infirmus, tamē præsente Deo, ac in eius pectore, quasi sub domestico tentorio degente, ibat Romam, inde velut à capite debellaturus mundum. Notanda verò ratio præsentiæ Dei: quia iter, inquit, inchoatæ gratiæ sine cessatione peragebat. Mirum enim videri poterat, quomodo colligatus homo in ipso cursu prædicationis nō præpediebatur vinculis? & tamē ratio admirationem tollit; quia scilicet in eius pectore, tanquam sub tētorio, ibat Deus, non solùm interiora confirmās, sed etiam exteriora complanans, ac adeò, quasi nihil obstaret iter prædicationis, sine cessatione peragebat. Ita prorsus rectè videtur à Deo Ieremias confirmatus pollicitatione illa, *Ego tecum sum.* Ad eum modum quo Apostoli, quando à Christo missi sunt prædicare Euangelium omni creaturæ. Audierunt enim ab eo verbum valde consolatorium, Matth.28.20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Illud, *Ecce*, præsens, & opportunum significat tempus, quasi dicat, simul atque opus fuerit, vobis adero improuisus, &, vt est in prouerbio, Deus è machina, vtque proximè ex Gregorio diximus, è tentorio. At, *ego*, personam diuinam inprimis significat, maximè addito verbo, *sum*, iuxta illud Exod.3.14. *Ego sum, qui sum.* Quod propriè Deo accommodatur, in quo nec præteritum, nec futurum est, sed continuum, ac stabile præsens æternitatis, vt qui Deum sub hac ratione stabilitatis in se recipit, miro quodam modo stabilis & ipse cum Deo reddatur. Vnde grauiter de illo dictum est à Nazianz. Is, inquit, diuinum aliquid sentit, ac his Dei verbis vti potest: *Ego idem sum, & non mutor*, quamobrem nec ab animo suo migrabit, nec immutabitur, fixus in rebus minimè fixis, immotus in incertis ac fluctuantibus. Ita Nazianz.

*Greg. Mag. Iob.36.29. — Isai.60.8. — Doctores nubes sunt, compluentes terram doctrinæ imbribus. — Pectus Pauli, tentorium Christi. — Paulus ibat Romam debellaturus mundum. — Paulus vinctus in itinere, prædicandi non præpediebatur vinculis, & quare. — Matth.28.20. — Ecce, præsens & opportunum tēpus. — Deus è machina, Deus è tentorio. — Ego personā diuinam significat: sū, æternitatem innuit. — Homo coniūctus Deo, immutabilis cum illo redditur. — Nazianz.*

4. Porro autem, quem promissione præsentiæ suæ stabilierat, aliter re ipsa præstat, tangendo os eius. Vnde sequitur: *Et misit Dominus manū suam, & tetigit os meū, & dixit ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo*, &c. Attactus iste diuinę manus, quo Deus initiat Ieremiam, Visione reali cōtigisse videtur, Domino scilicet sub humanæ manus specie tangente os eius, & eo modo expediente ad opus prædicationis: sed per manum significatur potentia Dei, vt verbum Ieremiæ Euāgelizaturo datum intelligatur virtute multa, iuxta sententiā Psal.67.12. de qua suprà, *Misit Dominus manum suam*, non vt corporaliter aliquid faceret: nam illi (vt Bernard. ait serm.4.in Cant.) de sola volūtate celeris ad omnia sufficientia suppetit, sed vt nos corporales intelligere faciat. Dicitur ergo Deus

*Confirmat Deus Vatē attactu manus. — Attactus manus videtur fuisse realis. — Manus, potentia Dei est. — Psal.67.12. — Deo ex sola voluntate celeris est ad omnia sufficientia.*

A mittere manum, cùm potentiam suam ad operādum applicat: quod regius Vates, è sinu manum proferre dixit, Psal.73.11. *Vt quid auertis*, siue desinis (subintellige, proferre) *manum tuam, & dexterā tuam de medio sinu tuo in finem?* Queritur de Deo, quòd non vt olim, signa & mirabilia pro populo faciat; sinum autem intelligit, arcanum essentiæ Dei; quia Deus cùm nō operatur, instar hominis otiosi, in adyto suæ naturæ, quasi in sinu quodā, videtur habere potentiam conditam: cùm verò primò operatur, dicitur mittere, seu educere, veluti è sinu, ad opus efficiendum: id ergo est, *misit Dominus manum suam*: nec aliud indicare potest

B missio, quasi localis, diuinæ manus, quàm progressū potentiæ eius à diuinis illis naturæ penetralibus tāquam à termino à quo, vsque ad opus ipsum, tanquam ad terminum ad quem. At cùm additur, *tetigit os meū*, &c. significatur maiori quodam studio gessisse se Deum in hac applicatione potentiæ suæ circa Ieremiam. Et iure id quidem: nam cùm primò Deus molliùs egisset cum Ieremia, amoris illas blanditias præmittens, *Priusquam te formarem in vtero, noui te*, &c. cùmque resisteret aliquantulùm, ac tergiuersatus infirmitatem opponeret, applicat tunc Deus efficaciùs manum potentiæ suæ tangendo os eius, &c.

*Deus dicitur mittere manū, cùm potentiam suam ad operandum applicat. — Psal.73.11. — Manus Dei in sinu, hoc est, in arcano essentiæ eius, quasi ab opere vacans. — Cùm primò operatur, dicitur educere manum à sinu. — Tactus, significat maius Dei studiū in preparādo Ieremia.*

In quam rem insigne documentum habemus Cant.5.2. quod latiùs explicare iuuat, ob cele-

C brem difficultatem. Intempesta nocte Sponsus in domū Sponsæ venit illa dormiente, quia scilicet Deus sæpe inopinatò animam adit. Anticipat, (inquit Bernard. super Cant.) vigilias nostras, inueniens eum, sed non præueniens. Stans igitur ad fores ait: *Aperi mihi, soror mea, columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Primas claues, ait Nyss. ad aperiendum accommodat, hæc amoris præclara vocabula. Mox addit fortiora; nempe, quæ pro dilecta passus sit: *Caput meū plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* quasi dicat: Aperi mihi per hoc sanguineo rore madefactum caput; per hos cincinnos sanguinem destillantes, guttis noctium;

D illarum scilicet, quas passione sua transegerat Dominus IESVS. Magna hæc ad persuadendum machina. Vnde hos Christi capillos sanguine perfusos magna energia vocaueris illicia cordium. Sed enim, quæ humana est fragilitas, atque ad obediendum Deo torpedo mentium, parum vrbaniter, ac planè dormitans Sponsa, respondet è lecto, causásque non surgendi omnino frigidas ac ineptas obtendit. Rectè enim D.Hieronym. ad Chrysogonum monachum sorores negligentiæ vocauit, excusationes friuolas. *Spoliaui*, inquit, *me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* quàm delicatè, quàm segniter, quàm prorsus frigidè. Ecce, quæ impedimēta Deo vocanti obiicimus. At is nihilo ob id iratior, ineptè contumacem vincit efficacia potentissimæ misericordiæ suæ. Quod sponsa sentiens clamat: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, & contremuerunt omnia viscera mea.* Hebraicum, חור significat id foramen, quo clauis ad aperiendū immittitur. Itaque sponsus, non passus Sponsæ moras, ipse manum per id foramen immittens cœpit amouere pessulum; in quo apparet, quàm potenter, ac misericorditer efficaces electis suis exhibeat gratias, per foramen, per quaslibet occasionum rimulas, sese insinuat; tanta vi autem, vt totus homo interior, amore, dolore, pœnitētia concussus fremat. Vnde sequitur: Surrexi, vt aperirē dilecto meo, mánus meæ stillauerunt myrrham.

*Locus Cant. 5. explicatur latè. — Deus sæpe inopinatè animam adit, & præuenit vigilantem. — D.Bernard. — Prima claues Dei ad cor, est amoris indulgentia. — Nyssen. — Fortiùs pulsat ex passione. — Capilli Christi sanguine madentes, illicia cordiū. — Sponsa parū vrbaniter respondet. — D.Hieron. — Sorores negligentiæ, excusationes friuolæ. — Efficacia gratiæ per quaslibet occasionum rimulas sese insinuat.*

Nequis

Nequis efficacitatem gratiæ in solo diuino impulsu positam astrueret, non dixit, dilectum immissa manu aperuisse fores, sed ad primum attactum, quasi excitantis gratiæ præmotam intus, surrexisse, vt aperire contendenti, cooperaretur ipsa, diuinæ iam gratiæ excitantis præuenta & corroborata dulcedine, & nouo insuper adiuuantis præsidio communita. Cuius signum, illa myrrhæ effusio: nam fingere debemus, Sponsum, dum suam manum, id est, potentiam, charismatum suauitate redundantem, seræ, tarditati amouendæ applicat, perfudisse illam (quò citiùs truderetur) cælesti quasi vnguento: ac adeò Sponsa, dum & ipsa manus admouet operi, eadem illas suauitate ita recepisse delibutas, vt iunctis cū Deo viribus potuerit facilè omnia à sese impedimenta repellere. Hæc autem omnia in vno Ieremia expressa cernimus; vocatur enim primò suauiter, vt diximus, deinde confortatur pollicitatione diuinæ præsentiæ, denique à Deo immissa in os manu tangitur, ac tandem expeditur ad opus concionandi, quod recusabat: nam eo attactu posuit Deus verba sua in ore eius, id est, gratiam, ac spiritum prophetandi. Hæc, & similia sunt vestigia, quæ, si tractabile cor præbemus, relinquit in nobis diuina manus. Vnde illud Irenæi 4. aduersùs hæreses 76. Præsta ei cor tuum molle, ac tractabile, ne induratus amittas vestigia digitorum eius. Sic Irenæus.

*Efficacia gratiæ diuinæ describitur.* *Exemplo Ieremiæ declaratur.* *Quæ vestigia in nobis diuina gratia?* Irenæus.

5. Cætera quæ dicuntur impressæ gratiæ declarant effectus. *Ecce, inquit, constituite hodie super gentes, & super regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* Illud quidem est acceptæ gratiæ cumprimis affine, vt autoritatis, ac potestatis supereminentiam tribuat. *Constitui te super gentes, & regna*, non modò vt superiorem, sed planè vt regem voluntatum. Illustrari res potest illo Psalm. 44. 3. de Christo ad literam: *Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum: accingere gladio tuo super femur tuū potentissime, specie tua, & pulchritudine tua, intende, prosperè procede, & regna.* Encomium à pulchri-

*Effectus impressæ gratiæ.* *Effectus gratiæ, autoritas in operando.* Psal. 44. 3.

A tudine, & ab eloquentia, gratia labiorum Chaldæo, est spiritus prophetiæ, siue doctrinæ, qui spiritus in ipso sermone Christi effusè, pariter, ac potenter elucebat, Luc. 24. 19 *Potens in sermone:* vtpote diuino (ait Abulens.) à Verbo autem Dei; videlicet ab ore Christi, cui Deus Verbum insederat hypostaticè, quomodo non procederent verba spirantia diuinitatem? quare omissis aliis, illa verba vltima bellè quadrant in rem præsentem, *prospere procede, & regna*; propriè ex Hebræo, vehere, inequita, triumphales ascende currus. Gratia quippe concionandi hominem illico cæteris superiorem efficit. Quod apud Hebræos idem erat, ac equo sublimem facere. Vnde illud

*Gratia labiorum, spiritus prophetia, seu doctrina.* Luc. 24. 19. *Ab ore Dei, verba prodeunt spirantia diuinitatem.* Abulens.

B Psal. 65. 12. *Imposuisti homines super capita nostra*, ad literam: Tyrannos, ac duros dominos imposuisti nobis; & ex Hebræo, equitare fecisti super capita nostra, id est, regnare, ex Euthym. Quin & 3. Reg. 1. 38. Salomon, in signum accepti regni, imponitur super mulam patris. Spiritum verò prophetiæ Principes facere, significauit Dauid Psalm. 50. 14. cùm à Deo petiit, *Spiritu principali confirma me.* Timebat, videlicet, ne illum in pœnam adulterij, ac homicidij priuaret gratia prophetandi, ac docendi, ob quam vel solum omnium reputabatur in populo facilè Princeps, & ideo petit confirmationem eius spiritus. Conuenienter autem ad hunc sensum addit: *Docebo iniquos vias tuas, &c.* Est interpretatio Hieronymi ad Psal. citatum, vel autoris eius operis. Sed & illud,

*Gratia concionandi hominem reliquis superiorem facit.* Psal. 65. 12. *Equitare facere apud Hebræos, superiorem reddere.* Euthym. *Signum accepti regni in Salomone fuit, equitatio in mula regis.* 1. Reg. 1. 38. *Spiritus principalis, spiritus prophetiæ.* Psal. 50. 14.

C *vt euellas, & destruas, & ædifices, & plantes*, curam boni doctoris effigiat, qua vt auditores vtiliter possit docere bona, debet eos priùs dedocere mala. Et sunt expressa Augustini verba 4. lib. de doctrina Christiana, vbi Doctores Ecclesiasticos propriè vocat rectæ fidei satores, ac debellatores errorum. Duplicem hunc laborem agnoscit Nazianz. in Apologetico, vbi absolutè pronunciat, facilius esse rudi adhuc animæ, ac instar ceræ nondum signatæ veritates imprimere; quàm conscriptis iam quasi literis, hoc est, pestiferis opinionibus, superducere quæ vera sunt.

*Cura boni doctoris, docere bona, & dedocere mala.* D. August. *Doctores Ecclesiæ, fidei satores, & debellatores errorum.* Nazianz.

## COMMENTARIVS II.

## *De duplici Visione.*

CONfirmatus à Deo Vates ad munus concionandi duplici Visione perspicit ipsam concionis materiam. Primùm enim in virga vigilante instruitur de celeritate diuinæ vltionis: deinde in olla succensa à parte Aquilonis, qualiter, & per quos inferenda sit, agnoscit.

### *De virga vigilante.*

### SECTIO I.

*1. Vnde virga vigilans, quæ in Hebræo dicitur amygdalina? vt significetur celeriter vibrata, sicut amygdalus floret prima omniū, quasi ad id vigilans. Lusit Propheta in nomine, vt alias in Scriptura sunt apta huiusmodi allusiones vocabulorum, ex loco Ioan. 4. Illustrat rem Abbas Rupertus. Similis locus Ecclesiastici 13. ad significandam ætatem festinantem.*

*2. Quomodo Deus, qui tardus dicitur ad puniendum, nunc ad id ipsū vigilare, & prophetare dicatur? Primum est, ad comminationem, vt resipiscant ex more Dei, quod ostēditur. Deinde, quia voluit impedire, ne*

D *vltrà progrederetur malitia sicut in diluuio; vel melius festinat, quia vt filios corripere vult, quos non patitur parens diu esse in peccato. Ratio est, quia virga de se non dicit pœnam euersionis, sed correptionis. Insignis locus Psal. 72. Illustrat Tertullian.*

*3. Sensus moralis. Flagella Dei etsi ad speciē amara, tamen continere summam dulcedinem gloriæ. Psal. 22. Illustratur ab Hieronymo, à D. Bern. ab Augustino.*

1. PRIMVM virgam vigilantem cōsideremus. Vers. 11. *Et factum est verbū Domini ad me, dicēs: Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Virgā vigilantē ego video.* Vers. 12. *Et dixit Dominus ad me: Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciā illud.* Heb. pro, virgam

*Varia lectio.*

*gam vigilantem; virgam ex amygdalo celeriter florẽte.* Septuag. *baculum nuceum.* & pro, *vigilabo; vigilaui.* Theodotio baculum amygdalinum; vigilantem, noster longè pulchriùs, ex proprietate amygdali, quæ prima omnium arborum floret, ipso, scilicet, mense Ianuario, teste Plinio 16. naturalis historiæ 25. Vnde Hebræis nomen, שקד amygdalum significat, à שקד id est, vigilare, autore Hieronymo; quare solus noster expressit elegantem paronomasiam, quæ est in Hebræo bis eodem ferè verbo sub varia significatione repetito; posita enim virga vigilante pro amygdalina, quasi ludens vocabulo concinnè addidit: *Quia vigilabo ego super verbo meo, vt faciam illud.* Et est figura in Scriptura valde frequens; contra criticos concionatorum, quòd nominibus sæpe ludant inter concionandum. Est enim inprimis aptum (si non ostentationis, sed ad salutem alliciendi causa fiat) à vulgari nomine ad mysticum allusionem facere, quale illud Christi ad Samaritanam, Ioan. 4. 13. *Qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Aqua enim priori loco ponitur pro aqua naturali, posteriori pro supernaturali, nempe gratia. Vbi Rupertus: Pulchrè, inquit, diuina sapientia humanæ facundiæ dignatur nunc vti elegantia, dum ab aqua visibili, cuius petitioni se inclinauerat, latens in carne maiestas, metaphoram faciens, mulieris mentem paulatim subleuando ad petendam sancti Spiritus gratiam, leni introductione inuitat. Similes figuras inuenies Daniel. 13. Isai. 25. Philip. 3. & sæpe alibi.

*Noster pulchriùs dixit,* vigilantem virgam.

*Ludit Interpres verbo vigilandi, quod frequens in Scriptura. Nominibus ludere licet inter concionandum, nõ ostentationis causa.* Ioan. 4. 13.

*Christus ex aqua materiali metaphoram facit ad spiritualem.* Rupert. Dan. 13. Isai. 25. Philip. 3.

Virga ergo vigilans, Deo ipso interprete, significat flagellationem celerrimè intentandam in populum rebellem, vt quemadmodum virga amygdalina ad emittendos flores properat, ita flagellum Dei festinare debeat ad plectendos Hierosolymitanos. Intelligitur metaphora per similem illam Eccles. 12. 5. *Florebit,* inquit, *amygdalus,* &c. vbi ad literam sermo est de ætate hominis volubili, quæ citissimè in senectam vergit. Florebit amygdalus. Quasi dicat; rectè viuas oportet: nam opinione citiùs senties te canescere, sicut amygdalus quàm celerrimè floribus candicat. Canos autem rectè dixit Cardinalis Hugo flores mortis, illam, quasi fructum, in propinquo esse denunciantes. Apparet igitur, quàm aptè Deus, celeriter flagellaturus Ierusalem, virgam Ieremiæ vigilantem, siue amygdalinam demonstrauerit: qui enim vigilat, in procinctu est, adeóque virga vigilans est, quæ iamiam vibratur in terga, quasi verò dormierit, cùm à percutiendo cessaret, & certè ita esse, erui potest ex illo Zachar. 13. 7. *Framea suscitare super pastorem meum.* Vbi ad literam Pater æternus percussurus Filium in Passione, gladium intra vaginam veluti dormientem ad feriendum excitat. Framea suscitare. Paratissimam optat (annotauit Rupertus) ac percussioni omnino expeditam; nec enim aliter dici potest vigilare framea, nisi cùm est (vt Poëta loquitur) *stricta, parata neci.* Similis ergo ratio in vigilante virga, quæ ampliùs exaggeratur ex eo quod Deus explicando addidit: *Quia vigilabo ego,* inquit, *super verbo meo, vt faciam illud.* Ad verbum enim ex Hebræo; quia vigil ego ero verbi mei, quasi dicat, non committam illud alterius curæ; qualiscunque enim illa sit, dormitare ac coniuere potest: ego ipse ero vigil; nec verò firmior esse potest executionis promissio. Nam rectè Tertul. in lib. de Trinit. Deum totum oculum dixit; qui totus videt: & alibi Dei oculum somni expertem, quoniam est ipsa lux, vigilia nimirum ex ipso naturæ ordine deputata. Vnde Chrysostom. super epistolam ad Thessalon. sic explicat illud Ioan. 12. 36. *Vt filij lucis sitis;* id est, vt sitis vigilantes, ea scilicet, quæ ad lucem pertinent, facientes. Atque hæc de mysterio virgæ vigilantis.

*Virga vigilans, flagellatio citò intentanda.*

Eccles. 12. 5. *Ætas hominis citò volubilis significatur per florentem amygdalũ. Cani, flores mortis, mors, fructus.*

*Virga vigilans, & dormiens, quid?* Zachar. 13. 7. *Gladius dormiens, & excitatus, apud Zachariam. Excitata framea, paratissima ad feriendum.* Rupert. Virgil.

*Vigilare super verbo, hoc est, vigilanter curare executionem eius.* Tertull.

*Deus totus oculus, quia vigilantissimus. Dei oculus somni expers.* Ioan. 12. 36. *Filij lucis, id est, vigilantes.*

2. Illud fortè scrupulum faciet; quomodo ea, quæ diximus de Deo, ac de virga eius vigilante, cum celebri ipsius conditione conuenire potest: qua semper ad puniendum tardus esse dicitur. Nam propterea (vt Hieronym. non semel) supplicia inferenda denuncians in Scriptura sacra, Dominum se exercituum nominat, vt non celeriter, sed omnino tardè punitutus significetur, vtpote qui molem quasi exercitus ad id priùs mouere debet. Et D. Greg. 11. Moral. 4. ad illa verba Iob. cap. 12. 13. *Ipse habet consilium,* &c. attentè considerans, quomodo sæpe Deus in sacris literis animaduersurus in improbos, consultationes præmittat, Genes. 11. 6. Isai. 6. 8. & alibi. Potest, inquit, consilij nomine ipsa occulti iudicij mora significari, qua aliquando tardiùs delinquentes percutit; non quia eorum culpa non conspicitur, sed vt damnationis sententia, quasi tarda ex consilio prodire videatur. ita Gregor. Quomodo ergo nunc vigilare, ac festinare dicitur, ad exequenda supplicia? Certè enim festinatio hæc ingenium designat ad sæuiendum procliue. Primùm dici potest, esse meram comminationem, nec Deum in hac præcipiti festinatione quicquam aliud velle, quàm vt illi festinanter resipiscant; solent enim, quæ longiùs futura denunciantur, minùs commouere animos, cuius rei insigne documentum innuit Augustinus in quæstionibus super Exodum, ad cap. 32. q. 199. super illa verba Domini ad Moysem de populo, post reatum idololatriæ, *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos.* Dominum hîc ad instar patris se gerere, qui præcipiti se correptum ira fingit erga filium, viderique vult in illum irruere, vt breui discerpat, & tamen teneri gaudet, vt puer solo terrore fugiat, & citò resipiscat. Notandus modus loquendi. *Dimitte me, vt irascatur furor meus.* Nam furor propriè, etiam iuxta vim Hebraicam, significat indignationem grauem, quæ non citò expromitur, vt pote, longa præmeditatione elaboratior. Ita verò (vt Poëta cecinit) furor breuis est, quia breui transit. Vnde illud Psalm. 29. 6. *Ira in indignatione eius,* id est, quanuis indignatio suapte natura diuturnior sit, tamen in Deo, iræ in modum, facilè remittitur: vt non tam indignari, quàm irasci videatur. Cùm ergo Deus ait: *Dimitte me, vt irascatur furor meus,* celeriter se indignari, videri vult, ac subitò totum furorem expromere; re autem vera facilè placandus, vt populus mali præsentia ad speciem vrgentis, faciliùs corrigatur. Addam ad hæc, verba ipsa Augustini. Moyses, inquit, intercessit pro populo, non tamen illum Deus sine flagello disciplinæ dereliquit: nescio enim quomodo, vt sic eos diligeret ipse Moyses, Deus tamen illos occultiùs diligebat, dum manifesta voce terrebat, quia, scilicet, illud, *sine me,* monendo illos dixit, potiùs quàm iubendo. Hæc Augustinus. Nolebat ergo Deus obediri sibi à Moyse, cùm dixit: *Sine me*: nec præceptum illud fuit, sed admonitio populi, & idcirco iure hoc ipsum vocauit flagellum

*Deus se Dominũ exercituum vocat, quia tardus est ad puniendum.* D. Greg. Iob. 12. 13. *Consultationes præmittit ante supplicia, vt tardè inferat.* Genes. 11. 6. Isai. 6. 8.

*Vigilare ad puniendum dicitur Deus ad comminationem.*

D. August. Exod. 32. 10. *Deus ad instar patris sæpe fingit iram præcipitem.*

*Furor, est indignatio grauis, quæ non citò expromitur.*

Psal. 29. 6. *Indignatio in Deo, instar iræ est, quæ citò transit.*

D. August. *Deus manifesta voce terrens,* Dimitte me. *plus amat populũ, quã Moyses.* Sine me, *nõ fuit præceptum, sed admonitio populi.*

*Flagellum disciplinæ, potiùs ad erudiendum quàm ad puniendum.* *Festinata abolitio, summa Dei clementia.* D.Chryſ. *Diluuium citò induxit, quia malitiam detinere voluit.* *Deus puniendo citò, curam peccatoru gerit, & posteris prouidet.*

A lum diſciplinæ, quo ſcilicet docere magis, quàm plectere conabatur.

Aliter reſpondebit aliquis: In peccatores deploratæ malitiæ, quales fortè erant Hieroſolymitani, feſtinatam abolitionem, ſummam eſſe Dei clementiam. Quod quidem egregiè comprobauit Chryſoſt. homil. 26. in cap. 8. Geneſ. ex eo quòd Deus ſtatim in principio mundi vtile diluuium induxit. Cur enim tam citò deleuit, quos non multo ante tanto conſilio, & cura plaſmauerat? Malitiam, inquit, morari voluit, ne vltrà progrederetur, ſic curam eorum geſſit, qui iniquitati vacabant toti, ſed & poſteris prouidit, cum malitiæ fermentum ſuſtulit, ac Magiſtros iniquitatis. Ita Chryſ. Si ergo nulla apud B Hieroſolymitanos ſpes erat correctionis, miſericorditer Deus per virgam vigilantem properat eos de medio tollere, ne peccata peccatis cumulantes grauius apud Inferos crucientur. Verùm quia virga de ſe non dicit extremam perniciem, ſed ſolam flagellationem, & credibile eſt, multos ex illis fuiſſe emendabiles, congruentiùs dicemus feſtinare Deum Hieroſolymitanos flagellare tanquam filios. Prouerb. 3. 11. *Disciplinam Domini ne abiicias, nec deficias cum ab eo argueris: quẽ enim diligit Dominus, corripit; & quasi pater in filio complacet sibi.* Illud, *ne deficias*, idem eſt ac, ne puſillanimis ſias, ne ob id te abiicias, vt ſerui facere ſolent; ſed potiùs gloriare, & excellentem te reputa; tunc enim, vt pulchrè Nazianz. de plaga C grandinis, recepiſti monile ingenuorum. Vnde ſequitur, *& quasi pater in filio complacet sibi*, tanquam legitimum, ac genuinum intima cum delectatione ac gloria agnoſcens. Quòd autem virga vigilante, hoc eſt, feſtinanter, à Deo corripiantur filij, id magis commendat paternam beneuolentiam, quòd in filiorum erratis conniuere non poſſunt. Nam ideo Salomon illud, *Et quasi pater in filio cõplacet sibi*, pro ratione correptionis addidit. Cùm enim Deus pro ſingulari amore filiorum, in illis ſibi complaceat, non poteſt ſimiliter in eis aliquid diu tolerare, quod ſibi diſpliceat.

*Festinat Deus flagellare, tanquã filios.* Prou. 3. 11. *Flagellatio Dei, monile ingenuorũ.* Nazianz. *Cur puniat Deus, quia non patitur diu malum in filio.* *Nota, filiorũ Dei, quòd statim eos puniat.*

Hæc ergo eſt nota filiorum Dei, ob cuius ignorationem Dauid penè aliquando defecerat, D cùm ſe toties, ac tam citò, poſt errata à Deo flagellari videret, impiis interim impunè peccantibus, Pſal. 72. 12. *Ecce*, inquit, *ipsi peccatores, & abundantes in seculo obtinuerunt diuitias; & dixi: Ego sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocentes manus meas; & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis; si dicebam, narrabo sic: Ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.* Arduum videlicet apparebat Dauid, quòd impij proſperè agerent, ſe autem, & corde & opere purum ſingulis diebus à Deo verberari, idque tam feſtinãter poſt quodlibet erratum, vt ſummo manè Dei ſupra ſe flagella ſẽtiret. *Castigatio mea in matutinis.* Vix peccaueram, & ſubita ſtatim flagellatione concutiebar; *si dicebam, narrabo sic.* Hæc ego, vt minùs ſapiens E dicebam: nam ita ratiocinando haud dubiè à numero filiorum Dei ipſum excludebam. *Ecce nationem filiorum Dei reprobaui.* Indignum me ſic loquendo reddebam, qui inter filios Dei numeraret, quos ipſe, quia ſingulariter amat ob leuiores ſæpe culpas, illico corripit, virga videlicet vigilante intentiſſimus, & quaſi excubias agens ad omnes eorum actus. Tertullian. in lib. de patientia. O ſeruum illum beatum, cuius emendationi dominus inſtat, cui dignatur iraſci,

Pſal. 72. 12. *Dauid agrè fert impios prosperè agere, bonos statim puniri à Deo.* *Castigatio in matutinis, hoc est festinata.* *Natio filiorum Dei, qui statim puniuntur.* Tertull. *Beatus seruus, cuius emendationi dominus instat.*



A quem admonendi diſſimulatione non decipit? Ex quibus colligitur, magnum prædeſtinationis argumentum eſſe ſi quis ob reatus ſuos ſtatim à Deo corripiatur. Id enim ſignificat, *Et tanquam pater in filio complacet sibi*, id eſt, quem ipſe ſecundùm beneplacitum ſuum in gloriam prædeſtinauit. E contrario autem magnæ Dei indignationis, ac reprobationis indicium eſſe, ſi impunita hic peccata dimittat. Vnde illud Hieronymi ad Caſtrucium: Magna, inquit, ira eſt, quando peccantibus non iraſcitur Deus. Vnde in Ezechiele ait Dominus ad Ieruſalem: *Iam ampliùs non irascar tibi, zelus meus recessit à te.* Annotat egregiè Bern. Si zelus receſſit, ergo & amor.

*Prædestinationis signũ, illico à Deo castigari.* Hieron. *Magna ira Dei, non punire peccantem.* Ezechi. 16. 42. Hieron. *Si zelus puniendi recessit, simul amor Dei recessit.*

3. Afferam & moralem interpretationem B Hieronymi, Deum non ſine myſterio amygdalinam oſtendiſſe virgam. Nam ſicut amygdalum amariſſimum quidem habet corticem, teſtamque duriſſimam, quibus detractis fructus recipitur ſuauiſſimus: ita flagellationes à Deo miſſas, etſi ad præſens videantur amaræ, ac duræ, in futurum tamen ſummam gloriæ dulcedinem, ac lætitiam parere; ſi æquo animo, & in pœnam peccatorum tollerentur. Pſalm. 22. 4. *Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Metaphora ducta à baculo paſtorali, quo non percutitur ouis, niſi vt in rectam viam dirigatur. Hinc Dauid conſolationem hauriebat in rebus duris, per quas ſciebat, ſe deduci in gloriam. Id enim rectè eſt ab Hieronymo expreſſum; ſcribens enim C ad amicum ægrotum (ſi eius eſt epiſtola) Ad cælum, inquit, Deus militem Chriſtianum vocat, quem comitantibus gloriis preſſuræ deducunt. Rectè igitur ad illud 2. Corinth. 4. 17. *Momentaneum, & leue tribulationis, æternum gloriæ pondus operatur.* Miratur Bernardus, quomodo tanta ſit vnius momenti latitudo, vt in eo latere poſſit æternitas; idque ad virtutem, ac efficaciam tribulationis referendum ait, quatenus habet vim conſolatoriam ex adiuncta gratia. Sed & Auguſtinus conſiderans ſpinas tribulationum ad Pſalm. 52. pulchrè dixit: Quo pungeris, inde naſcitur roſa, qua coroneris. Alluſit ad fruticem, è quo roſæ pullulant, quem ſpinis horridum conſtat, vt tribulationes innueret, vim D quidem pungendi habere; ſed ex illis prodire coronas gloriæ, quibus in perpetuum coronentur fideles. Quidquid ergo durum à Domino propoſitum fuerit, æquo animo ſuſtinendum, ob hanc ſpeciem gloriæ. Ad quod exhortans Bernard. in ſententiis, Doctrinæ Chriſti aſperitatem ſummam (ait) continere dulcedinem; cuius rei gratia citat illud Cant. 4. 11. *Mel & lac sub lingua eius.* Id quidem ait neceſſariò: nam quod in lingua eſt, durum ſonat. Luc. 14. 26. *Qui non odit patrem suum, non potest meus esse discipulus.* Hinc Dauid ait Pſal. 93. 20. *Qui fingis laborem in præcepto.* Ita Bernard. Et rectè quidem confirmauit perfectionem laboris in præcepto. Significauit enim, E quicquid laboris in præceptis Chriſti eſt, comparatione conſolationis abſconditæ, eſſe quid fictum, ac ſolùm vmbra. Longè aliter mundus, & caro, vt rectè aduertit Ambroſ. in Pſalm. 1. de meretrice illa Apocal. 17. 3. quæ calicem aureum geſtat abominatione plenum, quámque ille carnem, ſiue mundanam interpretatur fallaciam. Vt potus placeret, inquit, metalli ſuffragia requiſiuit. Ita ille. Quaſi dicat, artificioſè quidem meretrix; quis enim meram ac nudam abominationem, vel inſanus potat, niſi auri

*Flagellationes Dei etsi ad speciem dura, reipsa suaues sunt.* Pſal. 22. 4. *Virga Dei, baculus pastoralis, non tam vt puniat, quàm vt dirigat.* D.Hieron. *Pressuræ ducunt in cælũ, comitantibus gloriis.* 2. Corint. 4. 17. D.Bern. *Tribulatio ex adiuncta gratia capax æternæ consolationis.* D.Aug. Pſal. 52. *Vt è spinis rosa, sic è tribulationibus oritur consolatio.* D.Bernard. *Asperitas doctrinæ Christi sũmam habet dulcedinem.* Cant. 4. 11. Luc. 14. 26. Pſal. 93. 20. *Labores in præceptis Christi, quidpiam fictum.* D.Ambroſ. Apoc. 17. 4. *Auro fallaciam suam tegit mundus.*

*Vt amaritudines incautiùs hauriant, auro tegit.* specie circundatam? Aureum ergo poculum profert vt miseri latentes intus amaritudines incautiùs hauriant. Contrà verò Deus fingit laborem in præcepto, securus nempe absconditæ dulcedinis, pro qua vna certò scit labores ipsos pro nihilo habendos, tanquam figmenta quædam appostitia. Per hæc autem apparet, quid sit, Deum intentare virgam amygdalinam ad flagellandos Hierosolymitanos, nimirum, vt per breuem amaritudinem ad æternam dulcedinem perducat.

## *De olla succensa.*

### SECTIO II.

1. *Minatur ignem, quia paulatim progreditur à leuioribus suppliciis ad grauiora. Illustratur loco Deuteronom. 32. & loco Nazianz. perelegantì, qui expenditur.*
2. *Olla succensa, hoc est, feruens, quasi ad ignem applicata, & propriè insufflata propter nimiam ebullitionem. Ignis pœna acerbissima declaratur loco Ierem. 29. Nomina senum Susannæ. Obseruatio Lyrani de pœna Achan ad 7. Iosue. Combustio inter quatuor genera capitalium suppliciorum vltimò ponitur, vt acerbissima apud Hebræos; & Christus vltimo loco adhibet gehennam ignis. Probatur idem loco Pauli ad Roman. 10. qui latè expenditur.*
3. *Ignis olla suppositus, ira Dei: olla ebulliens, supplicia effundenda. Similiter ira per ignem significatur, Iob 41. naribus fumat ira. Quare feruere in olla dicantur supplicia, iuxta Theodoretum, Hilarium, & alios.*
4. *Supplicia Dei quasi suopte impetu gestiunt effundi in malos, locus Daniel. 2. Deus flatu misericordiæ temperat iræ suæ feruorem. Locus Genes. 3.*
5. *Ab Aquilone ebullire visa est olla, quia inde exercitus Babylonij iam perstrepebant. Aquilo ventus infamis in Scriptura, & quare, ex Diuo Hieronymo: Auster contrà. Locus Canticorum 4. Aquilo sedes Hæreticorum, ex August.*
6. *Patres in Aquilone sedem diaboli ponunt. Isai. 14. Hieronymo, Ambros. & Bernardo.*

1. POST ostensionem virgæ vigilantis expressiùs declarauit Ieremiæ Deus genus futuræ cladis. Vnde sequitur vers. 13. *Et factum est verbum Domini secundò ad me, dicens: Quid tu vides? Et dixi: Ollam succensam ego video, & faciem eius, à facie Aquilonis.* Vers. 14. *Et dixit Dominus ad me: Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ.* Hebr. pro, *ollam succensam, ollam bullientem*, & pro, *pandetur, soluetur.* Septuaginta, *exardescent mala.* Iam minatur ignes, qui solam priùs virgam intenderat. Habet Deus thesauros iræ apud se, iuxta illud Roman. 2. 5. *Thesaurizas tibi iram in die iræ.* Deut. 32. 34. *Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Loquutus fuerat de variis suppliciorum generibus: significatur autem habere Deũ multos modos, quibus rebelles punit, seu diuitem esse modorum, quibus eos corripiat: eos autem non ex motu iræ simul effundi, sed ex decreti constitutione temperatissima bonitate dispensari, vt egregiè dixit Hilarius ad Psalm. 2. Videlicet, quia quæ in thesauris habentur recondita, pretiosa sunt, ac adeò parcè, & ad libram

*Varia lect.*

*Habet Deus thesauros iræ.* Rom. 2. 5. Deut. 32. 34. *Deus diues modorum, quibus punit.* Hilar. *A thesauris iræ promit, quia parcè punit.*

A prudentiæ dispensantur. Id ergo maximè seruat Deus, vt minora primùm supplicia distringat, nec ad maiora progrediatur, nisi peccatore indurante cor suum. Quod argumentum eleganter prosecutus est Gregor. Theologus consolans Nazianzenos, pro plaga grãdinis. Lenitas, inquit, est ea calamitas, in quam incidimus, plagæque elementa teneram ætatem coërcentis: adhuc iræ fumus, suppliciorum præludium, nondum ignem exurentem sensimus, hoc est, concitatissimam Dei iracundiam, nec succensos carbones, id est, extremas pœnarum acerbitates. Nam pro bonitate sua, semitæ iræ suæ sternit viam, à minoribus incipiens, &c. Ita Gregor. Et sunt verba

B multiplici eruditione plena, quæ doctissimus Nicetas optimè explicat. Nam illud, *plagæ elementa teneram ætatem coërcentis*, comparationem continet: sicut enim præceptor puero elementa primùm tradit, deinde syllabas è multiplicatis elementis; ita Deus primùm per simpliciora supplicia, mox autem, nisi resipiscamus, per multiplicata nos erudit. Præterea quòd ait, *adhuc iræ fumus*, &c. allusio est ad illud Psalm. 17. 9. *Ascendit fumus in ira eius*, id est, leuius quippiam ex ira Dei immissum pro præludio pœnarum; &, *Ignis a facie eius exarsit*, quod Gregor. rectè interpretatur, concitatissimam Dei iracundiam. Carbones succensi sunt ab eo, id est, extrema pernicies, eodem

C interprete. Denique illud, *semita iræ suæ viam sternens*, à Psalm. 77. 50. est id quod Nicetas ait: Deus, inquit, minatur, exprobrat, pœnas intentat, comprimit aliquando se, rursum minatur, ac postremò plagam effundit minoribus, scilicet illis per multiplicationem ampliatis.

2. Non secus autem hoc loco Deus virgam primùm contra Hierosolymitanos vibrat, quasi pueris puerilia intentans verbera: dehinc, vt peccatoribus obstinatis, ollam succensam; quod non ita intelligendum est, quasi ipsa olla visa sit ignita, sed quòd ad ignem fortissimum applicata, feruere vehementer, ac ebullire videretur. Vnde verti posset, *Ollã feruentem, siue bullientem, ego video.*

D Sed nec ista adhuc propria est significatio verbi Hebraici, נפוח. est enim à נפח propriè insufflare, vt germanissima versio sit: Ollam insufflatam ego video, id est, ita bullientem acriter præ ignis suppositi vehementia, vt crebertima desuper insufflatione opus habeat, ne aqua superefluat. Noster sensum potiùs respiciens pleniùs vertit *succensam*, non solùm innuens eo vocabulo, per quandam consequentiam cæteras versiones (olla enim succensa rectè intelligitur ebullire, & insufflari) sed etiam propinquiùs exprimens ignis vim, & per eam figuratè magnitudinem supplicij. Nam ignis in Scriptura sacra adhiberi solet ad exaggerandam afflictionis acerbitatem. Ob-

E seruauit enim Hieronym. ad c. 29. 22. Ieremiæ super illa verba: *Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & Achab, quos frixit Rex Babylonicus in igne*: vbi sermo est de duobus illis senibus Susannæ, quorum ea fuisse nomina tradunt Hebræi; hos autem reuera constat nõ fuisse frixos, sed lapidatos, Daniel. 13. 61. Sed quia pœna lapidationis erat acerbissima, frixionis vocabulo est exaggerata. Idem obseruat Lyran. ad cap. 7. 25. Iosue, de pœna anathematis, quam incurrit Achã. Cùm enim Deus præcepisset, vt quicũque in eo facinore deprehẽsus fuisset, combureretur igne, deprehensus Achan non est combustus, sed lapidatus: videlicet interpretatus est Iosue lapidationis acerbitatem combu

*Minora supplicia prius immittit, postea maiora.* Greg. Naz.

*Minora supplicia, plaga elementa, iræ fumus, &c.*

*Nicetas explicat dictũ Nazianzen.*

*Fumus iræ Dei, leuius quippiam præludium.* Psal. 17. 9. *Ignis, concitatissima Dei iracundia.*

*Dum amplias supplicia, ex semita facit viã latam.*

*Varia lect.*

נפוח. נפח *Olla feruens olla insufflata propter ebullitionem.*

*Ignis in Scriptura, pro acerbitate afflictionis.* D. Hieron. Ierem. 29. 22. Daniel. 13. 61.

*Pœna lapidationis, quia acerbissima, frixione significatur.* Iosue 7. 25. *Lapidatus, pro combustus.*

combustione indicatam à Deo. hinc est, quòd cùm in libro Sanedrim quatuor suppliciorum capitalium genera apud Hebræos vsitata ordine suo numerentur (nempe strangulatio, gladius, lapidatio, combustio) hæc vt extremè acerba vltimo loco adhibeatur, quare Christum cùm pro augméto iniuriæ illatæ auxerit & pœnas, Matth. 5. 22. Vltimo quoque loco, quasi omnium grauissimam, posuit gehennam ignis. Congruit his quòd vstio apud Hebræos deducitur à קוה, quod est torrere, vrere, assare, & semel 10. Iob. 15. ponitur, vbi magna afflictionis exaggeratio est in illis verbis: *Non leuabo caput saturatus afflictione*. Hebr. *combustione*. Vnde illud Pauli ad Rom. 12. 20. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi; hoc enim faciens carbones ignis congeres super caput eius*. De multiplicato scelere inimici interpretatur Theodor. monuerat enim latè in præcedentibus, non esse sumendam vindictam de illis, qui nos offendunt, sed totam eam Deo reseruandam; & quia sciebat rem difficilem se præcipere, exhortationem vrbaniter claudit: Vis inimicum generosè vlcisci, beneficiis prosequere: nimirum hæc vna sunt, ait Theodor. quæ iis, qui in nostra Philosophia exercentur, coronas contexunt: eorum autem, qui iniurias faciunt, pœnas augent. id ergo Apostolus prouerbio, quasi de medio sumpto, probat; hoc enim faciens, inquit, carbones ignis congeres super caput eius. Exures illum, & assabis, docet in hoc non intentionem, sed consequentiam, quasi dicat: Tu ne id intendas, sed profectò ita eueniet, vt quotquot in eum beneficia contuleris, tot dolorum carbones in eum congeras. Vnde sequitur: Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Nam si læsus ab aliquo doleas, & impatienter agas, te ille vicit; si hilariter sustineas, si benefacias, tu vicisti. Nempe idcirco quis te lædit (ait Tertul. in lib. de patientia) vt doleas, quia fructus lædentis in dolore læsi est: ergo cùm fructum eius euerteris non dolendo, ipse doleat necesse est, amissione fructus sui; tunc tu non modò illæsus abibis, quod etiam solum tibi sufficit, sed insuper aduersarij tui & frustratione delectatus, & dolore defensus. Hæc Tertul. Cùm igitur ignis specie tormentorum afflictionisque acerbitas significetur, liquidò iam patet, per ollam succensam idipsum Ieremiæ repræsentatum à Deo.

*Inter supplicia Hebræorum capitalia, vltimo loco ponitur vstio, quia acerbissima.* Matt. 5. 22. קוה. 10. Iob 15. *Iob saturatum afflictione, seu combustione.* ad Rom. 12. 20. Theod. *Vrbaniter Paulus suadet optimum quasi vindictæ genus per combustionẽ.* *Benefaciens malefactori exurit & quasi assat illum.* *Læsus, si doleat, vincitur: si lætatur, vincit.* *Fructus lædentis in dolore læsi est.*

3. Sed fortasse aptiùs interpretabitur, qui per ignem suppositum ollæ significare dixerit, diuinam iram per ollam bullientem supplicia effundenda in Hierosolymitanos. Et quidem iram in Scriptura igne significari solitam, congruenter ad hunc locum exprimitur Iob 41. 11. de ira cacodæmonis. *De naribus*, inquit, *eius procedit fumus, sicut ollæ succensæ, atque ferventis*. Hebræis sedẽ manifestandæ iræ ponebant nares: efferuescit enim ira in corde, tanquam in olla succensa ac per nares fumat, plus minúsve, quo sunt, vel angustiores, vel latiores. Vnde Nahum 1. 3. iuxta Hebræũ dicitur: *Dominus latus naribus*. Noster autem vertit, *Dominus patiens*; & verti posset *longus iris*. Ratio autem est, quia qui latioribus sunt naribus, plus aëris frigidi attrahunt, quo feruor ille cordis temperatior fit. Ex quo sequitur, magnam hic esse exaggerationem diuinæ iræ: nam cùm Deus latus sit naribus, ac adeò natura sua tardior ad irascendum, quòd modò ita quasi ardeat cor eius, vt ollam suppliciorum ebullire faciat, conceptam iram, & eius causas insigniter auget.

*Ignis suppositus ollæ, vindicta Dei: olla ebulliẽs, supplicia effundenda.* *Ignem significatur ira in Scriptura.* Iob. 41. 11. *Hebræis, sedes iræ, nares.* Nahũ 1. 3. *Deus latus naribus, id est, patiens. Quare, qui latioribus sunt naribus, magis patientes sunt.* *Exaggeratio diuinæ iræ.*

Quàm pulchrè autem feruere in olla supplicia dicuntur! Primùm vt iamiam inferenda significentur, quasi opportunè præparata. Quale illud Ezechiel. 21. 9. *Fili hominis Propheta: Gladius, gladius exacutus est, & limatus; iste exacutus est gladius, iste limatus est*. Sermo de clade Ierusalem inferẽda per Babylonios. Theod. interpretatur, expeditam facultatem puniendi. Simile etiam illud Luc. 3. 9. *Iam securis ad radicem arborum posita est*; significat enim, autore Hilario, Chrysost. Theod. propediem diuina sententia præcindendos, ac remouendos Iudæos à radice sua, id est, Abrahamo, de cuius cognatione inutiliter gloriabantur.

*Supplicia aptè feruere dicuntur, quasi iã apta effundi.* Ezech. 21. 9. Theod. Luc. 3. 9. *Gladius exacutus, id est, expedita facultas puniendi.* *Securis ad radicem, id est, ira Dei districta & immissa.*

4. Igitur pari modo hîc ad terrorem instantis pœnæ, ostenditur olla feruens, quasi ita moneat Deus: Resipiscite, iam enim olla feruet effundenda illico ad vos excalfaciendos. Augebitur autem vis comminationis (si vera est Hebræorum obseruatio circa significationem verbi *napach*) aiunt enim esse non modò feruere, sed præ vi feruoris iamiam disrumpi, vt proiiciat aquam, quasi ipsamet supplicia suopte impetũ, ac sine impulsore gestiant in malos effundi; apertè id ostendi potest illo Daniel. 2. 45. quòd *lapis abscissus est de monte sine manibus*, ac statuam illam magnam & multiformem comminuit, ac redegit in puluerem. Nam statua quidem aureo capite, argenteo pectore, ventre & cruribus æneis, tibiis ferreis, pedibus partim ferreis, partim luteis, varia mundi imperia priora, ac peiora olim futura præmonstrabat, vltimum verò, vel ob id omnium pessimum, quòd sæuitiæ, ac tyrannidi per ferrum designatæ abiectissima quoque vitia, quorum terra est symbolum coniungens in vnum, id effecit, vt è cæli cacumine saxum diuini supplicij diu, quasi decidere gestiens ob peccata prouocantia, visum propterea sit veluti sine manibus labi in illud, ac totam statuæ molem comminuere. Hinc ergo rectè exaggeratur suppliciorum diuinorum quasi innata procliuitas ad opprimendos peccatores, vt mirum non sit, sub aquæ feruentis specie, ollam quasi diuinæ Iustitiæ disrumpere, vt in vrbem peccatricem effundantur; præteriri tamen non debet lectio illa, quam suprà annotauimus in voce *napach*, vt propriè significet *insufflatam*; ostendátque à posteriori ipsius feruoris vehementiam, vtpote quam frequenti afflatu reprimere necesse sit; ostenditur enim magna quædam species diuinæ misericordiæ cum iustitiæ rigore egregiè copulata; quantumuis enim ardeat diuina ira, ac intra illam supplicia ferueant, semper tamen Deus lenissimo misericordiæ suæ flatu feruorem temperat. Exemplo fuerit id quod Genes. 3. 8. narratur. Nam cùm Deus post peccatum Adæ tanquam Iudex (est enim in Hebræo, *Iehouah, Elohim*) sententiam mortis in eum laturus paradisum intraret, dicitur ambulantis speciẽ *ad auram post meridiem* quæsiuisse illum ad iudicium: nam quòd ad auram post meridiem ambulauerit, mysterio vacare non potest. quasi ergo iusta ira inflammatus Iudex, ardoris tamen refrigeria quærit ex aura misericordiæ, cuius effectus ambulatione probatur. Nam qui præ iræ incendio rapi in Adamum debuisset, afflatu misericordiæ redditur temperatior, vt cursum vertat in quietissimam deambulationem, qua longior Adamo fiat ad resipiscendum facultas.

*Ad terrorem ostẽditur olla feruens.* *Obseruatio Hebræorum circa verbũ napach, quod sit disrumpi præ feruore.* *Supplicia gestiunt in malos effundi.* Daniel. 2. 45. *Statua Nabuchodonosor, varia mundi imperia priora & peiora.* *Tyrãnis immissa turpissimis vitiis.* *Saxum sine manibus cadens, supplicium suopte pondere ruens.* *Insufflatio significat vehementiã feruoris à posteriori.* *Insufflatio, species diuinæ misericordiæ.* Gen. 3. 8. *Ambulat Deus ad auram iudicaturus Adã, vt misericordiæ flatu tẽperet irã.*

5. Vnde autem plaga hæc prouentura esset in

*A facie Aquilonis, quia inde ebulliebat olla.* Hierosolymitanos, declarauit Vates cùm dixit: *Et facies eius à facie Aquilonis.* Faciem ollæ intelligit ebullitionem ipsam, siue plagæ feruoré, qui quidem visus est à facie Aquilonis versùs Ierusalem agitari, rectè seruata similitudine feruétis ollæ, quæ à parte ignis ebullitiones proiicit in partem oppositam. *Ratio similitudinis.* Ignis enim diuinæ iræ, in Aquilonari parte succensus excitabat iam, commouebátque Chaldæos ad inferendum bellum contra Ierusalem. Vnde sequitur, *Et dixit Dominus: Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ*, intellige, Hierosolymitanæ. *Aquilo ventus infamis in Scriptura, & quare.* Aquilo, ventus infamis in Scriptura; maximè quia (vt Hieronymus sæpe annotat) ab ea plaga, vnde flat, communes hostes Hebræorum, Assyrij, ac Babylonij bella mouebant. Allusio quoque est ad naturam venti, qui frigidissimus cùm sit, vniuersim noxius esse solet. *Auster natura calidus & genitalis.* Sicut Auster, quia natura calidus, ac genitalis, gratissimus est, vtilissimúsque segetibus. Hinc Sponsus Cant. 4. 16. *Cant. 4. 16.* postquam Sponsam horto similem affirmauit, quasi omnia illi prospera optans, aduersáque amouens, dixit: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata eius.* *Aquilo hæreses significat.* Quo significatur, iubere Christum hæreses secedere ab Ecclesia sua, ne pestifero doctrinæ afflatu fideles adurant (congruenter enim Augustinus Aquilonem sedem vocauit hæreticorum, *D. Aug.* *Aquilo sedes hæreticorũ, maximè hodie.* hodiéque id euidenter apparet, constat enim eos ibi per vtrãque Germaniam, Angliámque impunè grassari) *Auster significat Spiritum sanctum.* Austrum verò, id est, Spiritum sanctum mittere, qui continenter foueat fidelium mentes. Augustinus verò eundem locum sic interpretatur in epist. 20. ad Honoratum. Diabolus, inquit, & Angeli eius, à luce, atque feruore charitatis auersi, & nimis in superbiam, inuidiámque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt, & ideo per figuram tanquam in Aquilone ponuntur. *Quare diabolus dicatur habitare in Aquilone.* Vnde cùm generi humano diabolus incubaret, ventura gratia Saluatoris dicit in Canticis, *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata eius.* Exurge, qui irruisti, qui subditis incumbis, vt à tuo pondere releuati erigantur: & veni Auster, inquit, spiritum inuocans gratiæ flantem de Meridie, velut à parte feruida, & luminosa, vt fluant aromata, & Christi bonus odor sumus in omni loco. *Spiritus gratia à Meridie flat, velut à parte feruida & luminosa.* Hæc August. Quin & ab Aquilone creditur venturus Antichristus, quò alludens Ambros. lib. de Salomone cap. 4. inquit: *D. Ambros.* Nobis Aquilo nocere non potest, quanuis inde sint Antichristi violenta fabra ventura, sicut scriptum est, ex Aquilone exardescent mala.


6. Hinc est quòd Patres diaboli, ac peccatorum sedes in Aquilone ponunt, quasi inde in nostram perniciem irruptiones faciant. Vnde illud Isai. 14. 31. *Ab Aquilone fumus venit, & non est qui effugiet agmen eius.* *Isai. 14. 31.* Literaliter, significantur indicia cladis futuræ per Babylonios. *Fumus, indicia cladis futuræ.* Moraliter, fumus iste (ait Hieronym.) *D. Hier.* ardentibus diaboli iaculis suscitatur, noxius oculis, contrarius lumini, atque ab Aquilone oritur, vnde exardescunt mala super omnes habitatores terræ. Sed & illud Ps. 47. 3. *Mõs Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.* *Ps. 47. 3.* quod literaliter non est aliud, quàm ciuitatis Hierusalem præcipuas partes esse, Meridionalem, in qua mons Sion, & Aquilonarem quæ à monte Sion per planiciem tendebatur. *Ierusalem duæ præcipuæ partes, Meridionalis, & Aquilonaris.* Allegoricè Ambrosio Ecclesiam significat, quæ etiam ex peccatoribus conflata est; *Ecclesia ex iustis & peccatoribus.* Vt qui antea, inquit, erant latera Aquilonis, id est, inhærentes diabolo, vt cum illo pariter aspirarent, nunc magni regis ciues sint. *Mali, latera diaboli, quia cum illo spirant.* Hinc est etiam quod Bernard. serm. 63. in Cantic. teneram virtutem, diabolum, ait, infestare solitum inuidiæ vstione, sic enim ad nouitios suos: *D. Bern.* Vstionem certè metuo floribus, Aquilo mihi suspectus est, & frigora matutina, quæ tempestiuos flores perdere solent, & fructus præripere. *Nouitiis vstio timenda ab Aquilone frigida.* Itaque ab Aquilone panditur vestrum malum: à facie frigoris eius quis sustinebit? hoc frigus si semel animam, animæque (vt assolet) incuria spiritu dormitante, peruaserit, ac descenderit in viscera cordis, & sinum mentis, mox subit quidam omnia rigor, & rigor lentescit, deferuescit nouitius feruor, &c. Ita Bern. Flos nouella conuersatio est, flos formula recens vitæ emendatoris. ibidem. *Flos nouella conuersatio.*

# VISIO DVODECIMA,

## DE DVOBVS CALATHIS.

### *Ieremiæ 24.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.



*EREMIAS proposita Visione ostendit meliùs actum iri cum Iechonia, & reliquis exulibus, quàm cum Sedecia, & cæteris, qui remanserant in Hierusalem. Videt duos calathos ante templum positos, alterum optimis plenum ficis, alterum pessimis: in illo exprimi Iechoniam cum sociis transmigrationis, quos Deus vt rem optimam, ac sibi gratissimam in suam tutelam recepturus est: in hoc autem Sedeciam cum populo suo, qui Deo abominabilis, ac ob id multis cladibus in posterum affligendus prædicitur.*

CAPVT

A

CAPVT XXIV.

1. Ostendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templũ Domini, postquam transtulit Nabuchodonosor Rex Babylonis Iechoniam filium Ioacim Regem Iuda, & Principes eius, & fabrum, & inclusorem de Ierusalem, & adduxit eos in Babylonem.

2. Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solent ficus esse primi temporis. Et calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent malæ.

3. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Ieremia? Et dixi: Ficus, ficus bonas, bonas valde: & malas, malas valde; quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ.

4. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

5. Hæc dicit Dominus Deus Israël: Sicut ficus hæ bonæ: sic cognoscam transmigrationem Iuda, quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum.

6. Et ponam oculos meos super eos ad placandum: & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos, & non destruam; & plantabo eos, & non euellam.

7. Et dabo eis cor vt sciant me, quia ego sum Dominus. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, quia reuertentur ad me in toto corde suo.

8. Et sicut ficus pessimæ, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: hæc dicit Dominus: sic dabo Sedeciam regem Iuda, & Principes eius, & reliquos de Ierusalem, qui remanserunt in vrbe hac, & qui habitant in terra Ægypti.

9. Et dabo eos in vexationem, afflictionémque omnibus regnis terræ: in opprobrium,

PARAPHRASIS.

1. *Dominus Deus (quo imperante suasi Iechoniæ Regi, vt traderet vrbem Babylonis, ob quam causam me proditorem patriæ, ac perduellem vocat Rex Sedecias, & reliqui in vrbe superstites) ostendit mihi, quàm ægrè ferat eorum aduersùm me calumnias, ac illas verè in se ipsum recidentes, vlcisci deliberatum habeat. Duplici autem Visione demonstrauit, meliùs actum cum Iechonia, ac cæteris, qui captiui ducti sunt in Babylonem, quàm cum Sedecia, & aliis in vrbe remanentibus. Post eam igitur deditionem, quam mihi exprobratis, & post translatum in Babylonem imperante Nabuchodonosor Iechoniam Regem, ac omnes Principes aulicos, & ex artificibus terræ, architectos machinarum bellicarum, & castrametandi peritos. Duplex ergo mihi Visio exhibita est à Domino, quam videbar mihi intueri ante ipsas templi valuas, inter fructus alios, qui ad fores templi pro oblationibus vendebantur.*

B

2. *Vidi primùm corbem vnum ficuum optimarum, quales sunt ficus præcoces, laudatæ suauitatis: deinde alterum, qui continebat ficus vehementer malas, quæ præ austeritate edi non possent.*

C

3. *Dominus autem occasionem captans explicandæ Visionis, interrogauit me: Quid vides, Ieremia? Et respondi: Ficus video in duobus calathis; has quidem optimas, illas verò pessimas.*

4. *Tum Dominus sic orationem exorsus est:*

5. *Dices meo nomine ad Sedeciam, ac reliquum populum rebellem: Vt ficus istæ suaues sunt, & illas pro talibus habeo, sic agnosco pro bonis, captiuos, qui cum Iechonia rege abducti sunt in Babylonem.*

D

6. *Et iuxta hanc meam benignam notitiam bene illis faciam. Itaque intendam oculos meos fauore plenos, ac placabiles, & restituam eos patriæ tuæ, ac sedes stabiles dabo, liberísque, & opibus augebo illos, nec ampliùs exterminabo.*

7. *Quin & voluntates eorum emolliam, & mentes dirigam, vt me Deum ac Dominum suum agnoscant, & venerentur: fíetque, vt illi se mihi populum exhibeant obsequentissimum; & ego illis vicissim Deum, ac parentem indulgentissimum, quia non ficto ac simulato animo, sed vero, ac syncero studia sua ad me flectent.*

E

8. *Præterea sicut ficus illæ vehementer malæ esui sunt inutiles, eò quòd sint saporis inamœni: sic efficiam appareat in Sedecia rege Iudæ, Principibus eius, ac reliquo populo, qui eius & sententiæ, & moribus adhærent, siue in hac vrbe agant, siue in Aegypto, quò se metu Chaldæorum contulerunt.*

9. *Enimuero dimittam illos, vt apud exteras nationes exulent, vbi miseram diuexationem,*

brium,& in parabolam, & in prouerbium, & in maledictionem in vniuersis locis, ad quæ eiecit eos.

*nem, & afflictionem humeris incumbentem excutere nequeant. Ob quam cladem reges externorum regnorum concutientur metu, hærentes, ne talia quoque ipsis, & eorum populis aliquando contingant. Itaque ob hæc infelices malè audient inter alienigenas, quòd Deum suum deseruerint. Erunt & parabolæ loco apud exteros populos; nimirum dicent, de calamitoso aliquo: Miserior est Iudæo. Erunt etiam pro fabula, quia de eorum calamitate quotidiani erunt sermones apud omnes homines: erunt denique pro maledictione; nempe, cùm exteri volent malè precari alicui, dicent: Contingat illi, vt Sedeciæ Regi Iuda, & suis.*

10. Et mittam in eis gladium, & famē, & pestem: donec consumantur de terra, quam dedi eis, & patribus eorum.

10. *Immittam ergo tria maxima mala ad eos perdendos, & eradicandos de terra hac sua, videlicet bella, famem, pestem.*

---

## COMMENTARIVS I.

HÆc Visio breuiter expedietur: nam quæ illi annexa in contextu sunt, nihil continēt præter nudam historiam, quæ per se clara est. Primùm ergo dicemus de significatione duorum calathorum simul: mox de significatione prioris calathi: denique de significatione posterioris, & cursim attexemus necessaria tantùm ex ipsa historia.

---

### *De significatione duorum calathorum.*

### SECTIO I.

1. *Quare per ficos intelligantur homines, ex Augustino, Ambros. & Hieronymo.*
2. *Ante templum cur visi sint calathi? Proponebantur plurimi ante templum fructus venales, &, vt assolet, boni & mali, vt probaretur deuotio singulorum, illustratur oblatione Cain, & Abel, Genes. 4.*
3. *Malos, & bonos præsentes esse Deo, sed ad diuersos euentus, ex Psalm. 10 Locus expenditur. Item Psal. 138. Locus Iob. 28. In fine cuiusque totus cardo vertitur, & eum quasi solum Deus considerat. Lapides caliginis quid in Iob, ex D. Gregor. Mag.*
4. *Non externas cæremonias, sed intentiones præcipuè inspiciendas, exemplo Pharisæi & Publicani. Theophyl. Item vidua Euangelicæ mittentis duo minuta. Illustrat D. Chrysostomus, Locus Isaiæ 1. de modo deferendi oblationes. Explicat Caietanus. Illustrat Irenæus præclara sententia, & Nazianzenus optima historia.*

*Varia lectio. Quare per ficus significentur homines.*

*D. Aug. Ficulnea foliis, quibus se texit Adam, cognatio hominis cum ficu.*

1. PRIMVM duos sibi calathos in Visione monstratos affirmat Vates. Vers. 1. *Ostendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templū Domini.* Hebr. pro, *duo calathi; duo canistra.* Per ficos significari homines Hebrææ gentis, communis est expositio Doctorum. Sed primùm quæri potest, quare per ficus intelligantur homines? D. August. multis in locis, maximè serm. 31. de verbis Domini secundùm Lucam: Ab eo iam tempore, quo primus homo post peccatum foliis se ficulneæ texit, humanum genus, ait, similitudinis cum ficu induisse cognationem. idcirco & Ambros. lib. de paradiso cap. 13. ponderans, quomodo Adam foliis ficus lumbos succinxit: in posteros eius vestem peccatricem ex arbore ficu transmittendam interpretatur, vt quasi ficu, id est, peccato induti, seu peccatores, nascerentur. Propterea & Christus Dominus Matth. 21. 19. cùm esuriret in itinere, accedens ad ficulneam, vt ex fructu eius comederet, non inueniens maledixit ei: *Nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum.* Et tamen notat Marcus 11. 13. quasi arborem excusans, tempus tunc non fuisse ficorum: nam constat euenisse id vndecimo die Martij. Magna ergo quæstio est, quare Christus ficui, quæ tunc non poterat, nec verò tenebatur, vt fructum præberet, maledixerit? Item quare ad eam accesserit quærens fructum, cùm tamen optimè sciret nullum in ea esse fructum? Placet nunc interpretatio Hieronymi: Christum significasse, homines se in illa ficu per similitudinem quæsiuisse; indignatum verò iure optimo contra spirituales ficus, id est, homines, quòd fructum bonorum operum non haberent: hoc enim inter arbores, hominésque differt; quòd arbores natura sua non nisi certo tempore fructum ferre debent, homines verò debent toto vitæ suæ tempore bene facere: tota enim vita nostra, est æstas, tota debet esse frugifera, nec quicquam nos nisi voluntas steriles facit. Cùm ergo tam antiqua sit hominis cum ficu affinitas, mirum non est Ieremiæ sub specie ficorum monstratos Hierosolymitanos.

*D. Ambr. Adam texit lumbos ficulnea foliis, vt in posteros transfunderet peccatricem vestem.*

Matt. 21. 10.

Marc. 11. 13.

*Quare Christus maledixit ficui extra tempus ficorum?*

Hier. *Christus homines in ficu quæsiuit, & sine fructu operum inuenisse indignatur.*

*Homines debent toto tempore vitæ fructus ferre.*

*Tota vita nostra est æstas, ac ideo debet esse frugifera.*

*Sola voluntas nos steriles facit.*

2. Cur autem calathi ficorum visi sunt ante templum? Ratio literalis esse potest, quoniam in atrio templi varia genera fructuum vendebantur, vt populus haberet in promptu quæ offerret Domino, ante quem nemo vacuus apparere poterat, Exod. 23. 15. Verùm, quia alter calathus visus est habere pessimas ficus, ac adeò ineptas, vt Deo

*Calathi ficorum ante templū, quia ibi vendebantur fructus offerēdi.*

Exod. 23. 15. *Mali & boni fructus vendebatur, vt libera esset offerendi potestas, ac adeò deuotio.* D.Chrys. *Post exhibitam abundantiam expectat Deus gratitudinē.* Gen. 4. 5.

Deo offerri possent, id quoque videtur desumptum ex eo, quod ferebat vsus, vt mali quoque fructus venundarentur, libera vt esset offerendi potestas, ac adeò deuotionis bene, vel malè exhibendæ occasio. Sic enim Abel, & Cain, in variarum rerum, quas possidebant, copia constituti sunt à Deo, ac adeò in libertate, vt ex iis, quæ mallent, bona, vel mala eligerent, quæ Deo offerrent. Vnde Chrysostomus, Post exhibitam, inquit, rerum abundantiam, eorum Dominus expectabat gratitudinem. Atque hoc est, quod idem Dominus iuxta versionem Septuaginta, postquam Abel ex primogenitis obtulit: Cain verò de frugibus terræ, ad Cain iratum, quòd in eius munera non respexisset, Genes. 4. 5. ait: *Nónne si rectè obtuleris, rectè autem non diuiseris, peccasti?* Vbi diuidere pro discernere bona à malis sumit Aug. in quæst. super Gen. Malè ergo dicitur diuisisse Cain, quia nullo delectu aut discretione præhabita, sed temere, & quasi obuia illa de frugibus terræ obtulit: cùm tamen Abel optimè diuisis rebus suis, è primogenitis gregis adhuc diuisis, elegerit adipes, id est, meliora, quæ offerret Deo. Malè ergo, inquit Ambros. 2. de Cain 6. diuisit Cain, quia non primitiua detulit, sed posteriora. Pari ergo ratione ante templum omnis generis fructus proponebantur, & Dominus inde quasi explorabat deuotionem offerentium.

*Diuidere, pro discernere bona à malis.* D.August. *Malè diuisit Cain, quia sine delectu obtulit obuia quæque: Abel è primogenitis, obtulit adipes, id est, optima.* D.Ambr.

3. Verùm cùm per ficus bonas, & malas, boni sub Iechonia, malique sub Sedecia intelligantur, visos fuisse simul prædictos calathos ante templum Domini, significatur, malos pariter atque bonos præsentes esse Deo, sed in dispares euentus, Psal. 10. 5. *Palpebræ eius interrogant filios hominum: Dominus interrogat iustum & impium.* Et sequitur: *Pluet super peccatores laqueos ignis*, &c. *Iustus Dominus iustitias dilexit.* Significatur exacta Dei cognitio circa opera hominum, qualis illa solet esse apud nos, quæ post crebras ac exquisitiores interrogationes comparatur. Palpebris autem interrogat, autore Euthymio, quia etsi conniuere videatur in eorum factis, non desinit tamen omnia perfectè agnoscere, ac si diligenter de singulis exquirat. Vnde sequitur: *Dominus interrogat iustum, & impium.* quasi dicat: Nihilominus distinctissimè omnia per interpositas palpebras penetrat, vt separatos hinc iustos, inde impios coram se videat, suóque tempore hos quidem puniat omni tormentorum genere, illos amicè recipiat in beatitudinem. Similiter Psalm. 138. 16. *In libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis: mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus.* Librum omnes intelligunt diuinam notitiam, cui omnes siue boni, siue mali præsentes sunt, sed amici Dei in honorem, inimici, ac reprobi in contumeliam. Bonum ergo in libro Dei esse, sed in quem finem, id verò longè interest. Vnde illud Iob. 18. 3. *Vniuersorum finem ipse considerat.* quasi dicat: principia quidem ac media vitæ iustorum ac reproborum notitia sua comprehendit Deus, sed fines vtrorumque, quasi adhibita considerationis trutina, secum ponderat, ac si in eos solùm esset intentus: videlicet, quia in finibus ipsis totus rei cardo vertitur, parúmque interest bene cœpisse, si malè finias. Vnde sequitur: *Lapidem quoque caliginis, & vmbram mortis diuidit torrēs à populo peregrinante.* Lapides caliginis intelligit Greg. peccatores obduratæ cæcitatis; per vmbram mortis eos, qui, veluti vmbra corpus opacum, ita dæmonem sequuntur; populum denique peregri-

*Mali & boni præsentes Deo.* Psal. 10. 5. *Palpebris interrogat, quia etsi cōniuere videatur, exactè perspicit omnia.* Psal. 138. 16. *Notitia Dei, liber est.* Iob. 18. 3. *... homi... præcipuè ... siderat ... Lapides caliginis, peccatores obdurata cæcitatis.* Greg. *Populus peregrinans, homines iusti.*

nantem, homines electos. Sensus verò est, finale iudicium ignei torrentis instar inter bonos, ac malos fluet, & suos quibusque fines designabit, bonos ad dexteram relinquens, malos autem ad sinistram. Itaque ante Iudicium licèt Deus optimè discernat, qualis quisque sit, tamen omnes quasi indiscretè viuere permittit, considerans interim qualis vnusquisque ad finem perseueraturus sit, & iuxta id præcise separationem facit in æternum duraturam. Calathos ergo illos ficorum ante templum simul positos, iure interpretati sumus bonos, malósque Hierosolymitanos, quos optimè à Deo notos, illos quidem in gloriam, hos autem in perditionem destinari certum est.

*Finale iudicium inter bonos & malos, diuidet.*

B 4. Illud quoque expendere liceat, in iisdem duobus calathis, malarum, bonarúmque ficuum ante templum ad pias oblationes expositis, non externas religionis cæremonias, sed internas præcipuè intentiones æstimandas esse: nam vterque calathus æqualiter quidem ante templum, sed alter malas intus habebat ficus, alter bonas: & ob id illum, vt execrabilem, à Deo reiectum, istum verò exceptum, quasi gratum. Ad eundem ergo modum plures sæpe homines ad Deum accedent oraturi, aut opus aliud pietatis facturi, quos tamen Dominus non eodem modo respiciet. Exemplum patet in Pharisæo, & Publicano; ille calathus erat malarum ficuum; hic bonarum: simul ergo *ascenderūt in templum, vt orarent*, Luc. 18. 10. Illo autē magno verborum seu foliorū strepitu gratias agente, hoc verò humiliter, & in silentio percutiente pectus suum, iudicatum est, hunc illo multò esse meliorem. Id enim significat: *Descendit hic iustificatus in domum suam, ab illo.* Rectè igitur Theophyl. Publicanum, dum contemnitur, verè docuisse Pharisæum percutiendo pectus, quid in actu orandi præcipuè curandum, nempe cordis contritionem & affectum: percutit ergo pectus, quasi manu designans, vnde oratio germana procedat, & vt cor ipsum, quod obdormierat, excitet Deo. Par est exemplum in vidua Euangelica, & diuitibus, qui templum cum ea intrabant, Luc. 21. 1. dum enim diuites copiosas in gazophylacium pecunias fundunt, vidua pauper duo minuta contulit, & tamen iudice Christo, hæc præfertur. Certabat enim animo cum diuitibus (ait Chrysostom. de duabus viduis, tom. 5.) & vicit animo, qui oblationem diuitem facit, aut pauperem. Ita Chrysost. Parum ergo interest, oblationis quasi exterior facies ad pietatis officium rectè composita, si intus deuotione caret. Isai. 1. 13. queritur Deus de Sacerdotibus templi, quòd exterioribus sacrificiorum cæremoniis intenti, interiorem deuotionis affectum nihil curarent. *Ne offeratis*, inquit, *vltra sacrificium frustra.* In Hebræo est præclara antithesis, מנחה significat oblationem non quidem nudè sumptam, sed quatenus sensim, & cum religiosa pompa ad altare defertur. שוא autem, quod noster frustra, Hebraicè est, *temere*, & *præcipitanter.* Vnde iure Deus: *Ne offeratis vltra sacrificium frustra*, siue præcipitanter. Quomodo enim oblatio exteriùs quidem reuerenter, interiùs autem præcipitanter exhibita placere potest? Concinit Caiet. ita vertens: *Non addatis munus adducere falsitatis, siue mendacij*, quod scilicet aliud ostendit exteriùs, aliud interiùs simulat. Et reprobatur, inquit, ad literā oblatio similæ discordans à corde. Idcirco Irenæus 4. contra hæres. 34. Conscientia, inquit, pura eius, qui offert,

*Non tā extrema cæremonia, quā occulta intentione curanda. Pharisæus, calathus malarum ficuum: Publicanus, bonarum.* Luc. 18. 10. Theophyl. *Publicanus docuit Pharisæum, quid præcipuè curandum in oratione. Percutit pectus, vt ostēdat, vnde germana prodeat oratio. Percutit pectus, vt excitet.* Luc. 21. 1. D.Chrys. *Vidua Euāgelica vicit animo, qui oblationem diuitem facit.* Isai. 1. 13. *Sacrificium frustra, id est, sine interiori deuotionis affectu.* מנחה *oblatio ritu composito exhibita.* שוא *temere & præcipitanter. Oblatio exterius composita, interius minimè, Deo non placet.* Caiet. *Munus mendacij, id est, discordans à corde.* Irenæus. *Conscientia pura offerentis, sanctificat oblationem.*

Nazianz.

offert, sanctificat sacrificium. Et Nazianz. Orat. 3. contra Iulian. narrat, quòd Gallo, & Iuliano templa Martyrum simul ædificantibus, id quidem, quod à Gallo pio fiebat animo, bene cessit; quod verò à Iuliano impio, Deus Martyrum ita repudiauit, vt operarum labores terra ipsa excuteret. Non tulerunt, inquit, Martyres se solos ex omnibus Martyribus cõtumelia affici, vt templum haberent impiis manibus extructum, cùm ædes aliæ sacræ piis Galli manibus ædificarentur. Pias autem, vel impias manus efficiebat animus dissimiliter ad pietatem compositus. Quæ omnia rectè illustrant præsentem locum de duobus calathis ante templum æquè positis, altero tamen à Deo cum execratione repulso, altero autem accepto; quòd iste bonas intus haberet ficus, ille verò malas.

*Templũ Iuliani repudiatur à Deo. Martyres noluerunt habere templum impiis manibus factum. Pias vel impias manus animus facit.*

A

B

## De priori, & posteriori calatho sigillatim.

SECTIO II.

1. *Duo celebres Hebraismi explicantur.*
2. *Calatho significari Regem continentem suos, ac intra legum cancellos seruantem, & sustinentem humeris. Idem significari in corona, Regio insigni, ex D. Greg. Magno.*
3. *Rex constringens subditos legibus suis, debet & ipse iisdem constringi legibus. Locus D. Ambr. Quid lex, ex Philone Iudæo.*
4. *Rex subditos sustinere debet, ex loco Deuteron. 32. Aquila Regis symbolum. Aquila portans humeris filios, Reges exprimit bonos, qui suo periculo sustinent regnũ. Christus imperiũ suum humeris portat, Isai. 9.*

1. PAVCA supersunt inquirenda in calathis sigillatim sumptis. Sic ergo Vates, Vers. 1. *Calathus vnus ficus bonas habebat nimis, vt solẽt ficus esse primi temporis: & calathus vnus ficus habebat malas nimis, quæ comedi non poterant, eò quòd essent mala.* Vers. 3. *Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Ieremia? Et dixit: Ficus, ficus bonas, bonas valde; & malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eò quòd sint mala.* Duo hîc se offerunt celebres Hebraismi; alter in illo, *ficus bonas, bonas valde*; nam Hebræi cùm superlatiuo careant, illud scilicet repetitione positiui, vel positione aduerbij circumloquuntur: & quando vtrumque cõcurrit, vt hoc loco, est magna exaggeratio eius rei de qua agitur. Alter Hebraismus est in nomine, *vnus*, quod sępe numerationis causa repetitur. Id videre est Iosue 12. vbi Reges triginta vnus, hoc eodem nomine toties repetito, numerantur. Præterea cùm dixit, *ficus primi temporis*, intelligũtur illæ, quas præcoces Latini appellant; & vel ob id solent esse gratissimæ, quòd ante communes fructus prouenire solent.

*Hebræi superlatiuum supplent repetitione positiui, aut additione aduerbij. Nomẽ, vnus, sæpe numeralis est apud Hebr.* Iosue 12. *Præcoces ficus quare gratissimæ.*

2. Sed enim prior calathus habens ficus optimas significat Iechoniam regem cum populo transmigrationis: posterior autem Sedeciam regem, cum suis, qui remanserant. At primum illud notari debet in calatho continente, ac sustentante, significari Regem quatenus suos continet, dúmque illos non dissolutos, ac dissipatos viuere permittit, sed vi sua, legúmque obicibus adunatos seruat, ac in gyrum quasi rationis, ac iustitiæ cogit: item quatenus humeris suis totum regnum sustentat. Vtrumque in corona, quod est insigne regium, rimatus est D. Greg. in Moralib. Primùm enim Rex, quòd imposita corona capillos vndequaque cõstringat, significat obligationem coërcendi populos, ac omni ex parte continendi in officio; sed quòd aurea corona sit, non debere id fieri nisi adiuncto charitatis affectu, quo pulchriùs homines, quàm auro capilli regij circumligantur. Deinde quòd corona turribus hinc inde erectis exornata splendeat, Regẽ indicat quatenus ipsasmet arces, ac turritas vrbes supposito quasi capite sustentat. Vnde Iob. 9. 13. est illa Regum præclara periphrasis, *qui portant orbem*, vt non tam honoratos regia dignitate dixeris, quàm oneratos, ac verè seruos. Vnde coronam Poëtæ dictam prædicant, quia cor onerat. At Chrysost. tom. 5. in serm. de cupiditate inanis gloriæ; coronas regias dixit seruili ministerio compositas. Rectè igitur calatho Rex æquiparatur; nam calathus nunquam propter se fit, sed propter aliud, quod sustinere, ac continere intra se debet.

*Calathus cum ficubus optimis, Iechonias cum captiuis: alter, Sedecias cum suis. Calathus continens & sustentãs ficus, rex est continens & sustentãs suos. Corona capillo, capitis continens, Rex continens regnũ.* D. Greg. M. *Quòd aurea sit, ex amore prouenit, quo suos curare debet. Corona turrita, quòd rex sustinere debet vrbes, & arces.* Iob. 9. 13. *Qui portãt orbem, periphrasis Regum.* D. Chrys. *Corona regia seruili ministerio composita.*

3. Verùm sicut calathus constringere intra se, & sustinere non potest impositos fructus, nisi is ipse fortiter, actitérque constrictus: ita Rex legibus coërcere alios nequaquam potest, nisi iisdem priùs se coërceat. Præclarus est locus hac de re apud Ambros. in Apologia Dauid. Rex, inquit, legibus se obstringat suis, & quod per iustitiam non licet, nec per potestatem licere cognoscat: non enim soluere debet potestas iustitiam, sed iustitia potestatem; nec legibus Rex solutus est, sed si peccat, leges suo soluit exemplo, &c. Hæc Ambros. Hinc originem habuit celebris illa sententia, quam refert Philo Iudæus, in lib. 2. de vita Moysis, Regem esse legem animatam; & legem, iustissimum Regem; quia videlicet Rex suam legem operibus suis viuentem in se ipso facere debet, vt vel inspectus exercendæ legis doctrinam tradat. Pulchrè & legem dixit, iustissimum regem; quia præscribit facienda irreuocabiliter; nemo enim legem ipsam per se à rectitudine iustitiæ inclinare potest, cùm nec precibus, nec muneribus adulterari apta sit. Magno igitur iure queritur Christus de Scribis, & Pharisæis, Matth. 23. 4. quòd onera grauia & importabilia imponant in humeros hominum, digito autem suo nolint ea mouere. Euidenti scilicet præiudicio, quòd eiusmodi institutiones parum erant duraturæ: malo quippe institutoris exemplo paulatim corruunt. Rectè Chrysost. ad prædicta verba. Tales, inquit, omnes sunt, qui verbis philosophiam terminant, austeri nimis, ceu inexperti eius doctrinæ, quæ operatione traditur. Rectè & aduersùs iniquos illos onerum colligatores. Quomodo tu, inquit, dissolutus cùm sis, ligare alios properas? Optimè verò ad rem præsentem, quia similiter calathus dissolutus res impositas continere non potest.

*Rex alios legibus coërcere vt possit, se ipsum priùs coërceat.* D. Ambr. *In Rege iustitia potestatẽ soluat, non verò potestas iustitiam.* Philo Iud. *Rex, lex animata: & lex, iustissimus Rex. Legem nemo corruptela adulterat.* Matt. 23. 4. *Malo institutoris exemplo corruunt leges.* Chrysost. *Rex dissolutus quomodo legibus alios ligare potest.*

C

D

4. Cùm verò & sustinendis oneribus inseruiat, fortiter cõpactus sit, necesse est. Vera Regis forma, subditos sibi populos quasi humeris baiulantis. cuius rei expressam imaginẽ exhibet Moyses Deut. 32. 11. in ipso Deo, cùm Regẽ ipse solus agebat inter Hebræos per solitudinẽ. *Sicut Aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eũ, atque portauit in humeris suis.* Aptissimè in aue regia regẽ Deum delineauit, regiam verò generositatem, vt non à suis portetur (quod facere Reges solent) sed suos ipsa portet, docet Aquila Reges omnes: & quomodo id

*Optima forma Regis subditos humeris portare.* Deut. 32. 11. *Aquila pullos humeris portans, forma Regis.*

E

do id fecerit Deus per Aquilam baiulam, bellè expressum, maximè si Aquilæ consilium addideris: non enim filios assumit humeris tantùm, vt infirmos portet, sed vt securos suo periculo faciat à sagittantium ictibus. Nam eo consilio dicitur facere, vt si quis iaculis velit subter impetere filios, se ipsam potiùs ac priùs vulneret, quàm pignora sua. Ita prorsus Deus Hebræos suos quasi humeris portauit per desertum, impetúsque barbararum gentium ipse sibi auertendos curauit, si non cum periculo, magna certè cum significatione amoris, qui profectò illum (si capax periculi fuisset) similiter obiecisset, in gratiam populi, quem regebat. Imò, vt re ipsa hoc præstaret, Incarnatus est, vt immissas in nos spiritualium sagittas hostium suo pectore exciperet. Ita ergo baiulantem imperium suum describit Isai cap.9. 6. *Paruulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Nā per Imperium, Crucem interpretantur multi, vt significaretur Christus non modò suos portare humeris, sed suo cum periculo, vtpote, qui mortem crucis pro illis libenter subierit. Sic docuit Reges ac Prælatos facere. Vnde Samuelem notant aliqui, Sauli excepto in conuiuium, antequam vngeret eum in Regem, de industria seruatum humerum vituli assi apposuisse comedendum, vt moneret, humeros quasi assos ac duratos parare portando populo.

*Deus suo quasi cum periculo portauit per desertum Hebræos.*

*Deus baiulus imperij sui. Isai.cap.9. 6.*

*Sauli datur armus assus, vt paret humeros, durétque portando populo.*

A

5. Igitur vnus calathus portans bonas ficus, & alter malas, conuenienter Reges illos significat, portantes populum Hebræum, in diuersum tamen, vti diximus, euentum: nam qui cum Iechonia profecti sunt, feliciter inter hostes vixerunt, & postea reducti sunt in Ierusalem; at qui cum Sedecia rebellante, à Nabuchodonosor deleti omnino sunt, quod satis patet in litera prophetiæ.

B



# VISIO DECIMATERTIA,

## DE QVATVOR ANIMALIBVS, & rotis; item de throno, ac sedente super illum, quam habuit Ezechiel.

### *Ezechielis Cap.1.*

### PRÆFATIO.

### *De Ezechiele Vidente.*

1. EZECHIEL filius Buzi, id est, contempti, vnde facta occasio, vt in Thargum Hierosolymitano dicatur filius Ieremiæ, qui Buzi, id est, contemptus fuit ab omni populo, quod approbat Rabbi Dauid; sed fabula Hebræorum est. Fuit ergo Buzi pater Ezechielis, de genere Pontificum, quod de Ezechiele ipso testatur D. Hieron. vnde non Propheta modò, sed & Sacerdos fuit. Patriam habuit Seraram, teste Irenæo. Ezechiel dictus, id est, robur Domini, fortitudo Dei, siue roboratus à Deo, vt Hieronymus interpretatur. Rectè autem animaduertit Pradus noster eò respexisse Deum, cùm Ezechieli dixit cap.3.7. *Omnis domus Israël attrita*, hoc est, obdurata *fronte est, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum. Vt adamantem, & vt silicem dedi faciem tuam: ne timeas eos.* Vtrobique enim (ait Pradus) reperitur idem verbum, חזק ex quo cum Dei nomine אל composito, nomen proprium יחזקאל Ezechiel videtur esse deductum. Quare loci sensus haud inconcinnus indicatur huiusmodi: Nihil tibi timendum ab eorum fronte, obdurata videlicet scelere, atque malitia: tu enim es Ezechiel, nempe virtute roboratus, & confortatus à Deo. ita Pradus.

*Ezechiel falsò creditus filius Ieremiæ.*

D. Hieron.

*Patria, Serara.*

*Ezechiel, robur Domini.* Pradus.

*Vnde deductum nomen.*

*Contra duram frōtem Iudæorum datus Ezechiel roboratus à Deo.*

C

2. Fuit Ezechiel penè æqualis Ieremiæ; vnde D. Hieronymus, Eadem, inquit, & eodem tempore Ezechiel in Babylonem, & Ieremias in Ierusalem prophetauerunt; itaque huius prophetia mittebatur ad captiuos, & illius ad eos qui habitabant in Ierusalem, vt vnius, in diuersis regionibus, Dei prouidentia probaretur. Duodecim verò annis antè prophetauerat in Babylone Daniel, at cum Ieremia in Ierusalem Sophonias, & Vrias. Tradit Iosephus 10. Antiquit. 10. prophetiam Ezechielis venisse in manus Sedeciæ, & comperisse quidem cum prophetia Ieremiæ conuenire in eo, quòd captiuitatem vterque prædiceret; sed ideo neutri credidisse, quòd Ieremias diceret Sedeciam captiuum ducēdum in Babylonem, Ezechiel verò negaret eum Babylonem visurum, quod tamen vtrumque ve-

*Penè æqualis Ieremiæ.* D. Hieron.

*Priùs, 12. annis prophetauerat Daniel in Babylone.*

*Quòd Ezechiel negaris Sedeciā*

D

*visurum Babylonem, & Ieremias affirmauerit eò ducendũ, euasit verũ. Quo tempore cœperit prophetare.*

rum esse, euentus probauit: nam ductus quidem est captiuus in Babylonem, sed oculis orbatus, ita vt eam videre non posset. Cœpit autem vaticinari Ezechiel (vt ipsemet testatur initio suæ prophetiæ, & Theodoretus, ac cæteri Interpretes docent) quinto anno captiuitatis Regis Ioacim, qui & Iechonias dictus, cum quo Vates ductus est in Babylonẽ, erátque is ipse annus quintus regni Sedeciæ in Ierusalem.

3. Quod attinet ad ætatem Ezechielis Iosephus asserit, ductum in captiuitatem adhuc puerum. D. Hieronymus vigintiquinque annos natum, cùm verò quinto anno captiuitatis Ioacim (vt proximè vidimus) vaticinari cœperit, manet triginta annos natum ad id muneris assumptum, vt idem Hieronymus concludit in præfatione, asserúntque Origenes, & Greg. Magn. homil. 1. in eundem Prophetam, qui propterea ita interpretantur id quod Vates de se ait cap. 1. anno se trigesimo vidisse iuxta fluuium Chobar cælos apertos. Res incerta est (ait Maldonatus) sed probabilis: nam & sensus mysticus, inquit Origenes, bene conuenit: erat enim Ezechiel figura Christi, cui anno trigesimo baptizato aperti sunt cæli: quin & cum eodem annorum numero conuenit Hebræorum traditio, vt nemo ante annum ætatis trigesimum huius prophetię principium, & finem legeret, quasi temerarius esset, qui minori ætate tanta mysteria intelligere conaretur, quam Propheta adeò doctus intellexisset. Conuenit & Sacerdotis officium, quo nemo nisi triginta annos natus fungi poterat, & est rationi consentaneum, Ezechielem Sacerdotem, atque Prophetam eodem tempore Sacerdotis, & Prophetæ munere fungi cœpisse. De tempore autem vitæ, quo munus vaticinandi prosequutus est, nihil inuenio apud autores certum: mitto enim coniecturas, quas non oportet in omnibus consectari, illud nihilominus intelligi potest ex Chronologiis regum Iudæorum: cùm Rex Ioacim, sub quo cœpit prophetare Ezechiel, inciderit in annum mundi ter millesimum trecentesimum quinquagesimumquintum, eodem anno Vatem apud viuos fuisse.

*D.Hiero. Origen. D.Greg.M.*

*Probabile, cœpisse vaticinari trigesimum annum agẽtem, & quare?*

*Incertum quanto tempore prophetauerit.*

4. Prophetauit Ezechiel, sed non priusquã vxor eius moreretur, vt narrat ipse cap. 24. quod non præteriuit D. Hieronymus 1. aduersùs Iouin. Diligenter attende, inquit, donec vixit vxor, non habebat libertatem populum commonendi, soluitur coniugale vinculum, & absque vlla trepidatione semper est in officio prophetali: qui enim liber vocatus est, verè seruus est Christi. Eadem

*Coniugale vinculum impedimentum prophetandi in Ezechiele. D.Hieron.*

autem ferè quæ Ieremias, sed densioribus tenebris inuoluta profert, vnde illum D. Hieronymus in commentariis super Ezechielem, Oceanum Scripturarum, & mysteriorum Dei labyrinthum appellare non dubitauit. Priuatim verò in primo capite celebrem illam habuit de quatuor animalibus Visionem, quam latè explicamus, ob quam præcipuè dictus est Vates à Nazianzeno Gregorio Oratione 34. mirabiliũ spectator, & D. Athanasius in Synopsi: Ezechiel, inquit, ab initio habuit Visionem animalis quatuor facierum admirabilem, supra modum stupendam, & interpretatu difficilem. Aggressus verò idem Hieronymus caput quadragesimum Ezechielis, à quo Vates incipit proponere Visiones templi, simile sibi ait tunc contingere, ac cùm adolescentulus Romæ in Martyrum cryptas cum æqualibus descendebat, vbi ita erant obscura omnia, vt propemodum illud propheticum cõpleretur: *Descendant in infernum viuentes.* nam & pedetentim oportebat incedere, quòd lumen rarò desuper per foramen vix tenebrâs temperaret, & trepidos vbique animos horror, & silentium perterrefaceret. Hoc à se dictum ait Hieronymus, vt lector prudens (ait) intelligat, qualiter ingrediatur explanationem Ezechielis eo loco: de Deo enim viso ab Ezechiele scriptum ait: *Nubes, & caligo sub pedibus eius.* & rursum: *Tenebræ latibulum eius.* Denique similem se in hoc ait esse Moysi, cùm nubem, & caliginem ingressus est, vt Domini mysteria contemplari posset. Obscuritatis autem Ezechielis duas assignat causas Theodoretus; alteram, quòd maxima tractet mysteria, & non sint proiiciendæ margaritæ ante porcos; alteram, quòd Iudæos accuset, Gentium verò vocationem, ac fœlicitatem prædicat, verendum autem, ne si Iudæi planè intelligerẽt, inuidia librum abolerent. Quod attinet ad genus scribendi, D. Hieronymus Prologo in Ezechielem, sermonem eius nec satis disertum, nec admodum rudem testatur, sed ex vtroque mediè temperatum. Athanasius in Synopsi quendam Ezechielis librum inter Apocrypha commemorat. Ponderat verò D. Hieronymus.

*Qui liber est, verè seruus est Christi. D.Hieron. Ezechiel Oceanus Scripturarum, & mysteriorum Dei labyrinthus. Greg.Naz. Ezechiel, mirabilium spectator. D.Athanas. Visio quatuor animaliũ qualis? D.Hieron. D.Hieronymi de Visionibus tẽpli Ezechielis, sententia. Duæ causæ obscuritatis Ezechielis. Theodor. Scribendi genus mediocre. D.Hieron. D.Athan.*

5. Fuit verò Ezechiel magnarum virtutum laude conspicuus, maximè charitate erga suos, etiam rebelles, & incredulos, de quo est illud à Chrysostomo eleganter dictum lib. 2. de prouidentia: Ezechiel, inquit, cùm iustus esset, sciretque Israëlitas iniquissimos ex omnibus, videns tamen illos iugulari, & corruere, hoc idem passus est. Et cùm Deus anticipans illos punien

*Excelluit charitate erga suos, etiam rebelles. D.Chrys.*

punjendos proponeret, tanto etiam præscientiæ solatio præparatus, angebatur tamen eorum cladibus, & clamabat ad Deum: *Heu mihi Domine, deles tu reliquias Israël?* Sed inter omnes eius virtutes excelluit obedientia erga Deum, etiam in rebus difficillimis: vxore namque defuncta, eum casum sine lacrymis perferre iubetur cap. 24. 16. *Fili hominis, ecce ego tollo à te desiderabile oculorum tuorum in plaga, & non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum non facies: corona tua circumligata sit tibi: & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes. Mortua est vxor mea, fecique sicut præceperat mihi Dominus.* Desiderabile oculorum, eleganti periphrasi, pro vxore. Ingemisce tacens, iuxta Chaldæum, à gemitu tace. & sanè quomodo tacens ingemisceret? congruentiùs tamen in nostro interprete, gemitus permittitur, sed intra os ipsum pressus, ne prorumpat in verba (ait Hieronymus.) Porro quid grauius imperari poterat, quàm in re tam iusta, ne flere quidem licere? & tamen obtemperauit Propheta. Omitto quòd super boum fimum panem suum comederit iussu Dei, cap. 4. 15. & quòd super vnum latus trecentis & nonaginta diebus iacere, & alia similia sustinere iussus, non renuit tamen, Vers. 4. Sanè crediderim, dictum illud D. Hieronymi in prooemio ad Osee, portenta esse, quæ Prophetæ interdum iussu Dei operantur, duplici sensu verum esse, quòd & operibus sæpe futura portenderent: & quòd ea ipsa eorum opera portenta essent, & verè prodigia quædam virtutum maximarum; quale fuit tot diebus iacere constrictum in latus vnum: nam re vera ita saltem iacuisse Ezechielem (etsi non totum illud tempus dormierit, cùm dormire ibi ex radice sua sit decumbere) probabilius est, vt expressè asserit D. Chrysostomus lib. 3. de Prouid. S. Basilius in cap. 8. Isai. Theodoretus ad 1. cap. Oseæ, Bradus cap. 4. Ezechielis. Miramur hunc (ait Theodoretus citatus) diuinos Prophetas omni ex parte Domino obedire. Sic ille. Vúltque Prophetas eo vel maximè admirandos, quòd se Domino exhiberent quoquomodo tractabiles, vt in quam partem impelleret, versarétque, facilè sequerentur.

*Excellens obedientia Ezechielis.* Ezech. 24. 16.

D. Hieron. *Opera Prophetarum, portenta quadam virtutum.*

*Ezechielem trecentos dies iacuisse constrictum, etsi non dormierit, probabilius est.* D. Chrys.

*Propheta exhibebant se Deo quoquomodo tractabiles.*

6. Fuit quoque magnorum miraculorum patrator Ezechiel. Narrat enim Epiphanius lib. de vita, & interitu Prophetarum, non secus ac Moysem in mari rubro, traduxisse Israëlitas per fluuium Chobar sicco vestigio, dum eos Chaldæi fugientes insequuntur, quos ad vnum omnes submersos testatur, potitis vlteriori ripa non sine tripudio Israëlitis omnibus. Quin & illud mirabile, populum eundem fame penè enectum, vt olim per Moysem impetratis coturnicibus, sic vberrima per Ezechielem piscium multitudine precibus consequuta abundè pastum. Non minori sanè admiratione dignum quod idem narrat Epiphanius. Cùm Chaldæi orto tumultu in Israëlitas impetum aliquando fecissent, ac penè iam desperantes pessundarent, vnum Ezechielem sola vultus autoritate diuinitus aucta, stetisse contrà, ac tumultuarias illas auertisse copias, & à cœpto deterruisse. Affert & illud memorabile, quòd semel vindice iustitia permotus, venenatorum serpentum morsibus, Deum suum, à Danitarum, & Gaditarum sceleribus vendicauerit. Vltimum illud est miraculorum omnium longè maximum, quòd non vnum, aut duos mortuos ad vitam reuocauerit, sed ex ossium illorum immensa congerie per campum sparsa, infinitam propemodum hominum multitudinem ad vitam, Deo iubente, reuocauerit. qua de re suo loco latiùs disputabimus.

*Ezechiel traduxit Israëlitas per fluuium Chobar sicco vestigio.* Epiphan.

*Populum fame laborantem piscibus à Deo impetratis pauit.*

*Ezechiel sola vultus autoritate cohibet Chaldæos.*

*Immissis serpentibus vendicat Deum contra Danitas & Gaditas. Exercitum hominum reuocauit ad vitam.*

7. Imposuit tandem egregius Vates reliquis omnibus à se præclarè gestis summam quasi manum, cùm vitam pro Dei amore liberaliter obtulit. Narrat quippe Epiphanius, à duce populi occisum, quòd eius idololatriam reprehenderet, sepultúmque in terra Assyriorum in sepulchro Sem & Arphaxad progenitorum Abrahæ, quod sepulchrum ad sua vsque tempora extitisse asserit, solitósque eò confluere deuotionis causa quamplurimos ex variis nationibus mortales, quos tamen à Chaldæis, ne fortè corpus inde auferant, eò cautè comitari, & deducere soleant. Sentiunt idem, quod attinet ad martyrium, D. Chrysost. loco citato, D. Athan. de Incarn. Verb. Dorotheus in Synopsi.

*Ezechiel martyrio consummatur.* D. Epiphan.

D. Chrys. D. Athan. Doroth.

## ARGVMENTVM CAPITIS.



*ZECHIELI prope fluuium Chobar horribilis Visio monstratur. Ingruens ab Aquilone turbo vehemens, magnámque adglomerans nubem, quæ ignem in medio fouet, ad speciem electri, seu coloris aurei, vnde varij promicant circumquaque radij. Porro in ipso illo meditullio nubis videntur quatuor animalia cum quatuor faciebus: prima hominis versùs Prophetam; secunda aquilæ retro; tertia leonis ad dextram; quarta bouis ad sinistram. Cum quatuor item alis, duabus quidem sursum ad volatum erectis, duabus demissis ad operiendum corpus, sub alis videntur manus hominis. Crura apparent absque genibus, & poplitibus, ac adeò apta, vt in omnem loci differentiam moueantur: pedes ob id ipsum cernuntur rotundi, vt non ad vnum ingrediendi modum sint addicti. Inest animalibus fulgor igneus, & ingens velocitas in partes oppositas, quin se ad illas vertant. Post hoc apparent rotæ quatuor horribiles sub quatuor animalibus, quæ duos circulos habent cærulei coloris, oculísque plenos: duo autem circuli, è quibus compositæ apparent rotæ, ita se intersecant inuicem ad angulos rectos sphærales, vt quatuor quasi facies, id est, semicirculos præferant. Itaque rota sic composita, vna intersectione sui, terram tangens mouetur æqualiter in quatuor partes oppositas, quin se conuertat. Denique super capita animalium videtur species firmamenti crystallini, & super firmamentum, thronus è sapphiro factus, & in eo sedens quasi filius hominis, ex electro ita formatus, vt à lumbis sursum versùs igne intrinsecus ardeat, à lumbis verò deorsum versùs, effuso extrinsecus igne eodem quasi vestitus appareat per circuitum. Circa thronum cernitur Iris multicolor, qualis apparere solet in nube rorida. Videt Ezechiel, corruit exanimis, statuitur ope Domini in pedes suos, iubetur comedere librum scriptum intus & foris, qui in ore eius mel dulce fit, ventrem verò eius latè complet: in eo autem continetur summa legationis ad populum transmigrationis, & denunciatio obsidionis Ierusalem, & extrema calamitas sub Sedecia.*

CAPVT EZECH. I.

1. ET factum est in trigesimo anno, in quarto, in quinta mensis, cùm essem in medio captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cæli, & vidi Visiones Dei. A

2. In quinta mensis, ipse est annus quintus transmigrationis Regis Ioachin,

3. Factum est verbum Domini ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem in terra Chaldæorum, secus flumen Chobar; & facta est super eum ibi manus Domini. B

4. Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone: & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius:

PARAPHRASIS.

1. *ANnus trigesimus à capto Ioachin Rege Iuda, & mensis eius quartus die ipsa quinta agebatur. Et ego Ezechiel per id tempus inter concaptiuos versatus prope flumen Chobar, siue Euphratem, Visiones percepi illustrissimas, & maximas, in ipso, quasi in partes discedente cælo.*

2. *Prima autem Visio mihi monstrata est anno quinto transmigrationis, quarto mense, & quinta eius die, cætera Visiones per annos consequentes.*

3. *Igitur ego Ezechiel filius Buzi, Sacerdotis Dei, cùm essem in terra Chaldæorum prope dictum flumen Chobar, sensi impulsum quasi diuinæ manus, qui mentem meam agebat, & planè excitabat ad prophetandum; vidíque mentis oculis, & quasi interioribus auribus audiui, quæ deinceps loquar.*

4. *Intuitus ergo sum à plaga Aquilonari, in qua sita est Babylon, ventum procellosum ingruere, nubémque ingentis magnitudinis, igne*

eius: & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis:

5. Et in medio eius similitudo quatuor animalium: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis.

6. Et quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.

7. Et pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & scintillæ quasi aspectus æris candentis.

8. Et manus hominis sub pennis eorum in quatuor partibus: & facies & pennas per quatuor partes habebant.

9. Iunctæque erant pennæ eorum alterius ad alterum: non reuertebantur, cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.

10. Similitudo autem vultus eorum, facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis, à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ desuper ipsorum quatuor.

11. Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum:

12. Et vnumquodque eorum corã facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus, illuc

A *igne reciproco fulgurantem, quæ in ipso quasi sui limbo in splendentem desinebat Iridem. In meditullio verò ignis, qui nubem inuoluens emicabat, apparuit color quidam aureus ad similitudinem electri.*

*5. Et in medio ignis reciproci visæ sunt effigies quatuor admirabilium animalium, quorum hæc erat forma: Vnumquodque statim apparebat homo, id est, singula animalia, si totum corpus spectaretur, similitudinem hominis habebant.*

*6. Singula tamen quatuor habebant facies, quatuor item vnicuique faciei respondentes alas, nempe duas ad tegendam inferiorem* B *partem corporis, quæ faciei respondebat: duas verò ad volandum, quò spectabat facies. Vnde quodlibet animal habebat sexdecim alas, ac adeò quia sexdecim omnibus erant facies, sexaginta quatuor alæ omnibus inerant.*

*7. Porro crura recta erant, ac rotunda, vt sunt fistulæ teretes, ac adeò sine poplitibus, vt facilè ad omnem differentiam loci moueri possent: plantas autem habebant similiter rotundas: quales ferè vituli habent: scintillabátque* C *vnumquodque eorum ad instar æris candentis.*

*8. Sub alis videre erat brachia illis respondentia, quæ proinde 64. numerabantur, versúsque omnem partem habebant facies, & alas vt quouis & aspicere, & volare possent.*

*9. Sic autem dispositæ erant alæ inter se, vt inuicem extremis se pennis contingerent in eodem animali, ac adeò totum corpus pennis esset tectum, supernè videlicet, & infernè: vel ideo iunctæ erant alæ alterius ad alterum, quia vno eodémque impetu, omnia simul in eandem partem, æqualique celeritate ferebantur. Cùm verò* D *hæc animalia in aliquam partem incedebant, si esset illis in aliam diuersam incedendum, non se conuertebant, quia in omnes partes habebant facies, secundùm quas absque conuersione ambulare poterant.*

*10. Facies autem, quas præferebant, hæ videlicet erant: facies hominis antrorsum, è regione eius: facies aquilæ retrorsum eleuatior aliquantulùm pro natura eius animalis: facies bouis sinistrorsum: facies leonis dextrorsum, comparatione videlicet ad faciem hominis, quæ antrorsum apparuit.*

E *11. Facies autem eorum tales erant, vt more auis sese ad volatum componerent, intentis videlicet ore & alis in volatum suum, qui tunc erat ad superiora. E quatuor verò alis, duæ superiores eiusdem faciei sese inuicem, aut alas vicinarum facierum tangebant, duæ inferiùs depressæ operiebant corpora.*

*12. Et vnumquodque eorum antrorsum rectà gradiebatur. Non erat autem motus eorum* fortui

luc gradiebantur, nec reuertebantur cùm ambularent.

13. Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat Visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens.

14. Et animalia ibant, & reuertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.

15. Cúmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies.

16. Et aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris, & vna similitudo ipsarum quatuor, & aspectus earum & opera, quasi sit rota in medio rotæ.

17. Per quatuor partes earum euntes ibant: & non reuertebantur, cùm ambularent.

18. Statura quoque erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor.

19. Cúmque ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ.

20. Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur sequentes eum. Spiritus enim vitæ erat in rotis.

21. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur, & rotæ sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis.

22. Et similitudo super capita animalium firmamenti quasi aspectus crystalli horribilis, & extenti super capita eorum desuper.

23. Sub firmamento autem pennæ

A *fortuitus, sed omnino ad præscriptum diuini impellentis Spiritus, nec sese conuertebant, vt diuersimodè graderentur.*

*13. Ipsa quoque animalia, & eorum apparentia carbones, facésque igneas referebant. Videre quoque erat inter ipsa animalia, quendam quasi caminum, siue fornacem, è qua identidem promicabant fulgetra quoquo versùs.*

*14. Animalia verò huc illuc agebantur, eundo scilicet, & reuertendo in oppositas partes, non tamen regrediendo simpliciter, quia semper secundùm aliquam sui faciem mouebantur: tanta verò cum celeritate, & splendore, vt fulgura dixisses rapidè coruscantia. Itaque ibant, & reuertebantur per eandem lineam sese mouentia*
B *in oppositam partem absque reuersione, seu conuersione facierum.*

*15. Cúmque defixus essem in considerandis animalibus, ecce tibi prope singula quatuor animalia singulæ rotæ, & vnaquæque quatuor faciebus constabat, hoc est, quatuor semicirculis, emergentibus è duobus circulis sese intersecantibus ad angulos rectos sphærales.*

*16. Rotarum verò apparentia marinum, hoc est, cæruleum referebat colorem, per omniaque similes erant inter sese, seu figuram spectares,*
C *seu colorem, seu magnitudinem. Sic autem vnaquæque rota super terram apparebat, vt alteram similem intra se concluderet, quæ illam supernè, infernéque intersecabat, quales visuntur coluri in materiali sphæra.*

*17. Quæque rota sequebatur suum animal, & similiter, vt animalia, in quatuor partes mouebantur velocißimè, paríque modo reuertebantur aliorsum, seu non conuertebant facies, dum aliter mouebantur.*

*18. Quin & rotarum dorsa erant immensæ craßitudinis, & altitudo earum stupenda: cerne-*
D *réque erat sparsos per totum earum corpus oculos variè micantes.*

*19. Cúmque rotæ animalibus essent cōiunctæ, & quasi inhærentes, prompto obsequio subseruiebant animalibus sese mouentibus. Itaque ambulātibus animalibus, & illa pariter ambulabāt, & eleuantibus sese de terra, illæ quoque simul cum illis eleuabantur.*

*20. Sed & spiritui similiter obsequebātur, vt quocumque impelleret, vltrò sequerentur: illas enim diuina quoque energia ac vigor quasi viuificabat ad motus istos subeundos.*

E *21. Itaque rotæ se omnino totas affingebāt ad motus animalium, vt siue irent, siue starent, siue in altum se tollerent, pariter eundo, stando, tollēdo se, illæ sequerētur, vtpote insita quasi anima, ac spiritu prædita.*

*22. Præterea vidi calū, seu firmamentū diaphanū, vt crystallus specie horribili, & in immēsam magnitudinē expansum super capita animalium insidens.*

*23. Sed & animalia surrectis in altum alis,*

eorum rectæ alterius ad alterum: vnumquodque duabus alis velabat corpus suũ, & alterum similiter velabatur.

24. Et audiebam sonum alarum, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei: cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorũ: cúmque starent, demittebantur pennæ eorum.

25. Nam cùm fieret vox super firmamentum, quod erat super caput eorum, stabant, & submittebant alas suas.

26. Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni: & super similitudinem throni similitudo quasi aspectus hominis desuper.

27. Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius, & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitum.

28. Velut aspectum arcus cùm fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum.

CAPVT II.

1. Hæc Visio similitudinis gloriæ Domini, & vidi, & cecidi in faciem meam, & audiui vocem loquentis. Et dixit ad me: Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum.

2. Et ingressus est in me spiritus, postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos:

3. Et audiui loquentem ad me, & dicentem: Fili hominis, mitto ego te ad filios Israël, ad gentes apostatrices, quæ recesserunt à me. Patres eorum præuaricati sunt pactum meum vsque ad hunc diem:

4. Et filij dura facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te; & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus.

5. Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant, quoniam domus exasperans est: & scient, quia Propheta fuerit in medio eorum.

6. Tu ergo fili hominis ne timeas eos,

A *alis, & inuicem contingentibus firmamentum quasi sustentabant, alis verò duobus alis velabant singula inferiores partes corporis.*

*24. Eueniebat porro, vt cùm libratis alis sese in altum tollebant, sonum referrent, aut conglobatorum fluctuum, cùm sese ad littus frangunt, aut fragorem tonitruorum fulminante Deo; cùm verò progrediebantur, murmur referebant frequentissimi populi, qualis esse solet strepentis, & mussitantis exercitus.*

*25. Cùm verò is, qui sedebat super firmamento, signum dabat, demissis alis consistebant.*

B

*26. Atenim super firmamentum videre erat thronum regium è sapphiro factum splendoris admirandi, & super thronum speciem hominis, qualis in solio suo sedet Rex.*

*27. Sed & homo, qui sic à me visus est, specie quidem videbatur ex electro factus, adiuncto igne, qui sic illi admotus erat, vt à lumbis sursùm versùs intrinsecus splendesceret, quasi illuminans interiora desuper; à lumbis autem*

C *promicabat foras idem ignis, & splendorem demittebat deorsum versùs, vsque ad pedes, in modum laciniosæ, ac luxuriantis per gyrum vestis.*

*28. In ipso verò vestis limbo referebantur Iris, qualis in nube rorida apparere solet.*

PARAPHRASIS.

*1. Atque hæc ita visa præ se ferebant imaginem gloriæ Domini. Vt vidi autem spectrum hoc mirabile, cecidi consternatus. Tum me quidam, quem planè præ horrore nesciebam, ita est*

D *alloquutus: Surge, stánsque audi quæ loquor.*

*2. Quare excusso timore, ac recuperato spiritu, seu potiùs impulsus à Spiritu Dei, steti, & sic loquentem audiui:*

*3. Huc ades, Ezechiel. Statum habeo, mittere te, ac Prophetam te destinare ad filios Israël, tum eos qui in Chaldæa captiui sunt, tum eos qui Hierosolymis remanserunt: gentem videlicet rebellem, qui patribus suis similes, nunquam intermittunt irritare me crebra fœderis mei preuaricatione.*

*4. Nec dura ipsa captiuitate pressi resipi-*

E *scunt; sed quemadmodum patres eorum dura ceruice restiterunt mihi, ita ipsi indomabiles se præbent.*

*5. Noui quidem genus hominum area fronte duratum, & corde ferreo contumax, sed tamen ibis, atque mandata mea ad illos perduces, siue audiant, siue respuant, vt libuerit: saltem intelligent meam illis prouidentiam non defuisse, qui Prophetam illis dederim ad sana consilia, erúntque inexcusabiles, quòd illis audientes non fuerint.*

*6. Tu interim bono animo esto, & virum*

neque sermones eorum metuas, quoniam increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides, quia domus exasperans est.

7. Loquêris ergo verba mea ad eos, si fortè audiant, & quiescant, quoniam irritatores sunt.

8. Tu autem fili hominis audi quæcunque loquor ad te, & noli esse exasperãs, sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi.

9. Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber:

10. Et expandit illum coram me, qui erat scriptus intus, & foris: & scriptæ erant in eo lamentationes, & carmen, & væ.

A *fortem præsta, etsi videas illos contra te furere, aut verbis contumacibus intonare: sunt enim natura sua inobedientes, intractabiles, immorigeri: tales item, vt exemplo suo subuertant in aliis ædificia pietatis, tantúmque abest, vt ædificent alios, ac ad perfectionem promoueant, vt planè in omnibus subuersores sint. Memineris ergo, te cum scorpionibus habitare, siue in senticeto degere, inter homines scilicet sanguinarios, ac pestilentes. Illos verò, cùm te verborum*

B *contumeliis, aut vultibus indignantibus, siue dedignantibus impetent, ne formides: est enim proles ipsa hominum irritatrix, & rebellis.*

*7. Deferes ergo verba mea ad eos, & ligatus eris ad populum immitem, neque enim (quæ est arbitrij indifferentia) impossibile est, vt consilia meliora capescant, & in frugem bonam se recipiant, ne ampliùs irritatricem naturam exhibeant, sed docilem, ac filialem.*

*8. At tu ne auitam imitere duritiem, sed iis, quæ mandauero tibi, obsequere, vt decet hominem à cætero grege electum, ac maiori lumine*

C *illustratum. Quod superest, aperi os tuum, & cibabo te, vt confirmatior, & instructior sis aduersùs eos. Non enim à te ipso, sed me suggerente, loquêris.*

*9. Vidi autem illico extendi ad me manum, quæ volumen præferebat, siue conuolutam membranam.*

*10. Quam ante me expandit, & erat scripta in facie, & in tergo. Scriptorum autem in libro varia erat materia, nunc læta, nunc tristia, quædam in terrorem, quædam in consolationem.*

---

## COMMENTARIVS I.

DIfficultatem huius Visionis nihil magis exaggerat, quàm celebris illa Hebræorum traditio, vt Hieronymus refert in proœmio huius prophetiæ: nam nisi quis apud eos ætatem Sacerdotalem, id est, trigesimum impleret annum, nec principia Geneseos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis exordium ac finem legere permittebatur. Ita plenum, inquit, humanæ naturæ tempus, ad perfectam hominis scientiam, ac mysticos intellectus exigebant. Nos tamen gratiæ magis, quàm ætatis prærogatiuam optantes, inquiremus primùm de prælAudio ipso Visionis, de turbine Aquilonari, & de nube ignea: mox de animalibus, rotis, & cæt. quid iuxta literam significent, proponemus.

### *De turbine Aquilonari, & de nube fulgurante.*

### SECTIO I.

1. *Præmittitur historia transmigrationis, & quomodo transmigrantes, & remanentes malè tractauerint Ieremiam, quòd autor fuisset deditionis.*
2. *Ruah, id est, ventus, turbo, in malam partem hìc sumitur, præsertim addita parte, è qua flat, hoc est, Aquilonari, turbo magnarum calamitatum signum: locus Oseæ 8. Ratio quare rectè sumatur pro tribulatione, ex Psalm. 1. Cur Deus loquutus sit Iob de turbine, ex D. Gregor. Magno.*

D 3. *Nubis similitudine comminatio magni supplicij, die Iudicij, dies nubis dicitur Ioël 2. declaratur à Ruperto, & Hugone Cardin. Theodor. Hieron.*
4. *Ignis reciprocus in nube quid? declaratur simili loco Chrysostomi. Ignis desinens in splendorem significat vindictam in malos, felicitatem erga bonos. Locus Nicetæ.*
5. *Ardor & splendor in aere suspenduntur, vt homo eligat quod malueris. Locus Deuter. 30. Illustrat D. Chrys. & Gregor. Nazianz.*
6. *Splendor ambiens ardorem medium, est diuina potentia continens vindictam Dei, Psal. 47. vel ostenditur, iram Dei quantumuis horrendam desinere in misericordiam, ex annotatione Hieronymi.*

Magnarum

1.  AGNARVM rerum magnus debet esse apparatus, idcirco ante admirabilem Visionem, primò quidem præmittitur turbo vehemens. Vers. 4. *Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius.* Septuaginta pro, *ventus turbinis; spiritus auferens.* Aduertimus necessariò pro fundamento sensus literalis, id quod Visione præcedenti narrare cœpimus, Iechoniam, siue Ioacim regem Iuda suasu Ieremiæ tradidisse Ierusalem Nabuchodonosor regi Babylonis, quo iubente translatus est Iechonias cum primoribus populi, & magna populi multitudine in Babylonem, relicto Sedecia patruo cum Imperio super Ierusalem. Facta igitur transmigratione, qui remanserant, irridebant Iechoniam, cum sociis, quòd dignum stultæ deditionis præmium recepissent, transmigrationem. Qui verò translati sunt murmurabant contra Ieremiam, quòd autor fuisset deditionis, & subsecuti exilij, in quo peracerbè vexabantur à Babyloniis. Tunc Deus, vt vtriusque populi contumaces linguas retunderet, exhibuit sese Ezechieli Sacerdoti, qui cum reliquis translatus est in Babylonem, sub ea forma terribili, quam initio breuiter, & in Paraphrasi latiùs, descripsimus, conuenienti nimirum indicio, ac præludio eius calamitatis, quam denunciaturus aduenerat contra Sedeciam, & Ierusalem, & contra Babylonios, ac alios vexatores populi, ad quem legatum mittere parabat Ezechielem, vt comites exilij partim coargueret, partim consolaretur, derisorum ac vexatorum suorum annunciatis calamitatibus. Temere autem eos agere, cùm de transmigrationis opprobriis murmurando conquererentur, quasi Deum esse non credant, qui toti mundo è throno iustitiæ præsideat, vt bonos quidem præmiis afficiat, malos autem suppliciis mulctet.

*Varia lectio.*

*Epilogus historiæ transmigrationis.*

*Quare Deus miserit Ezechiel.*

2. Iam de turbine Aquilonari, & nube fulgurante. Primum ergo notandum est nomen Hebraicum, רוח quod noster *turbinem* vertit, in malam hîc partem accipi, maximè addita cæli parte, nimirum Aquilonari, vnde irruisse dicitur. Vt enim præcedenti Visione cum Ieremia diximus, *Ab Aquilone panditur omne malum.* Et quidem vel sola turbinis appellatione magnarum tribulationum initia significari in comperto est. Solet enim turbo imminentem præcurrere tempestatem. Vnde illud Isai. 17. 13. *Sicut turbo coram tempestate.* Damasci enim prædicitur temporalis vastatio, quæ quidem ita præcurret æternam, vt turbo terribilis multò terribiliorem tempestatem. Præterea est vis in eodem vocabulo, quia turbo non significat ventum simplicem, sed rapidissimum, qui puluerem, paleas, arbores corripit. Vnde illud Oseæ 8. 7. *Ventum seminabunt, & turbinem metent.* Amplificationem continet sub egregia metaphora aduersùs decem tribus, quòd vitulum adorauerint: in eo enim quasi ventum seminarunt, colendo, scilicet, idolum, quod iuxta Paul. 1. Corinth. 8. 4. nihil est, ac prorsus inane quippiam: pro quo iusta retributione turbinem metent, id est, grauissimas recipient calamitates.

*רוח in malam partem hîc.*

*Turbo significat magnã tribulationem.*

Isai. 17. 13.

Oseæ 8. 7.

1. Cor. 8. 4.

*Iusta retributio pro peccato.*

Est autem prædictæ metaphoræ congruens ratio, quòd turbo puluerem dissipans, aptè quadret in tribulationes, quibus homo iactatur, homo inquam puluis, & cinis à primæua illa maledictione peccati. Vnde est illud Psal. 1. 4. *Non sic*

*Turbo paleas & puluerem rapiens, quomodo congruat.*

Psal. 1. 4.

A *impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ.* Illud enim, *tanquam*, sumi potest, non vt similitudinem tantùm, sed vt proprietatem significet. Quemadmodum Ioan. 1. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti a Patre.* Recta est autem Hilarij annotatio ad prædicta verba Psalmi, *Tanquam puluis, quem proiicit ventus.* Vt sit (inquit) pœna ludibriosa leuissimus; quippe terræ puluis, paleæ, & eiusmodi aliæ quisquiliæ, nihil aliud sunt, quàm rapidis ludibria ventis. Et omnino talis est homo (si spectes naturam eius fragilem maximè ex peccato) merum ludibrium tentationum, & calamitatum ingruentium. Ergo non vacat mysterio, quòd in magnis cladibus, quas Deus in Scriptura denunciat, turbinum admiscat metaphoras. Vnde

Ioan. 1. 14.

Hilar.

*Pœna ludibriosa aduersùs hominem.*

*Homo merũ ludibrium tentationũ.*

B ponderat Gregor. Magnus verba illa Domini ad Iob cap. 38. 1. *Respondens autem Dominus Iob de turbine dixit*, &c. Cur videlicet de turbine sit locutus? quia flagellato, inquit, loquebatur; durabat nempe illa adhuc tempestas malorum, qua Deus flagellabat Iob, idcirco non alius flagellanti, è quo loqueretur, conueniebat thronus, quàm turbo. Sed & Isaias cap. 21. 1. grauem denunciaturus Babyloni casum, ita incipit: *Onus deserti maris, sicut turbines veniunt de terra horribili.* id est, à Media, vbi iam bellici tumultus contra Babylonem crebrescebant, & quasi præmissi turbines illi hominum immenso mari, id est, vrbi frequentissimæ, inter vastas iacenti solitu-

D. Greg. M.

Iob 38. 1.

*Deus aptè de turbine loquitur ad Iob flagellatum.*

Isai. 21. 1.

*Bellici tumultus instar turbinum.*

C dines incumbebat. similia sunt alia in Scriptura loca.

3. Augetur autem comminationis horror ex nube, de qua sequitur: *Et nubes magna, & ignis inuoluens*, &c. Nam ideo Ioel. 2. 2. amara illa dies, in qua Ierusalem à Chaldæis capienda prædicitur, dies nubis, ac turbinis appellatur. Grandi (vt Rupertus annotat) declamatione malorum. Acutè verò id; nam declamatio propriè erat exercitatio palæstrica, ac veræ illius tantummodo, quæ in foro futura erat, contentionis simulachrum quoddam. Vnde Cicero 5. de Fin. ita de Demosthene: Quo in loco ad fluctum, aiunt, declamare solitum Demosthenem. Quare

Ioel. 2. 2.

*Dies nubis & turbinis, id est, amarissima.*

*Declamatio malorũ, quid?*

Rupert.

Cicero.

D vastatio Ierusalem, cùm dicitur declamatio malorum eius, significantur futura illa longè maiora: diésque nubis ac turbinis rectè dicitur: quantumuis enim horrendum sonaret contra Ierusalem, fictum quid erat, ac nihil amplius præter clamores, si ad veram, quæ futura erat, vastitatem spectaretur, grandi declamatione malorum. Vt similiter hîc nubes magna, & ventus turbinis, & ignis inuoluens, sit ludicra tantùm quædam malorum repræsentatio, & rectè ob id appellata apud Hugonem Cardinalem, summa imaginaria; quia non solùm fictis exhibita est imaginibus, sed in summum quasi redacta, & compressa infinitâ propemodum malorum series oppressura Hierosolymitanos, aliásque gentes.

HugoCard.

*Summa imaginaria malorum, quid?*

E Vno enim turbine, quot tumultus Propheta, quot seditiones inclusit? nube vna magna, quot cædium eluuiones? vno igne inuoluente, quot incendia? summa certè malorum imaginaria. Hinc illa congruens apud Theodoretum interpretatio nubis magnæ. Significat, inquit, maxima nubes hastarum, & iaculorum, omnísque generis telorum copiam, & quasi inundationem, Ita Theodoret. Et illa D. Hieronymi: Quòd nubes, inquit, magna describitur, intelligimus eam imbres euersionum super Iudæam, pluuiás

Theodoretus.

*Nubes magna, armorũ inundatio.*

D. Hieron.

*Nubes magna, quia magnam malorum pluuiam mittit.*

uiásque allisionum portare. Sic ille.

4. Atenim ponderandum est illud, quòd Propheta ignem inuoluentem nubi addidit. Non enim simplex visa est nubes, sed cum igne simul sese reciprocante; eo modo, quo de igne inferni testatur Chrysostom. homil. 44. in Matth. in abysso illa tenebrosa feræ instar immanissimæ transcurrere vindictæ cupidum. Sed & illud obseruatione dignum, quòd nihilominus in circuitu nubis splendor sese effundebat eximius, cuius mysterium Hieronym. ac Rupert. eò referunt, vt quia Deus, & Sedeciæ cum suis parabat excidium, & Iechoniæ cum transmigratis restitutionem, in ipsa nube effectus vtriusque signa commonstrauerit, in igne vindictam, in splendore felicitatem. Sic ait Nicetas ad orationem Nazianzeni de amore pauperum, in igne illo extremi iudicij facultates diuidendas, vt splendor quidem bonis initium felicitatis sit, ardor autem sceleratis initium pœnæ.

*Ignis inferni fera instar currit vindictæ cupidus.* D.Chrys. D.Hieron. Rupert. *In igne nubis vindicta; in splendore eius, felicitas* Nicetas. *Ignis iudicij diuidet facultates, splendebit bonis, vret malos.*

5. Vtrumque autem in aëre suspensum ostenditur, hinc ardor inuoluens, inde circunfusus splendor; vt rectè quis interpretetur, duo illa, nimirum perniciem, ac felicitatem, in potestate liberi arbitrij posita: liberúmque Iudæis esse vtrolibet inclinare. Quod quidem populo Hebræo dixit Deus Deut. 30. 15. *Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum; & è contrario, mortem, & malum.* In liberam prædam (vt annotauit Chrysost.) Quasi enim liberum quoddam voluit esse aucupium mortis, ac vitæ, vt in alto veluti suspensa animabus fidelium exponerentur ad prædam. Ad sententiam verò Deuteronomij videtur allusisse Sapiens Eccli. 15. 17. *Apposui tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum.* Et statim explicans addit: *Ante hominem, vita, & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi.* Hominis arbitrium (ait ibi Iansen.) quasi suspendit in æthere, inter duo extrema elementa. Aquam in symbolum refrigerij æternæ vitæ: ignem in expressionem tormentorum apud inferos. nube igitur de se lucida, ac de se ad refrigerandum composita, igne item inuoluente proposito, Iudæos excitat ad liberam electionem, antequam Dei consilium executioni mandetur.

*Nostra pernicies, & felicitas in nostra potestate.* Deut. 30. 15. Chrys. *Liberum aucupium mortis & vitæ.* Eccli. 15. 17. *Hominis arbitrium inter refrigeria gloriæ, & pœnas inferni.* Iansen.

Certè quidem acutè philosophatus est Nazianz. Greg. in oratione de amore pauperum, ac ea ipsa, quæ diximus, quasi in aëre suspensa ad Iudæorum præmonitionem, in ipso homine rimatus est. Ponderans enim quomodo sæpe desæuiat ignis concupiscentiæ in membris hominum, & tamen recta consilij ratio affulgens desuper ostendat viam iustitiæ: id diuino consilio actum affirmat, vt homo sciret, è cælesti se simul, & tartarea quasi conflatum materia, vt quò velit propendeat liberè. Vt intelligamus, inquit, nos maximos simul, & abiectissimos esse, terrenos, & cælestes, temporarios, & immortales, lucis, ac ignis tenebrosi hæredes, prout ad alterutrum nobis propendere contigerit. Hæc nostra temperatio, &c.

Greg. Naz. *Homo quasi è cælesti & tartarea materia cõflatus.*

6. Denique splendor ambiens medium ignis ardorem significat nunquam sic efferuescere diuinam iram, vt non limitetur, & contineatur vndique à diuina potentia, ne effusiùs, quàm par est, nocere pergat. Vnde illud Psalm. 47. 11. *Iustitia plena est dextera eius.* Quasi pugno enim iustitiam concludit, ne sine modo in malos cadat, sed potenter attemperata. Meliùs autem A quadrabit, si dicas, nubem in medio horrendum efferuescentem desinere quoquo versùs in splendorem iucundum oculis, vt ostendat iram Dei, quantumuis horrendam desinere in iucundissimam misericordiam, ac benignitatem. Vnde Hieronym. hoc loco, Cùm terrores, inquit, peccatoribus inferat, splendore tandem rutilat, ideo nos excoquens, vt puris, atque purgatis tribuat lætiora.

*Splendor ambiens nubem igneã, diuina potentia continens iram Dei.* Ps. 47. 11. *Iustitia plena dextera, quia potentia Dei iustitiã coërcet.* *Ira Dei quantumuis horrenda desinit in misericordiam.* D. Hieron. *Deus nos excoquit, ac puros reddit.*

---

## De numero animalium.

B

### SECTIO II.

1. *Animalia non fuisse quatuor, sed vnum tantùm, est opinio aliquorum, quæ refutatur: & fuisse quatuor, probatur ex textu.*
2. *Fuisse plura alij fatentur, sed facies habuisse sparsas per totum corpus, quod Vates dicat animalia moueri secundùm faciem suam.*
3. *Opinio hæc probabilis, quod expeditiora proponit animalia; ostenditur tamen minùs probabilis, quòd duo, quæ Propheta proponit, non facilè expediat. satisfit eius argumentis.*
4. *Opinio Hebræorum, esse facies humanas, sed cum vestigiis animalium assignatorum. Ostenditur hæc pars non carere probabilitate, ex Platone. Refellitur* C *tamen.*
5. *Vetus opinio comprobatur, & proponitur optima regula interpretibus Scripturæ necessaria.*

1. NVBEM illam magnam, & horribilé eò præcipuè expandit Deus, vt in ea táquam in theatro admirabilem tragœdiam exhiberet. Idcirco sequitur, Vers. 5. *Et in medio eius similitudo quatuor animaliũ, & hic aspectus eorum: similitudo hominis in eis.* Vers. 6. *Quatuor facies vni.* Vers. 10. *Similitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor; facies autem bouis à sinistris ipsorum quatuor, & facies aquilæ desuper ipsorum* D *quatuor.* Quamuis animalium numerus satis expressè videatur positus à Propheta, de illo tamen magna est apud Autores controuersia, cuius radix latet in cap. 10. vbi sermo redit de his ipsis animalibus. Nam post multa, quæ de illis per recapitulationem adhibet, in hunc modum Vates: *Ipsum est animal, quod vidi subter Deum Israël iuxta fluuium Chobar.* vbi numerus singularis non videtur pati, vt plura animalia esse dicamus. Quare sunt, qui vnum tantùm asserant, cum quatuor faciebus, ob quas solùm Propheta quatuor animalia nominauit. Alij putant plura quidem fuisse animalia, sed vnumquodque quadri- E partitum, ita vt vnicuique parti responderent quatuor facies; ac adeò vniuersim fuisse in quatuor animalibus sexagintaquatuor facies, & ducentas quinquagintasex alas, &c. Verùm opiniones istæ facilè refutantur ex contextu. Prior quidem, quia dicitur in contextu, *& quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni.* Manifesto, & communi Hebraismo, ad significandam pluralitatem. Et quatuor quidem vocat Propheta, fuisse autem ratio quadrigæ quam describit necessariò exigit. At verò cap. 10. dictum est animal, per synecdochem, vno, scilicet, sumpto pro pluribus, more vsitato. Vnde postquam Propheta ibi

*Magna controuersia de numero animalium. Iuxta quosdam vnum est animal, & ideò quatuor, quia quatuor habet facies. Iuxta alios plurima, & quomodo? Esse quidem plura ex contextu, ob vim numinis, vnus. Quatuor fuisse, ex testimonio Prophetæ, & ex ratione quadrigæ. Vnum animal dicitur cap. 10. per synecdochẽ.*

ibi dixit: *Ipsum est animal*, &c. statim addidit: *Et intellexi, quia Cherubim essent*: numero scilicet plurali, quare ex hoc capite infirmum sumitur argumentum ad probandum vnum esse animal. Posterior opinio ideo non probatur, quoniam illa facierum congeries per se ipsam improbabilis est, & textui contraria.

*Plurima animalia textui contrariantur.*

*Iuxta alios quatuor animalia ob quatuor species toto corpore expressas.*

2. Sunt ergo alij, qui quatuor quidem animalia concedant, sed in assignandis faciebus nouo modo differunt. Nam quatuor facies metaphoricè sumunt, vt, videlicet, corpus animalis chimeræ instar è quatuor animalium partibus conflatum sit eo ordine, quo Propheta ait: primum hominis, deinde leonis, postea bouis, denique aquilæ. Iuuat hanc opinionem, quòd facies sumi solet non pro vultu duntaxat, sed etiam pro eo quod est alterius viuum specimen, vt vel ob id facies illius iure vocari queat, itaque pro habitu, pro specie, pro dispositione, pro figura sumitur, & Scripturæ exemplis illustrari potest; nam פנים facies, deducitur à פנה quod est aspicere, prospicere, &c. Ac adeò facies idem est, ac aspectus, apparentia; vnde & inanimis tribuitur, Isai. 24. 1. *Dominus affliget faciem eius*, scilicet terræ. Psalm. 103. 30. *Renouabis faciem terræ.* Addunt Autores argumentum ex ipso contextu prophetiæ. Nam hoc primo capite dicitur animal *coram facie sua ambulare*; ergo vnam tantùm habuit faciem propriam: nam si habebat quatuor, non esset ratio, cur vna esset magis propria, quàm alia. Deinde non moueretur antrorsum, quoniam cùm quaternas haberet facies, versùs omnes procederet, quod est impossibile, & Vates sibi contradiceret, animal affirmans moueri coram facie sua. Denique in cap. 10. hæc animalia dicuntur Cherubini; at Cherubinos habere nouimus in Scriptura figuram iuuenum alatorum, videlicet ea specie, qua communiter pingi solent.

פנים
פנה

*Facies aliquando pro apparentia.*
Isai. 24. 1.
Ps. 103. 30.
*Probant hi Autores suam opinionem.*

*Hæc opinio probabilis, & expedita.*

3. Hæc interpretatio probabilis est, & animalia ipsa expeditiora proponit; nam quatuor faciebus quatuor animalium propriè sumptis, & in vnum corpus compactis, non satis expeditas imaginamur insertas tot alas, nec verò tot brachia sub alis. Deinde facies in sensu quem ponit, facilè in quolibet animali intelligimus: vt vnumquodque quatuor animalium similitudines diuersis sui partibus præferat, vultu quidem, brachiis, manibus, & ipsa rectitudine corporis hominem; ceruicibus, humeris, ac pectore iubatis leonem; alis aquilam; plantis bifidis vitulum.

*Quid in ea opinione difficile sit.*

Verùm id semper difficile erit in hac opinione, quomodo intelligendum sit illud: *Non reuertebantur cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam ambulabat.* At in ea sententia, quæ quatuor capita in quolibet animali collocat, idque in partes oppositas, facilè capitur. Pro quo notandum est, verbum reuerti aliquando significare idem ac flectere se ad oppositos motus, aliquando regredi per eandem quasi lineam, quod in his animalibus non erat simpliciter retrogredi, nisi fortè comparatione oppositæ faciei: sed erat simpliciter & naturaliter gradi secundùm faciem aliquam. Animalia igitur hæc gradientia verbi causa ad Orientem, si ad Occidentem retrogredi vellent, non se vertebant, sed secundùm eas facies, quibus respiciebant Occidentem, ambulabant statim. At si vna tantùm vni sit facies, qua ratione queat in opposi-

*Verbum reuerti quot modis sumatur.*

A tam partem incedere, quin faciem conuertat, non facilè intelligitur: nisi dicas simpliciter in terga retrogredi, quod repugnat textui: nam dicitur: *Vnumquodque ante faciem suam gradiebatur*, quo verbo significatur naturalis incessus. Item illud quoque arduum est in hac opinione, videlicet, assignare dexteram, & sinistram partem in faciebus, cùm dicitur: *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipsorum quatuor*, &c. Nam quod aiunt, id esse, hac illac dispersas esse facies, violentus est sensus. At in alia opinione facilè intelligitur dextrum, & sinistrum respectu faciei humanæ. Præterea etsi negari non potest, faciem in Scriptura sumi etiam metaphoricè, quatenus

B idem est, ac specimen; tamen cùm de facie alicuius animalis agitur, ex communi vsu id accipiendum est, videlicet pro facie propriè sumpta.

4. Non tamen per hoc tolli omnino crediderim probabilitatem opinionis huius, quoniam explicat sufficienter difficultates oppositas, & in suo sensu non nimis exorbitat: eius tamen argumenta non multam habent vim. Ad primum enim respondetur: vnumquodque animal habere suam propriam faciem, secundùm quam principaliter graditur, & hanc in quolibet apparere illico, vt principalem, tamen secundùm reliquas etiam minùs principaliter suas moueri, si opus est, idque inflexibiliter, quoniam ex quatuor illis faciebus, vnum quasi naturale animal

*Argumenta prædictæ opinionis non multam vim habent.*

C effectum ostendebatur. Ad secundum, non esse impossibile, vt animalia secundùm reliquas facies moueantur, siquidem parata habent instrumenta motus in quamlibet partem, vt patebit. Ad tertium Cherubinos non habere propriam faciem, sed in Scriptura, prout res exigit, effigiatos ostendi: hîc autem res postulat, vt eo modo figurentur, sunt enim propriè throni ex tertia Hierarchia, iis verò conuenientior est quadriformis vultus, vt ex dicendis apparebit.

5. Est & Hebræorum quorundam (vt Vatablus refert) existimatio, animalia singula habuisse quatuor facies hominis, ita tamen, vt re-

*Hebræorum existimatio de numero animalium.*

D ferrent quodammodo ea animalia, de quorum nomine hîc vocantur. Verbi causa, vna facies erat simpliciter humana, alia humana quidem, sed cum vestigio leoninæ faciei, alia similiter humana, sed habens vestigium bouis, vltima habens vestigium aquilæ. Fundamentum huius placiti est, quòd primùm dixit Vates: *Hic aspectus eorum similitudo hominis in eis*; præterea cap. 10. pro forma bouis, quam hîc scribit, adolescentem posuit. Hæc improbabilia videbuntur, quia non apparet, quomodo in humano vultu leoninus discerni possit, ac sic de cæteris. Verùm si res ipsa maturiùs consideretur, fortè non existimabitur carere fundamento: nam & Aristoteles in physiono-

*Fundamentum opinionis Hebræorum.*

*Alicui non videbitur improbabile.*

E mia, alios homines ait ad leones, alios ad boues, alios ad canes, alios ad alia animalia referri. Et Plato singulos homines habere aliquid dixit in cerebro, quod bestiam aliquam sapiat. Nihilominus tamen, etsi hæc opinio probabilia ponat, non est certa, neque verò necessaria: nam quod Vates priùs hominis vultum tantummodo posuit, non fuit alia ratio, nisi quia animal est præcipuæ dignitatis. Cap. autem 10. non adolescentem pro boue posuit, sed Cherubim; de hac verò mutatione suo loco dicemus.

*Opinio non est certa, neque necessaria.*

6. Non ergo deserenda est communis vetúsque sententia, quæ Hieronymo placuit, item

*Vera sententia, quæ quatuor in quolibet animali facies ponit.*

item Greg. Theod. Rupert. ac cæteris; fuisse scilicet quatuor animalia, ita vt in quolibet eorum quadruplex facies emineret ad eum modum quo diximus, & explicuimus in Paraphrasi Visionis. Cauendúmque semper interpreti sacrorum librorum, ne dum sensus expeditos tradere nititur, violentos afferat. Iuteque D. Hieronymus aduersùs eos, qui antiquos Patrum sensus in Scripturis violenter immutant, explicat illa verba Pauli ad Galatas 1. 6. *Miror, quòd sic tam citò transferimini in aliud Euangelium, quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.* Eos enim ait conuertere Euangelium Christi, qui nouis, & malè cohærentibus interpretationibus, nouas Euãgelio facies dant, vt, quod aliud non est, penè appareat aliud. Non ergo aliter Ezechielis animalia conuertisse credendum est, qui scilicet sparsis toto corpore faciebus, vel in humanis vultibus affictis aliis, nouiter mundo visenda proposuit, quæ profectò iure miraretur antiquitas, nec planè cognosceret.

*Quid cauendum interpreti sacræ Scripturæ.* D.Hieron. ad Galat. 1. 6. *Nouis sensibus conuertere Scripturam perniciosum est.*

## *Proponuntur variæ opiniones de significatione animalium, rotarum, &c.*

## SECTIO III.

1. *Opinio Origenis de significatione animalium. Item opinio Diui Ambrosij moralis est.*
2. *Opinio Hieronymi & Gregorij Magni de quatuor Euangelistis non explicat quatuor in Euãgelistis facies; & cum Vates agat directè de suppliciis inferendis in Hierosolymitanos, nequaquam primò respicit Euangelistas.*
3. *Opinio Catinæ, cognomento Ingeniosi, per animalia significari castra Hebræorum. Vetus quoque existimatio gentis Hebrææ, per eadẽ animalia significari quatuor archiduces exercitus per solitudinem incedentis reprobatur.*
4. *Aliorum placitum, significari ordinem & apparatũ diuinæ prouidentiæ, Theodoreti, humanam naturam cum dotibus suis, regno, sacerdotio, prophetia, ratione. Aliorum, omnes creaturas, longè abest ab scopo Visionis.*
5. *Prado, esse quadrigam Dei triumphatoris de Ægypto, & Christi de diabolo, non probatur, quia Deus vltor exhibetur hic, non triumphator.*
6. *Maldonati sententia, quòd sit quadriga quatuor regnorum, quæ Iudæos vexabant, quod latè explicat, non placet; & quare.*

1. IN re admodum obscura non potest non esse magna varietas sententiarum. Ergo primùm Origen. homil. 1. in Ezechiel. per quatuor animalia, quatuor in homine affectiones intelligit. Et hominem quidem referre partem rationis capacem; leonem irascibilem; bouem concupiscibilẽ; Aquilam Spiritum Dei, quo reguntur homines. D. Ambr. 3. lib. de Virginibus, per hominem prudentiam, per leonem fortitudinem, per bouem temperantiam, per Aquilam iustitiam interpretatur. Rectè autem, & vtiliter hæc ad mores. literalem sensum quærimus.

Orig. *Per quatuor animalia quatuor hominum affectiones.* D. Ambros. *Aliter, quatuor virtutes cardinales.*

2. D. Hieronymus, & D. Gregor. Magnus, per quatuor animalia quatuor Euangelistas accipiũt. Primùm enim cõuenit numerus; deinde quatuor facies in quatuor orbis partes, quia cuilibet Euãgelistæ dictum, vt irent, vtque in mundũ vniuersũ scriberent Euangelium. Cõueniunt autẽ in eiusmodi faciebus, quia summus inter eos dictorum consensus est, & concordia. Quatuor cuique pennæ, duæ ad volandum, quoniam æqua celeritate discurrerunt: duæ ad tegendum corpus, quia humanam scientiam tegebant, & quasi cæcam reddebant, ait Hierony. aut quia amore, & spe ad futura anhelabant, timore, & pœnitentia præterita peccata tegebant, ait Gregor. Sonus alarum est ille de quo dicitur, *In omnem terram exiuit sonus eorum.* Tibias rectas habent, quia quocũque impellit spiritus, vadunt, absque vlla tergiuersatione, exequutionémque præstant minime obliquam ac tortuosam. Plantæ rotundæ, propter mobilitatem ac facilitatem ad percurrendum orbem. Scintillant splendore Euangelij. Manus sub aliis habent, quia non solùm verbis, sed factis conuersionem iuuant. Non reuertebantur, quia veritatem prædicabant, quam reuocare non poterant. Vel, vt Gregorius, quia semper in melius proficiebant.

D.Hieron. Greg. Mag. *Aliter, quatuor Euangelistæ.* *Scripserunt in vniuersum orbem. Summus consensus Euangelistarum. Æqua celeritate discurrerunt. & humanã scientiam texerunt.* D.Hieron. *Amore & spe ad futura volant; timore & pœnitentia peccata tegunt.* D.Greg. *Sonus alarum, qui exiuit in omnẽ terram. Obedientia exequutio in nullo tortuosa. Facilitas ad percurrendũ orbem. Verbis & factis conuersioni incumbunt. Veritas irreuocabilis.*

Hæc opinio etsi multùm inualuit ob autoritatem Hieronymi, & Gregorij, in ea tamen non pauca desiderantur. Primò, numerus facierum apud Hieronymum, qui singulis Euangelistis singulas tantùm facies accommodat. Matthæo hominis, quòd de Christo homine agat: Marco leonis, propter vocem clamantis in deserto: Lucæ bouis, quòd à sacrificio Zachariæ orditur: Ioanni Aquilæ, quòd de Christi diuinitate agat. At iuxta Ezechielem singula animalia quatuor facies habent. Secundò, Vates agit de suppliciis inferendis à Deo Iudice in populum Iudæorum, vt ex ipso oraculo patet, quorsum ergo Euangelistas depingeret? quorsum item ab Aquilone veniunt, si constat Euangelistas ab Austro potiùs, hoc est, ab Ierusalem, quæ est versùs Austrum, prædicationem suam auspicatos esse?

*Quæ desiderentur in ista opinione.*

3. Refert etiam D. Hieronymus interpretationem Catinæ cuiusdam Syrij cognomento Ingeniosi, qui in quatuor animalibus castra Hebræorum, vt in solitudine constituebantur, figurari putat, videlicet per faciem hominis totum exercitum Israëlitidem: per faciem leonis regiam tribum Iudæ: per faciem bouis, tribum Sacerdotalem Leuitarum: per faciem Aquilæ eminentiorem ipsum Deum vltorẽ de peccatis populi. Non longè abest ab hac opinione illa vetus Hebræorum, qui per quatuor animalia quatuor archiduces exercitus Hebræorum in deserto significari putant. Nam ita castrametatos in quadrangulum ex præcepto Dei, Numer. 2. 3. constat, vt quatuor cornua castrorũ tenuerint, ad Orientem quidem Iudas vexillum prætendens leone depictum: ad Occidentem Ephraim cum vexillo exprimente vitulum: ad Aquilonem Dan vexillum habens Aquilæ: ad Meridiem Ruben, cum vexillo hominis. Quidquid autem hæc, vel ingenij, vel apparatus præferant, nihil omnino ad argumentum Visionis.

*Catinæ Ingeniosi explicatio pro castris Hebræorum.* Catina. *Opinio veterũ Hebræorũ pro quatuor archiducibus tum eorum insignibus.* Num. 2. 3.

4. Alij, Origene ac Hieronymo referentibus, per quatuor animalia quatuor mundi plagas acceperunt; per eorum facies quatuor elementa; per rotam in medio rotæ, elementorum commistionem, vel quatuor anni temporum circulum. Per firmamentum, ipsum cælum; per sedentem in throno imperium cuncta regentis Dei; itaque generalem esse picturam diuinæ, & vniuersalis prouidentiæ. Eodem tendit Apollinaris, & Polychronius

*Alij, quatuor mundi plagas accipiunt, & quomodo?* Origen. D.Hieron. *Generalem hic contineri prouidentiæ rationẽ.* Apollinar. Polychron.

lychronius, existimantes effigiari hic ordinem A vniuersalis prouidentiæ. Aliter autem sumunt animalia, videlicet, vt sint inuisibiles exercitus, & facies quatuor, vniuersitas sit creaturarum. Theodoretus docet per quatuor animalia omnē humanam naturā significari, cum dotibus à Deo sibi datis, Regno videlicet per Leonem, Sacerdotio per Bouem, Prophetia per Aquilam, Ratione per hominem: itaque quadrigam Dei, Homine, Rege, Sacerdote, Propheta niti. Alij philosophicè interpretātur per quatuor animalia omnes creaturas intelligi; per hominē, omnes rationales; per Leonē syluestres, & indomitas; per Bouē omnes domesticas; per Aquilam omnes volucres; & omnes à Deo quasi in quadriga gubernari. Verùm hæc omnia longè exorbitant à scopo Visionis.

*Per quatuor animalia, humana natura apud Theodoret.* Theodor. *Quadriga Dei, qualis in homine, & qualis in creaturis.*

Prado. 5. Hieronymus Prado in Commentariis su- B per Ezechielem eleganter admodum Visionis huius argumentum proponit, asseritque esse triūphum Dei Redemptoris de captiuitate Ægyptiaca, & typicè etiā, sed germano sensu, Iesu Redemptoris de captiuitate communi generis humani. Ita fuisse visum à Moyse in monte, Exod. 24.17. similiter & apparatum arcæ in templo repræsentare prædictum thronum, & quadrigam Dei redemptoris. Elicit autem id ex loco Sap. 18. 14. & latè explicat per multas Sectiones. Sed existimamus omnia illa, etsi speciosè dicta, non quadrare in rem præsentem, quę Deum potiùs vltorē exhibet in Iudęos, quàm triūphatorē; verúmq; est C illud Sap. 1.13. *Deus nō lætatur in perditione viuorū.*

*Prado, triūphum accipit Dei Redemptoris.* Exod. 24. 17. Sapient. 18. *Non probatur opinio.* Sapient. 1. Maldonat.

6. Maldonatus magis hærens literæ opinatus est, magnam aliquam rerum conuersionem significari præmissa illa tempestate, nempe regnorum quorundam, aduersùs quæ in sequentibus prophetat Ezechiel. Ac adeò existimat animalia quatuor, quatuor esse Reges; nempe Chaldæorum, Tyriorum, Ægyptiorum, Assyriorum: varias facies significare varios mores, quibus regna mūdi subditos regunt. Alia enim exhibent humanitatē, vt homines; alia ferocitatem, vt Leones; alia rapacitatem, vt Aquilæ; alia conculcationem, vt Boues. Animalia currum Dei trahunt, quia velint nolint Deo subiecta sunt. Alæ, tibiæ, plantæ, &c. summam eorundem regnorum ad obediendum D Deo propensionem innuunt. Rotas interpretatur ipsa regna, quę Reges in omnibus sequuntur. Rotam in medio rotæ propensionem, vt quolibet trahantur. Oculos accipit consiliarios regnorum. Color cæruleus, seu cælestis, indicat regna à Deo dari, &c. Hæc etsi ex ipsis prophetiæ visceribus sumpta, nec præcipua sunt, nec serie ipsa explicationis congrua. Nam principaliter contra Iudæos prophetat Vates, ac adeò super illorum rempublicam potiùs, quàm super alias credendus est occupari hoc loco. Præterea cùm Deus armatus inducatur contra hæc regna, non videntur congruè apponi ad vehendam quadrigam Dei. Ob hæc, & alia, quæ omittimus, non placet eiusmodi interpretatio: curabimúsque sequenti Sectione, si E poterimus, germaniorem proponere.

*Animalia quatuor, quatuor esse reges ait Maldon.* *Reiicitur explicatio, quia nō congruit argumento.*

## *Probabilior sententia de significatione animalium.*

## SECTIO IV.

1. *Significari tribunal Dei iudicātis, quòd ideo quatuor illis animalibus, quæ thronos repræsentant, insidēt; nā throni spiritus sunt, quibus quasi insidet iudicaturus Deus. Hæc iuxta Dionysium Areopagitam.*
2. *Thronis vti Deū ad exercenda iudicia, ostenditur ex D. To. ex D. Greg. Magn. ex Psal. 9. & ex D. Basil. D. Fernan Vis. vet. Test.* A *Hæc optimè quadrāt, quia Deus venit puniturus Sedeciā cum suis, & consolaturus Iechoniā, & socios.*
3. *Ostenditur idē ex Theod. Locus Psal. 138. Probat id Chrysostomus ab sparsis toto mūdo tribunalibus.*
4. *Cum illis præcipuè faciebus videntur throni, vt omnino regij appareāt: habēt enim ea maximè animalia aliquid regiū. Illustrat hoc D. Bern. Locus Theod.*
5. *Cur apparent throni cùm faciebus rerum corporearū, cùm sint à corpore secreti? Respondetur, ex Theodoreto, vt congruāt hominibus corporeis. D. Greg. Mag. locus. Per facies intelligi varias notitias, quibus throni nobis cōgruunt: facie hominis, cognationē præferūt, ex Greg. Nyss. & D. Crys. facie Leonis, generositatē locus Ephes. 3. facie Bouis, cura eorundē circa culturā cordiū nostrorū ad pœnitentiā; facie Aquilæ perspicacitas ad contemplationē diuinorū iudiciorum.*

B 1. POST has opinionum varietates, nostram sentētiam ipsi Visionis scopo maximè respondentem desumemus primùm ex Dionysio Areopagita 15. cap. de cælesti Hierarchia, vbi ait thronos diuinis iudiciis inseruire. Quare existimamus hoc loco primùm significari Deum, quatenus Iudex est, ac meritorū, demeritorúmve iustus distributor, quod quidē aptissimè quadrat in ipsam Prophetæ mentem. Nam (iuxta ea quæ suprà diximus) eò tendit, vt & Sedeciæ, ac sociorum procacitatem compesceat: & Iechoniæ, reliquorúmque exulum querimonias consoletur. Deinde putamus aptè ob hoc C ipsum exhiberi Deum super hæc animalia, vt ostēdat, iis quasi vectum quoquouersùs res humanas iudicare. Ideo autem horum animaliū congruit exhibitio, quòd spiritus beatos significent, qui dicuntur throni in suprema Hierarchia, quæ continet thronos, Cherubim, & Seraphim: appellantur enim throni, ex eo quòd Deus in illis sedeat quasi Iudex. Aduertit enim D. Th. Isai. 37. Deum sedere in Seraphim, quibus significatur ardor, tanquam in sede amoris. In Cherubim, quibus plenitudo scientiæ, tanquam in cathedra magisterij, in thronis, qui solent Iudicibus ad iudicandum apponi, tanquam in sede iudicij.

D. Dionys. Areop. *Significatur Deus, quatenus iudex est, & suppliciorū ac præmiorum æquus distributor.* *Scopus Prophetæ, Sedeciam cōprimere, Iechoniam consolari.* *Hæc quatuor animalia thronos exhibent, qui Deo iudici inseruiunt.* D. Thom. Isai. 37. *Variæ sedes Dei ex beatis spiritibus.*

2. Vnde idem sanctus Doctor in 4. d. 47. q. 1. art. 2. 2. ad illam quæstionem, An Angeli iudicaturi D sint in die Iudicij, quod futurum probabile apparebat ex eo, quòd inter eos est ordo thronorum, quibus iudiciaria Dei autoritas significatur? Respondet, Thronos dici tantùm respectu quotidiani iudicij Dei, cuius sunt promulgatores, & executores. His consonat Magnus Gregor. homil. 34. super Euangelia, sic: Throni quoque illa agmina sunt vocata, quibus ad exercenda iudicia semper Deus omnipotens præsidet: quia enim thronos Latino eloquio sedes dicimus, Throni Dei dicti sunt ij, qui tanta diuinitatis gratia replētur, vt in eis Dominus sedeat, & per eos decernat iudicia mundi. Vnde per Psalmistam dicitur: *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* Ita Gregor. Rectè verò in prædictis verbis Psalmi 9.5. proprietas E iustissimi Iudicis significatur, cùm dicitur: *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiam.* non solùm quia iudicia in hoc mundo executurus in thronis peculiariter sedere dicitur, sed quia throni eleuatiores à terra, ac firmiores in se exactā iustitiæ rationem repræsentant. Vnde annotat Basilius ad prædicta verba Psalmi, Thronus Dei ex iustitia cōstat, id est, conditiones præfert maximè naturales iustitiæ; quas quidem D. Th. egregiè eruit ex Dionys. Areop. in 2. Sent. d. 9. q. 3. Cùm ergo Deus malis supplicia, bonis præmia largiturus veniat, thronis suis congruentissimè sedet ad iudicandum.

*Throni inseruiunt quotidianis iudiciis* Greg. M. Psal. 9. 5. *Throni exactam iustitiæ rationē repræsentant.* D. Basil. D. Thom.

3. Nunc videndum, an apparatus ipse animalium thronis conueniat. Quatuor angulorum facies, ad quatuor orbis partes, significant, autore Theodoreto, vniuersaliter mundo è thronis suis præsidere Deum. Vnde egregiè ponderant Hebræorum Magistri; *Elohim*, quod vnum est è nominibus Dei, poni statim in principio Genesis, cùm dicitur, *In principio creauit Deus cælum & terram*, id est, omnes creaturas vniuersaliter: nam quod noster vertit, *Deus*, in Hebræo est, *Elohim*, propriè *Iudices*: quia Deus sicut vniuersaliter creauit omnia, ita vniuersaliter iudicat, idque per administros thronos, quos in ministeriū hoc vocat, vt se Iudicem quasi vehant, dum executioni mandant, quæ iudicat. Fortè autem propterea dictum est à Dauide Psalm. 138. 7. *Quo ibo a spiritu tuo, & quò a facie tua fugiam?* nam ibi ad literam, horret Vates Iudicem Deum, quòd illum nullibi gentium declinare possit; quasi dicat: vbique præsentes me videre videor facies illas quadruplices spirituum, qui tibi ad iudicia mundi vniuersalia exercéda astant, vel à spiritu tuo, hoc est, ab illa vi tua, ac potestate iudiciali, quæ spiritus instar totum orbem permeat, vt nullibi nō adsit.

*Quatuor facies, ad quatuor orbis partes, significant, Deū vniuersaliter è thronis præsidere mundo.* Theodoret. Genes. 1. 1. *Deus sicut vniuersaliter creauit omnia, ita vniuersaliter iudicat.* Psal. 138. 7. *Non posse declinari spiritus, qui ad iudicandū seruiūt, quī vim ipsam Dei iudiciariā.*

Hanc Dei vniuersalem ad iudicandum præsidentiam considerans Chrysostomus homil. 49. ad populum: propterea factum putat, vt vbique nobis occurrant tribunalia: in foro, in castris, in scholis, in agro, in mari, in domibus: in his enim omnibus est aliquis qui ius dicat, qui pœnas exigat, qui det præmia. Et vbique, inquit, iusti quæstio dispersa est, vt agnoscamus eum, cuius dextera plena est iustitia, & qui habet iustitiam sicut montes Dei. Ita Chrysost. Rectè ab sparsis toto orbe visibilibus tribunalibus, illorum thronorum, in quibus Deus ad vniuersalia mundi iudicia inuisibiliter præsidet, deduxit prærogatiuam.

D. Chrys. *Vbique occurrunt tribunalia, vt vbique iusti quæstio dispersa cognoscatur.*

4. At cur eiusmodi spiritus visi sunt potiùs cum illis quatuor faciebus, quàm cum aliis? Grauiter mihi ad hanc quæstionem respondere videtur Theodoretus, quoniam hæc animalia regium quippiam, & excellens præseferunt: nam homo Rex mundi à Deo factus est Genes. 1. 28. Leo est irrationabilium terrestrium facilè princeps; Aquila regina volantium; Vitulus sacerdotium significat, sacrum videlicet principatum. Ex quibus omnibus colligitur, thronos hic significatos verè esse regalibus eminentes prærogatiuis: quod quidem Bernard. ab ipsa proprietate vocabuli subtiliter elicit serm. 19. super Cant. Si Regis, ait, palatium intres, nónne cùm cathedris plenū sit, regia sedes in eminenti posita cernitur; vt non opus sit quærere, vbi Rex sedere soleat; nimirum mox occurrit manifesta sedes cæteris altior, ornatiórque sedilibus: sic quoque omni decoris ornatu cunctis aliis præeminere spiritibus istos intellige, in quibus speciali quodá stupendæ dignationis munere, diuina eligit residere maiestas, vt istos tanquam propriam sedem sua principaliùs illustret præsentia, &c. Hæc Bernard. Congruenter autem Deus super hæc animalia regalium facierum iudicaturus venit, quoniam, vt ait Theodoret. per hæc ostenditur, omnem humanam naturam cum propriis ducibus subiectā esse omnium Regi Deo. Ita Theodoret. quasi sic timeri se ab hominibus velit, quandoquidem eorum capita, id est, omnium ordinum excellentissima suis ipse pedibus calcat.

*Apparent throni cum illis quatuor faciebus, quia animalia earū regiū quippiam præseferunt.* Genes. 1. 28. D. Bernard. *Vt regius thronus statim in palatio cognoscitur, sic throni manifestiùs præeminent.* *Omnis humana natura subiecta omniū Regi Deo.*

5. Verum est, quod obiiciat aliquis ex Dionysio. Nam is loco iam citato, nominis throni

Dionys.

A etymologiam rimatus, sic ait: Thronorum excelsorum nomen declarat id; quod ab omni terrena admistio ne secretum est. Quomodo ergo facies hominis in eis, & facies Bouis, & facies Leonis, & facies Aquilæ, quæ prorsus terrena sunt? Rectè quidem D. Bern. serm. 5. super Cant. Deum ait, in eiusmodi corporalium assumptione facierum, solas in se ipso efficacitates, in Angelis ministerij spectare congruentias. Quasi dicat, Deum quidem, ac Angelos multa circa nos sola efficacitate suæ naturæ operari, sæpe tamen illa exhibere per assumpta corpora, vt nobis corporeis meliùs congruant. Ita profectò in præsentibus, spiritus suapte natura incorporei multiplices assūpsēre facies, ac Deus ipse speciem homi-
B nis in electro candenti, omnino solùm ad congruentiam, qua se Prophetæ sensibus accommodarent. Quapropter Gregor. Magnus, quatuor has facies in supremis illis spiritibus quatuor notitias interpretatur, quibus per speciales effectus, ac beneficia nobis innotescunt. Et rectè quidem ex vsu ipso Scripturæ: nam facies in ea non semel sumitur pro notitia, Psal. 30. 17. *Illustra faciem tuam super seruum tuum.* Pressus laboribus, ac circumuentus ab hostibus, hæc dicebat Vates, & quamquam notum esse sciebat, Deum sibi esse adiutorem, in obscuro laborum iacens, obscurari hanc notitiam ægrè ferebat; quamobrem petit clarum iterum reddat per auxilia, & fauores spe-
C ciales. Vnde annotatio Augustini: Sic appareat, inquit, quòd pertineo ad te.

*Thronorum nomen significat id, quod ab omni terrena fece alienum est.* D. Bernard. *Deus in assumptione facierum, efficacitates solas spectat, Angeli ministeria.* *Deus in electro, vt se Prophetæ sui accommodet.* Greg. Mag. *Quatuor facies in spiritibus, quatuor notitia, quibus nobis innotescunt.* Psal. 30. 17. *Facies, pro notitia, in Scriptura.*

Igitur hoc loco facies quatuor in singulis animalibus iuxta doctrinam Gregorij, sunt manifestationes quatuor, quibus se spiritibus illi beati variè produnt in ministerio iudiciariæ potestatis. Prima hominis facies, cognationem, quam cum hominibus habent: nam (vt rectè asserit Gregor. Nyssen. de vita Moseos) frater quodammodo hominis animo est Angelus ob intellectualiū connexionem: vnde non mirum si humanitatem ac compassionem in humanis malis, quæ Dei iudicio inferūtur, præ se ferant. Quod notauit Chry-
D sostom. serm. de Ascensione Domini, in illis Cherubinis, qui à Deo positi sūt ante paradisum cum flammeo gladio, vt ab eius ingressu hominem eiectum repellerent. Putat autem Theodoret. (vt refert Lippomanus in Catena Genes.) fuisse animalia terrificas habētia formas, qualia apud Ezechielem, ac adeò thronos, de quibus agimus. Licet autem flammeo gladio custodiam multò efficerent terribiliorem, tamen is gladius versatilis erat (vt ibi dicitur) hoc est, vt Strabus ait, talis, vt facile amoueri posset. Vnde & locus datus est Chrysostomo, vt in tanta terroris specie lenitatem Cherubini deprehenderet, quasi non vltrò gladium intenderet, & nisi foret præceptum Dei,
E facilè à se abiecissent. Dolebant, inquit, Cherubim honorem custodiæ. Conseruus bonus, cùm à domino custodiendum conseruum suscipit, satisfacit quidem dominicæ iussioni, sed tamen ob pœnam conserui nimio dolore conteritur, ac seruitutis necessitate constrictus animi charitatem non respuit: sic & Cherubim meruerunt quidem custodire paradisum, sed dolebant honorem custodiæ. Ecce quomodo facies hominis, seu potiùs humanæ facilitatis, ac clementiæ signum in thronis appareat.

Greg. Mag. *Facies quatuor, manifestationes quatuor, quibus se spiritus illi variè produnt.* *Hominis facies ostendit cognationem cū hominibus.* Greg. Nyss. *Angelus est frater hominis quoad animum.* D. Chrys. Lippoman. *Cherubines custodientes paradisum fuisse thronos.* *Gladios habebant versatiles, quia facilè remoueri poterant.* D. Chrys. *Cherubini dolebant honorem custodia paradisi, propter hominem.* *Facies hominis, hoc est, speciem humanitatis.*

Secunda verò facies Leonis eorundem repræsentat generositatem, quæ propria eius animalis prærogatiua est, autore Plinio 8. lib. natura

*Facies Leonis repræsentat eorum generositatem.* Plinius.

naturalis historiæ, cap. 16. quod ita incipit: Leoni præcipua generositas. Hæc autem circa diuina iudicia maximè eminet in thronis. Vnde Hieronym. ad Ephes. 3. 18. super illa verba, *Vt possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum*, significari putat diuina iudicia, in quibus difficillimè cognoscuntur, quæ in eorum executione insunt rationes. Putat ergo per sublimitatem intelligi spirituum beatorum celsissimam generositatem; qua in hominibus eadem iudicia Deo iubente exercent. Idcirco eos hîc videmus Iudicem Deũ capitibus ac alis, in sublime tollere, vt quidquid in sententiis, quas super nos fert, generosum, ac sublime fuerit, illis tribuatur. Nam cùm Deus in iudicando non præstet merum rigorem iustitiæ, sed multum admisceat generositatis, vel expectando correctionem, vel puniendo semper citra condignum; item amoris quoque plurimum inserat, corripiendo, vt pater, denique & multam sapientiam in hoc ipso præstet, possumus certè totam molem diuinorum iudiciorum in prima illa Hierarchia ita cõstituere, vt Seraphim quidem, quibus tribuitur amor, latitudinem eius teneant; Cherubim, quibus sapientia, profundum administrent; Throni, quibus regia generositas, in ipsa emineant altitudine. Itá Vati nostro tota simul latitudo, sublimitas, & profundũ iudiciorum diuinorum exhibita est in hac Visiosionis machina.

*D. Hieron. Ephes. 3. 18.*

*Difficillimè cognoscuntur rationes diuinorum iudiciorum Sublimitas Dei spirituũ beatorum celsitudo.*

*Quomodo latitudo, profunditas, & altitudo beatis spiritibus accõmodetur?*

Vlteriùs ergo caput bouis significat prædictos spiritus diuinorum iudiciorum, quasi sulcos facere in cordibus nostris ad ferendos fructus dignos pœnitentiæ. Et quia huiusmodi cultura ad eos specialiter pertinet, lætantur in cælis ad conuersiones peccatorum, Luc. 15. 10. sicut agricolæ gaudent ad bonos agrorum suorum prouentus. Denique caput Aquilæ significat eorundem spirituum ad diuina iudicia perspicacissimos oculos, quales Aquila habere dicitur; quod enim in textu dicitur, *facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor*, significare potest, in hac facie eminentiam speculationi congruentem; vel, iuxta Hebræam proprietatem, est solùm clausula narrationis, vt si aliter diceret; facies Aquilæ denique ipsorum quatuor, seu, ipsis quatuor coniuncta cernebatur.

*Beati spiritus bouis faciem habẽt, quia corda nostra sulcant ad pœnitentiam. Luc. 15. 10.*

*Aquila facies innuit eos esse perspicacissimos iudiciorum Dei inspectores. Facies desuper aquilæ, quid significet?*

---

## De significatione alarum.

### SECTIO V.

1. *Quòd pennas, & facies extendant ad superna, significatur contritio thronorum ad videndum Deum, & sustinendum, ex loco Matth. 18.*
2. *Alis duabus sublatis tangere alas alterius faciei, & duabus tegere corpus, quid designet, ex Theodoreto.*
3. *Quòd inuicem sustinent alas suas, significat tantam esse exultationem, vt opus sit mutua præstare auxilia ad illam sustentandam. Locus Cantic. 2.*
4. *Anima hominis non potest se ipsa sustinere vim cælestiũ gaudiorum; ideo quasi exercitu disposito secundum vires interiores roboratur, Cantic. 7. Illustrant Nazianzenus, & Bernardus.*

1. NVMQVODQVE animal quatuor habuisse facies, & cuilibet faciei respondisse quatuor alas, constat ex litera, & planiùs explicatum est in Paraphrasi. Textus autem sic habet, Vers. 6. *Et quatuor pennæ vni.* Vers. 8. *Et pennas per quatuor*

A *partes habebant.* Vers. 9. *Iunctaque erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Vers. 11. *Pennæ eorum extentæ desuper: duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum.* Translatio ex Hebræo: *Et quatuor alæ vnicuique. Et alæ eorum in quatuor ipsis. Iunctæ erant vnaquæque ad alteram alæ eorum. Et alæ eorum extentæ desuper vnicuique. Duæ extentæ erant vniuscuiusque. Et duæ tegebant corpora eorum.* Translatio Septuaginta: *Et quatuor alæ vni.* Ostenditur autem, animalia hæc Deum subtus portantia, arrectis interim, vt poterant, vultibus, ac pennis in ipsam diuinam faciem superpositam sese tendere, cuius dispositionis significatio videtur exprimi illo Matth. 18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Nam illud, *semper*, contentionem indefessam, ac veluti extensionem continuam indi-
B cat ad videndum Deum. De hac indefessa contentione Angelorum diximus ad Visionem Isaiæ de throno Dei.

*Varia lectio.*

*Matth. 18. 10. Indefessa cõtẽtio ad videndum Deum in beatis spiritibus.*

2. Atenim specialis dispositio alarum, mysterio magno plena est: sequitur enim; *Duæ pennæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorũ;* id est, vnum animal extremitate duarum alarum superiorum contingebat extremitates alarum alterius faciei; & sic de cæteris, duabus verò aliis tegebat vnumquodque inferiores partes corporis. Aliorum opinatio est, alas vnius faciei contingere alas eiusdem faciei in eodem animali. Et iuxta posteriorem hunc modum, ait
C Theodoretus significari partim contentionem virium cognitiuarum, quasi certatim tendentium in Deum: partim verò profitentium non omnia se comprehendere: Declarat, inquit, ne à diuinis quidem potestatibus omnia comprehendi posse, sed alia ipsis perspicua, alia ignota esse; quare sibi positos terminos non transgrediuntur, sed duas alas concesso sibi contemplandi munere exultantes extendunt, & duabus corpus tegunt, aliorum ignorationẽ ingenuè confitentes. Ita ferè Theodoret. Qua de re egimus apud Isaiam, in Seraphim duabus alis velantibus corpus.

*Contentio omnium virium cognoscentium in Deum.*

*Theodoret.*

*Non omnia cognoscere beatos spiritus.*

3. Sensus alter, iuxta priorem modum, est: exultationem ad contemplandas res diuinas in singulis faciebus, mutuis quasi stare auxiliis;
D quod ex ipsa gaudij natura facilè intelligetur: solet enim quoties nimis exuberat, non sustinere gaudentem: vt propterea pulchrè dici possit. Gaudentium in mutuis occursibus amicorum, fulcra esse, complexus. Atque hæc fulcra ad literam requirit Sponsa Cant. 2. 5. cùm ait: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Præcesserat ingressus Sponsæ in cellam vinariã, *Introduxit me Rex in cellam vinariã, ordinauit in me charitatẽ.* Vbi cella vinaria summam quandam ac exaggeratam lætitiam significat, de qua illud Ps. 35. 9. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Et quasi explicans cellæ prædictæ recondita vina; *Et torrente,* inquit, *voluptatis tuæ potabis eos.* In hanc igitur vel sola contemplatione, vel partim re, partim spe in-
E troducta Ecclesia, ac abundãtissimè potata, quasi præ gaudio deliquio se collabi exclamat. *Fulcite,* &c. Ad quæ verba pulcherrimus est Legionensis Commentarius: Animo, inquit, destituor, nec lætitiæ vim ferre sustineo, accedite propiùs, flores date, vina spargite, fugientem spiritum, quibuscumque reuocari potest rebus, reuocate. Atenim Sponsus gaudiorum, quæ ex amore proficiscuntur, optimè naturam callens, amplexu collabantem sustinuit. Vnde sequitur: *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*

*Amplexus, amicorum fulcra in mutuis gaudiis. Cant. 2. 5.*

*Psal. 35. 9.*

*Legionens. Com. Sponsæ deliquium ob exaggeratum gaudium amplexu Sponsi curatur.*

*Anima beata nō potest se sola sustinere gaudiorū vim.*

*Imò nec instructa tanquam acies id præstat.*

*Magnum pondus gloriosæ voluptatis.*

A 4. Quæ omnia significant imbecillam animam, in cælesti patria non posse se ipsa sustinere gaudiorum illam vim, quam optimè expressit Dauid torrentis vocabulo; quod ampliùs exaggerabitur, si quis aduertit Spósam vno modo roboratam à Deo: tamen non posse adhuc ferre onus ipsum gaudiorum cælestium: nam illud, *ordinauit in me charitatem*, significat Sponsam introductam in cellam vinariam egregiè instructā interiùs ad spiritualia gaudia. רגל enim propriè est, aciem instruere, ac milites ad præliandum aptè disponere, quod noster expressit vno verbo ordinandi; ostenditúrque, Deum animam in supernas illas voluptates introductam quoad interiores facultates ac vires, tanquam exercitum cō- B posuisse, vt hinc appareret, quantum sit gloriosæ voluptatis pondus, siquidem vel exercitus plenū robur exigit, vt commodè sustineri valeat. Quod mutua illa alarum cōiunctio repræsentat in beatis spiritibus: Deo scilicet externis alis ænigmaticè demonstrante, quasi militares illas internarum virium alas, fortissimè ac ordinatissimè molem ipsam gloriæ supportantes.

Cant. 7. 1.

*Summa gloria exultatio in summa internarum facultatum ordinatione cōsistit.*

Nazianz.

*Beatos armat in gloriam diuinus Spiritus.*

*Spiritus sācti opus in Beatis mentibus, ornare & armare illas.*

*Gaudium continua sibi iucunditate firmissimum.*

D. Bern.

Hi nempe sunt illi chori, quos in Sulamite, id est, anima beata, ostendit Sponsus Cant. 7. 1. *Quid videbis*, inquiens, *in Sulamite, nisi choros castrorum?* Choros enim exultantium quomodo castris miscuit? Id videlicet demonstrans summam gloriæ exultationem, in summa internarum facultatum ordinatione, ac adeò firmitate consi- C stere. Atque huc fortasse allusit Nazianzen. in Apologet. cùm sic de Beatis. Quos spiritus, inquit, armat in gloriam. Est quippe Spiritus sancti opus, non simpliciter Beatorum mentes ornare supernaturalibus dotibus, sed has ipsas ita disponere, ac dirigere in Deum, vt Ducis instar castrametari, ac aciem aliquam instruere videatur. Hoc igitur illa sursum versùs alarum contenta eleuatio, mutuis insuper firmata contactibus repræsentat; exultationem scilicet firmissimam virium spiritualium de viso Deo. Vnde illud D. Bernard. sermon. de Magdalene. Est gaudium, inquit, continua sibi iucunditate firmissimum, quo animus ab huius mundi aspergine pu- D rè presséSque detersus, & in diuinæ contemplationis acumen totum desiderij sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino. Ita Bern.

---

## *De manibus animalium.*

## SECTIO VI.

1. *Manibus pluribus significatur multiplex Angelorum operatio circa nos. Theodoret. ad illa verba Psalm.* 103. Qui facis Angelos tuos spiritus, E *&c. Exactè declaratur radix comparationis.*
2. *Quòd Angeli ventorum instar nos totos penetrent. Locus egregius D. Bernardi.*
3. *Ignis instar sunt Angeli, quoniam summa actiuitatis, & efficacitatis erga nos, sed ea efficacitas occultissima est. Locus Theodor.*
4. *Manus item sub alis, opera Dei quæ Angeli exequuntur. Locus D. Bernardi, vel in alis vis cognitiua Angelorum, in manibus vis executiua.*
5. *Diluitur obiectio, quòd throni non mittantur ad exequenda opera circa nos. Vel quòd illis mitti conueniat per alios; vel quòd re vera mittantur.*

*Manus per synecdochem pro brachiis.*

Theod.

*Beatorum spirituum varia & inuisibilis efficacitas significata per plures manus velatas.*

Psal. 103. 4.

*Angeli ad instar vēti, & ignis.*

Psal. 134. 7.

*Vēti in thesauris Dei, vtpote res nimis abscōdita.*

A 1. De manibus sequitur in Propheta, Vers. 8. *Et manus hominis sub pennis eorū in quatuor partibus.* Manus per synecdochē pro brachiis posuit: singulis verò faciebus duo brachia sub alis respondebant; ita vt vnicuique animalium sexaginta quatuor brachia fuerint. Cùm verò alæ datæ sint volucribus loco manuum, dubium est, quare hæc animalia volucria, insuper habuerint manus suppositas alis. Prima ergo interpretatio est Theodoreti, per manus pennis obuelatas significari beatorum illorum spirituum variā, & quæ videri non potest, efficacitatem: quia videlicet, & plurimis, & occultissimis modis circa nos operan- B tur. Vtrumque videtur attigisse Dauid Psal. 103. 4. illis verbis: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem.* Spiritus seu ventus similiter, & ignis, per similitudinem accipiuntur hîc; quasi dicat. Qui facis Angelos tuos sicut ventos, & ministros tuos sicut ignem. Et radix comparationis est, quia vento nihil habemus familiarius: nam vndique spirat in nos; modò pluuias inferens, modò frigora, modò calorem: nihil & occultius: non enim ventus est illa aëris commotio, quam sentimus, sed aliquid aliud, cuius forma & modus hucusque mortales latet. Vnde non immeritò Psalm. 134. 7. dicitur Deus de thesauris suis producere ventos; vtpote res nimis reconditas, & abstrusas. Præterea ignis, qui inter C omnia elementa summæ est actiuitatis, in sua tamen sphæra præ nimia tenuitate inuisibilis est: in his autem inferioribus ita latet, vt non nisi attritu ferri elici queat è silicibus, aliísque duris corporibus.

*Angeli vētis persimiles.*

D. Bern.

*Angeli liberè, vt vētus, omnia nostra permeant.*

Ioan. 3. 8.

2. Iam ergo patet, quid sibi Propheta velit, cùm ait: *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem vrentem*; id est, qui Angelos tuos nobis familiarissimos efficis spiritus, vt nos vndique circunstent, vt in mentes nostras perpetuò spirent pertinentia ad salutem, per quaslibet occasionum rimulas, instar venti, sese insinuantes, ac intimos animæ recessus perlustrantes, quod opinor significare voluisse Bernard. sermon. 5. super D Cant. cùm sic dicit: Angelus curat, satagitque in libertate spiritus administrare officia pietatis, id est, ea libertate, ac facilitare, qua spiritus omnia permeat. *Spiritus* enim, *vbi vult, spirat, sed nescis vnde veniat, aut quò vadat*, Ioan. 3. 8. Congruit ergo, quia afflatus istos etsi quis in se experiatur, tamen omnino ignorat occultissimas eorum rationes, principia, fines.

*Angelos facit ignem, id est, igni similes, quia nimis operatorij sunt. Occultissimè tamen circa nos operantur.*

*Angelorum potens, & acuta vis.*

3. Vlteriùs autem ministros suos facit ignem, quoniam apprimè sunt operatorij, & ad penetrandum intima quæque subtilissimi, sed interim vel ob ipsam subtilitatem occultissimi, quoties enim ipsis fidelibus nihil tale cogitantibus, est mollis flamma medullas, cum Angelorum ministerio E amor in Deum, quasi secretò immissa facula paulatim serpit? Quare & à Theodoreto ratio illa spiritus, ac ignis ita explicatur: Angelorum, inquit, potens, & acuta vis, potens scilicet ad operandum, acuta ad influendum, seu ad sese insinuandum. Vnde hîc animalia videntur multipliciter sub specie ignis: primùm quidem scintillare vndique, *tanquā aspectus æris candentis*; deinde habere aspectus, *quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum*; denique inter ipsa animalia discurrere ignem, & de igne prodire fulgura, quæ omnia prædictam vim optimè repræsentant. Manet igitur, beatos spiritus ab Ezechiele

ita

ita exhibitos, vt plures manus haberent sub alis absconditas, nihil aliud ostendere, quàm vim eorum maximè operatiuam, sed occultissimam.

*Opera Dei celerrimè ab Angelis administrãtur.*

4. Potest etiam ita confici interpretatio, vt manus quidem plures significent opera Dei, quæ ideo coniunctæ sunt Angelorum alis; quoniam iis quàm celerrimè administrantibus exercentur. Sunt enim Angeli cooperatores, ac executores diuinorum operum. Vnde illud D. Bernard. sermon. 10. super Cant. de Angelis: Plenum est, inquit, suauitatis, & gratiæ, incerta; & occulta sapientiæ in ipsa sapientia intueri: plenum nihilominus honoris, & gloriæ, causarum in Dei verbo absconditarum mundo spectandas, mirandásque in manu ipsorum dirigi efficientias. Ita Bernard. Aliter, in alis significari vim cognitiuam Angelorum, in manibus suppositis, vim executiuam; sub pennis autem habent manus, non verò contrà, quia cognitio præcedit exequutionem. nec plura his.

D. Bernard.

*Honor Angelorum, spectandas mūdo proponere Dei efficientias.*

*Alæ, vim cognitiuam Angelorum, manus suppositæ vim exequntiuã innuunt.*

5. Vnum obiicies, per hæc animalia nos intellexisse cælestes thronos, pleraque autem quæ diximus concernere missiones, custodias, præfecturas, propria scilicet inferiorum Angelorum munera. Respondetur primùm iuxta opinionem D. Dionysij cap. 2. de cælesti Hierarchia, quem sequitur D. Thom. 1. p. q. 112. art. 2. & 4. & D. Gregor. homil. 34. in Euangel. de thronis principaliter intelligi posse ea quæ diximus. Nam omnes functiones conueniunt omnibus sanctis spiritibus superioribus per inferiores, his autem immediatè. Ita intelligit Dionysius illud ad Hebræos 1. 14. *Omnes sunt administratorij spiritus.* Deinde videtur probabilius omnes omnino beatos spiritus, ac adeò thronos etiam mitti. Ita August. 11. de Genes. ad literam 40. Chrysost. homil. 11. in Genes. Rupertus, vtraque Glossa, Lyranus, Hieronym. Basil. Fortissima probatio est, quòd à Paulo, vbi proximè, omnes dicuntur administratorij; nominatim verò ij, qui sunt in tertia Hierarchia, Genes. 3. 24. Isai. 6. 6. Ezechiel. 1. Nam expositiones aduersæ partis minimè satisfacere debent, vtpote non conseruantes suauitatem literæ.

*Thronos, siue mittantur, siue nō mittantur, concernunt etiã ea, quæ diximus de Angelis.*
D. Dionys.
D. Thom.
Greg. M.
D. Dionys.
Hebr. 1. 14.
*Probabilius, etiam thronos mitti.*

---

## *De significatione incessus animalium.*

### SECTIO VII.

1. *Quid sit*, Non reuertebantur cùm incederent, *Theodoretus optimè explicat. Explicatur quomodo alibi dicitur quod reuertebantur. Significatur per hæc duo, & permanentia in beatitudine essentiali, & varietas in accidentali.*
2. *Permanentia radix ostenditur ex D. Ambrosio, D. Bernard. & D. August. Lætitia in cælis de conuersione peccatorum, vnde orta. Ex gloria peccatorum accrescit gaudium Beatorum, ex Bernardo.*
3. *Aliter explicatur immutabilitas & flexibilitas animalium: quia licet occupamur circa nos, vident tamen semper Deum. Ex loco Matthæi 18. Illustrat Gregorius Magnus, & D. Bernardus.*

1. INCESSVM mirabilem animalium ita describit Vates, Vers. 9. *Non reuertebantur cùm incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur.* Hebr. *D. Fern. in Vis. vet. Test.*

*Varia lectio.*

A pro, *ante faciem suam*; *ad latus faciei suæ.* Nemo Theodoreto meliùs hoc explicat. eius verba sic habent: Homo, inquit, ad Borealem partem incedens, si vult ad Australem redire, necessariò conuertitur, vnam tantùm faciem sortitus, sed cui tot sunt numero facies, huic Australe nihil est, sed vbique facies illius omnia intuetur, & quocunque vult incedit conuersione non indigens. Ita Theodor. Habebant videlicet faciem in omnem partem, tibias pedésque rotundos, ac adeò in omnem partem vertibiles, vt opus omnino non esset conuersione corporis. Verùm est hìc dubitatio. Nam infra vers. 14. dicitur; *Et animalia ibant, & reuertebantur*; hìc autẽ dicitur: *Et non reuertebantur, cùm incederent.* Respondetur, ita rem explicandam. non reuertebantur, id est, non
B conuertebant, non flectebant se: reuertebantur, id est, in contrariam partem ambulabant, per eandem lineam, qua ierant, vt explicauimus Sectione 2. Erant ergo iuxta diuersos modos, & inconuertibilia.

Theodoret.

*Animalia habẽtia facies in omnes partes, conuersione opus non habebant, vt diuersimodè incederent.*

*Reuertebãtur, & non reuertebantur, quo pacto intelligendum.*

Mysterium latens est; beatitudinem eiusmodi spirituum quoad visionem Dei inuariabilem esse, quoad speciales verò reuelationes sæpenumero variari; de qua re multi Theologi ad 1. partem D. Thom. q. 12. art. 10. ac primùm de stabilitate, qua Deum vident. Interpretes communiter explicant illud Ioann. 14. 2. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt:* inæquales enim in singulis
C beatitudines, æqualémque in qualibet beatitudine permanentiam significare voluit Christus Dominus. Vnde est illud Augustini, seu potiùs Fulgentij de fide ad Petrum: Firmissimè, inquit, tene, omnem creaturam naturaliter mutabilem à Deo incommutabili factam; nec tamen posse quemlibet Angelorum sanctorum in deterius mutari, quia sic acceperunt æternam beatitudinem, qua Deo stabiliter perfruuntur, vt ea carere non possint. Sic ille. Huc spectat illud August. dictum celebre, 15. de Trinit. c. 16. Non erunt ibi (in cælo) volubiles cogitationes nostræ. quòd Vasques detorquet non probè, disp. 54. c. 1. n. 2. & 3. in 1. p.

*Beatitudo Angelorum, quoad visionem Dei inuariabilis, quoad speciales reuelationes variabilis.*
D. Thom.
Ioan. 14. 2.

D. August.
D. Fulgent.

*Quomodo Augustinus dicat, nō esse volubiles cogitationes Beatorum.*

2. At verò, si quis petat, vnde ista oriatur per-
D manentia? D. Ambros. respondet, ex eo oriri, quòd Deus visus sit omne bonum incommutabile: nam in lib. de bono mortis, cap. vltimo, sic loquitur: Demonstra nobis Domine illud bonum simile sui, indissolubile, in quo æterni simus agnoscentes omne bonum. Sed D. Bern. rem latiùs explicans serm. 23. super Cantic. præmittit, Deum quidem, etsi in se incommutabiliter permanentem, tamen vel gubernando, vel iudicando mundum, quodammodo ad nos moueri, seu potiùs nos mouere: at verò in cælo cùm se demonstrauerit Beatis quiescentem, ipsos quoque stabiles ac quietos effecturum. eius verba sunt: O verè quietis locus, in quo Deus non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura
E percipitur, sed quiescens. hìc ergo verè quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est. Ita Bern. Vnde Augustin. 11. de Ciuitate 31. Diem septimum, ait, gloriæ destinasse Deum, quia requieuit in illo; quare sequutum, vt è sex diebus, quibus operatus est, solus septimus nec mane, nec vesperam habere dicatur, Genes. 2. 2. quo status gloriæ omnis vicissitudinis expers significaretur. Ideo, inquit, in requie sua, quæ non habet vesperam, sanctificauit sabbatum

D. Ambros.
*Inuariabilitas beatitudinis oritur ex eo, quòd Deus visus, sit omne bonum.*
D. Bern.

*Tranquillus Deus tranquillat omnia, & quietum aspicere, quiescere est.*
D. August.
*Sabbatũ primum, quia dies gloriæ & quietis, non habet mane nec vesperam*
Genes. 2. 2.

Et rursum eodem lib. cap. 22. Itaque, ait, non solùm æterni, sed etiam beati sunt; non autem, quo beati sunt, Deus illis est, à quo creati sunt, illius quippe indeclinabiliter participatione, & contemplatione fruuntur. Et D. Hieron. ad cap. 25. Iob. Angeli omne liberum suum arbitrium in solius Dei charitatem verterunt, sicque immobiles facti sunt persistentes in veritate, proinde Angelorum voluntas per amorem Dei facta est inconuertibilis, quæ in Deo talis est per naturam.

D. Hiero.

*Angeli immobiles facti sunt persistentes in veritate.*

Hinc ergo ortū, vt beatitudo, quoad essentiale, nempe visionem Dei, inuariabilis sit, idque inflexibilis illa in quolibet animali pars superior præfigurat: nam quoad accidentale, vt vocant, id est, quoad speciales reuelationes, variabilis est, sicut numero 1. verum diximus, animalia quoque reuerti, id est, incedere in partes oppositas. Hanc differentiam eliciunt communiter Doctores ex illo Lucæ 15. 10. *Gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente.* Quem locū egregiè explicant ea, quæ Bernard. scribit serm. 68. super Cant. vbi non modò ex conuersione, sed ex glorificatione peccatorū, cælesti patriæ asserit accrescere in dies noua gaudia. Tu putas, ait, Deū nostrū totam habiturum suæ gloriæ laudem, donec veniant, qui in conspectu Angelorū psallant sibi; lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliasti. Hoc genus lætitiæ cæli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios; hoc nemo vnquam lætatur, qui nunquā non lętatur. Audeo dicere expertem huius beatitudinis ipsam beatam vitam, nisi si dignetur fateri, quòd per charitatē ea in me fruitur, & per me. Aliquid sanè videtur etiam perfectioni illi accessisse ex me. Denique gaudent Angeli ad pœnitentiam peccatoris. Quòd si deliciæ Angelorum lacrymæ meæ, quid deliciæ? Hucusque Bernardus.

D. Bern.

*Non modò ex conuersione peccatorum, sed etiam ex eorum glorificatione crescit gaudiū in Angelis. Lætitiam pro cōuersione peccatorum cæli nescierunt, nisi per Ecclesiæ filios.*

*Si deliciæ Angelorum, lacrymæ pœnitentium, multò magis deliciæ eorum in cælo.*

3. Aliter accipi potest inconuertibilitas illa, & reuertibilitas in sanctis animalibus, vt per vtrunque declaretur, beatos illos spiritus ita rebus nostris administrandis occupari, vt tamen ab intuitu, & præsentia diuinæ maiestatis non diuellātur; quod quidem expressum est illo Matth. 18. 10. *Angeli corū semper vident faciem Patris,* Vbi de custodibus Angelis sermo est. Quod quidem considerans Gregor. Magnus 2. Mora. cap. 2. ac simul illa verba cap. 1. lib. Iob. *Cùm venissent filij Dei, vt assisterent corā Domino,* iure quærit, quomodo veniant, vt assistant coram Domino, qui semper vident faciem Domini? Et respondet in hæc verba: Non sic à diuina visione foras exeunt, vt internæ cōtēplationis gaudiis priuentur; interiùs quippe exteriùsque sciendo diffusi sunt, qui ipsū fontem scientiæ contemplantur: quid enim de his, quæ scienda sunt, nesciunt, qui scientem omnia sciunt? Et mittuntur igitur, & assistunt, quia per hoc quòd circunscripti sunt, exeunt, & per hoc quòd intus quoque præsentes sunt, nunquam recedunt. Et faciem ergo Patris semper vident, & tamen ad nos veniunt, quia & ad nos spirituali præsentia foras exeunt, & tamen ibi se, vnde recesserant, per internam contemplationē seruant. Hæc à Gregor. Quibus verbis optimè declarat, quomodo beati spiritus, & immobiliter Deum videant, & nihilominus moueātur ad ministeria.

*Angeli ita nostris rebus incūbunt, vt a præsentia Dei non diuellantur.* Matth. 18. 10.

Greg. Mag. Iob. 1. 6.

*Quæ scienda sunt quomodo nesciant, qui scientem omnia sciunt? Per hoc, quòd circūscripti sunt Angeli exeunt: per hoc quòd intus præsentes sunt, nūquam recedunt.*

Breuiùs idipsum, & ingeniosè declarauit Bern. serm. 5. dedicationis Ecclesiæ ad eadem verba Matth. 18. *Angeli eorū in cœlis semper vident faciem Patris.* Sic videlicet, inquit, paruulorum custodiæ deputati, vt non priuati vllo modo beatitudine sua. Hinc est quòd Ioannes sanctam ciuitatem Ierusalem descendentem vidit, stantem non potuit intueri. Sic Bernard. Vidit ergo Ioannes descendentem, quam stantem simul videre non potuit, cùm tamen reuera simul staret: vtrunque enim, si non oculis, tamen ipsa mente sine cōtradictione stare posse intelligebat: vt descenderet quidem in Angelis ministrantibus, staret autem in eisdem intuentibus diuinam essentiam: mobiles nempe nobis, immobiles Deo. Nam eodem cap. Ioannes & descendentem vidit, & in quadro positam. Forma verò quadrata immobilitatis, & constantiæ symbolum est. Rectè igitur ex his illustratum manet, quomodo sancta animalia stabilia simul, & flexibilia sint: Deum enim semper & vbique vident, faciebus videlicet stantibus, ac in omnem partem prospicientibus, & in omnem partem se mouent, multipliciter vertibilia & instructa vt occurrant laborantibus.

D. Bernard.

Apoc. 21. 2.

*Ierusalem descendit in Angelis ministrātibus: stat in iisdē intuentibus Deum. Mobiles nobis, immobiles Deo. Ideo Ioannes videt Ierusalem descendentem, & in quadro positam.*

---

## *De significatione pedum.*

### SECTIO VIII.

1. *Animalia rotundos habuisse pedes, & crura recta, vnde bipedia oportuit esse, non solùm propter figurā humanā, sed propter motum in quamlibet partem. Expenditur lectio Septuaginta.*
2. *Pedes recti affectus recti. Psal. 72. Quid sit in re morali rectum, cognoscitur ex definitione recti apud Euclidem. Illustratur per Ambros. Exemplū Virgo Maria, rectitudine mira pollens.*
3. *Affectus Angelorum recti. quia deuiare à rectis nequeunt. Euthymij explicatio ad verba Psal. 72. Loca D. August. & locus vnus D. Ambros. pro rectitudine Angelorum.*
4. *Plantæ rotundæ significant affectus Angelorum perfectos. Locus Hieronymi ad 25. Iob, illustratur loco Apocal. 1. Deinde rotundis plantis significatur obedientia Angelorum, ex Theodoreto.*

1. SED & illud in pedibus, & plantis considerandum est, quod de illis à Propheta dicitur, Vers. 7. *Pedes eorum pedes recti. Et planta pedis eorum, quasi planta pedis vituli, & scintillæ, quasi aspectus æris candentis,* Hebr. pro, *Aspectus æris candentis;* *color æris politi.* Septuaginta: *Pedes eorum pennati.* Noster legit, עגל quod dempto ו vitulum significat. Ionathan, Rabbi Salomon, & Aquila, עגול quod significat rotundum, & reddit sensum valde aptum; habuisse scilicet plantas teretes; ac rotundas, sicut & tibias, ac adeò aptas, vt quoquo versùs facilè mouerentur. Ex eo autem quòd & pedes, & tibiæ habuerint figuram rotundam, ac rectam sine vertebris, apertè colligitur, fuisse animalia bipedia, non quadrupedia; alioqui non essent recta crura, ac rotunda: non enim iisdem pedibus in omnem partē ambulassent, sed duobus, verbi causa, in Orientem, tractis interim cæteris, seu non gradientibus, sicut nō iisdem aliis in omnē partem volabant, quia plures duabus habebant alas. Præterea res eò magis conuenit, quia in textu dicitur, habuisse animalia humanā formam, ergo omnino bipedia oportuit esse. quòd verò Septuaginta transtulere, *pedes pennatos,* cohærebit,

*Varia lectio.*

*Animalia bipedia, cruribus rotūdis, ac rectis.*

*Bipedia, quoniam habebant humanam formam. Pedes pennati, ob celeritatem.*

rebit, si sensum transtulisse dicamus, quasi voluerint significare veloces ob figuram expeditam. Addunt & Septuaginta quòd Hebraicè (vt Hieronymus annotat) non legitur, *Alæ eorũ leues, & scintillæ quasi aspectus ignis candentis.* Significat verò pedes habuisse absque vlla inæqualitate teretes, vt splendor ex illis, tanquam è polito ære, scintillare videretur. Iam ad significationem veniamus.

*Pedibus significantur affectus voluntatis.* *Psal. 72. 2.*

2. Pedibus in Scriptura significantur affectus voluntatis, Psalm. 72. 2. *Mei autẽ penè moti sunt pedes.* Ad literam parum abfuit, quin voluntas a recto declinauerit. Congruit annotatio Augustini: Quando, inquit, commoti sunt pedes, nisi quando non erat rectum cor? Quid sit autem rectum esse cor, colligere debemus ex definitione recti, quam ponit Euclides lib. 1. definitione 4. Est id, cuius medium æquabiliter sua interiacet puncta. Igitur in re morali forma eius actus, qui nõ subsultat ab extremis, id est, à regula prudentiæ, quam tanquam punctum initiatiuum habet, & à debito fine, qui est illi punctum terminatiuum. Ea, inquam, forma, quæ sic æquabiliter fluit, recta est moraliter. Concinit Augustin. lib de Batism. cap. 10. vbi ait, Rectum est, quod non tollitur intus, nec foris. Vnde Ambros. in Apologet. Dauid, cap. 14. conscientiam rectam definit illam, quæ nullis est inflexa peccatis, qualis fuit in Virgine sacratissima; nam vel ob id Isai. 11. 1. nomine virgæ significatur, *Egredietur virga de radice Iesse.* Vnde illud Damiani Cardinalis relati à Canisio 3. de Maria Deipara. Germinat, inquit, virga Iesse, ac de tortuosa radice generis humani in rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodositatem. Videlicet in rem miram, quòd de tortuosa radice peccati, ipsa prodierit recta & sine peccato. Atque hinc elicit D. Ambros. in lib. de exhortatione ad virginitatem, quales cæteræ Virgines esse debent. Ipsa, inquit, est virga germinans florem, quia pura esse debet, & ad Dominum libero corde directa virginitas. Ita Ambros.

*D. August.* *Rectum cor intelligitur ex definitione recti apud Euclidem.* *Actus qui à regula prudentiæ, ad rectum finem æquabiliter fluit, rectus est.* *D. August.* *Rectum, quod non tollitur intus, nec foris, ex Aug.* *D. Ambrof.* *Conscientia recta, quæ nullis est inflexa peccatis.* *Isai 11. 1.* *Damian. Card.* *Maria virga recta de tortuosa radice generis humani.* *D. Ambrof.* *Virginitas pura & recta.*

3. Significatur ergo per pedes rectos, affectus voluntatis Angelicæ rectos esse: in illa enim primæua rectitudine constantissime perseuerant, nec fieri potest, vt vllo modo deprauentur, aut à recto deflectant. Vnde Euthymius ad illa verba Psalmi 32. 6. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritus oris eius omnis virtus eorũ,* per cęlos intelligit sanctos Angelos, quos spiritus, inquit, sanctificauit, in bonóque proinde confirmati, nullo modo mouentur ad malũ, videlicet ipso Spiritu sancto, veluti tinctura quadam, consolidati, ac roborati ab initio. Ita Euthymius. Iure autem verbo Domini, quod rectum dicitur eodem Psalm. 32. & Spiritu sancto, qui similiter rectus pronunciatur Psalm. 50. 12. firmitas ac virtus Angelorum comprobatur, vt non alia existimetur esse, quàm participata quædam rectitudo, qua à Deo quasi pendens æquabiliter sese habeat ad cæteras res creatas. Vnde illud D. August. ad Psalm. 95. Quia fixum, inquit, cor in Domino, ideo rectum: nam cùm rectus sit Deus, quando in illo figis cor, forma tibi fit, vt sit tibi cor rectum. Sic August. Quò autẽ eiusmodi adhæsio fuerit maior, eò erit rectitudo constantior, ac sibi in omnia similior.

*Affectus voluntatis Angelicæ recti.* *Euthym. Psal. 32. 6.* *Angeli per Spiritum sanctum cõsolidati, ac roborati.* *Angeli per verbum, & per Spiritum sanctum rectificati.* *Psal. 50. 12.* *D. August.* *Fixum cor in Domino, rectum est.*

Iure ergo ex stabili illa animalium perspicacitate, qua Deo semper, & vbique intendunt superiori corporis parte, nascitur in ea, quæ est inferior, crurum tam constans, támque sibi semper similis rectitudo, vt à primo suæ creationis attiA culo, ne minimùm quidem declinauerint à Deo, qua de re egregiè dictum est ab August. de Ciuitate 11. cap. 9. De Angelis, inquit, dicendum putaui, quæ huius ciuitatis & magna pars est, & eò beatior, quòd nunquam peregrinata est; quibus verbis non significat Augustin. Angelos nunquam fuisse viatores, cùm reuerà etiam ambulauerint in fide ea duratione, qua sibi meruere gloriam, sed facta comparatione cum dæmonibus, qui exorbitarunt in malum, conuenienti vocabulo dixit, nunquam peregrinatos, quia non incertè vagati sunt, sed semper ad exactissimam iustitiæ libram, gressus suos direxerunt, & quasi modulati sunt. Vnde D. Ambros. in lib. de Noe, & B Arca, optimam pro re præsenti rationem assignat, quare Angeli dicantur filij Dei in Scriptura sacra? Quia fideles, inquit, illos in viis suis semper expertus est; fideliter autem ambulare in viis Dei intelligit Ambros. ita suos affectus dirigere ad Deum per viam mandatorum ipsius, vt nec declinetur ad dexteram, nec ad sinistram.

*D. August.* *Angeli nunquam peregrinati sunt à Deo.* *Angeli ad exactissimã iustitiæ librã gressus, id est, actus suos direxerunt.* *D. Ambrof.* *Quid sit, fideliter ambulare in via Dei.*

4. Sed & illud consideratione dignum, quòd recta animalium crura in plantas vitulinis similes, hoc est rotundas, desinebant; quo significatur, affectus voluntatis Angelicæ perfectos esse: nam figura rotunda perfecta est. Vnde illud quadrare potest ex Hieronymo ad cap. 25. Iob. Beati spiritus omne liberum arbitrium suum Dei solius charitate vertunt. Quasi dicat, omnes motus voluntatis in gyrum quasi charitatis ad perfectum educunt. Et potest illustrari illo Apocal. C 1. 13. vbi visus est Ioanni Angelus zona aurea circundatus ad mammillas, quæ quidem cordis, ac adeò voluntatis sedes est. Aurea namque zona charitatem significat, quæ in modum circuli redacta, non iam solam charitatem, sed perfectam repræsentat: dum verò Angeli quasi cor, id est, voluntatem ambit, illud vnum ostendit; omnes intra illam affectus charitatis accessione perfici. Deinde illud in rotundis plantis optimè quadrat literæ; vt per eas indicetur æqualis facilitas incedendi in quamlibet partem, quod Propheta quasi cõfirmans addit: *Vbi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur.* Et Theodoretus annotat, summam D esse supernarum potestatum in omnibus obedientiam, vtpote ad omnem quasi venti flatum versatilium. Hæc de pedibus abundè.

*Affectus voluntatis Angelicæ perfecti sunt.* *D. Hieron.* *Angeli liberum arbitrium, Dei charitate vertunt, hoc est, in gyrũ perfectionis ducunt.* *Apocal. 1. 13.* *Omnes Angeli affectus, charitatis accessione perficiuntur.* *Theodor.* *Summa Angelorum in omnibus obedientia.*

---

*De rotarum numero, & forma.*

SECTIO IX.

1. *Rotas esse quatuor ob easdẽ rationes, quibus animalia probantur esse quatuor; apertè autẽ probatur ex cap. 10. vbi quatuor ponuntur.*

E 2. *Forma rotarum describitur. Item color, ac motus.*

3. *Improbatur noua opinio de forma rotarum, quod sit contra omnes tum veteres tum modernos Doctores.*

1. POST Visionem animalium apparuit Prophetæ aliud nõ minus miraculũ, de quo sic, Vers. 15. *Cùmque aspicerem animalia, apparuit rota vna super terram iuxta animalia, habens quatuor facies: & aspectus rotarum, & opus earum, quasi visio maris: & vna*

*vna similitudo ipsarum quatuor.* Vers. 16. *Et aspectus earum, & opera, quasi sit rota in medio rotæ.* Vers. 18. *Statura quoque erat in rotis, & altitudo, & terribilis aspectus.* Hebr. pro, *Statura erat eis; Dorsa erant eis.*

*Varia lectio.*

Est prima quæstio similis ei, quam Sectione 2. disputauimus de animalibus, fueritne vna, an plures rotæ? Et Lyranus quidem vnam fuisse autumat; sicut & vnum animal; dici verò rotas in numero plurali propter plures facies, siue circulos, sicut quatuor animalia, ob quatuor facies in vno animali. Verùm ob easdem rationes existimamus, rotas quoque fuisse quatuor, id est, singulis animalibus singulas rotas appositas, maximè quia cap. 10. disertè ponuntur quatuor. *Vidi,* inquit, *& ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim: rota vna iuxta Cherub vnum, & rota alia iuxta Cherub vnum,* &c. Ita sentit Theodor. Nam sic ait: Rotam vnam in vnoquoque animalium iunctam contemplabatur; aitque dici quidem priùs rotam vnam, quoniam ita erant inter se similes, vt planè vna esse viderentur. Hæc de numero.

*Lyran. Fueritne vna, an plures rotæ? Vnam asserit Lyranus. Quatuor rotæ probantur ex contextu. Theodoret.*

2. Formam sic habebat. *Statura*, inquit, *erat in rotis, & altitudo, & horribilis aspectus.* Statura hîc pro ambitu ponitur, siue pro circulo, quem Græci vocant Περιφέρειαν; & est sensus: rotas habuisse ingentem peripheriam. In Hebræo *dorsa eorum.* Similiter in Chaldæo. Canthos aliqui vertunt, id est, circulos ferreos, quibus rotæ cinguntur, non tamen videntur attingere scopum: nam hoc loco non agitur de materia, sed de forma rotarum. Cùm verò dicitur in eis esse altitudo, innuitur semidiameter, sicut peripheria, in statura. E duobus ergo circulis intersecantibus sese ad angulos rectos sphærales, seu per modum perfectæ crucis, vtrobique vnaquæque rota compacta cernebatur; qualis est sphæra materialis cum suis coluris: idque significat Propheta, cùm ait: *Et aspectus earum, & opera quasi sit rota in medio rotæ.* Et quia ex eiusmodi compositione, quatuor manent in quatuor partes semicirculi, propterea rotæ dicuntur habere quatuor facies. Color earum dicitur hîc, *tanquam visio maris,* id est, cæruleus. in Hebræo: *Sicut visio Tharsis,* quod Lyranus, & Vatabl. ex Rabbi Salomone interpretantur lapidem pretiosum coloris cærulei. Symmachus vertit, *sicut visio hyacinthi;* qui siue lapis, siue flos sit, eundem colorem refert. Porro ingens moles rotarum erat, & horribilis aspectus; nam per circulos earum quoquouersùs statis spatiis sparsi erant oculi: singulæ autem singula sequebantur animalia, ad motúmque eorum pariter mouebantur, similitérque ac illa non conuertebant sese, cùm in contrariam partem ibant, quia in oppositas partes habebant circulos secundùm quos mouebantur, sicut animalium facies.

*Statura rotarũ, id est, ambitus rotarum. Varia lectio. Altitudo est semidiameter. Rota in medio rota, id est, vnus circulus immissus per alium. Quatuor semicirculi, quatuor facies. Varia lectio. Lyranus. Vatabl. Rab. Salom. Rotarum caruleus color. Simmac. Rotarum descriptio.*

3. Hæc verò, quæ hactenus de rotis diximus, sunt iuxta communem veterum Doctorum, & cæterorum interpretum sententiam. Est illa omnino noua, quæ paucos ante annos prodiit, ac proinde noua quoque in eiusmodi rotis, sicut in animalibus, vt suprà vidimus, comminiscitur. Et omnino contendit, currum istum, in quo diuina maiestas apparuit, communibus carrucis esse similem, nec rotas aliter esse accipiendas, quàm apud nos sunt; planas, scilicet, canthis in orbem directè ductis. Cùm tamen recondita huius throni mysteria exigere suo quasi iure videātur extraordinarium fabricæ apparatum, & à communi vsu alienam formam, si non quoad substantiam, saltem quoad modum supereminen-

*Noua opinio de rotis. Throni mysteria exigunt, vt extraordinaria sit fabrica.*

A tem. Itaque fuerit quadriga, fuerit currus, fuerint rotæ; sed tamen insunt aliqui modi, speciésque tales, vt opus ipsum appareat illico à communibus, ac triuialibus carrucis alienum. quod quidem rectè cernitur è formatis rotis, ac animalibus, vt à nobis cum cæteris omnibus tum veteribus, tum modernis Autoribus explicata sunt ex ipsis contextus visceribus concinnata interpretatione. Quo fit, vt posita differētia in solis illis figurarum aspectibus ac modis, omnibus contrariæ sententiæ argumentis facile fiat satis. Nec possumus non mirari Autores hos nouos affirmare ausos, cæteros omnes interpretes abs re commentatos hunc locum Ezechielis, cùm tamen experientia doceat neminem magis loqui abs re, quàm qui, vt plures loquuntur, loqui cōtemnit: necesse ènim est, exorbitet aliquando, quale est, vt ego credo, Deum in carruca, vel in plaustro ponere.

*Rotarũ noua descriptio reprehenditur.*

B

---


*De significatione rotarum.*

## SECTIO X.

1. *Rotæ significant omnium rerũ creatarum certos, perfectósque cursus sub Deo moderatore, res omnes circulos quosdā in hoc mundo agere. Primùm tempora, Genes. 8. Chrysostomus, Hugo Cardinal. D. August.*

C

2. *Rota generationum, quarũ veluti centrum est terra, Eccles. 1. Explicat Hieronymus. Rota eiusmodi quomodo sequantur animalia, explicat Origen. est & rota fluuiorum, & qualis sit, ostendit Sapiens, explicat August.*
3. *Rota solis ex eodem Eccles. & Psalm. 18. Deo primùm tribuitur, Psal. 118. & Angelo motori, ex Diuo Ambrosio. Vniuersalis rerum omnium circulatio optimè ex August.*
4. *Deus in cœlo quasi curru sedens motibus creaturarũ vtitur; declarat id Theodoretus, itē Augustinus.*

1. VNC introspiciamus mysteria. Singulæ rotæ singulis animalibus cōiunctæ, autore D. Hieronymo, significant certos, atque perfectos omnium rerum cursus sub Deo moderatore. Nam siquis altiùs intendat animum, inueniet creaturas omnes quasi circulos in hoc mundo agere. Vt enim quæ nobis magis familiaria sunt, primo loco ponantur: perpetuus quidam est in his inferioribus temporis circuitus, de quo est illud Genes. 8. 22. *Cunctis diebus terræ, sementis, & messis, frigus & æstas, æstus, & hyems, nox, & dies non requiescent;* ad nutum scilicet Domini Dei (ait Chrysostom.) ire in suos circulos. Hæc temporis rota (ait Cardinal. Hugo) quatuor habet facies, nempe ver, æstatem, autumnum, hyemem: quòd autem visæ sint rotæ super terram, animaliúmque sequi vestigia, huic rotæ maximè conuenit, quoniam tempus omnia terrena proterit: sanctorum verò animalium si non proterit substantiam, saltem pedibus, hoc est, affectibus, appropinquat: nam variè quoque afficiuntur, modò pro hac re, modò pro illa, qua in re temporis quoque vicissitudinibus obnoxia sunt. Vnde August. de Ciuitate, Angelorum, ait, temporalia rapere tempus, id est, esse quasdam in Angelis operationes, quæ quidem perpetuò manent: qualis est visio, amórque beatificus, quæ volubi

D E

*D. Hieron. Rota significant certos rerum cursus sub Deo moderatore. Perpetuus in inferioribus temporis circuitus. Genes. 8. 22. D. Chrys. Hugo Card. Temporis rota, quatuor facies habet. Tempus omnia terrena proterit. Pedibus animalium, hoc est, affectibus dominatur. D. August. Angelorum temporalia rapit tēpus.*

volubiles non sunt, euntes, & redeuntes (vt Augustin. loquitur) alias verò esse, quæ tempori subiiciuntur, & cum eo voluuntur in modum rotæ, vt sunt speciales reuelationes, & affectus circa eiusmodi reuelata.

Ecclef. 1. 4. *Generationum rota.* Nazian.

2. Est & generationum certa, & quasi in rotam continenter ducta series, qua de re Ecclef. 1. 4. *Generatio præterit, & generatio aduenit, terra autem in æternum stat,* quasi centrum, videlicet, harũ reuolutionum: vel cum Nazianzen. Orat. 4. de Theolog. quasi hypostasis generationum succedentium Et quidem Hieronymus ad prædicta verba Ecclef. rectè hanc effigiauit rotam, cùm dixit: Aliis morientibus nascuntur alij, & quos videras non vides; incipis videre quos non videras, sicut in rota, quæ partes modò eleuantur, apparent nobis, mox tamen deorsum vergunt, & occultantur. Sed & August. aut quisquis ille est, qui scripsit librum de cognitione veræ vitæ, c. 27. Arbores, inquit, herbæ, animalia crescendo, senescendo, putrescendo, iterúmque recrescẽdo, quodammodo circulos circũaguntur. Similiter autẽ hæc rota generationum animalia sequitur, quoniam Angelorũ ductu specialiter administrãtur. Vnde Origen. homil. 14. super num. ait, Angelos promouere animalium natiuitates, virgultorum ac plantationum incrementa regere, quasi communes mundi aurigas.

D. Hieron. *Rota generationum quomodo à D. Hieronymo efformetur.* D. August. *Generationum rota animalia sequitur, quoniam Angelorum ductu regitur.* Origen. *Angeli cõmunes mũdi auriga.*

Notat quoque eodem capite Sapiens, fluuiorum perpetuos quasi in orbem ductos cursus, cùm ait: *Omnia flumina intrant in mare, & mare nõ redundat: ad locũ, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt iterum fluant.* Optimè Hieron. ibidem, de matrice quidem abysso, in suã semper quasi per gyrum ebullire principia. Consonat Augustin. vbi proximè ad prædicta verba Ecclef. Aquæ, inquit, iugiter fluendo, quasi peracto circulo in suos fontes reuertuntur. Eodem modo & rotas has fluuiorum trahunt Angeli, quia iuxta prædictam differentiam eis præsident. Nam Apocal. 16. 3. *Angelus aquarum* non est solùm is, qui toti elemento aquæ præsidet, sed qui pariter deductiones fluuiorum ac fontium curat.

*Fluuiorum rota.* Ecclef. 1. 7. *De matrice abysso in eãdem per gyrum ebulliũt fluuij.* D. Hieron. D. August. *Angeli deductiones fluuiorum curant.* Apoc. 16. 3.

3. Magnificentior autem, ac longè, latéque patentior est cælestium corporum, ac planetarum circulatio. Est in eodem libro Ecclef. specialis mentio de sole. *Oritur, inquit, sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa in circuitu pergit spiritus, & in circulos suos reuertitur.* Quibus verbis non solùm quotidianæ solis conuersiones designantur, sed etiam annuæ, quibus per signa Zodiaci ad vtriusque poli tropicos solemnes, itque reditque vias. De vtraque conuersione est etiam illud Psalm. 18. 6. *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius,* interprete Caietan. priori enim membro significatur motus solis raptus ab Oriente in Occidentem, posteriori motus eiusdem naturalis supra polos Zodiaci, ab Occidente in Orientem. Constans autem, ac perfecta in eiusmodi motibus ratio tribuenda primùm Deo est, iuxta cuius præscriptum perseuerat. Vnde illud Psal. 118. 89. *In æternum Domine verbum tuum permanet in cælo.* De hoc ipso explicat D. Ambros. Nulla, inquit, in sole præuaricatio præsumptæ adeò constitutionis manet immutabilis demutatio, & conuersio vertere ordinem nesciens, &c. Deinde id ipsum tribui debet intelligentiæ motrici, quæ ad nutum Dei inuariabiliter mouet,

*Cælorum rota.* Ecclef. 1. 5. *Quotidiana, atque annua solis conuersiones.* Psal. 18. 6. Caiet. Psal. 118. 89. D. Ambrof. *Nulla in solis motu præuaricatio.*

A idcirco hìc rotæ animalia sequuntur, & ad eorum nutum pariter mouentur. Fuerit ergo satis ostendisse in his certos, & quasi in orbem ductos sub Deo motus: nam de rebus omnibus generaliter idem pronunciat Augustinus lib. illo 3. de Trinitate iam citato: cap. enim 6. sic ait: Continuato quasi fluuio labentium rerum, ex occulto in promptum, ex prompto in occultum fit vbique circulatio.

D. August. *Continuatus fluuius labentium rerum.*

4. Erit ergo sensus, iuxta ea, quæ diximus, Deum quatenus inferiori huic mundo præsidet, supremo illo, quasi curru quodam vehi, quem variis creaturarum motibus, quasi rotis impositum beati illi spiritus agant perpetuo, non quidem temone, aut iugo trahentes, sed solo nutu:
B nam spiritum vitæ in rotis, spontaneum in eis motum interpretatur Theodoretus. Vnde hæc subdit: Diuinum vehiculum per se currebat, animalibus præeuntibus, ac rotis per se motis. Nam licèt Deus ipse non mutetur ex se de loco in locum, tamen moueri dicitur, quatenus per ipsos creaturarum motus variè se cognoscendum exhibet. Vnde est illud D. August. 3. de Trinit. cap. 4. Illic, inquit, id est, in cælo, Dei voluntas in spiritibus, summa pace, atque amicitia copulatis, & in vnam voluntatem quodam spirituali charitatis igne conflatis, tanquam in excelsa, & sancta sede præsidet: inde verò se quibusdam ordinatissimis creaturæ motibus, primò spiritualibus, deinde corporalibus per cuncta diffun-
C dit, ad se ipsum in eis, sicut oportere nouit, significandum. Ita August. Vnde Theod. per rotas, interpretatur Dei præsentiam corpulenter exhibitam. Quatuor ergo rotarum facies, siue semicirculi, quoniam ideo ponuntur, vt ostendatur, rotas in quatuor partes esse vertibiles, quin sese interim conuertant, in hoc certè sensu, quem prosequimur, id significant: esse res omnes in prædictis illis suis motibus maximè obedientes Angelis administrantibus, & per illos Deo. Vnde Ambrof. loco citato, Vna omnium, inquit, est obedientia, discretis in muneribus indiscretam præscriptionis tenere concordiam. Ita ille. Vnaquæque igitur res sub Deo rotæ instar est in o-
D mnẽ partem flexibilis, vt illam quocumque velit, impellat: id enim significat indiscreta concordia cum diuina voluntate, id est, indeterminata quædam promptitudo ad omnem Dei Visionem.

*Describitur currũs Dei.* Theodor. *Quomodo Deus immutabilis moueri dicatur.* D. August. *Per ordinatissimos creaturarũ motus se ipsum Deus, vt oportet, significat.* Theodor. *Rota, præsentia Dei corpulenter exhibita.* *Res omnes maximè obedientes Angelis motoribus.* D. Ambrof. *Vnaquaque res sub Deo rota est in omnem partem vertibilis.* *Quid sit indiscreta cõcordia rerũ.*

---

## *De motu rotarum.*

### SECTIO XI.

1. *Quòd rotæ non reuerterentur cùm ambularent, eundem habet sensũ, ac in animalibus, ex glossa intermedia, vt loco Sapient. 16.*
E
2. *Radix indifferentia rotarũ ad omnes motus est, quia spiritus vitæ erat in eis, id est, diuinus impulsus, cui se admodum accõmodabant, ex Psal. 135. explicatore Caiet. Confirmatur ex Psal. 103. eodem Caiet. explicatore, & ex Ecclef. 1.*
3. *Obedientia creaturarum erga Deum ex D. Hier. quare spiritus vitæ dicatur esse in rotis, & non vita? Locus moralis Rabbani, contra hominum inobedientiam.*

De

1. DE motu rotarũ ita in cõtextu, Vers. 17. *Per quatuor partes earũ euntes ibãt, & nõ reuertebantur, cùm ambularent.* Vers. 19. *Cùmque ambularẽt animalia, ambulab ant pariter & rota iuxta ea, & cùm eleuarentur animalia de terra, eleuabantur simul & rota.* Vers. 20. *Quocumque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rota pariter eleuabantur, sequentes eũ: spiritus enim vitae erat in rotis.* Hebr. pro, *quocũque ibat spiritus*; *quò erat voluntas eundi.* Septuaginta, *Vbicumque erat nubes.* Per quatuor ergo partes ibant rotae, & non reuertebantur, cùm ambularent; quia scilicet, non Australis tantùm in rebus Deo obsequentibus, aut tantùm Aquilonaris Orientalisve, aut Occidentalis, sed indifferenter in omnem loci differentiam suppetit facies; ne vel in illa conuertenda ad obediendum, mora fiat. Vnde sequitur illa tam velox, & tam facilis ad motum animalium rotarum motio: *Cum euntibus*, inquit, *ibant, & cum stantibus stabant, & cum eleuatis à terra pariter eleuabantur, sequentes ea.* quod interior glossa explicat: Omnia communiter, & concorditer, nulla scilicet, in subiectis creaturis contradictione orta aduersùs imperium Creatoris, quantumuis naturis ipsarum multoties contradicere videatur. Nam Deo iubente terra sursum, & ignis deorsum non coactè trahentur, quod quidem cùm lato discursu ostenderet Salomon Sapient. 16. 25. in iis creaturis, quibus Deus in gratiam Hebraeorum saepe vsus est, naturis earum contraria iubendo. *Propter hoc*, ait, *& tunc in omnia transfigurata, omniũ nutrici gratia tua deseruiebant.* Praeclarè autem dixit, *transfigurata*, ad varias scilicet Domini iussiones. Quis enim Iordanis aquas, quae suopte impetu ferebantur in mare, suspensas in aëre videns, non diceret transfiguratas à propria natura? Quis ignem in fornace Babylonica à combustione puerorũ cessantem, appellaret ignẽ, & non potiùs transmutatum in quodlibet aliud innoxium elementum? Itaque verbum transfigurandi passiuè sumptum eo loco significat facilitatem in ipsis creaturis, vt quascumque Deus voluerit, etiam contrarias, in se recipiant figuras: aequè autem procliues sint ad ascendendum, atque ad descendendum, nec magis, vt eant, quàm vt stent; omnino autem se ipsas componant ad superiores leges. *Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant*, &c. Omnino rotarum instar ad quodlibet horum paratissimarum.

*Varia lectio.*

*Rerũ indifferens ad obediendum facies.*

*Nulla in rebus contradictio erga imperium Dei.*

Sapient. 16. 25.

*Res transfigurata ad omnes iussiones diuinas.*

*Facilitas rerum ad quascumque figuras recipiendas à Deo.*

2. Ratio autem, quae redditur, huius ad omnia indifferentiae mysterium habet; *Quia spiritus*, inquit, *vitae erat in rotis. Quocumque* ergo (ait Vates) *ibat spiritus*, scilicet, animalium, *illuc eunte spiritu*, subaudi, *rotarum*, fiebat earum motus; quasi diceret. Quocumque animalium spiritus impellebat ipsa animalia, eò spiritus rotarum impellebat rotas. Spiritus autem vtrobique erat idem, videlicet spiritus Dei. Vnde sequebatur illa aequabilitas, & correspondentia motuum, quae versicul. 21. expressa est. Hic ergo sensus Prophetae: Non mouebantur rotae per externum aliquem impulsum, sed per spiritum interiùs viuificantem; quod quidem non est ita intelligendũ, quasi rotae animatae re vera fuerint, sed quòd ita se mouerent ad impulsus diuinos inuisibiliter impressos à Deo, & à sãctis animalibus, vt prorsus viuere intus, imò & ratione vti ex motibus ipsis externis cõiici posset: sicut horologium si quis moueri videat, non perspectis impulsibus ponderum, magna cum admiratione viuere iudicabit. Maiori

*Spiritus rotarum, spiritus Dei.*

*Rotae non erant animatae, sed quia certò mouebantur à Deo, quasi viuere, & ratione vti videbantur. Similitudo ex communi horologio.*

A autem iure Vates rotas ita moueri videns, rationẽ motuum reddens, ait: *Quia spiritus vitae erat in rotis*; nam licèt non habuerint animas informantes, ac adeò viuificantes per informationem, tamen intus habebant diuinum spiritũ, qui perfectò illapsu quasi viuificabat illas pulsibus suis, quocumque volebat circumagendo. Septuaginta pro spiritu nubem verterunt; qua Dei inuisibilis maiestas in Scriptura significatur, vt hîc etiam significetur inuisibilis motio diuini Spiritus.

*Per nubem hic intelligunt 70. inuisibilem motionem diuini Spiritus.*

Huc spectat illud Psalmi 135. 5. *Qui fecit caelos in intellectu*, vel cum intellectu, more linguae. Caietan. explicat: qui fecit caelos intellectuales; id est, ita certò, ac ordinatè motos, vt in eiusmodi motibus proprio intellectu, ac adeò vita omnino B videantur vti. Simile est illud Psalmi 103. 24. generaliter dictum de omnibus creaturis, *Omnia in sapientia fecisti.* Quod idem explicat: Omnia sapientia fecisti. Cui consonat Sapiens Eccles. 1. 9. *Deus creauit illã*, id est, *sapientiam, & effudit super omnia opera sua.* Quoniam ità ordinatè procedunt secundùm naturas suas ante Deum, vt prorsus sapere videatur: illo scilicet agente, & gubernante, interpretatur Chrysostomus.

Psal. 135. 5. Caiet.

*Caelos in intellectu, hoc est, intellectuales.*

Psalm. 103. 24.

*Omnia fecit Deus in sapientia, seu sapientia, quasi per se saperent.*

Eccl. 1. 9.

*Deo agente & gubernãte, omnia ordinatissimè procedunt.*

D. Chrys.

3. Vnde D. Hieronymus ad illa Christi verba Matth. 8. 26. *Imperauit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna.* Omnes ait creaturas sentire Creatorem, non viuendo, sed obediendo: nam quae nobis insensibilia, illi sensibilia sunt. Idcirco C autem spiritus vitae dicitur esse in rotis, non simpliciter vita, vt intelligatur, non quaelibet vita, sed vita sapiens, apta scilicet, vt à Sapiente Deo gubernetur. Non potest autem praetermitti, quod Rabbanus Maurus ad verba Sapientiae 16. citata ait, hac ita concordi creaturarum obedientia erga Deum, ac Angelos administros, perpetuò in hoc mundo flagellari homines, qui se non ita flexibiles Deo praebent, sed multis in rebus ei contradicunt, quamquam ab eius alioqui voluntate nunquam discedere possint. Rectè enim illud est ab Augustino pronunciatum, lib. illo 3. de Trinit. Nihil, inquit, fit visibiliter, & sensibiliter quod non de interiori inuisibili ac intelligibili aula summi Imperatoris, aut iubeatur, aut permittatur, D secundùm ineffabilem iustitiam praemiorum, aut poenarum; in ista totius creaturae amplissima, immensáque republica. Ita Aug.

Matth. 8. 26.

*Omnes creaturae sentiunt creatorem obediendo.*

*In rotis vita sapiens, apta gubernari à Deo Sapiente.*

Rabbanus Maurus.

*Cõcors obedientia rerum, inobedientes flagellat homines.*

D. August.

*Omnia Deo vel iubente, vel permittente fiunt.*

---

## *De colore rotarum.*

### SECTIO XII.

1. *Color rotarum caeruleus, ac transparens, quoniam splendor creaturarum est, obedire Deo ad nutũ. Illustratur loco Psalmi 118. & loco Augustini.*

E 2. *Cur visa sunt rotae colorẽ habere caeruleum? quoniam is color caelestis est, & res creata eò magis ostenduntur ad caelũ pertinere, quò magis caelestibus se impulsibus subdunt. Marino etiã colori dicuntur similes, quia aestus marinos motu suo exprimũt. Locus Psalmi 76.*

1. DE colore rotarum ita Vates, Vers. 16. *Et aspectus rotarũ, & opus earum, quasi visio maris, & vna similitudo ipsarum quatuor.* Hebr. pro, *quasi visio maris*; *tanquam color lapidis Tharsis.* Septuaginta, *quasi species Tharsis.* Lectio Hebraica, & Septuaginta, *quasi visio Tharsis*, ambigui

*Varia lectio.*

guitatem continet: nam Tharsis, vt suprà diximus, & pro mari, & pro lapide pretioso sumitur. Vnde alij, *sicut visio hyacinthi* Breuiter significatur color cæruleus, magno cum nitore, & transparentia, qualis in aqua maris, ac lapidibus illis preciosis reperitur. In hoc autem sensu quem persequimur, mysterium primò fuerit, splendorem, & gloriam creaturarum in eo consistere, vt Deo ad nutum obediant, ac ei subsint. Vnde illo Psalmi 118. 95. *Ordinatione tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt tibi*, multi, *diem*, accipiunt metonymicè, pro ipsis rebus creatis, quæ in diebus, & temporibus producuntur, ac propterea diei vocabulo appellari dignæ sunt; quoniam ordinationi diuinæ subseruientes summam, ac stabilem adipiscuntur claritatem. Quare D. Aug. 9. de Ciuit cap. 11. ex eo, ait, æstimationem suam, ac pretium sortiri res omnes creatas, quòd ordinem sub suo Creatore seruent: alioqui obscuras, ac difformes esse, sicut membra corporis, si ordinem sub capite suo non seruent, destituuntur illico vigore pristino: animæ enim influxus, concordiam, ordinémque præexigit, vt se communicet. Atenim quod anima in corpore præstat, id Deus in toto hoc mundo, cuius molem, quasi quædam mens agitat, ac toto se corpore miscet, vt Poëta cecinit. Idcirco hîc dicitur spiritus vitæ esse in rotis: concludit enim Propheta, & motum, & pulchritudinem esse in rotis, quoniam spiritu infuso quasi viuificantur.

*Color rotarum cæruleus & transparens.*
*Gloria creaturarum, Deo obedire.* Psal. 118. 95.
*Inde splendorem sortiuntur, diémque perpetuum.* D. August.
*Pretium creaturarũ, ordinem seruare creatoris.*
*Vt membra ductum capitis.*
*Deus quasi mens quædam mundi.*

2. At cur rotarum color assimilatus est potiùs colori marino, ac hyacinthino, & nõ alteri? Hæc vna causa esse potest (vt colligitur ex Hieronymo) quoniam is color cælestis est, & maximè in mari, quasi in speculo exprimitur. Vt ergo significetur, res omnes creatas, ex eo præcisè quòd æqualiter, & inuariabiliter Deo famulentur, ad cælum pertinere, colorem inde quasi trahere, & participare videntur. deinde rotarum aspectum, similem hîc appellari visioni maris, id mysterium habere potest, autore Hugone Cardinali: vt præterquam quòd splendore, & quasi colore referat mare, hyacinthos, ac adeò cælum, motu etiam ipso suo constanti, ac rato mare, ac cælum imitari videantur. Nam mare ex impressione cælesti, statis vicibus, noctu interdiúque æstuat; ita rotæ visæ sunt ad motum sanctorum animalium ire, & redire, quasi æstus marinus. Vt planè huc videatur respexisse Dauid in illo Psalmi 76. 20. *In mari via tua, & vestigia tua non cognoscentur.* Nã viæ Dei, sunt opera ipsius, seu ipsæ creaturæ: iuxta illud Iob. 40. 14. de Lucifero, seu de Angelis generaliter. *Ipse principium viarum Dei*, id est, Angeli priùs a Deo creati sunt, quam reliquæ creaturæ. Hæ autem dicuntur esse in mari, Genebrardo interprete, quia mare operum Dei specimen euidentissimum exhibet. Itaque sunt in mari per similitudinem, maximè ob constantiam motus reciproci, quem in se præferunt: nam ad impressionem vestigiorum Dei ambulantis per illas, & ipsæ pariter cum illo quasi ambulant, crebrò, scilicet, motæ, ad vestigia deambulantis. Sed illud miraculo par, quòd vestigia deambulantis Dei non cognoscuntur. Quia reuera Deus ita deambulando non mouetur, sed ipsæ potiùs mouentur creaturæ, & quod hoc in mari plenè viæ tuæ, id est, similes mari creaturæ tuæ sunt, quòd sicut in mari, siquis vltro, citróque ambularet, illud quidem moueretur, sed deambulantis non apparerent vestigia; sic prorsus creaturæ à

*Color marinus & hyacinthinus, cælestis est.* D. Hieron.
*Res creata, ex eo præcisè quòd Deo famulantur ad cælum spectant.* Hugo.
*Creaturæ, mare ac cælum motus constantia imitantur.* Psal. 76. 20.
*In mari iter via Dei, id est, opera Dei per similitudinem.* Iob. 40. 14.
*Quoniam Dei ambulantis reciprocam motionem præferunt.*
*Vestigia Dei ambulantis non cognoscũtur, quia creaturæ potiùs mouentur, quàm Deus.*

A Deo motæ, nullum tamen Dei moti vestigium demonstrare possunt, manens quippe immotus ipse, dat cuncta moueri.

---

## *De oculis rotarum.*

## SECTIO XIII.

1. *Oculatas rotas dixit, id est, habentes certissimos motus, quasi oculis ducibus factos. Similis locus Apocal. 4. Illustratur loco Matth. 6.*

2. *Locus Nysseni Gregorij, ex operibus rectis colligentis acumẽ oculorũ cordis. Locus Pauli 1. ad Corinthios, opera, & cognitio, mundus stare auxiliis ex cõ-* B *paratione membrorum, iuxta locum Pauli.*

1. TENIM illud in rotis longè mirabile, quòd oculatæ vndique visæ sunt, variis videlicet per earum dorsa interiectis oculis. Vers. 18. *Et totum corpus oculis plenum in circuitu ipsarũ quatuor.* Hebr. & Septuaginta, pro, *corpus, dorsa.* Cùm nostra lectio totum corpus oculatum ponat, ita tenendum, circumquaque suis oculis sparsum. Rotas cognitione plenas interpretari possumus; sed cùm per rotas intellexerimus creaturas quaslibet Deo ad nutum obsequentes, quomodo id verum sit, non statim videbitur liquere posse. Verùm ex dictis facilè perspicietur: cùm enim C ostensum sit rotas quoquouersùs moueri aptas esse, idque motu certissimo, necessarium fuit oculos eis in omnẽ partem effingere: vt inde certitudo talis motus colligeretur. Ita enim accepimus Apocal. 4. 6. animalia habere oculos *antè & retrò*: id est, in vtraque sui parte idoneè comparata ad certam, ac sine errore deambulationem. Est enim oculus tum motionum localium, tum cæterarum actionum in animali, quasi quidam dux, sine quo error in promptu est. Significauit hoc Christus Dominus, Matth. 6. 22. cùm dixit: *Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum erit lucidum: si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum* D *tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quanta erunt?*

*Varia lectio.*
*Rota cognitione plena.*
*Oculi in rotis ad certitudinem motus.* Apocal. 4. 6.
*Oculus dux actionum in animalibus.* Matth. 6. 22.

Corporalem Dominus in hoc loco substernit philosophiam: nam dixerat non esse reponendum in thesauro cor; est enim cor in anima, quod oculus in corpore: si ergo quis in thesaurum terræ absconditum cor suum detrudat, perinde faciet, ac si oculos immittat in tenebrosum locum: quo fiet, vt totum corpus in tenebris maneat, nec membra suas functiones aptè præstare possint: ea namque per oculos quasi vident, id est, quasi circumspectè procedunt in suis operationibus: id significat, *totum corpus lucidũ*, id est, quasi oculatum, vt sine errore se gerat. Id etiam è contrario, *corpus tenebrosum*, & *tenebræ* id est, mem- E bra, quæ oculo, cuius lumine illustranda erant, in tenebras verso, necessariò & ipsæ tenebræ in agendo fiunt. Sic ergo & in anima vsuuenit, vt corde malè habente, id est, thesauris obscuris inhærẽte, malè quoque habeat necesse sit; & cæteræ partes, ac facultates animæ quæ à lumine cordis illustrantur, in suis operationibus facilè labantur. Ex his ergo illustratum manet, quomodo rotæ oculatæ nihil aliud repræsentent, quàm certos illas motus in quamlibet partẽ exercere posse.

*Membra per oculos quasi vident, operationes suas sine errore præstando.*
*Sine oculis, tenebræ in agendo fiũt, id est, possunt errare.*
*Corde malè habente, qui est oculus animæ, malè & ipsa habet.*

2. Ob hæc Nyssen. Greg. ad illa verba Cant. 5. 14. Greg. Nyss.

Cant. 5. 14. *Opera recta testimonium perhibens oculorum acumini, & à contrario.*

5. 14. *Manus eius tornatiles*, ipsa opera, ait, testimonium perhibere oculorum acumini, per studia præclararum rerum egregiè se duci declarantia. Ita Nyss. Non ergo satis fuerit, rotas bene conformatas esse ad motum, nisi oculorum adsit perspicacitas, quæ motum dirigat, sicut nec oculi etiam quicquam valerent, nisi recta illa conformatio subesset; mutuis enim hæc stant auxiliis; vnde illa oculorum coargutio apud Paul. 1. Corint. 12. 21. *Non potest oculus dicere manui, opera tua non indigeo*; quibus verbis ait Gregor. Nyss. vbi

1. Corint. 12. 21. Nyssen. Greg.

A proximè, docere vult, debere corpus Ecclesiæ ab vtroque rectè comparatum esse, tam perspiciendi veritate, quàm agendi vi inter se temperatis. Quippe quòd neque contemplatio per se animam perficiat, nisi adsint & opera vitam egregiam absoluentia; neque Philosophia occupata in agendo satis sit vtilis, nisi vera pietas eorum, quæ fiunt, dux sit. Hæc Nyssen. Quæ quidem omnia egregiè quis expresserit, si manum oculatam proponat, cum inscriptione hac, VIDE, QVID FACIAS.

*Corpus Ecclesiæ in vtroque temperatum, in perspiciendo & in agendo.*

*Manus oculata, operatio certa.*

---

## COMMENTARIVS II.

NVnc ad ipsum thronum ascendamus, cuius consideratio talis erit. Primùm agemus de firmamento, mox de sono sub illa ac de superposito throno: deinde de specie Domini in Throno sedentis: tertiò de mandatis, quæ Prophetæ dedit.

### *De Firmamento.*

### SECTIO I.

1. *Vnde dictum firmamentum ex Hebræo; & Græco: Vtroque idiomate significatur corpus solidum ac firmum: vnde nō rectè quis vertet, stellatum cælū, quòd ita vocetur octaua sphæra.*
2. *Intelligitur species quædam cæli superposita animalibus crystallinum cælum ob perspicuitatem dictum; igne verò supposito fulgurans horrorem incutiebat.*
3. *Quomodo Deus firmamento horribili sedens appareat? Deus sedes sibi eligit, pro ratione rerum quas denunciat: ita denunciaturus leuia monstratur Eliæ sedens in aura leni.*
4. *Illustratur loco Abac. 3. & enumerātur plura genera quadrigarum, quibus Deus vti solet. Firmamēto etiam sedet, vt dictorum suorum firmitatem declarat. Illustratur loco Isai. 5. & loco Matth. 24. explicatore Chrysostomo.*

1. IN contextu sic habetur, Vers. 22. *Et similitudo super capita animaliū firmamēti, quasi aspectus crystalli horribilis, & externi super capita eorū desuper.* In Hebræo est רקיע à radice רקע quod est extendere, stabilire, firmare, &c. Cùm igitur cælum sit expansum super terram, & magna quadam soliditate firmatum, idcirco noster firmamentū pro rakiah vertit hîc, Genes. 1. 6. Nam & Iob 37. 18. cæli dicuntur quasi ære solidissimo fusi. Congruit versio Septuaginta: reddunt enim στερέωμα, id est, solidum. quare id quod Psal. 17. 3. dicitur: *Dominus firmamentum meum,* explicat Genebrardus, saxum, seu propugnaculum, in quo tutus sū. Quod verò multi hoc loco, & inprimis Lyranus, cælum depingant stellatū, quòd firmamentum pro octaua sphæra sumendum putent; quæ tota stellata est, non videtur habere fundamentum. Nam firmamenti vocabulum quadrat in omnes cælos, vt colligitur ex dictis. Et Genes. 1. 17. dicitur Deus creauisse Solem, & Lunā, & posuisse in firmamento: constat autem nec Solem, nec Lunam esse in octaua sphæra.

*Varia lectio. Cælum dicitur firmamentum à soliditate.* Genes. 1. 6. Iob. 37. 18. Psal. 17. 3. Genebr. Lyranus. *Firmamenti vocabulo omnes cæli intelliguntur.*

2. Igitur nomine firmamenti intelligitur hoc loco absolutè cælum; seu species quædam cæli in aëre formata. Quod autem additur, *quasi aspectus crystalli horribilis,* autore Hieronymo, cælestem, vt apparet, colorem repræsentat, conuenienti, videB licet, comparatione: nam crystallus ex aquis mundis atque lucentibus nimio frigore concrescere dicitur: est autem in superioribus corporibus eximia puritas, rationalibus proinde sapientibúsque virtutibus congruens habitatio. Hæc ferè Hieron. Congruunt verò cum eorum opinione, qui cælos ex aqua illa primigenia Dei verbo concreta factos autumant. Crystallus autem, quæ suapte natura iucunda visui est, hoc loco dicitur horribilis; quoniam ex igne inter animalia discurrente, ipsa quoque, & animalium corpora flagrabant, ignémque in illa perspicuitate colorem, ac adeò horrorem conceptum præ C ferebat.

D. Hieron.

*Cælum conueniens habitatio rationalium virtutum.*

*Igneus color in crystalli perspicuitate horribilior.*

3. Ex his autem illud primum deduci potest generaliter in considerationem, quomodo Deus firmamento horribili sedens hîc appareat? Cui interrogationi, generalis quoque illa respōsio primū cōgruit, Deū, vt sæpe obseruatū est in Scriptura sacra, iuxta ea, quę denunciaturus venit, sedes sibi, seu vehicula affingere solitum. Nam primùm, vt 3. Reg. 19. 13. vidimus, cùm Elias profugus lateret in spelunca mōtis Horeb, requisitus à Domino, quid ibi ageret? respondit: *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituū, quia dereliquerunt pactū Domini, altaria tua destruxerunt, &c. & derelictus sum ego solus,* &c. Quibus verbis Elias plus nimio D exaggerauit perditum illius reipublicæ statum; erat enim natura ipsa seuerus, animóque ardens, atque (vt fieri assolet in eius naturæ hominibus) omnia illico súsque déque acta reputabat; actum esse de religione, quando in se solo, etiam ad necem quæsito, tantummodo conseruaretur. Deus igitur eruditurus Eliam, euocato illo ad ostium speluncæ, Ecce, inquit, Dominus transit & spiritus grandis, & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: E non in igne Dominus, & post ignem, sibilus auræ tenuis: è quo scilicet Dominus loquutus est ad Eliam. Misítque illum ad vngendos duos Reges, & prophetam, vnum nempe Elisæum; asseruítque reliquisse sibi septem adhuc millia in populo, qui non curuauerunt genua sua anta Baal.

*Deus pro ratione, quæ denūciaturus venit, sedes sibi parat.* 3. Reg. 19. 13.

Pōderandū verò quomodo in spiritu illo turbulento, in commotione, in igne descripserit, & tacitè sugillauerit Deus naturam ipsius prophetę acrē, & valde feruidam. Sibilū verò auræ tenuis quasi adhibuisse ad illum feruorem naturæ quasi tem

*In sibilo auræ venit ad temperandū Eliæ animū plus æquo feruidum.*

temperandum; ac si diceret, non omnia corruisse, adhuc meliora optanda, parciùs ominandum: nam tu solum te reputas relictum, & ego septem millia mihi ad religionem adhuc reseruaui. Hæc ergo blanda admonitio Dei, est sibilus auræ tenuis. Nam ex Hebræo habetur, *Et post ignem vox submissa subtilis*, qua (vt Caietan. acutè annotat) significatur eruditio Prophetæ. Vox enim ad erudiendum comparata est, submissio mansuetudinem significat, subtilitas efficacitatem ostendit eruditionis prædictæ. Solet enim Deus tacitè, ac mansuetè, sed efficaciter sese ad nos erudiendos insinuare, vt propterea accommodatè eruditurus Eliam, atque ad temperatiorem reducturus zelum, in sibilo auræ tenuis apparuerit. Hæc latiùs ad Visionem nonam.

*Sibilus auræ tenuis, blanda Dei admonitio, sed efficax.* Caiet.

4. Similiter Habacuc 3.8. *Nunquid in fluminibus furor tuus, vel in mari indignatio tua? qui ascendis super equos tuos, & quadriga tua saluatio?* Nam cùm præcessisset de felici successu prædicationis Euangelicæ, addit ea, quæ attulimus, aduersùs gentes, quæ se illi opponent, contra insensibiles creaturas sæpe pugnasse, vt earum percussionibus commone faceret homines; sed non semper ita futurum, nec verò vsurum se modò iis quadrigis, quæ saluationis dicuntur, sed quæ furoris, & indignationis nomina habent. Itaque (vt humano more loquamur) habet Deus in armamentaria cella sua plures diuersorum nominum quadrigas, vt iis pro ratione temporum, & occasionum sedeat. Aliæ enim dicuntur, saluatio; aliæ, indignatio; aliæ, commotio; aliæ, spiritus fortis; aliæ, ignis; aliæ, sibilus auræ tenuis; aliæ aliis nominibus dicuntur, prout fert occasio. Vnde hanc apud Ezechielem quadrigam, qua Hierosolymitanis cladem denunciaturus venit, indignationem, ac furorem appellare possumus. Sedet igitur aptè supra firmamentum horribile. Quòd verò cælum, imò specialiter firmamentum dixerit, causa esse potest, vt diuinæ sententiæ contra eosdem firmitas significetur: nam cæli nomine in Scriptura exaggeratur prædicta firmitas. Deus enim Isai. 42.5. dictis suis æternitatem conciliare volens addit: *Hæc dicit Dominus creans cælos.* & Matth. 24.35. *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Vbi Chrysost. Faciliùs, inquit, hæc firma, & immobilia destruentur, quàm verba mea excidant. Sedet igitur Deus in firmamento, quia firma eius sedet contra Hierosolymitanos sententia.

Habac. 3.8.

*Deus insensibiles creaturas sæpe percussit, vt ita commonefaceret homines. Quadriga saluationis, furoris, indignationis. Plures in armentaria cella Dei quadrigæ.*

*Quadrigam Dei apud Ezechielem, vocari posse furorem & indignationem. Firmamento sedet, vt sententia contra Hierosolymitanos firmitas ostendatur.* Isai. 42.5. *Cælo in Scriptura significatur firmitas.* Matth. 24. 35. D. Chrys.

---

## *De sonitu alarum sub firmamento.*

### SECTIO II.

1. *Animalia mouebantur ad præscriptum Dei sedentis in throno; surrigebant scilicet alas, & attollebant firmamentum, deducebántque quò iubebantur, idque magno cum fragore, qui exaggeratur, & ostendit Deum vltorem ac planè bellatorem. Locus Apocal. 1.*
2. *Sonus sublimis Dei, Hebraicè, Sadai, robusti, quòd Deus in passionibus, quarum similitudines assumit, conseruet altitudinem suam.*
3. *Illustratur loco Lucæ 1. vbi Gabriel ad Virginē ait:* Virtus Altissimi obumbrabit tibi: *significat enim in humili generationis opere nihil futurū humile, sed omnia altissima, etiam Deum ipsum, ad exequutionem eius demissum. Locus optimus Chrysologi.*
4. *Quòd adhibeatur nota similitudinis, ostenditur, Deo iram & perturbationes, non intrinsecùs esse, sed extrinsecùs prouenire. Modus loquendi in Scriptura de Deo, addidit irasci, non solùm iterationem iræ, sed conditionem ostendit, nimirum esse illi quasi adsititiam. Locus Augustini; idcirco vehitur quadriga ad puniendum, non ipse graditur. Locus Ambrosij.*

1. HIs, quæ diximus, congruunt ea quæ sequuntur: nam sub firmamento inquit, Vers. 24. *Audiebam sonum alarū, quasi sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei. Cùm ambularent, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorū: cúmque starent, demittebantur pennæ eorum.* Notādum primò ex Theodoreto, animalia, quæ firmamentum desuper extensum sustentabant, ita visa Prophetæ, vt non temerè se mouerent, sed ad vocem supernè latam. Deo igitur iubente vt incederent, surrigebant alas, ac adeò firmamentum, & thronum sublimiùs attollebant; móxque in quam partē iubebantur, ibant, sed tanto cum fragore, vt non vnius rei exaggeratione Vates contentus, & sonum aquarū multarum, & sonum sublimis Dei, & sonum castrorū ad amplificationē adhibuerit. *Sonus sublimis Dei*, iuxta Rabb. Dauid, sonus fortis, & credit allusionem esse ad vocem Dei fortissimam in monte Sina, Exod. 20.18. Rabb. Salom. *Sonus sublimis Dei*, id est, magnus, sicut cedros Dei, id est, magnas, dicimus. Maldonatus vocem tonitrui significari putat, quæ in Scriptura *vox Dei* interdum dicitur, vt toto Psalm. 28. videre est.

*Animalia sub throno mouebant se ad vocem desuper latam.*

*Vocis magnæ expressio ex more Scripturæ.* Rab. Dauid. Exod 20. Rab. Salom. Maldon. Psal. 28.

Hæc omnia manifestè ostendunt Deum vltorem ac prorsus bellatorem adesse aduersùs impios. Nam & Apocal. 1.15. vox Dei venientis ad iudicem similiter exaggeratur ex voce aquarum multarum. *Vox, inquit, illius tanquam vox aquarum multarum.* Certè id vero congruenter, quia licèt riuus aquæ, leni gratóque susurro defluat, tamen vbi aquarum ingens moles, montium præsertim faucibus intercluditur, sonus editur inconditus, & horribilis. Is ergo irascenti Deo congruenter ad humanam intelligentiam accommodatur: qui enim apud nos magna perturbatur ira, solet incondita, & horroris plena verba loqui.

Apoc. 1.15.

*Cur vox terribilis cōparatur cum voce aquarum multarum.*

*Iratus solet inconditè & horridè loqui.*

2. Maior autem hoc loco exaggeratio est, ex adiuncto castrorū sono, qui similiter est inconditus, & valde terribilis. Item cùm dicitur, *tanquam sonus sublimis Dei*, Hebraicè est, שדי quod Hieronym. ad Marcellam, de decem nominibus Dei, interpretatur robustum, & sufficientē ad omnia perpetranda. Quòd autem noster sublimem hoc loco verterit, sicut Psal. 90.1. *Altissimum*, id mysterij subesse potest, Deum in iis, quæ apud nos præstat, altitudini suæ nulla ex parte derogare, sed in omnibus, quas humano more assumit passionibus, suam nihilominus in seipso conseruare eminētiam. Nam ob id aquarum ille, siue castrorum horror, non ab ipso immediatè procedebat, sed ab aliis animalium infernè se motantiū. Cùm ergo dicitur tanquam sonus sublimis Dei, intelligitur quidem sonus robustissimus, qualis decet robustissimum Deum, sed qui tamen non dedecet Altissimum, nihil, scilicet, interim de illius altitudine detrahendo.

שדי *nomen Dei,* robustus, & ad omnia sufficiens. D. Hieron. Psal. 90.1. *Deus in iis, quas assumit, passionibus, non derogat altitudini suæ.*

3. Similiter illud Luc. 1.35. Gabrielis ad Virginem, *Virtus Altissimi obumbrabit tibi*, hoc vnū ad literam significat: Deus ipse defectū mariti, absque defectu tamē altitudinis suæ, in te supplebit.

Luc. 1.35. *Virtus Altissimi obūbrabit tibi, id est, defectum mariti supplebit, nihil de altitudine sua amittendo.*

Cur enim Altissimum posuit, non verò Deum absolutè? nimirum, quia in generationis ordine, quæ res est suapte natura humilis, nihil tamen in Deo ipso obumbrante, vel in Virgine obumbrata humile aliquid interuenire debebat, sed omnia prorsus altissima, & ab omni vilitate separatissima. Congruenter igitur a Chrysologo dictum serm. 1. de Incarnatione, Gabrielem missum, vt opus Incarnationis Altissimi virtute quasi suspensum ostenderet. Pari verò ratione hîc, sonus sublimis Dei, aquarúmque, & castrorum fragores, ita Deo attemperantur, vt absque perturbatione vlla sublimis quidem efficacia, atque vis intelligatur in diuinis clamoribus.

*Chrysol. Incarnationis opus virtute Altissimi suspensũ.*

4. Atque id fortasse sibi volunt particulæ similitudinis additæ, *quasi sonus aquarum multarum, quasi sonus castrorum, quasi sonus sublimis Dei*, vt hęc in Deo non sint nisi per decentem accommodationem, collectis videlicet è singulis, quæ aptè in Deum quadrare possunt. Sed & illud notare non incongruè poteris, in iisdem particulis, Deo, quod ad se attinet, non adesse ex natura ipsa irasci in homines, sed quasi extrinsecùs apponi iræ notas, atque signa. Vnde 2. Reg. 24. 1. dicitur: *Et addidit furor Domini irasci contra Israeel*; & sæpe alibi vsurpatur idem modus loquendi, non solum vt significetur, Deum iteratò irasci, sed vt inde colligatur, iram Deo quasi addititiã esse, ac minime insitam, & ab extrinseco prouenientem. Quare & Augustin. ad illa verba Psal. 7. 12. *Nunquid irascetur per singulos dies?* versionem illam affert e Græcis exemplaribus; non iram adducens per singulos dies, quoniam arma, & alia signa iræ ab extrinseco sibi adueniunt. Idcirco & quadriga hîc vehitur Deus, vt ostendatur, non per se moueri, sed quasi per accidens ad puniendum trahi, iuxta illud Ambros. de Noe & Arca, cap. 4. Non irascitur Deus quasi mutabilis, sed vt exprimatur peccatorum nostrorum acerbitas, quæ diuinam mouerint offensam, tanquam eò vsque increuerit culpa, vt etiam Deus, qui naturaliter non mouetur, aut ira, aut odio, aut passione aliqua prouocatus videatur ad iracundiam. Hæc Ambros. Vnde hîc erectis animalium pennis mouetur Deus, demissis stat, vt cum peccatis hominum crescentibus, ac decrescentibus, crescant pœnæ peccatorum.


*Particula, quasi, attẽperatam accommodationẽ innuit. Eadem particula significatur Deo ex natura sua non adesse iram.* 2. Reg. 24. 1. *Ira Deo quasi addititia.* D. August. Psal. 7. 12. *Deus iuxta August. dicitur iram adducere quasi ab extrinseco. Quadriga vehitur ad puniendum, vt ostendat non posse ad id moueri.* D. Ambr. *Exprimitur motus in ira Dei ad exprimendam grauitatem culpæ. Peccatis crescentibus & decrescentibus, crescit ac decrescit ira Dei.*

---

## *De throno Dei.*

## SECTIO III.

1. *Sapphirus describitur à Plinio, ex loco Exod. 24. Color eius commendatur. Quid Hebræi in lateribus sapphirinis, in quibus visus est Deus, philosophẽtur.*
2. *Cur videtur Deus Exod. loco illo stans super pauimentum sapphirinum: apud Ezechielem verò, sedens in throno sapphirino? quia in deserto habet formam concomitantis, hîc speciem Iudicis. Cur thronus Dei è sapphiro coloris cælestis, quia Iudex cælestis esse debet, & separatus ab omni terrena fæce. Locus Chrysostomi, & alter Ambrosij ponderantis Domini verba, Ioannis* 5. Non quæro voluntatem meam, sed eius qui misit me.
3. *Quòd thronus sapphirinus aureis pũctis interluceat, ac centris crystallinis transparens sit, indicium repræsentat Dei, quatenus in aliquibus luceat in hac vita, in aliquibus transmittatur in futuram. Locus Apocal. 1 alter Ambros. ad Psal.* 118.

1.  TERIM throni super firmamentum positi forma talis à Propheta describitur, Vers. 26. *Et super firmamentum, quod erat imminens capiti eorum, quasi aspectus lapidis sapphiri similitudo throni.* Sapphirus, autore Plinio natural. histor. lib. 37. cap. 9. pretiosus lapis cærulei coloris, aureis punctis collucens, interuenientibus crystallinis centris, sculpturæ autem inutilis. Exod, 24. 10. Color huius lapidis rectè exprimitur, cùm describitur pauimentum, super quod Deus visus est. *Viderunt*, inquit, *Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum cùm serenũ est.* Quæ verba addita sunt à Moyse, ad significandum colorem sapphiri non modò cæruleum esse, sed & purissimum, qualem in cælo defæcatissimo cernere consueuimus. Quod autem ibi dicitur, *quasi opus lapidis sapphirini*, iuxta Hebræum; *quasi pauimentum stratum lateribus sapphirinis*. Cùm autem Deus ita sese exhibuerit Moysi, & Aaroni, & aliis statim post egressum à captiuitate Babylonica, Doctores Hebræi mysterij causam rimantes asserunt, id factum, vt ostenderet Deus lateres luteos, quos Hebræi in Ægypto seruientes tanto cum labore faciebant, mira conuersione mutatos in lateres sapphirinos, id est, abiectissimam sub Pharaone seruitutem, in iucundissimam sub Deo libertatem. Idcirco additur eo loco pro significatione lætitiæ videntium Deum sub ea forma: *Viderunt*, inquit, *Deum, & comederunt, & biberunt.*

Plinius. *Sapphiri lapidis descriptio, ex Plinio.* Exod. 24. 10. *Color sapphiri similis cælesti. Lateres Ægyptij mutati sunt Hebræis in lateres sapphirinos.*

2. Visus autem est ibi à Moyse stans super sapphirinum pauimẽtum; hîc autem ab Ezechiele sedens in perfecto throno; quoniam illic cum populo peregrinante apparet Deus quadam cum specie concomitantis, ac peregrè cum eo proficiscentis: hic autem sedet quasi Iudex. Materies autem ipsa rectè congruit throno iudicantis Dei; nam quòd sapphirus sit coloris cælestis, qualis apparet in summa serenitate, cùm nulla neque nubes, neque exhalatio interponitur, significat diuinum iudicium nihil admistum habere terrenæ fæcis, sed totum cæleste esse, ac adeò incorruptum. Vnde illud D. Chrysostomi homil. 19. in Genes. Iudicium diuinum deprauari non potest. Et serm. de cruce, & latrone: Iudices, inquit, terreni seduci, vel corrumpi possunt; in supernis nihil tale. Iudex iustus est, & iudicium eius tanquam lumen non habens tenebras, neque ignorantiam.

*Stat ibi super pauimentũ, specie comitantis populum. Sedet hîc, vt Iudex. Diuinum iudicium nihil habet admistũ fæcis terrenæ.* D. Chrys. *Iudicium diuinum deprauari non potest. Tanquam lumen est, quia non habet ignorantiæ tenebras.*

Et D. Ambros. super Ps. 118. serm. 20. citans illa verba Christi Ioan. 5. 30. *Nõ possũ à me facere quicquam, sed sicut audio, iudico: quia non quæro voluntatẽ meam, sed voluntatẽ eius, qui misit me.* Sobrietatẽ, ait, & synceritatem in iudicando suã adhibuisse Dominum, vt decebat cælestem Iudicem: non enim quod attinet ad iudicandum, aut potestatem, aut voluntatem suam humanam respiciebat, sed omnino voluntatem ac iudicium Patris. Itaque, vel humanitatem, quam ad redimendum hominem assumpsit, suspectã habet, ac adeò quatenus Iudex illam penitus exuit, séque totum ad præscriptum Patris componit, vt certissimè ac syncerissimè iudicet. *Non quæro voluntatem meã, sed eius, qui misit me.* Nunquid potest Iudex (ait Ambros.) cõtra Imperialis formam venire rescripti, aut normã Augustæ definitionis excedere? Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit, aut domesticæ proposito voluntatis, &c. Hæc Ambros. & refertur 3. q. 7. cap. Iudices. §. Bonus. Quæ quidẽ Christi sententiam egregiè declarãt: nã Prætores, qui ad gubernandas

Ioan. 5. 30. *Sobrietas & synceritas diuini iudicij. In iudicando, non suam sed Patris voluntatem respiciebat Dominus. Vel humanitatem suam Christus suspectam habebat ad iudicandum.* D. Ambr. *Bonus Iudex nihil ex arbitrio suo facit.*

*Prætorum Romanorum mos in iudicando.*

prouincias mittebantur, normam iudicandi ab Imperatore accipiebant, quam transilire nefas erat; si quid enim contra illam inter iudicandum occurrebat, nihil ex proprio arbitrio immutabant, sed Imperator certior ea de re factus rescribebat, quid ea in re iuxta normam à se traditam faciendum esset. Itaque Augustam definitionem nec per se immutabat, aut etiam interpretabatur, totus scilicet a voluntate sublimiori pendens. Ita prorsus Christus Dominus à Patre in mundum missus, non potest à se facere quidquam, sed sicut ab eo audit, iudicat; non enim quærit voluntatem suam, sed eius qui misit illũ.

*Augustam definitionem non immutabant, aut interpretabantur.*

3. Illud quoque in Sapphiri natura iudiciali throno Dei egregiè congruit, quòd aureis punctulis interluceat, centrisque, ac veluti orbiculis pelluceat crystallinis. Nam prius illud non iam cælum dumtaxat repræsentat, sed quatenus est interpunctum stellis, in quibus lumen ob opacitatem sese oculis refractum exhibet: posterius verò idem cælum ostendit, quatenus aliis suis partibus transparens est, ac adeò crystallo simile, qua radij lucis peruadunt ob transparentiam. At hæc duo in iudicium diuinum optimè quadrant. Repræsentant enim duo illa, quæ D. Chrysost. optime notauit homil.42. in Matth. nimirum quædam in hoc mundo statim à Deo iudicari; idque conspicuum omnibus apparere; quædam verò quasi transmitti in alterum mundum, iudicanda ibi cum Dominus sedebit in throno maiestatis suæ. Itaque Deus iudicij sui rationes ita dispensat, vt quasdam quidem in hac vita videri a nobis faciat, quasdam subtrahat in futuram inuisibiles. Idcirco Dominus Apocal.1.16. sub forma Iudicis apparens habet *in manu dextera septem stellas*, id est, quamplurimas; septenarius enim infinite sumitur passim in Scriptura sacra; sed mysterium magnum est hoc loco, quòd finito stellarum numero infinitus subsit: nam per stellas intelliguntur ipsi iudicandi, seu iudicandorum facta, quæ omnia Iudici Christo ita sunt perspicua, & clara, vt stellæ, quas quis intueri potest in cælo: verùm nobis non ita patent: pauca enim hominum facta hic iudicari cernimus, omnia tamen in fine seculi apertè visuri, cùm Dominus Iudex manum explicans ostendet, qualis quisque in hoc mundo fuerit, & quali tunc pœnæ deputandus.

*Sapphiri natura partim transluceens, partim orbiculis pellucens, iudicio diuino quadrat.*

*Quædam Deus statim indicat, quædam in futurum iudicanda transmittit.* D.Chrys.

*Christus sub forma Iudicis apparet.* Apoc.1.16. *Habet Christus in manu septem stellas, hoc est iudicandos, quarum alia apparent, alia occultantur. Quosdam nempe hic iudicari cernimus, quosdam minimè.*

Iure ergo nunc stellas innumeras, quas manu tenet, ita moderatur, vt paucas dumtaxat conspicuas Ioanni faciat, paucorum scilicet Episcoporum iudicia, quæ denunciare iubetur, occlusis interim intra pugnum quamplurimis, id est, multorum factis, quæ in futurum iudicium reseruat; quod quidem subtiliter mihi videtur etiam obseruare Ambros. ad illa verba Psalmi 118.21. *Maledicti, qui declinant à mandatis tuis.* Affert enim illa alia verba Psalm.35.7. *Iustitia tua sicut montes Dei, iudicia tua abyssus multa.* Eáque sic explicat, vt è iudiciis diuinis, paucorum quidem executio iustitiæ singularis nomine significata nobis manifestissimè appareat, quamplurima autem in abysso inuisibili inuisibiliter iaceant. Cur autem sic iudiciorum suorum rationes temperat Deus? Continet, ait idem Ambros. singularem œconomiam, quam D. Chrysostom. sic explicat homil.46. ad populum: quærens enim quare aliquos peccatores hic puniat Deus, alios verò non puniat? ita respondet: Non ab omnibus, inquit, hic pœnas exigit, ne resurrectionem desperes, ac iudicium contemnas, quasi omnes hic pœnas luant: nec omnes rursum abire permittit impunitos, ne mundum putes carere prouidentia. Hinc est quod homil. 67. pœnas malorum in hac vita iudicij futuri quandam esse prælibationem asserit.

D.Ambros. Psal.118.21. *Iustitia quadam diuina manifestissimè apparent, qualdã in abysso iacent.*

D.Chrys.

*Non omnes hic punit, vt resurrectionem expectes, aliquos punit, vt credas prouidentia.*

---

## *De sedente in throno.*

### SECTIO IV.

1. *Forma hominis ex electro facta videtur. Igne intrinsecus, extrinsecúsque splendens, intelligitur Christus. Electrum humanitatem, ignis diuinitatem exprimit, quæ interiora Christi diuinis gratiarum splendoribus illustrat; exteriora, id est, carnem eius magna operum luce circundat. Illustratur ex Psal. 109. & loco illustri D. Athanasij.*
2. *Diuinitas quasi introgressa significat initam à se perfectam possessionem humanitatis. ex loco Chrysostomi hæc possessio celebratur, loco Psal.15. & illustratur à Petro Chrysologo.*
3. *Humanitas Christi per diuinitatem designata est ad cibum Eucharisticum, ex loco Ioan.6. illustratore D. Augustino.*
4. *Eadem designatio significata est à Sponso Cant.8. Explicatur locus, & illustratur à Theodoreto.*
5. *Quid electrum ex Plinio? ex compositione argenti, & auri fit electrum. Vnde Gregorius Magnus deducit, significari per hoc humanitatem Christi, qua ad Verbum assumpta emersit ineffabile compositum Christus.*
6. *Differentia compositionis ex auro & argento in electro, & in Christo ex vtraque natura composito, declaratur; quod hic maneant naturæ inconfusæ, illic minimè. Explicatur locus ad Philippenses 2. Vera exinanitio in Incarnatione intelligitur per hyperbolem. Non vt in communibus transmutationibus, expellitur forma vna ad introductionem alterius: ita contigit in Incarnatione.*
7. *In eo, quod ait Paulus de Christo,* Habitu inuentus vt homo, *Incarnationis ratio demonstratur. Illustrat Chrysostomus, & Ambros.*
8. *Congruit ratio electri continentis aurum, & argentum, quibus omnia rerum pretia constant, humanitati Christi, in qua repositum est totum pretium redemptionis, ex 1. Petri 1. illustrat Diuus Ambrosius, & locus Actorum 3.*
9. *Quòd electrum sit contra venenum, rectè designat humanitatem Christi, quæ veneno peccatorum medetur, ex Psal.91 illustrat Chrysostomus.*
10. *Existimatio D. Ambrosij, quod electrum sit lacryma arboris, qua sæpe animalia correpta iucundè videntur, quadrat in Incarnationem ex Virgine Deipara. Christus in Incarnatione sensus, & vtrumque appetitum, quæ nobis cum brutis communia sunt, in se habuit clarificata. Locus Cant.7. explicatur.*

1. SEQVITVR, vt de sedente in throno dicamus, de quo sic Vates, Vers. 26. *Et super similitudinem throni similitudo, quasi aspectus hominis desuper.* Vers.27. *Et vidi quasi speciem electri, velut aspectum ignis, intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius, & desuper, & à lumbis eius vsque deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu.* Hebra. pro, *à lumbis eius; ab aspectu lumborum eius.* Septuagint. *à visione lumbi.* Breuiter: *Varia lect.*

Homo erat ex electro factus, à lumbis autem sursum versùs igne flagrabat intrinsecus, a lumbis verò deorsum, effuso igne circumambiebatur extrinsecus. Hac forma secundum omnes intelligitur Christus: nam sicut illa ex electro & igne constabat, ita Christus, ineffabile quoddam compositum est ex diuina, humanaque natura. Igne igitur significatur diuinitas, vt sæpe diximus, electro humanitas; sed magna consideratione dignum, quomodo ignis hic electro infusus, & effusus interiora superne, exteriora inferne collustret.

*Homo electrinus, figura est Christi.*

*Igne significatur Diuinitas, electro humanitas.*

Primum illud occurrit, diuinitatem in Christo sic humanitati illapsam, vt suprema quidē eius, id est, spiritum, diuinis gratiarum splendoribus, infima verò, id est, carnem, mirabilibus operum radiis illustrē fecerit. Quod certe nobis exhibet Patris æterni dictum illud Psalmi 109.3. *In splendoribus Sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.* Quibus verbis significat, humanitatem se filij non vno, sed pluribus splendoribus collustrasse, vt anima primùm, deinde caro eius tota splendesceret sanctitate. Quò videtur allusisse Athanas. de Incarnatione Verbi: Verbum diuinum sursum, deorsum explicasse radios in Incarnatione: superiorem namque partem humanitatis, nempe animam, & inferiorem, hoc est, carnem, ita illuminauit, vt statim appareret, peculiari modo ibi inesse diuinitatem.

*Diuinitas in Christo superiora mentis illustrabat gratiis, inferiora carnis, miraculis.*

Psal.109.3.

*Humanitas Christi pluribus splendoribus illustrata.*

D.Athan.

*Verbum diuinum sursum, deorsū explicauit radios in Incarnatione.*

2. Præterea illud responderi potest, diuinitatis splendorem quasi introgressum ad intima Christi, id est, animam, & egressum ad externa, id est, carnem, vt perfectam iniret totius humanitatis possessionem. Nam in simili materia, non dissimilis est responsio D. Chrysost. homil.3. in epistolam ad Hebræos. qua responsione iam suprà vsi sumus, sed quadrare hic optimè, apparebit facilè. Quærit ergo, quare Incarnatio modò dicatur introitus, modò exitus? Nam ad Hebræos 1.6. *Cùm introducit*, inquit, *Primogenitum suum in orbem terræ*, &c. Et Ioan.16.28. *Exiui a Patre, & veni in mundū*, &c. Respondet verò, dicta hæc esse ex metaphora hæreditantium, ac ius in possessione sumentium. Grauiter verò id, & iuxta regulas iuris: scitum namque est, eum, qui adire vult possessionem alicuius hæreditatis, putà domus, solitum in eam ingredi, & egredi, vt ea quasi ingressus, & egressus cæremonia indicet, se dominum esse domus illius. Nihilo igitur secius, Diuinitas sub specie ignis introgrediens electrum, & egrediens, id est, humanitatis Christi interiora, & exteriora perlustrans, eo modo, quo diximus, nihil aliud præstitit, quàm solenni ritu totius naturæ perfectam inire possessionem. Hinc est quod illud Psal. 15.6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, explicat D. August. & Euthymius de Verbo diuino incarnato sibi complacente, & gloriante in possessione humanæ naturæ, quam sibi vniuit: nam in Scriptura funis tropicè sumitur pro hæreditate, quoniam adhibitis funibus mensoriis terminabant agros, & similia, Psalm.77.54. *Diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Verbum igitur diuinum glorianter ait, *Funes ceciderunt mihi in præclaris*, seu, *in claritatibus.* Nam illud, *ceciderunt*, sortem indicat, quæ cum feliciter cedit, gaudium magnum parit. Significat ergo sibi in vtero Virginis, quasi sortito datam præclarissimam humanitatem, quam, scilicet, Spiritus sanctus igneis suis funibus, id est, splendidissimis donis supernè, infernéque, id est, mente, & carne ita limitauit; vt nō ni-

*Splendor ingrediens & egrediens perfectam init possessionem hominis.*

D.Chrys.

*Incarnatio aliquando dicitur introitus, aliquando exitus, ex metaphora hæreditantiū.*

Ad Hebr.1.6.

Ioan.16.28.

Psal.15.6.
D.Aug.
Euthym.

Psal.77.54.

*Complacet sibi diuinum Verbum in hæreditate quam adiit. Spiritus sanctus eam extensis gratiarum donis limitauit.*

A si Verbi Diuini propria esse posset. Hic ille metator est, quem D. Chrysolog. interuenisse asserit in opere Incarnationis, quem, vt Virgo Deipara in se ipsa sensit, statim vidit à se supernum suscipi Deu: quasi enim propriè sibi in Virgine aptatis, quæ ad corporis, ac spiritus ornamentum pertinebāt, quasi in debitam sibi possessionē, dignámque, & cōuenientem domum ingressus est Deus.

Chrysol.

*Spiritus sanctus metator Virginis in Incarnatione.*

3. Fortè autem ad hanc designationem allusit Christus, cùm de se dixit Ioan.6.27. *Operamini non cibū, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis. Hunc enim Pater signauit Deus.* Est enim hîc sermo de cibo Eucharistico, quem ipse Filius hominis pollicetur; ne quis autem ambigeret, quomodo Filius hominis diuinum cibum dare posset, vt commendaret humanitatem suam addidit: *Hunc enim Pater signauit Deus*, id est, diuinitate sua quasi sigillo expresso in humanitatē per dona, & opera diuina, indicauit omnino ad se pertinere; ac adeò ita signando, ac demonstrando suam, dedit Christo potestatem, vt cibum se æternæ vitæ facere posset. Vnde ad prædicta verba rectè August. Non ergo quilibet Filius hominis est, sed totus Dei, & totus Deus est; totus videlicet Dei, quoad mentem, & quoad carnem signatus illic immensa gratia, & sapientia, hîc miraculorum patrandorum admirabili vi: fuit nempe Christi caro ex coniunctione, & quasi sigillo diuinitatis miro quodam modo assumpta in instrumentum proprium ac peculiare faciendi miracula.

Ioan.6.27.

*Signauit Deus humanitatem Christi per dona specialia.*

*Ita demonstrauit esse suam, ac veluti omnipotentem ad opera mirabilia.*

*Christi caro instrumentum propriū Dei ad faciēnda miracula.*

4. Hanc verò futuram sigillationem longè adhuc positus ab Incarnatione desiderabat Sponsus, Interprete D. Ambrosio de iis, qui mysteriis initiantur, cùm suam olim humanitatem alloquutus Cant.8.6. dixit: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuū, quia fortis est, vt mors dilectio; dura sicut infernus æmulatio.* quasi dicat: Para te, vt meum in te recipias sigillum, non modò in interioribus, quæ ad spiritum pertinent, sed etiam in exterioribus, quæ ad carnem. Volo enim (ait Ambros.) vt tota mea sis: nihil videlicet tui ad alium pertinere volo. Nam quemadmodū mors fortiter separat sibi mortua corpora, nihil de illis vitæ relinquendo; & sicut infernus eos, quos semel deuorat, omnino retinet, vt suos: ita amor erga te meus, totam te mihi copulare gestit; amor, inquam, zelotypiæ, & æmulationis, qui socium in amore non fert. Congruenter ergo hoc loco ignis interiora electri, & exteriora complectens, huius amoris vim demonstrat: quia nihil omittit in humanitate, quod non sibi vsurpet in possessionem. Ita verò ad plenum possidens humanitatem suam Verbum Dei, id in ea præstitit, quod est omnino nouum: nam quilibet sua possessione viuit, ac ditescit; at verò hæc possessio suo viuit possessore. De quo est illud Theodoreti hoc loco: Humanitas, inquit, Verbi Dei, hilaris, & splendida, & gloriosa immortalisque, & à corruptione libera, ab inhabitante diuina natura facta est.

D.Ambros.

Cant.8.6.

*Duplici signaculo notata humanitas Christi, vt tota significetur esse Dei.*

D.Ambros.

*Amor proprium facit sibi, vt mors, & infernus.*

*Hæc possessio suo viuit possessore.*

5. At cur natura humana comparata est electro? Videndum priùs quid electrum sit. Plinius natural. historiæ lib.33. cap.4. electrum natiuum, & artificiosum agnoscit. Ait enim si in mineralibus quinta argenti portio misceatur auro, electrum reddi, idémque arte, & cura fieri posse. Qua in re suam in præsenti existimationem fundauit Gregor. Mag. vt per electrum acceperit Christum Dominum, quatenus est vna persona in duabus naturis

*Quid sit electrum, ex Plinio.*

Plinius.

*Natiuum, & artificiosum.*

*Iuxta Greg. M. electrum repræsentat Christum, vt est vna persona in duabus naturis.*

Greg. Mag.

naturis subsistens. Quid, inquit, electri specie nisi Christus Iesvs, mediator Dei, & hominum designatur? Electrum quippe ex auro, & argento est: in electro dum aurum argentúmque miscetur, argentum ad claritatem crescit, aurum verò à suo fulgore pallescit: illud ad claritatem proficit, hoc a claritate temperatur. Quia igitur in Vnigenito Filio Dei naturæ diuinitatis vnita est natura nostra, in qua adunatione humanitas in maiestatis gloriam excreuit, Diuinitas verò à sui fulgoris potentia humanis se oculis temperauit; per hoc quòd humana natura clarior facta est, quasi per aurum creuit argentum: & quia diuinitas à fulgore suo nostris est aspectibus temperata, quasi aurum nobis palluit per argentum. Illa enim natura immutabilis, quæ in se manens innouat omnia, si ita vt est, nobis apparere voluisset, fulgore suo nos incenderet potiùs, quàm renouaret; sed claritatem suæ magnitudinis temperauit nostris oculis Deus, vt dum nobis eius claritas temperatur, nostra infirmitas per eius similitudinem diuina luce clarescat.

*In electro argentum auro eleuatur, aurum argento temperatur. In Christo humanitas ad maiestatem excreuit, diuinitas humilitati condescendit.*

*Diuinitas per se incenderet nos, sed humanitate temperatur.*

6. Sed enim quia in electro auri argentíque naturæ inconfusæ non sunt, sed ex vtriusque metalli qualitatibus vna simplex emergit natura, idcirco si ad vnguem res exigatur diuinæ, humanæque naturæ in Christo accommodari electrum non potest; in eo namque diuinitas, & humanitas ita copulatæ sunt, vt nihilominus inconfusæ omnino maneant, quod manifestum est ex illo ad Philip. 2. 6. *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* Primùm enim apparet, quomodo in exinanitione Christi potuerit Apostolus internoscere duas formas distinctas, diuinitatem, scilicet, & humanitatem: nam exinanitio (vt ego quidem interpretor) in germana significatione sumenda est, vt vera ac propria annihilatio, noua quadam hyperbole, nouam, & qua maior esse nequit, humiliationem Incarnationis eius nobis insinuet. Sic autem quasi miraculum omnium maximum ostendit Apostolus, quòd in eo opere, in quo Diuinitas ita se profundè humiliauit, ac si omnino desineret esse, tamen integra omnino manserit, sicut humanitas, qua ipsis hominum oculis sese ingerebat. Vnde postquam Apostolus exinanitionem diuinitatis posuit, statim additur, *formam serui accipiens:* si enim exinanita accepit, certè integrè omnino constabat post exinanitionem. Quare Anselmus ad hæc verba: Exinaniuit, inquit, se, formam serui accipiens. Non ergo formam Dei amittens, formam serui accepit; videlicet in Incarnatione non ita res habuit, ac in communibus trāsmutationibus substantialibus: nam in generatione ignis ex ligno, accedente forma ignis, discedit forma ligni: non enim in eadem materia duæ formæ substantiales consistere possunt, sicut de electro diximus, in quo nequaquam imaginari licet, formam auri manere cum forma argenti. At verò per Incarnationem duplex natura in vno eodémque supposito mirabiliter subsistit.

*Humanitas & diuinitas in Christo, non vt in electro argētum & aurum, confusa sunt.*

*Philip. 2. 6.*

*In exinanitione Verbi internouit Paulus diuinitatē, & humanitatē.*

*Exinanitio veram importat annihilationem per hyperbolē ad exaggerationem humilitatis.*

*Si exinanita diuinitas accepit formam serui, ergo integra manebat.*

*D. Ansel.*

*In Incarnatione nō ita res habuit, ac in communibus transmutationibus.*

7. Sed nec omittere debeo, quod Theodoretus, conformiter ad ea, quæ diximus, in Pauli verbis annotauit. Comparauit enim naturam humanam habitui, & vestimento. Habitu, inquit, inuentus vt homo. Sicut enim vestis, & qui ea vtitur duo omnino sunt inter se distincta,

*Theodoret.*

A quantumuis appareant ad speciem vnum: mutuis autem stant officiis: vestis enim tegit corpus, corpus vestem facit consistere: ita prorsus diuinitas humanitatem sibi induit, vt occultaret se, non vt subtraheret: sicque veritatem, non phantasma exhibuit. Ideo enim additum est illud, *vt homo*; non enim significat similitudinem, sed veritatem; sicut illud, *gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* At verò Chrysostom. ex hoc ipso quod dicitur, *inuentus vt homo*, distinctionem, quam nos probamus, acutè elicit. *Habitu*, inquit, *inuentus vt homo*, non enim in hominem, inquit, mutatus est Deus Verbum, quasi dicat: Deus iñ se manens, inuentus est vt homo: nam vt

B Deus inueniri non poterat, carne videlicet coopertus. Sed & Ambros. lib. 2. de fide, cap. 4. non minùs subtiliter in eodem loco versatur; nam ex eo quòd Christus asseritur hîc à Paulo æqualis Patri, & eiusdem seruus, duas naturas inconfusas eruit. Contrarius vtique, ait, seruus æquali; æqualis ergo in Dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam quomodo eadem posset esse minor, æqualísque natura? Ita Ambros. doctè videlicet, ex conditione contrariorum, quæ de vna re affirmari non possunt, iuxta Philosophos duas in Christo distermināuit naturas. Hæc verò ideo fusiùs, quoniam video minùs consideratè aliquos in solo electro

C velle totum Incarnationis mysterium concludere, cùm expeditiùs in electro quidem humanitas, in igne intrinsecùs, & extrinsecùs diuinitas exprimatur ad eum modum quem diximus: sic enim vitatur confusio illa in hoc mysterio valde periculosa.

*Similitudo ex commutuis indumento per Apostolum aptè posita.*

*Vt homo non similitudinē habet, sed veritatem.*

*D. Chrys.*

*Deus in se manens, inuentus est homo.*

*D. Ambr.*

*Æqualis cùm dicitur, & seruus, duas naturas probat inconfusas.*

*Eadem natura non poterat esse æqualis, & minor.*

*In solo electro mysterium Incarnationis non aptè concluditur.*

8. Electrum igitur cum sola humanitate Christi optimè quadrat; nam quòd ex auro, & argento fiat, quibus duobus metallis omnia rerum pretia continentur, optimè demonstrat humanitatem Christi continere pretium redemptionis humanæ. Hinc illud 1. Petr. 1. 18. *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati.*

D Vbi Apostolus corruptibili auro, argentóque reiecto, aurum, ac argentum incorruptibile, scilicet redemptionis nostræ pretium in Christi humanitate conditum agnoscit. Vnde illud Ambrosij in Psalm. 35. Bonum aurum, sanguis Christi, diues ad pretium, profluus ad lauandum omne peccatum. Quare idem B. Petrus ingrediens templum, rogatúsque à mendico claudo, vt eleemosynam daret, non sine mysterio respondit: *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Intellexit enim aurum istud, ac argentum corruptibile, præ illo, quod vel in ipso nomine Christi includebatur, nihili faciendum, id est, præ

E vi illa redimendi non solùm à peccatis, sed etiam à quacunque necessitate corporali. Vnde Chrysostomus pulchrè ad hæc loquentem inducit Petrum: Mihi ait Christus in suo nomine aurum, & argentum reliquit suum, mihi fructuosum est, mihi tributa pendit. Non modò igitur aurum, & argentum est humanitas ob prædictam vim redimendi, sanandi, &c. sed ipsum quoque nomen Christi diues eo ipso factum. Verùm ea quæ diximus de pretio humanitatis Christi, non sunt intelligenda de ipsa humanitate præcisè sumpta, sed de ipsa, vt adiunctam habet diuinitatem, à qua opera humanitatis pretiosa fiebant.

*Electrum conuenienter significat humanitatem Christi.*

*Meliùs repræsentat quomodo in illa sit pretium redemptionis humanæ.*

*1. Petr. 1. 18.*

*Auro & argento corruptibili opposuit Petrus incorruptibile sanguinis Christi.*

*D. Ambros.*

*Bonum aurum, sanguis Christi.*

*Nomen Christi plenum auro & argento incorruptibili ad redimendum.*

*D. Chrys.*

*Petrus nomine Christi diues.*

*Humanitas Christi eo pretiosa, quòd adiunctam habebat Diuinitatem.*

Plinius. *Electrum contra venena valet.*

9. Illa quoque electri conditio, quam Plinius loco citato ponit, humanitati Christi rectè quadrat; nimirum adhiberi solitum contra venena. Nam humanitas Christi contra venenum peccati à Deo inprimis conformata est; item ad fugandos dæmones, eorúmque tentamenta; & de primo quidem sunt, qui explicent illud Psalmi 91. 11. *Exaltabitur sicut vnicornis cornu meū.* Loqui videlicet Christum de humanitate, quam, sicut animalia cornua eleuant, ita ipse ea prærogatiua exaltauit, vt venenis peccatorum mederetur; sicut cornu vnicornis, quod aduersùs venena est, famosum antidotum. De illo altero afferri potest id Chrysostomi, quòd in sanguine illo ad limina Hebræorum asperso, Exod. 12. 22. specialem vim posuerit Deus terrendi mortem, ac dæmonem, qui cædes exercebat in Ægypto. Id verò in figuram sanguinis Christi, cui vis illa propriè inesse debuerat. Vnde rectè Chrysostom. *Vmbram*, inquit, *sanguinis mors horruit.* Quasi diceret: quantò magis ipsam veritatem.

*Humanitas Christi contra venena peccati, & tentationes dæmonu.* Ps. 91. 11. *Veluti cornu vnicornis, medetur venenis peccatorum.* D. Chryſ. *Sanguis Christi vim habet terrendi dæmones.* Exod. 12. 22. D. Chryſ. *Vmbram sanguinis Christi in sanguine agni apud Ægyptum dæmon horruit.*

10. Illud verò ex D. Ambros. 3. Hexamer. 15. electrum lacrymam virgulti esse, quæ cùm mollior inprimis, postea solidescat, sæpe euenit, vt animalcula mollis adhuc existens corripiat, ac deinde solidescens, in pellucido adhibeat, non sine iucunditate visenda. Etsi ergo aliter, quàm existimamus, de natura electri philosophetur; tamen aptè afferri potest ad laudem Virginis. Virgultum enim est Beata Virgo (vt ait Epiphan. in sermon. de laudibus Deiparæ) Veritatis (vt ibidem dicitur, id est, Christi, qui Veritas est) in primis fertile. Eum verò tanquam lacrymam germinauit, quia sicut lacryma arboris fit ex concrescente humore intrinsecùs, qui postea foras prodit, absque vlla læsione arboris; ita in vtero Virginis coagulato purissimo sanguine formata est, interueniente Spiritu sancto, humanitas Christi, quæ postea venit in lucem, sine vlla Virginalis vteri corruptione. Inclusit enim se diuinum Verbum (vt testatur Andreas Hierosolymitanus) in vterum Virginis, tanquam in ipsam naturæ officinam, Virgine quidem præbente materiam operis, Spiritu sancto artem addente. Quomodo autem ex naturæ officina, in qua, scilicet, reformabatur natura, naturæ vlla corruptio prouenirer?

D. Ambroſ. *Iuxta Ambrosium electrum lacryma virgulti est. Molle animalia corripit, solidescens non sine iucunditate exhibet.* Epiph. *Virgo Deipara virgultum veritatis, id est, Christi fertile. Vt lacrymā electrinam genuit, peperitque sine læsione.* Andreas. Hieroſ. *Vterus Virginis, naturæ officina.*

Atenim quòd electrum animalia correpta in mollitudine, postea durescens, ac pellucens, gratè exhibeat, egregiè repræsentat, quomodo Christus in vtero Virginis simul cum eius carne assumpserit corporales potentias, videlicet sensus externos, & internos vtrumque appetitum, &c. quæ nobis cum brutis communia sunt. Verùm in Christo Deo, & homine ad miram quandam, & extraordinariam eleuata sunt claritatem, vtpote diuino clarificata electro. Neque enim in Christo fuit aut esse potuit peccati fomes, quo prædictæ potentiæ redduntur effrænes, ac rebelles, sed summa pace, ac splendore omnia intus forisque composita, ac illustria cernebantur, vt iure ipsum met Verbum læta quadam admiratione suspensum dicat Cant. 7. 1. ad Spōsam, hoc est, humanitatem suā: *Quàm pulchri sunt gressus tui, in calceamentis filia Principis!* Gressus enim significāt affectus inferioris partis, vt notum in Scriptura est; hos autem in humanitate assumpta gratè intuetur; nam simulatque illi calceamenta, siue sandalia, id est, Incarnationem, siue vnionem hypostaticam quasi supposuit, non modò illam extulit, ac adeò ab omni terrena fæce vendicauit, sed eo ipso pulchram, gratiosámque reddidit: ita vt gressus faceret, non quasi aliquis de plebe, sed planè, vt filia Principis, affectus præferens, non tantùm speciosos, sed & illustres, quales decent Principem cæli, ac terræ, cui se dicauit.

*Potentiā animales diuino sunt clarificata electro.* *Non fuerunt in Christo rebelles, sed summa pace composita. Gressus, hoc est, affectus inferioris partis, pulchros miratur.* *Vnio hypostatica non modò extulit humanitatem, sed pulchram fecit.*

---

## *De Iride ex splendore circunfuso.*

## SECTIO V.

1. *Iris visus in splendore illo circunfusus ad pedes hominis electrini, pacem repræsentabat, Genes. 19. quare eo arcu significetur pax, ostenditur ex Ambrosio. Locus Eucherij peracutus.*
2. *Christi diuinitas meritò in Iridem desinit, quia Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, 2. Corint. 5. Locus explicatur, illustratur ab Augustino, expenditur sententia Canticor. 8.*
3. *Locus Theodoreti, per Iridem beneficia in genus humanum profecta intelligentis. Explicat & Rupert. quod qui ante Incarnationem ignis merus erat, post illam Iridem admistam habeat, hoc est, pacem.*

1. VERVMENIMVERO quæ de Iride subiungit Vates omittenda non sunt. Vers. 27. *Et splendor eius in circuitu.* Vers. 28. *Velut aspectum arcus, cùm fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum.* Videlicet splēdor ille igneus, qui foris apparebat, à lumbis deorsum versùs, speciem Iridis repræsentabat. Iride in Scriptura significatur pax, & clementia Dei erga humanum genus, ab eo iam tēpore, quo datus est Noe, post egressum arcæ in signum fœderis, ac promissionis, nunquā deinceps futuri diluuij, Genes. 9. 12. Dominus ad Noe: *Arcum meum ponam in nubibus.* Propterea dictum (ait Ambros.) quia tunc maximè diuinæ auxilio prouidentiæ opus est, cùm agmina nubium in procellas tempestatésque coguntur. Itaque quoties aër coactus nubibus densatur, diluuium quasi armata manu inferre parat, sed arcu obiecto coërcetur à Deo. Vel (vt Philo ait) arcus ponitur tanquam auriga super densitatem aëris, quia tunc maximè ob satietatem lasciuire solet.

*Iride significatur pax erga humanum genus.* Genes. 9. 12. D. Ambroſ. *Aër coactus in nubes quasi armata manu minatur diluuium.* Philo. *Arcu coërcetur, & est veluti auriga nubiū.*

Est autem magna congruentia, vt per Iridem fuerit significata pax, inprimis quia formam habet arcus, instrumēti, videlicet, bello apti, sed tamē sine sagitta, ac sine chorda, adeóque vt sic inepti ad nocendum. Vnde illud D. Ambros. ad prædicta verba Genes. *Arcum meum ponam in nubibus.* Non sagittam, inquit, ponam, sed arcum, id est, nō quod vulneret, sed quod solum terroris indicium habeat, effectum vulneris non habeat. Indicatur ergo diuina potentia, sed exarmata, siue (vt Ambros. loquitur) quoddam diuinæ virtutis examē, videlicet, vt non statim, ac delinquitur feriat delinquentem, sed quasi adhibito examine; ideo namque arcū habet sine chorda, & sagitta, vt in malis persequendis necessaria mora intercedere debeat, qua delicti causa examinetur. Sed illud quoque intelligatur, facilem tandem paratu esse Deo arcum suum, si mali non resipiscant, ac adeò non debere sibi ex arcu sine corda, & sagitta polliceri pacem aliquam supinam, sed alioqui vigilantem. Quod quidem Eucherius acutè elicit ex ipsis coloribus Iridis. Ex parte, inquit, cæruleus est, ex parte rubicundus, quoniam vtriusque iudicij testis, vnius videlicet facti per aquam, alte

*Iris, quia arcus sine chorda & sagitta, aptus significandæ paci.* D. Ambroſ. *Arcu indicatur diuina potentia, sed exarmata.* *Arcus sine sagitta, & neruo, vt mora sit examini.* *In iride vtriusque indicij comminatio, facti per aquā, faciendi per ignem.* Eucher.

alterius faciendi per ignem. ita ille. Simile illud, quod Lorinus refert Act. 3. 20. ex Richardo de S. Victore, Thronus Dei, qui dicitur esse Iris, colore igneo terret impios, cæruleo exhilarat iustos. Sic ibi. Pax igitur Iride significata inter securitatem, ac timorem posita in medio, hominem temperatè continet.

*Ignis foras prodiens desinebat in Iridem.*

2. In homine igitur ex electro facto, ignis ille à lumbis deorsum, foras prodiens arcum cælestem præferebat, qualis est in die pluuiæ, quod egregiè quadrat in sensum à nobis paulò suprà explicatum. Diximus enim eo igne intrinsecùs, & extrinsecùs significari diuinitatem Christi, quatenus & interna eius splendoribus virtutum, & externa operum mirabilium radiis collustrat. At verò (vt ait Chrysost.) omnia Christi opera. Pax, & Amor. Omnia videlicet, quæ viuens operatus est eò retulit, vt reconciliaret homines Deo; item, vt timore legis expulso, charitatem insereret. Ac de primo quidem est illud Pauli 2. Corint. 5. 19. *Deus erat in Christo mundũ reconciliãs sibi.* In quibus verbis illud, *erat*, significat permanentem quandam intentionem, quasi nihil aliud sibi in mundo faciendum destinauerit in Christo Deus, quàm vt homines reconciliaret sibi. Vnde illud inter D. Augustini sententias, rectè prolatũ: Omnis actionis Christi, intẽtionisque perfectio, pax cum Deo. Quasi dicat: Omnes actus Christi, tam interni, quàm externi, etiamsi alioqui infinitæ dignitatis, & valoris, sibi tamen non videbantur perfecti, nisi quatenus ad reconciliationem mundi cum Deo à se dirigebantur. Sed & amor in Christi operibus vel maximè eminuit; vt non ob aliud ausus sit affirmare August. opus nõ fuisse venisse IESVM, nisi propter charitatem, qua diceret: *Maiorem dilectionẽ nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Quamobrem Cãtic. 5. 14. dicitur habere *manus tornatiles, aureas, plenas hyacinthis.* Manibus significantur opera, Ps. 23. 4. auro charitas, Apocal. 3. 18. hyacinthis, ob cælestem colorem, spes gloriæ. Sunt ergo opera Christi non modò perfecta, sed etiam merus amor erga homines, quæque illis multiplices congerant spes, ac promissiones gloriæ.

*D. Chrys. Omnia Christi opera, Pax, & Amor.*
*2. Cor. 5. 19. Reconciliationis humanæ intensa operatio.*
*D. Aug. Omnes actus Christi, pace perficiebantur.*
*Opus non fuit venisse Iesum, nisi propter charitatem.*
*Cant. 5. 14. Ps. 23. 4. Apoc. 3. 18. Opera Christi amore, & spe gloria plena.*

3. Cùm ergo Christus quidquid in carne præstitit, ad pacem, ac amorem hominum referendum curauerit, iure splendor ille extrinsecùs ambiens sedentem in throno arcum cælestem exhibebat oculis. Vnde Theodoreti interpretatio optimè quadrat: Splendor in circuitu, sicut visio arcus, quando fuerit in nube in die pluuiæ: Hæc, inquit, diuina dona significant, quæ splendoris instar inde profecta, humanum genus beneficiis prosequuntur: pluuiam illinc defluentem, & indicantia, & secum afferentia. Rectè & Rupertus, A lumbis, inquit, deorsum vidi speciem ignis, & arcum, &c. quoniam ante carnis assumptionem, quæ per lumbos rectè exprimitur, Deus generi humano iratus, tantummodo ignis consumens erat; postquam autem carnem assumpsit, iam non solummodo ignis, sed & inclinatio nobis est propitiationis. Addi potest & interpretatio alia, splendorem illum extrinsecum, quo Diuinitas significatur, quatenus apparebat in operibus Christi mirabilibus, in arcum cælestem desinere, vt significetur miro quodam modo, quasi inflexam, & attemperatam Diuinitatis vehementiam in operibus Christi, vt ab hominibus sustineri possit. Denique siquis roget, quare Verbum diuinum hîc appareat sub prædicta electri forma?

*Theod. Opera Christi pluuiam & abundãtiam donorũ indicant, & afferunt. Rupert.*
*Post Incarnationem nobis propitiatus est.*
*Diuinitas Christi attemperata est per opera eius, vt sustineri à nobis posset.*

Respondetur, congruenter id quidem fieri in hac Visione, quæ iudicia in Hierosolymitanos exercenda repræsentat. At verò *Pater omne iudicium dedit Filio,* Ioan. 5. 22. non solùm in nouo, sed etiam in veteri Testamento, in quo per Verbum Diuinum omnia iudicia peracta sunt. *Ioan. 5. 22.*

---

## *De mandatis, quæ Dominus Prophetæ dedit.*

### SECTIO VI.

1. *Obseruat Hieronymus in eo quòd Ezechiel cecidit in faciem suam, iustos in Scriptura in faciem cadere, malos retrorsum. Ex loco Chrysostomi probare quis possit, casu euenire, quod quis retrò aut in faciem cadat. Verum obseruatio illa Hieronymi non caret fundamento: nimirum, cùm consuetudo sit altera natura, & iusti soleant crebro se coram Deo humiliare; superbi autem collum arrigere: inde fit, quòd in subito stupore illi in faciem, hi retrò cadant.*
2. *Quales apud veteres libri? Liber Prophetæ mẽbrana erat inuoluta ex more veterum. Per hunc librum intelligitur prophetia Ezechielis. Quare inuolutus dicitur, Isai. 29.*
3. *Quare Deus voluerit libros Scripturæ obscuros esse? Respondet Hieronymus, Theophylactus, Dionys. Areopag. & Greg. Mag.*
4. *Liber quomodo dicatur scriptus intus, & foris, id quidem aliis nouum, & vetus Testamẽtum: aliis sensus literalis, & mysticus: aliis est idem ac omnibus modis intelligibilis. D. Hier. ea de re sententia.*
5. *Lamentationes scriptæ in libro intelliguntur Sanctorum gemitus pro iis, qui ad pœnitẽtiam prouocãtur, quales Samuelis pro Saule, de quibus est locus Chrysostomi hom. 3. de pœnitentia, quales & Ieremiæ, de quibus ipse, cap. 9. Locus Hier. Similiter Paulus lamentatur Corinthios. Illustrat Chrys.*
6. *Carmẽ, exultatio est pro renouatis gratia Dei, ex Ps. 149. Scriptura plena est Canticis triumphalibus pro variis liberationibus. Quale Moysis, Exod. 15. Locus Origenis: sunt & Cantica exprobrationũ, Deut. 32. vt melodia rẽperetur acrimonia exprobrationũ.*
7. *Væ dictum super eos, qui desperantur, ex Hieron. Væ Iudæ dixit Dominus. Origenes expendit. Væ dixit Isaias Ierusalem. Explicat Chrysostomus. Væ admistam habet commiserationem. Locus insignis Imperfecti in Matth. similis alter locus Chrys.*
8. *Væ etiam interiectio vocantis, Isai. 18. vbi etiam admistam habet commiserationem, nũquam mali omnino desperati. Locus Ps. 55.*
9. *Potiùs per lamentationes, carmina, & væ intelliguntur tristia & læta, iuxta Diuum Hieronymum.*

1. EZECHIEL exhibita sibi Visione hac terribili cecidit in faciem suam consternatus metu, sed statim voce Domini sedentis in throno recreatus surrexit iterum, & dixit ad eum Dominus, Vers. 8. *Fili hominis, aperi os tuum, & comede quæcumque ego do tibi.* Vers. 9. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expãdit illũ corã me, qui erat scriptus int⁹, & foris, & scripta erãt in eo lamẽtationes, & carmẽ, & væ. Et comedi volumẽ illud, & factũ est in ore meo sicut mel dulce.* Heb. pro, *intus & foris,* antè, & retrò: & pro, *carmẽ,* gemitus. Septuaginta pro, *inuolutus liber,* capitulũ libri; & pro, *intus & foris;* *Cap. 2.* *Varia lectio.*

*ris, anteriora, & posteriora.* Hæc partim ex 2. partim ex 3. capite decerpta sunt. Ante omnia verò quòd cap. 1. Propheta dicatur in faciem cecidisse suam, à D. Hieronymo ponderatur. At enim se nunquam legisse in sacra Scriptura, iustum cecidisse retrò, sed in faciem suam. Apostoli in Transfiguratione ceciderunt in faciem suam. Daniel. 10. 9. cadit Vates super faciem suam, & vultus eius hæret terræ. At verò de peccatoribus vbique dicitur, quòd cadant retrorsum. Isaiæ 28. 13. *Vt cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur.* Ioa. 18. 6. comprehensores Christi in horto abeunt retrorsum, &c.

*Iusti nunquã cadere retrò, sed in faciem, obseruat* D. Hier.

Isai. 28. 13. *Contrà obseruatum, malos cadere retrorsũ.* Ioa. 18. 6.

Hæc obseruatio inanis fortasse alicui videbitur, quia quòd in faciem iste, ille retrò cadat, merus casus esse videtur; in subito enim, grauique metu, vt constat, non manet homo compos sui, quod quidem D. Chrysost. homil. 5. de incomprehensibili natura Dei pulchra comparatione illustrat. Quemadmodum, inquit, vbi auriga perterritus habenas amisit, equi præcipites feruntur, & currus distractus labefactatur: sic prorsus omnino euenire solet, quoties magno stupore occupatur animus, quippe qui pauidus suo deest officio, ac veluti quasdam habenas, suas actiones amittit. Hæc Chrysost. Cùm ergo animus consternatus metu, habenas motuum moderari pro ratione nequeat, quòd tunc homo in faciem vel in terga corruat casui videtur potiùs, quàm rationi attribui posse. Sed tamen prædicta differentia tam multis locis Scripturæ comprobata casualis esse non potest; eius ergo caussam, & eam quidem reconditam, atque ex ipsis (vt dicitur) naturæ adytis erutam assignabimus. Consuetudinem secundam naturam vocat D. Chrys. homil. 7. in epistolam 1. ad Corinth. consentaneè ad Aristotelem, qui vocat eam alteram naturam. Vnde homil. 27. ad populum, rectè ex priori sententia deducit, consuetudinem etiam sine voluntate operari. Verbi caussa, si quis in vigilia consueuit acriter tentationibus resistere, id etiam inter dormiendum, cùm libertas abest, ex consuetudine facit. Similiter ergo in stupore valido amissis etiam liberæ motionis habenis, iusti quidem, quia liberè agentes crebra se coram Deo humiliatione deiiciunt, in facies suas cadũt: superbi verò quoniam elato collo contra Deum currere solent, Iob. 15. 26. retrò, quò de more inclinant, resupinantur. Vates ergo iustus in suo hoc timore coram terribili Iudice cadit in faciem, fasces suos quasi submittens maiestati.

D. Chrys.

*Animus perturbatus, auriga, qui habenas amisit, similis est.*

*Differentia eorum, qui retrò, & antè cadunt, casualis non est.*

D. Chrys.

*Consuetudo secunda, vel altera natura.*

*Consuetudo etiam sine voluntate operatur.*

*Iusti, qui solent crebrò se corã Deo humiliare, etiamsi non liberè agãt, in facies cadunt.*

*Superbi, quia elato collo ambulant, retrò cadunt, consuetudine impellente.* Iob. 15. 26.

2. Corroboratus ergo iubetur comedere librum, in quo sunt scriptæ lamentationes, & carmen, & væ. Dicitur hic liber inuolutus à more inuoluendi apud veteres: non enim, vt hodie è foliis papyri compaginatis, sed primùm quidem è corticibus, seu libris arborum contortis, postea verò è pellibus, seu membranis, quas vocant pergamenas, fiebant libri, quos in virgam cedrinam, vt seruarentur illæsi, vel in aliam eiusmodi vni extrêmo colligatam, & in cornua artificiosè elaborata conuoluebant. Vnde illud Ouidij ad suum librum:

*Libri veterũ è membranis inuoluti.* Ouid.

*Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,*
*Candida, nec nigra, cernua fronte gerat.*

Per hunc librum veteres absolutè intelligunt Scripturam sacram: verùm congruentiùs recentiores literales, ipsam Ezechielis prophetiam, maximè autem eam, quæ primo capite continetur. Vnde Septuaginta *capitulum libri* transtulerunt. Inprimis quoniam in hoc primo capite cõtinetur summa totius prophetiæ Ezechielis; deinde, quia est summè obscurum: propterea enim librum inuolutum vocat; sicut Apocal. 5. 1. dicitur *liber signatus septem sigillis*. Intelligitur enim idem liber Apocalypseos obscurissimus; nam septem sigilla ex vsu numeri vniuersitatem obscuritatum significant. Similiter Isai. 29. 11. *Erit vobis*, inquit, *Visio omniũ, sicut verba libri signati, quem cùm dederint scienti literas, dicent: Lege istũ; & respondebit: Non possum; signatum est enim.* Quibus verbis significatur, magnam futuram in Hebræo populo cæcitatem in intelligendis Scripturis; perinde enim eas intelligent, ac quisquam alius librum signatum. Hoc igitur loco liber inuolutus significat prophetiam Ezechielis obscurissimam.

*Liber inuolutus, melius prophetia Ezechielis.*

*Prophetia Ezechielis, maximè primi capitis, obscurissima.* Apoc. 5. 1. Isai. 29. 11.

*Liber inuolutus, eodem sensu, ac signatus.* *Cur Deus Scripturæ libros obscuros esse voluit.* D. Hier.

3. Quæri solet, quare Deus Scripturæ libros obscuros esse voluerit? Cui quæstioni respondet D. Hieronym. lib. 7. Comment. in Isai. cap. 18. vt ad eius intelligentiam magis prouocemur. Solẽt enim quæ obscurissima sunt magis irritare mentes nostras ad inuestigandum. Respondet etiam Theophylactus Luc. 18. id esse, ne infideles altissima fidei mysteria, quæ non intelligunt, irrideant. Adde & illud Areopagitæ Dion. 1. de cælesti Hierarchia: Quia non aliter, inquit, fas erat infirmitati nostræ lucere diuinum radium, nisi sacrorum varietate velaminum opertum. Intelligit Dionysius exaggeratam illam diuinæ sapientiæ lucem non potuisse nostris sensibus nudam infundi, ac adeò sacrorum librorum aptè inuolutam ænigmatibus dari, vt non subitò in eam incurramus, sed paulatim euoluentes, quantum nostræ intelligentiæ quadrare potest. Sed & D. Greg. hoc loco propterea inuolutum librum testatur, vt ipsa obscuritas occasio sit plurimum sensuum.

*Obscuritas excitat mentes ad inuestigandum.* Theophyl. *Obscura mysteria, ne pateant infidelibus ad irrisionem.* Dionys. Areop. *Inuoluta attemperant radios diuinæ lucis.* *Obscuritas, occasio est plurium sensuum.* *Intus & foris scriptus liber, id est, in facie & in tergo membranæ.* Ezech. 41. 4

4. Quòd verò liber dicatur scriptus intus & foris, intelligendum, vt in Paraphrasi, id est, in facie, & in tergo membranæ. Nam interiora Hebræi vocant anteriora; exteriora verò solent nominare posteriora. Vnde ab Ezechiele cap. 41. 4. dicitur oraculum esse ante faciem templi, hoc est, intra templum; & Exod. 33. 23. quæ intra Dei naturam continentur, dicuntur facies Dei, quæ verò extra, dicuntur posteriora, vt ibidem notauimus. Multipliciter verò id explicatur ab interpretibus. Nam Beda ad 5. caput Apocal. putat, eo significari duplex Testamentum, vetus scilicet ac nouum, quorum vetus foris scriptum sit in litera, nouum intus per mysterium. Hieronym. hic propter duplicem sensum; literalem, quem verba ipsa præferunt; mysticum, qui latet; vel, intus & foris scriptus, vt vniuersaliter significetur intelligibilis per plures sensus, quos ex intentione Spiritus sancti admittit: sic, intus & foris, idem est, ac omni ex parte. Vnde illud eiusdem Hieronymi ad Eustochium, Scripturam sacram esse margaritam perfectè rotundam, quæ omni ex parte perforari potest. Ita rectè quadrat: nam quouis modo spiritualiter interpreteris Scripturam, dummodo non repugnes literæ, conueniẽter tibi cedet. Id quod specialiter ostendunt infiniti propemodum sensus spirituales, quos hæc prima Ezechielis Visio habet apud Patres, & quotidie sortitur ex multiplici Interpretum, ac Cõcionatorũ perscrutatione. Idcirco igitur datur Prophetę, vt comedat; id est, quasi in frusta pluriũ interpretationũ, ac sẽsuũ diuidat: probabile enim est, Prophetas suas prophetias intelligere solitos, vt

*Hebræi interiora vocãt anteriora, exteriora verò posteriora.* Exod. 33. 23. *Intus & foris, propter vetus & nouum Testamentum.* Beda. *Propter duplicem sensum, literalem, & mysticum.* D. Hier. *Intus & foris, id est, vniuersaliter intelligibiles, per plures sensus.* *Scriptura sacra, margarita, omni ex parte forabilis, id est, intelligibilis.* *Comedẽdus datur liber, id est, in frusta plurium sensuum diuidendus.*

vt non solùm historias, sed plures etiam alios sensus, maximè allegoricos, attingerent.

*Quid per lamentationes, carmina, & væ, iuxta Hieron.* D.Hier.

Quod verò sequitur, in hoc libro scriptas fuisse lamentationes, & carmina, & væ, Hieronymus, qui hunc librum interpretatur vniuersaliter pro Scriptura sacra, asserit, in eo scriptas esse lamentationes, videlicet super eos, qui ad pœnitentiam prouocantur, sicut Samuel lugebat Saül: de quo illud Chrysostomi 5. lib. de pœnitentia. Cùm Saül, inquit, constituisset Regem, alterni deinceps sibi, perpetuíque gemitus adiiciebantur, videlicet, peccante Saüle, non poterat vir sanctus, pro illo non gemere: mox autem diuinæ se voluntati conformabat. Rursum Saüle peccante, adiiciebantur & gemitus. Ita vir iustus gemituum alternis æstibus vehementer cruciabatur. Similiter Ieremiæ Lamentationes pro peccatis populi notissimæ sunt, quarum indefessam vim rectè expressit cap. 9. 1. cùm dixit: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte?* Vbi Hieronym. Si totus, inquit, vertar in fletum, & nequaquam guttæ sint lacrymarum, sed abundantia fluminis, non satis dignè fleuero. Quin & D. Paulus lamétatur Corinthios, 2. Cor. 2. 4. *Ex multa tribulatione, & angustia cordis, scripsi vobis per multas lacrymas.* Et de Galatis: *Filioli mei,* inquit, *quos iterum parturio.* Vide commotum (ait Chrysostomus) vide turbatum, matrem refert de liberis trepidantem. Vides paterna viscera, vides anxietatem Apostolo dignam? Itaque eiusmodi lamentationibus tota conspersa est Scriptura sacra.

*D.Chrys. — Samuel peccante Saul gemituum alternis æstibus cruciabatur. Ierem. 9. 1. — D.Hier. Ieremiæ Lamentationes. — 2. Cor. 2. 4. Pauli lacrymæ pro Corinthiis, & Galatis. Gal. 4. 19. D.Chrys.*

6. Carmen autem hoc loco intelligit Hieron. exultationem & gaudium super his, qui Dei digni sunt testimonio, & quibus Psalmista præcipit, Psalm. 149. 1. *Cantate Domino canticum nouum;* id est, vos, qui renouati estis gratia Christi, expulsa vetustate primi hominis, nouum quoque carmen occinite: noui enim hominis omnia noua sint, decet; & quidem huiusmodi carminibus, seu canticis pro variis liberationibus plena est Scriptura sacra. Celebre est carmen illud triumphale Moysis post transitum maris rubri, Exod. 15. ab Ægyptiaca seruitute, quæ figura fuit liberationis humanæ à seruitute peccati. Vnde Origenes, Mos Sanctorum, inquit, vbi aduersarius vincitur, hymnum Deo glorificationis offerre. accipiunt tamen canentes tympana, vt fecit Maria, & Aaron. Et tu ergo si mare rubrum transieris, si Ægyptios submergi videris, & Pharaonem præcipitari in abyssum, potes hymnum Deo gratanter canere; dignius autem si habueris in manu tua tympanum, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis, & concupiscentiis. Ita Origen. Sunt etiam in Scriptura sacra carmina aliqua, quibus non laudes Deo, aut alicui alteri, sed potiùs crimina, & exprobrationes ingeruntur, Isai. 5. 1. & Deuteron. 32. 1. Quod iure miratus D. Chrysostom. in 5. caput Isaiæ quærit, cur criminum exprobrationibus admisceatur melodia? Quoniam, inquit, cùm nihil tam sit frugiferum, quàm eorum, quæ deliqueris iugiter meminisse, hanc memoriam nihil ita stabilem reddit, ac melodia. Hinc ne per nudam acrimoniam obiurgationum fierent tardiores, canticum protulit, modulatione tegens interim, suffuránsque deiectionem animi, ac metum infamiæ. Sic vt desiderio concinnæ modulationis inducti, continenter suorum peccatorum meminissent.

*Carmina, exultationes iustorū, ex eodem Hier. D.Hier. Psal. 149. 1. Noui hominis, noua decet esse omnia. — Exod. 15. — Orig. Mos Sanctorum, victo aduersario, hymnū canere gratiarum. — Carmina in Scriptura etiā quibus crimina exprobrantur. Isai. 5. 1. Deut. 32. 1. D.Chrys. — Modulatione carminū tegitur, & subtrahitur animi deiectio.*

A 7. Denique, *Væ*, quæ est interiectio comminantis, dictum ait Hieronym. super illis, qui penitus desperantur, & cùm venerint in profundum peccatorum, contemnunt. Ita Iudæ proditori Dominus væ dixit, Matth. 25. 24. *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur.* Videlicet (inquit Orig.) quia iam Iudas traditus erat diabolo in ministrum traditionis Christi: ideo enim dictum, *per quem*, non, *a quo*, *Filius hominis tradetur.* à diabolo scilicet, Iuda intermedio, tradebatur. Præterea Isaias cap. 1. 4. aduersùs vrbem reprobam idem væ inclamat: *Væ genti,* inquit, *peccatrici, populo pleno peccatis.* Ad quæ verba Chrysostom. Qua ex causa, inquit, dicit væ? quia medicamenta adhibuit, nec tamen vlcus cessit. Vt bonus
B ergo medicus flet super desperatum ægrotum. Sunt alia plura loca similia.

*Væ, in eos, qui penitus desperantur. D.Hier. — Matt. 25. 24. Orig. Christus à diabolo medio proditore Iudā tradebatur. Isai. 1. 4. Chrys.*

Sed notari oportet primò, particulam, *væ*, commiserationem quoque insinuare, quoniam non ob id, quia desperati sunt, odisse eos possumus, sed misereri magis eorum vicem: non enim Christianos decet odisse aliquem, etiam inimicum, etiam desperatum: ideo enim Matth. 5. 44. ait Christus: *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* Quibus in verbis pulchra est annotatio imperfecti autoris in Matth. Puto, inquit, quòd non tam pro inimicis nostris Christus illa mandauit, quàm pro nobis, non quia illi digni sunt, vt diligantur ab aliquo, sed quia nos non
C sumus digni, vt aliquem odiamus. Sic ille. Idcirco igitur in eorum extremis, ac desperatis malis amorem, ac commiserationem impendere debemus. Notauit etiam non minùs venustè Chrysostomus ad illa verba Christi Matthæi 5. 29. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & proiice abs te.* Hæc ita sumi posse, vt sermo sit ad Prælatos, quibus ex officio incumbit, publicos peccatores, & qui scandalo cæteris sunt, amouere ab Ecclesia per excommunicationes, & alias censuras; quam tamen pœnam (quæ est omnium maxima in Ecclesia) vult fieri Christus commiseratione adhibita, vt eiusmodi Prælatis, perinde sit eos, ac ipsos oculos foras abiicere.

*Væ, nota etiam commiserationis. Non decet Christianos odisse inimicos. Matt. 5. 44. — Christiani digni non sunt, vt aliquem odio habeant. — D.Chrys. Matt. 5. 29. — Amouendi peccatores cum dolore, quasi oculos eruendo.*

D 8. Præterea notandum, *væ*, iuxta Hebræum, esse etiam interiectionem vocantis. Vnde illud Isai. 18. 1. *Væ terræ cymbalo alarum*, continet vocationem, & quasi inclamationem, ad incolas eius terræ, simul & commiserationem erga eosdem, vt ibi latè explicauimus. Est autem in hoc ipso res magna consideratione digna; quòd Deus nunquam nobis minatur nisi admixto simul commiserationis, & vocationis affectu. Nunquam mali dum viuunt ita desperati sunt, vt saluti eorum nulla prorsus relinquatur spes. Vnde August. in illo Psalm. 55. 8. *Pro nihilo saluos facies illos.* Homines, ait, qui vulgo putantur de-
E speratissimi, Deum ipsum non abiicere, sed vsque ad finem vitæ asciscere, præbiturus salutem, si ipsi velint. Magnitudinem, inquit, morbi tu vides, potentiam medici non vides. *Pro nihilo*, exaggeratio est, quasi dicat: tanta cum misericordia incumbit peccatori Deus, etiam dum animam agit, vt si vel tantillum immittat gemitum pro malè acta vita, & quantum in se est resipiscat, statim saluum faciat illum.


*Isai. 18. 1. Væ apud Hebræos etiam interiectio vocātis. Deus nunquam minatur, nisi adhibita cōmiseratione & vocatione. D.Aug. Psal. 55. 8. — Pro nihilo, id est, pro tantilla pœnitudine saluas.*

9. Quæ cùm ita sint, huic loco etiam congruunt ea, quæ vniuersim de tota Scriptura sacra pronunciauit Hieron. Intelligitur ergo, hanc prophetiam Ezechielis scriptam intus, & foris, continere lamentationes pro sociis transmigrationis, quorum

*D.Hier. Hæc similiter intelligūtur de prophetia Ezechielis.*

quorum aliqui malè contra Deum murmurabant, pressi videlicet exilij laboribus. Quia igitur eorum sperabatur correctio, lamentationes pro eis funduntur, vt resipiscant. Pro eisdem verò iam conuersis; item pro iis, qui inter eos benè se gesserant in subcunda captiuitate, cantatur carmen. Denique pro Sedecia, ac pro Hierosolymitanis, qui a Deo internecionis damnati iam erant, clamatur, *Va*. Hæc meliùs quadrare videntur, quàm vt per omnes has voces intelligatur aliquid lugubre: nam quamuis lamentationes modulatas afferri solitas sciamus, vt colligi A potest ex 2. Paralipom. 35. 25. & Leuit. 8. tamen potiùs lætitiæ accommodari, & musicæ inseruire notius est, quàm vt probari debeat; maximè cùm autorem habeamus D. Hieron. ita vocem vsurpantem hoc loco, vt est prædictum, congruátque materies ipsa libri Ezechielis, qui non pauca læta, ac felicia continet læto carmine decantanda: qualia sunt multa prophetata aduersùs hostes Israël; multa item læta promissa de restitutione in patriam; quale est illud cap. 37. vbi Israelitas resurrecturos feliciter prædicit à captiuitate.

2.Paralip. 35.25. Leuit.8. D.Hieron.



# VISIO DECIMAQVARTA.

## DE IDOLIS, ET PECCATIS IERVSALEM.

*Ezechielis Cap. 8.*

---

## ARGVMENTVM CAPITIS.



*PPARET iterum Ezechieli gloria Domini, quæ capite primo monstrata fuit: rapitur spiritu in Ierusalem, & ostenduntur illi omnia flagitia Iudæorum.*

### CAPVT VIII. EZECH.

1. ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei.

2. Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumborum eius, & deorsum, ignis: & à lumbis eius, & sursum, quasi aspectus splendoris, vt visio electri.

3. Et emissa similitudo manus apprehendit me in cincinno capitis mei, & eleuauit me spiritus inter terram, & cælum, & adduxit me in Ierusalem in Visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem.

4. Et ecce ibi gloria Dei Israël secundùm Visionem, quam videram in campo.

5. Et dixit ad me: Fili hominis, leua oculos tuos ad viam Aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viam Aquilonis: & ecce ab Aquilone portæ altaris, idolum zeli in

### PARAPHRASIS.

B 1. *ANno sexto post captum Ioachim, mense Augusto, die eius mensis quinto, cùm domi essem, & senes Iuda mecum, vis prophetandi, quasi manus à Deo missa, tetigit mentem meam.*

2. *Vidi autem illam ipsam figuram hominis electrini, quæ mihi monstrata est in prima Visione: videlicet apparebat vt antea à lumbis sursum versùs intrinsecùs fulgurans, & à lumbis deorsum extrinsecùs vsquequaque splendens.*

3. *Is ergo ipse mihi visus est iniecta quasi manu, per crines me corripere, ac transferre in* C *Ierusalem, vbi mihi monstratæ sunt terribiles Visiones. Vidi enim in atrio interiori templi ad ostium Aquilonare idolum zeli, nimirum Baal, excitans Deum ad zelotypiam, sicut adulter maritum excitare solet; est enim Deus Zelotes, adeóque non ferens adorari præter se Deos alienos.*

4. *Ecce autem Deus apparuit eo loco mihi ad eum modum quo vidi eum in campo, ad quem me nuper egredi iusserat.*

5. *Tunc Deus me sic alloquutus est: O Ezechiel, respice ad partem Aquilonarem; quò cùm respexissem, ecce mihi monstrata est ad portam Aquilonarem atrij interioris imago Baal; illa in*

in ipso introitu.

6. Et dixit ad me: Fili hominis, putásne, vides tu quid isti faciunt, abominationes magnas, quas domus Israël facit hîc, vt procul recedam à Sanctuario meo? & adhuc conuersus videbis abominationes maiores.

7. Et introduxit me ad ostium atrij: & vidi, & ecce foramen vnum in pariete.

8. Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem. Et cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum.

9. Et dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hîc.

10. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuersa idola domus Israël, depicta erant in pariete in circuitu per totum.

11. Et septuaginta viri de senioribus domus Israël, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum, stantium ante picturas: & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua: & vapor nebulæ de thure consurgebat.

12. Et dixit ad me: Certè vides, fili hominis, quæ seniores domus Israël faciunt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim: Non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram.

13. Et dixit ad me: Adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciunt.

14. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonem: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidem.

15. Et dixit ad me: Certè vidisti, fili hominis: adhuc conuersus videbis abominationes maiores his.

16. Et introduxit me in atrium domus Domini interius: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare, quasi vigintiquinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem: & adorabant ad ortum Solis.

17. Et

A *inquam imago zeli, & æmulationis diuinæ.*

*6. Ait autem ad me Deus: Putásne te videre omnes abominationes Israël? Non ita est: plures enim adhuc, maiorésque videbis: ob quas ego decretum habeo, à Sanctuario meo procul recedere: Conuersus tu quidem aliò, videbis res admodum execrabiles, ita vt cum iis, quas iam vidisti, nullo modo comparari queant.*

*7. Tunc verò introduxit me Deus in ipsum atrium interius, quod est Sacerdotum: nam antea in atrio exteriori prope portam atrij interioris constiteram: intendens autem oculos, vidi in pariete paruum foramen.*

B *8. Dixit autem ad me: Heus tu, Ezechiel, excaua parietem, & ex paruo hoc foramine fac amplius. Quod cùm fecissem, factum est ex ipso foramine ostium.*

*9. At verò Deus, Ingredere, ait, per ostium in cellam interiorem, videbísque res pessimas, quas isti in occulto perpetrant.*

*10. Cùm ergo ingrederer, vidi illico simulacra omnis generis serpentum, ac alias huiusmodi abominationes animalium, quin & deorum icones varias, quas filij Israël impiè adorant, vidi circumquaque in pariete depictas.*

*11. Sed enim illud omnem excedit admi-*
C *rationem, quòd septuaginta viri de primoribus populi, Iezonia filio Saphan Ducem agente, idolis thurificabant, obtexerátque domum densitas fumi ex thuribulis ascendentis.*

*12. Deinde his me aggressus Deus: Monstratum, inquit, est tibi, sub hac specie, quid principes Israël faciant intra cubicula sua, seu intra corda sua: nam licèt extrinsecus Deum colere videantur, ac templum frequentare, rebúsque diuinis interesse; in occulto tamen siue corde, si-*
D *ue cubiculo, idolis suis vacant, & in ipso templo, quod diuino cultui dedicatum est, domunculas habent occultas idolorum suorum. Perinde autem hæc faciunt, ac si putent Deum non videre quæ occulta sunt, nec considerare res humanas.*

*13. Rursum verò ad me ait: Conuersos huc tende oculos: videbis enim rem omni detestatione dignam.*

*14. Eduxit ergo me ad portam Aquilonarem atrij exterioris, vbi rem fœdam intuitus sum, nimirum fœminas anniuersario luctu plangentes Adonidis amasij Veneris notum interitum, vt moris est apud idololatras.*

E *15. Vidisti certè, Ezechiel. Verùm adhuc superest facinus omnium maximum.*

*16. Igitur Deo iubente ingressus iterum in atrium interius, vidi ante ostium templi, videlicet inter vestibulum domus, & altare holocaustorum, viros circiter vigintiquinque versis contra templum stare dorsis, ac Solem orientem, vt gentes facere solent, inclinatis ceruicibus adorare,*

A *rare, spreto vero Deo, qui in Sancto Sanctorum habitabat.*

17. Et dixit ad me: Certè vidisti, fili hominis: nunquid leue est hoc domui Iuda, vt facerent abominationes istas, quas fecerunt hîc: quia replentes terram iniquitate conuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas.

17. *Vidisti hæc, ô Ezechiel. Putásne leuioris hoc esse culpæ, & exigui ponderis noxam in domo Iuda, vt res adeò execrabiles concipiat animo, & facto euomat? Nec cōtenti terram iniquitate, & rapina repleuisse, iterum me nouo impietatis genere irritarunt. Nam vide vt perfricuerunt frontes, cùm pessimè egerint, ramum, quem idolis obtulerant, naribus applicant, quasi mihi insultantes, quasi subsannantes, & sibi complacentes. Itaque lætantur, cùm malè fecerint,* B *& exultant in rebus pessimis, quæ coram me, & in se turpiter fœtent; at illis sunt pro fasciculis odoriferis, quos ad nares planè corruptas admouent.*

18. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cùm clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

18. *Ego igitur aptè respondebo illis: agam seuerè pro ipsorum meritis, nec mouebor vlla commiseratione cùm afflictos videro. Cúmque pressi malis multiplicauerint ad me clamores, ego ita me geram, ac si illos non audiam: neque enim eorum malis commouebor, aut vllam opem afferam laborantibus.*

---

## COMMENTARIVS

DE singulis abominationibus breuiter dicemus; ac primùm, num templum hoc monstratum fuerit Salomonicum, an aliud? Deinde cur peccata solùm in templo facta prosequatur Vates? Postea quid idolum zeli, & quid cætera monstrata Ezechieli?

### *Num templum hic monstratum fuerit Salomonicum?*

### SECTIO I.

1. *Templum, de quo hic agitur, intelligendum est templum Salomonicum, autore Lyrano: id ostenditur bona ratione. Tria atria templi.*
2. *In atrium interius ductus est Vates; sic est sumenda lectio vulgaris.*

1. PRIMVM de loco illud quæri solet, num monstratum sit Ezechieli tēplum Salomonicum, an illud quod speciali Visione inferiùs à Deo sibi est descriptum? Et licèt de hoc facilior esse videatur interpretatio literæ, tamen non congruit de illo interpretari, sed de templo Salomonis: quoniam, vt rectè aduertit Lyranus, hîc agitur de abominationibus populi patratis in templo tempore Ezechielis, & ante illum multis annis; at verò templum Ezechieli monstratum inferiùs cap. 40. non ideo monstratum est, vt abominationes aliquas in eo fieri ostēderetur, sed potiùs, quia in execrationem earum abominationum, quæ in altero templo factæ fuerant, aliud melius ædificandum erat, in quo diuinus cultus, ac cæremoniæ restituerentur; constat autem in templo Salomonico, viuente Ezechiele, plurimas fuisse abominationes, ac priùs, tempore Manasse, introducta in illud varia idola. Illud ergo oportet animaduertere; in templo Salomonis tria cir- C cumcirca fuisse atria, ac in medio illorum inclusum templum. Primum atrium dicebatur immundorum, in quod promiscuè ingrediebatur populus. Secundum mundorum, quò patebat aditus tantùm orandi, ac offerendi, item legis audiendæ causa. Vnde de hoc atrio intelligendum, cùm dicitur in Euangelio Christus docere in templo, in porticu Salomonis. Tertium denique Sacerdotum, quoniam illis tantùm licebat eò ingredi sacrificandi causa.

*Hic sermo est de tēplo Salomonis.*

*Abominationes monstratæ in tēplo Salomonis contigerunt.*

*Templi Salomonis atria tria.*

2. In hoc atrium significat Vates se ductum, cùm ait: *Adduxit me in Visione Dei, iuxta ostium interius, quod respiciebat ad Aquilonem.* Ostium interius, ex Hebræo, ad ostium portæ interioris (subaudi atrij templi) hoc enim Rabbi Dauid intelligendum putat. Atrium videlicet vocabatur interius; non porta, sicut de Salomonico templo D dicitur 3. Reg. 6. 36. *Ædificauit atrium interius tribus ordinibus lapidum, &c.* Dicebatur autem atrium interius comparatione exterioris atrij, in quod populus introibat, quod Basilica magna dicebatur, 2. Paral. 4. 9. & porticus Salomonis, Act. 3. 11.

*In atrium tertium ductus Vates.*

3. Reg. 6. 36.

2. Paral. 4. Act. 3. 11.

---

### *Cur de peccatis solùm in templo factis agat Vates?*

### SECTIO II.

1. *Propheta agit primùm de peccatis in templo factis quoniam inde fieri poterat coniectura de cæteris. Illustratur*

*stratur loco Isai. 1. & loco insigni D. Chrysosto. Peccata in Sacerdotibus quasi consecrata faciliùs admittuntur à populo. Locus insignis Gregorij Nazianzeni, alter Cypriani.*

2. *Ægrè fert Deus, in loco, vbi studetur sanctitati, quemquam malè viuere. Locus Isai. 26. Illustratur à Bernardo. Reprehẽsio Domini aduersus Discipulos ambientes primas sedes in domo sua.*

3. *Proximum diuinæ vltioni, peccare in loco sancto. Signum euersionis Ierusalẽ, & totius mundi abominatio stans in loco sancto, Matthæi 24. Explicatur illud Christi,* Si in viridi ligno hæc faciunt, &c.

1. ILLVD nos primùm considerare oportet, cur Dominus propositurus causas euersionis Ierusalem, solùm ostendat Prophetæ peccata, quæ in templo fiebãt; quasi verò in aula Sedeciæ pessimi regis non peccaretur: nec essent in foro rapinæ, ac in tribunalibus summa corruptela, & in communi vulgo plurimæ abominationes. Ratio prima esse potest, quoniam iis peccatis, quæ contra religionem patrabant bene perspectis, facilis erat coniectura de cæteris. Sic enim Isaias cap. 1. 5. suæ Prophetiæ, totius populi corruptionem vt ostenderet, optima metaphora dixit: *Omne caput languidum, & omne cor dolens, mærens à planta pedis, vsque ad verticem capitis, non est in eo sanitas.* Vbi nomine capitis, & cordis, intelligit Principes, maximè Ecclesiasticos, quòd ab illis non doctrinæ modò, quæ in capite omnes sensus continente significatur, sed etiam vitæ spiritualis, cuius cor principium vitæ corporis, symbolum est, sperantur auxilia. Quòd si vitiis corrupti sint, eandem illico corruptionem reliquis membris communicant.

*Isai. cap. 1. 5. Perspectis Sacerdotum peccatis, facilis coniectura de cæteris.*

Illustrat hoc insignis locus D. Chrys. ad cap. Matth. 21. hom. 28. ponderat enim ibi, quomodo Christus Hierosolymam ingressus templum directò petiuerit. Hoc erat, inquit, boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primùm ad ipsam originem passionis intenderet: nam sicut de templo omne bonum, sic & de templo omne malum egreditur. Item, sicut medicus ægrotum inuisens, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primùm festinat; quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validũ erit; contrà verò, si dissipatus: ita si Sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret; si autem corruptum, fides omnium marcida est. Videt arborem pallentibus foliis studiosus agricola, & intelligit in radicibus habere læsuram: sic tu si videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce Sacerdotium eius non esse sanum. Ita Chrysost.

*D. Chrys. Christus sanaturus, templum petebat, originem passionis. Vt à templo omne bonũ, sic ab eodem omne malũ. Sacerdotiũ stomacho simile. Sacerdotio bene habente tota Ecclesia floret, & contrà. Populus indisciplinatus indicat Sacerdotiũ non sanum.*

Est autem strategema dæmonis in eo, quod scilicet, commune vulgus fallit, ostendens peccata in Sacerdotibus quasi consecrata, vt faciliùs ea admittat. De quo est illud egregiè dictum à Nazianzeno Orat. 1. contra Iulianum. Quis, inquit, persuaserit eis (gentibus) vt placidi, & moderati sint, cùm Deos perturbationum duces, & patronos habeant? Vbi vitiũ non modò non turpe, sed honorificum etiam existimatur, vtpote Deorum aliquem prætendens, cuius ista perturbatio sit. Cúmque aris, & sacrificiis honorantur, securam, legitimámque libertatẽ sub Ioue adultero nacta sunt. Et Cyprian. epistol. 32. Deos, inquit, suos imitãtur: denique fiunt miseris & religiosa delicta. Iure ergo hîc Deus ante subuersionem vrbis peccata solùm in templo cõmissa ostendit, vt ex eo communis vulgi peccata colligantur.

*Peccata in Sacerdotibus consecrata. Gentes patronos scelerum habebant Deos. Vitia honorifica sub diis. Sub Ioue adultero adulteria libertatem nacta. Cyprian. Religiosa delicta miseris fiunt.*

2. Præterea, quoniam ægerrimè fert ea peccata, quæ in loco sacro fiunt. Sic Isaias cap. 26. 10. peccata impij quasi perpendens, illud maximum comperit: *In terra Sanctorum iniqua gessit. Et nõ videbit gloriam Dei.* Sãctorum, id est, sanctitatum, ex Hebræo, vbi scilicet sanctitati opera nauatur. In domo Dei (inquit Bernard. in declamationibus) quam sanctitudo decet, in clero, tanquam in cælo viuens, iniqua gerit. Vnde sequitur tanquam infallibile consequens: *Et non videbit gloriam Dei. Nã,* & est hic particula causalis, quasi dicat; ergo non videbit gloriam Dei, id est, sine dubio damnabitur; vt non tã id fuerit ob iniquè ab illo gesta, quàm quòd in eo loco, qui est schola sanctitatis, iniqua gesserit. Vnde Christus Matth. 20. 25. ad Apostolos murmurantes contra filios Zebedæi, quòd ambirent sedes illas primas, quasi tacitè innuens, eos quoque murmurando ambitionem tegere, quòd ægre ferrent eos sibi præponi, dixit: *Scitis, quia Principes gentium dominantur eorum.* hoc est, eiusmodi murmurationes, ac ambitiones tacitæ reperiuntur in aulis prophanis, in quibus honorum appetitiones regnant, non decent autem collegium meum, domum scilicet sanctitatum.

*Deus ægrè fert peccata in loco sacro facta. Isai. 26. 10. Bernard. In loco sancto iniquè agere, signũ damnationis. Matth. 20. 25. Murmurationes & ambitiones non deceat loca sancta.*

3. Atenim proximum est diuinæ vltioni, ita delinquere, nec solet Deus ampliùs differre supplicia. Vnde euidentissimũ signum, & valde propinquum euersionis Ierusalẽ, ac totius mũdi assignatur à Christo, Matth. 24. 15. abominatio stãs in loco sancto. Significatur enim ingens quoddã, ac horrendum piaculum in tẽplo publicè exhibitũ, siue de Adriani, siue de Antichristi statua proposita populo adoranda in ipsis altaribus, intelligatur: nam simulatque id visum in mũdo fuerit: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, &c. id est, quisque sibi consulat: appetit enim iam extrema vrbis, seu orbis desolatio; eius verò non alia erit causa, quàm peccatum illud adorationis abominabilis patratum in loco sacro. Vnde Christus Luc. 23. 31. cùm ad crucifigendum educeretur, admonens fœminas, ne se deplorarent, dixit: *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* sic enim lignum viride, videlicet, minimè aptum, vt ab igne corripiatur, id est, nullius se pœnæ reum, ac adeò innocentissimum significauit: vrbem verò Ierusalem lignum aridum appellauit, vtpote aptissimè dispositam combustioni ob prædictam abominationem, sicut lignum aridum conuenientissimum est ignis pabulum.

*Indicium euersionis Ierusalem, & mundi, abominatio in loco sancto. Matth. 24. 15. Luc. 23. 31. Lignum viride, Christus nullius noxæ reus.*

---

## *De idolo zeli.*

### SECTIO III.

1. *Idolum zeli, siue irritationis dictum, quoniã irritabat Deum ad vltionem. Zelus quid propriè? Explicatur locus Psal. 36. & locus Deut. 32. Illustrat D. Ambr.*

2. *Locus D. August. describentis naturam zeli. Alter D. Chrys. in illud Psalm. 78.* Accendetur velut ignis zelus tuus.

1. DE idolo zeli nunc dicendũ. Vers. 5. *Et leuaui oculos meos ad viã Aquilonis, & ecce ab Aquilone portæ altaris, idolũ zeli in ipso introitu.* Septuaginta pro, *idolum zeli; statua possidentis.* Iuxta Hebræum, *idolũ accensionis,* siue *irritationis.* & explicatur Vers. 3. *ad prouocandam æmulationem.* Erat enim simulacrum Baal in loco illo sacro, ac in altari collocatum;

*Varia lect. Idolum zeli, simulacrum Baal, Deum ad iram prouocans.*

*Quid sit zelus.*
*Zelus in bonam, & in malam partem.* Psal.36.1.
Deuter.32.21.
*Deus zelotes.*
D.Ambr.

idolum planè zeli, siue irritationis, quia nihil erat propinquius ad inflammandam iram Dei, quam talis abominatio. Zelus propriè amor ille coniugum suspicax non ferens riualem, coniunctámque semper habens iram. Vnde est summus affectus amoris pariter ac inuidiæ, amoris erga coniugem, inuidiæ erga riualẽ, sumitúrque proinde in Scriptura in bonam, & in malam partem. Vtrumque cernere est in illo Psal.36.1. *Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem.* Id est, ne secteris improbos, néve illis inuideas ob res secundas. Vnde illa querela Dei zelotis, Deut.32.21. *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & ego prouocabo eos in eo qui non est populus.* Queritur enim de adultera Synagoga, quòd aureum sectata vitulum, zelum in se quodammodo excitauerit: & quasi ludens in vitulo nõ Deo, vicem se redditurum minatur, vt eius quoque prouocet zelum, asciscendo sibi aliam Sponsam, scilicet Ecclesiam ex gentibus, quæ ob vilitatem reputetur quidem non gens; sed à se attollenda sit in summam gloriam. Quod considerans D. Ambros. ad Psal. citatum, asserens eadem illa verba Deut. Iure Dominus, inquit, condemnauit Synagogam propter meretricios mores, quo ipsius in eam versutiam retorqueret, vt suo afficeretur ingenio, aliaque sibi prælata ingemisceret.

D.August. Ps.78.5.
*Nomine zeli, exactio castitatis.*
D.Chrys.
*Zelus in Deo coniunctus cum charitate feruida.*

2. Et Aug. ad Psal.78.5. super illa verba, *Vsquequo Domine irasceris in finem, accendetur velut ignis zelus tuus?* Nomine, inquit, zeli intelligitur exactio castitatis, ne anima legem Domini sui contemnat, & à Deo suo fornicando dispereat. In illud autẽ, *accendetur velut ignis zelus tuus*, ita Chrysostom. Nunquam enim, inquit, zelus in Deo est, nõ præeunte charitate feruida & calida, qua valde accendatur Dei amor. Non enim zelus est affectio in Deo, sed volens Propheta ineffabilem eius in nos amorem interpretari, hoc vsus est nomine. Hæc Chrysost. Iure ergo primùm queritur Deus de idolo zeli: qui enim suapte natura zelotypus est, iniquiùs fert dedita opera se ab eo, quẽ amat, quasi prouocari, & ampliùs accendi ad eũ affectum. Tales autem Hierosolymitani erga Deum se præstabant, quandoquidem intra ipsa templi septa alienos deos introducebant, vt quodammodo magis vrerẽt Deum; id enim sibi vult: *Vbi*, inquit, *erat statutum idolum zeli, ad prouocandam æmulationem*, scilicet Dei. Porro (inquit Hierony.) quia zelus, & possessio, quod Hebraicè dicitur קנאה eodẽ appellantur nomine, pro statua zeli, Septuaginta statuam possidẽtis interpretati sunt. Denique quando natus est Cain, *Possedi* (inquit parens) *hominem per Deum*, possessione hominis, ad Cain nomen alludens. Quod autem ait, *ibi erat gloria Dei*, non ideo est, quòd Deus delectaretur tali vicinia, sed vt sui præsentia idolum zeli, templúmque deleret. Rectè enim in Isai.28.20. scriptum; *quòd lectus angustus nequaquam duos capiat, & pallium breue duos operire non possit*, significante Scriptura illud Apostoli, 2. Cor.6.15. *Qui conuentus Christo, & Belial?*

*Zelotypus iniquè fert prouocari se dedita opera ab amato.*
Genes.4.1.
Isai.28.20.
2.Cor.6.15.

---

## *De aliis abominationibus latentibus.*

## SECTIO IV.

1. *Cur Vati aperitur foramen post monstratum idolum zeli? Quid sit excauare foramen in pariete. Locus Theodoreti rem illustrat, & annotatio Hieronymi.*
2. *Propensio Hebræorum ad colenda idola Ægypti, ex Ruperto. Illustrat Augustinus. Locus Ambrosij de malo exemplo senum.*
3. *D. Gregor. Visionem foraminis excauati accommodat bonorum Prælatorum iustis inquisitionibus. Proponitur ab Hugone Cardinali alia interpretatio moralis.*

1. SED ENIM illud valde impiũ quod sequitur, Vers.7. *Et introduxit me ad ostium atrij, & vidi, & ecce foramen vnũ in pariete.* Vers.8. *Et dixit ad me: Fili hominis, fode parietem: & cùm fodissem parietem, apparuit ostium vnum.* Vers.9. *Et dixit ad me: Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic.* Vers.10. *Et ingressus vidi: & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum.* Vers.11. *Et septuaginta viri de senioribus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure consurgebat.* Septuag. pro, *Ecce omnis similitudo; ecce vana.* Iubetur Vates à Deo prope portam Aquilonarem ex foramine paruo in pariete monstrato facere maius, vt per illud pateret aditus. Puto autem à Deo monstratas prædictas abominationes, quia ostenderat proximè idolum zeli in altari, quòd ingens quædam abominatio erat: vt autem doceret Vatem, hoc ipsum, quod publicè patrabatur, perexiguum quid esse mali, si cum peccatis aliis occultis conferretur, foramen vnum in pariete paruum ostendit, quo vix introspici poterat, quid intra domum fieret. quasi diceret: Parum, aut nihil vidisti circa idololatriam, & peccata populi, cultus idoli zeli foris exhibitum, leue indicium est: quid si videres infinita idola, quæ intus seruant, & obseruant? Excaua parietem, & ex hoc paruo foramine effice ampliùs, hoc est, considerationis acumine lentiùs, ac latiùs, quæ occultè peccant inspicito. *Et ecce omnis similitudo reptilium*, &c.

*Varia lectio.*
*Paruum foramen, idolum zeli.*
*Idolum zeli, parum quid erat ad alias abominationes maiores.*

Ita explicandum locum manifestant Theodoreti verba. Cùm ostẽdisset, inquit, Dominus eam impietatem, qua illi apertè audebant impia facinora committere, ostendit similiter quæ ab ipsis occultè patrabantur. Concinit annotatio Hieronymi hoc loco: Per hoc, inquit, ostẽditur, per parua vitia, maiora monstrari, & quasi per quædam foramina ad abominationes maximas perueniri. Ex fructibus enim arbor cognoscitur, & ex abũdãtia cordis os loquitur. Pro signo sunt interioris hominis verba erumpentia, quomodo libidinosum, qui sua callidè seruat vitia, interdum turpis sermo demonstrat, & auaritiam latentem intrinsecùs paruulæ rei cupido significat: minoribus enim maiora mõstrantur, vultúque & oculis dissimulari non potest conscientia, dum luxuriosa ac lasciua mens lucet in facie, & secreta cordis motu corporis, & gestibus indicantur. Possumus ergo in nostri templi parietibus idola monstrare depicta, quando omnibus vitiis subiacemus, & pingimus in corde nostro peccatorum conscientiam, imaginésque diuersas. Dicitur enim in Psalmo: *Veruntamen in imagine pertransit homo.* Quòd scilicet nullus hominum sit, qui aliquam imaginem non habeat, siue sanctitatis, siue peccati. Quamobrem furiosis dicitur: *Furor illis secundùm similitudinem serpentis*, Psal.17. &c. Huc usque Hieronymus.

*Per parua vitia, maiora monstrãtur.*
*In corde pingimus imagines vitiorum, quibus subiacemus.*

2. Signi

2. Significatur ergo hîc parum esse, si vnum idolum Baal in atrio immũdorum publicè colerent, qui intus essent quasi templa quædam immundissimis omnium gentium, ac vitiorum idolis consecrata. Cur autem reptilium mentionem fecit? quoniam Hebræis, ab eo etiam tempore quo fuerunt in Ægypto, adhæsit semper magna quædam procliuitas ad Ægypti idola, quæ quidem erant omnigenũm reptilium monstra, videlicet ipsis quoque Ethnicis mõstrosum. Vnde rectè Rupertus ad hoc quæsitum respondens: Quoniam, inquit, adhuc Ægyptum ita mente portabant, vt foramine facto, id est, data quauis occasione, erumperẽt statim in nefandos cultus. Quanta verò infelicitas, vt super imaginem Dei, animis nostris impressam ducat diabolus imagines suas? Et detritis cælestibus (ait Aug. serm. 1. de Septuagesima) appingat colores suos, id est, varia flagitia, quæ quidem intra ipsa mentium penetralia intolerabili tyrannide etiam adorãda proponit, quod suprà cum Cypriano diximus: Fiunt, inquit, miseris, & religiosa delicta. Vnde sequitur illud de septuaginta senioribus thurificantibus ante hæc idola, indignissimum visu. In senioribus enim id facinus longè erat turpius. Magnum enim (vt D. Ambros. ait) pondus habet in vtramque partem canities, id est, siue in bonum, siue in malum; nam virtus æquè ac vitium autoritatem nanciscitur in senioribus, trahitque secum in vtramque partem populares. De Iezonia verò, quòd Princeps inter thuriferantes visus sit, rectè quadrat, quod Hieronymus ait, Inter malos pessimum esse, doctorem, & quasi in exedra vitiorum (vt vocat Tertul. lib. de pœnit.) ludimagistrum esse, & sedere in cathedra pestilẽtiæ.

*Ex Ægyptiis didicerant Iudæi reptilia colere.*

Rupert.

*Foramine facto, occasione data erumpebant in nefandos cultus.*

*Thurificatio in senibus lõgè turpior.*

D. Ambros.

*Magnum pondus in vtramque habet canities*

D. Hieron.

Tertull.

5. D. quidem Gregor. lib. 2. Pastoral. cap. 10. prædicta omnia applicat bonis Prælatis: per Ezechielem enim bonus animarum rector designatur. Iubetur ergo perfodere parietem, id est, acutis inquisitionibus duritiam subditorũ aperire, fractóque ostio, id est, notitia aperta, videntur reptilia, id est, cogitationes terrenæ; reptilia enim sunt intra parietem, quando cogitationes voluuntur in mente, quæ à terrenis desideriis nunquam leuantur; vniuersa autem idola, intelliguntur vitia diuersa, quæ statim deprehendũtur. Nam auaritia est idolorum seruitus, iuxta Apostolum. Bene autem dicuntur depicta esse, quia dum exteriorum rerum species attrahuntur intrinsecùs, quasi in corde depingitur, quidquid fictis imaginibus deliberando cogitatur. Notandũ itaque est, quia priùs foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, & tunc demum occulta abominatio demonstratur; quia scilicet vniuscuiusque peccati priùs signa forinsecus, deinde ianua aperta iniquitatis ostenditur, & tunc demũ omne malum intus latens aperitur. Hæc à Gregor.

D. Greg.

*Prælatus acutis inquisitionibus duritiam subditorum aperiat. Aperire ostiũ debet, id est, notitiam nanciscì apertã.*

Hugo Cardinal. sic interpretatur: Iuberi vnũquemque fidelium antequam ad confessionem accedat, præmittere diligens examen, quo veluti perforetur conscientia: eo namque præmisso statim aperitur ianua ad cognoscenda peccata occulta, quæ antea non apparebant; vel, iuxta eundem autorem, iubetur quiuis fidelium parietem, id est, carnem suam pœnitentiæ rigore compungere: hac enim via facilis patet aditus ad aperienda, expellendáque occulta mentis peccata: cui potest rectè quadrare illa Gregor. Nyss. præclara sententia in lib. de vita Moysis. Cùm tui cordis, inquit, fueris lapicida, aureum auaritiæ simulacrum ex animo deleueris, &c. peruenisti ad finẽ. Magna quippe cum energia dixit, *lapicidam*, eum scilicet, qui carnalitatis suæ parietes crebrò cædit, vt eorum destructa duritie, simulachra vitiorum lõgè amoueat, in quo finis & perfectio pœnitentiæ. Vnde addit Greg. finem hunc obtineri, cùm vitiorum omnium denudatam vitã colueris.

*Iniquitas sensim deprehẽditur.*

HugoCard.

*Confessioni examen præmittendum, quo veluti perforetur conscientia. Perforare, est carnem compungere per pœnitentiam.*

Greg. Nyss.

*Cordis lapicida, qui cõtritione se macerat.*

*Pœnitentia finis, vita denudata à vitiis.*

## *De mulieribus plangentibus Adonidem, & de thurificantibus versis dorsis in templum.*

### SECTIO V.

1. *Adonis, Thamus Hebræis, quis apud Ethnicos? Locus Iosephi de situ templi. Locus Dauid, Psal. 67.*

2. *Quomodo Christiani adorent versus Orientem, cùm ita soliti fuerint adorare Gentiles. Prima ratio ex Tertulliano, communis Sanctorum, quia Dominus ad Orientem ascendit. Ratio Augustini specialis.*

3. *Peccatum idololatriæ maximũ, Sap. 14. Grauis locus Tert. ea de re. Locus Rom. 1. cum annotatione Hier.*

1. DENIQVE Propheta introducitur per ostium portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonẽ. Vers. 14. *Et introduxit per ostiũ portæ domus Domini, quod respiciebat ad Aquilonẽ: & ecce ibi mulieres sedebant plangentes Adonidẽ.* Vers. 16. *Et introduxit me in atrium domus Domini interius; & ecce in ostio templi Domini, inter vestibulũ, & altare, quasi viginti quinque viri dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem; & adorabant ad ortum solis.* Hebr. & Septuag. pro, *Adonidem*; *Thamus*. Septuaginta, pro, *vestibulum*; *Helam*. Adonis, apud Hebræos Thamus. Duas hîc fabulas ridiculas referunt Rabbini. Altera Rabbi Moyses ben Maimon, in more fuisse olim, Prophetam Ethnicum nomine Thamus, qui cùm regi cuidam persuasisset, vt faceret septem stellas, & duodecim signa, ab eo est interfectus: ob eius verò necem illico congregata omnia mundi idola in templum Babel, ad auream Solis statuã, quæ in aëre suspensa cùm esset, corruit coram omnibus, idola verò tota nocte fleuisse casum; lucescente autem die auolasse ad loca propria, indéque ductã consuetudinem, vt mulieres anniuersario fletu necẽ illã à Rego illatã flerẽt. Rabbi Dauid, & Rabbi Salomon ad hunc locum, Thamus aiunt fuisse idolũ oculis plumbeis, & intus concauum, quod cùm infernè succenderetur, liquefacto oculorũ plumbo flere videbatur, ideoque mulieres simul flere consueuisse. Creditur nihilominus Adonis fuisse Amasius Veneris, teste Hieronymo. Quem nos Adonidem, inquit, interpretati sumus, Hebræus, & Syrus sermo Thamus vocat. Vnde quia iuxta Gentilem fabulã in mense Iunio Amasius Veneris, pulcherrimus iuuenis, occisus est, & postea reuixisse narratur, Iunium mensẽ eodem appellant nomine, & anniuersariã ei celebrant solennitatẽ, in qua plangitur à mulieribus, quasi mortuus, & postea reuiuiscens canitur, atque laudatur. Huc vsque Hieronym. Fabulãtur quoque Poëtæ, Venerẽ Adonidem suum percussum apri dente sub inguine, in florem sui nominis conuertisse, quem volunt esse florẽ Anemones herbæ, qui sanguinis colorem imitatur, de quo Ouid. 10. Metamorph.

*Varia lect. Adonis Hebræis Thamus.*

*Duæ fabulæ Hebræorum de Thamus.*

*Latinis Adonis fuit amasius Veneris.*

D. Hieron.

*Duæ fabulæ de Adonide.*

*——Nec plena longior hora*
*Facta mora est, cùm flos de sanguine concolor ortus*
*Qualem, quæ lento celant sub cortice granum,*
*Punica ferre solent, &c.*

Hanc igitur Gentilium turpissimam superstitionem intra ambitum templi admittere non recusarunt Hierosolymitani, sed & vlteriùs in ipso templi ostio vigintiquinque viri, versis in ipsum templum dorsis, ac adeò versùs Orientem stabant adorantes solem in ortu suo. Templum Domini, autore Iosepho 8. Antiquitatum, habebat ostium versùs Orientem, ita vt sol inde emergẽs illico per tẽpli, & oraculi ostia radium dirigens, Arcam ipsam ac Propitiatorium collustraret, ac veluti primus adoraret sedentem Deum in medio Cherubim. Igitur adorãtes in templo dorsis in Orientem versis, significabant se ritum Gentilium execrari, qui solebant Orientem solem adorare. Fortè autem eò alludit Dauid, Psal. 67.5. cùm describens Dei aduentum, sic ait: *Qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi.* Deus enim ascendens Propitiatorium, vbi sedes adorationis eius apud Hebræos, quasi super Occasum videbatur ascendere, ac veluti equitare, seu ascendere ad equitandum.

Iosephus. *Templum Domini habebat ostium versùs Orientem. Sol directo radio exortu suo collustrabat templum vsque ad oraculũ. Occidentem versùs orabant contra morem Gentilium.* Psal. 67.5. *Deus ascendit super Occasum, id est, Propitiatorium.*

2. At verò obstare potest antiquissima traditio manans ab ipsis Apostolis, teste Basilio, Origen. Tertul. Athanas. Christianos Orientem versùs adorare, ac adeò in hoc conuenire cum Gentilibus. Sed eius rei plurimas, ac valde conuenientes causas inuenies apud Athanasium, Dionysium Areopag. Cyrillum Alexand. Damascenum, quarum illa vna satis fuerit, quam Tertul. affert in Apolog. vt eo vel maximè nostra adoratio à Iudaica differret. Specialis autem, quæ à prædictis autoribus traditur, ratio illa est; quoniam Dominus ascendit super cælos cælorum ad Orientem, & quasi adhuc nos teneant ascendentis desideria, illuc intendimus. D. Augustin. tantum abest, vt hoc modo adorationis conuenire nos putet cum Gentilibus, vt eo vel maximè à communi terrena mole ad ipsum Deum quasi eleuemur. Nam de sermone Domini in monte cap. 9. Cuius rei, inquit, significandæ gratia, cùm ad orationes stamus, ad Orientem conuertimur; vnde cælum surgit, non tanquam ibi sit Deus, & quasi cæteras mundi partes deseruerit, qui vbique præsens est, non locorum spatiis, sed maiestate potentiæ; sed vt moneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est, ad Dominum, cùm ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est, cæleste, qua sol assurgit, conuertitur. Ita Aug.

Basil. Orig. Tertull. D. Athan. *Christiani adorant ad Orientem, vt distinguantur à Iudæis.* D. Athan. Diony. Are. Cyrill. Alex. Damasc. *Et quia Dominus ascẽdit ad Orientem.* D. August.

A

*Adoramus ad Orientem vnde cælum surgit, vt eleuemur à terrenis.*

3. Illud verò obseruandum in iis, quæ Prophetæ monstrata sunt, solum peccatum idololatriæ expressè damnari, & iure id quidem optimo: nã hoc peccatum est omnium maximũ, de quo proinde est illud Sapientiæ 14.27. *Idolorum*, inquit, *cultura, omnis mali initium, & finis*; id est, omnium peccatorum fons: finis verò, quia vltrà nõ potest quis deterius peccando progredi. Vnde est illud graue exordium apud Tertullian. in lib. de idololatria. Principale, inquit, crimen generis humani, summus seculi reatus, sola causa iudicij idololatria. & infra: Omnia crimina in idololatria cõditionem suam repræsentant, quia, quod in eis est execrabilius, non est aliud profectò, quàm defectio ab ipso Deo, in quo ratio idololatriæ posita est, quod latè ibi ostendit. Ex hoc igitur omnium maximo scelere cætera facilè consequuntur. De quo est illud Rom. 1.21. *Cum cognouissent Deũ, non sicut Deum glorificauerunt: idcirco tradidit illos Deus in desideria cordis, in immunditiã, &c.* Ad quæ verba rectè admonet Hieron. Omnia, inquit, peruerterunt in Deum peruersi, nec ordinem potuêre seruare naturæ, qui naturæ dereliquerũt autorẽ.

B

*Idololatria omnium peccatorum maximum.* Sap. 14.27.

*Omnis mali finis, quia nõ potest vltrà peccando procedi.* Tertull. *Omnia crimina in idololatria cõditionem suã, hoc est, defectum à Deo, repræsentãt.* Ad Rom. 1. 21.

C

*Peruersi omnia peruertunt.*

# VISIO DECIMAQVINTA
## DE EXECVTIONE SVPPLICIORVM IN HIEROSOLYMITANOS.
*Ezechielis Cap. 9.*

### ARGVMENTVM CAPITIS.

*PRIMO significatur, qui à cæde, quæ paratur contra Ierusalem, liberandi sunt. Deinde reliqui occiduntur. Queritur mox Propheta tantam editam in populo stragem. Respondet Deus, id eius peccata commeruisse.*

| CAPVT IX. EZECH. | | PARAPHRASIS. |
|---|---|---|
| 1. ET clamauit in auribus meis voce magna, dicens: Appropinquauerũt visitationes vrbis, & vnusquisque vas interfectionis habet in manu sua. | D | 1. *FActum est autem, vt me audiente clamauerit quispiam magna vi dicens: Propè iam adsunt supplicia Hierosolymorum, quin & exactores eorundem suppliciorum vasa belli mouent, arma parant.* |
| 2. Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad Aquilonem: & vniuscuiusque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius: & ingressi sunt, & steterunt iuxta altare æreum. | | 2. *Ab Aquilone autem tota plaga ingruit, inde panditur omne malũ, ac inter reliquos vrbis hostes, sex præcipuè eminent, qui per eã portã visi sunt ingredi, quæ est inter Orientalem, & Aquilonarẽ, eminẽtque altiùs porta Aquilonari. Præter hos sex, visus mihi est vnus inter eos stare ipso inprimis candore vestium salutare quippiam insinuans, pendebátque ad Zonam eius atramentarium: ingredientes autem atrium interius, ad altare holocaustorum fixêre gradum.* |
| 3. Et | | 3. *Tum* |

3. Et gloria Domini Israël assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus, & vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis.

4. Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & signa thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.

5. Et illis dixit, audiente me: Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini.

6. Senem, adolescentulum, & virginem, paruulum, & mulieres interficite, vsque ad internecionem: omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, & à Sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus.

7. Et dixit ad eos: Contaminate domum, & implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos, qui erant in ciuitate.

8. Et cæde completa, remansi ego: ruíque super faciem meam, & clamans aio: Heu, heu, heu Domine Deus; ergóne disperdes omnes reliquias Israël, effundens furorem tuum super Ierusalem?

9. Et dixit ad me: Iniquitas domus Israël, & Iuda, magna est nimis valde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.

10. Igitur & meus non parcet oculus, neque miserebor: viam eorum super caput eorum reddam.

11. Et ecce vir, qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens: Feci sicut præcepisti mihi.

A *3. Tum verò Dominus, ex gloria, qua intra Sanctuarium sedet, in duobus Cherubinis extendentibus alas super Propitiatorium, visus est eleuari, ac consistere ad limen ianuæ templi, quasi discessurus à sede sua pristina, ac alio migraturus. Vocauitque ad se illum, qui lineis vestibus indutus erat, & habebat atramentarium appensum lateri.*

*4. Et, Vade, inquit, Ierusalem, & percurrens illam quoquouersus appinge atramento literam thau in frontibus virorum illorum, qui non solum non consenserunt malis operibus Hierosolymitanorum publicè, ac frontosè patratis, sed*
B *lacrymis ea pro zelo suo prosequuti sunt.*

*5. Mox autem ad eos, qui bellicis erant instructi armis, sermonem conuertit: Ite hinc citi, & ingressi vrbem, dum ille quidem præit, signans gementes, vos sequimini, & commiseratione postposita omnes occidite.*

*6. Nec sexui, nec ætati deferatis: solos seruate signatos thau, sitque initium internecionis à templo hoc meo, Sacerdotes, ac Leuitas demetite, vtpote grauius peccantes, meque magis ad iracundiam prouocantes, dum fœdè ac inuerecundè dorsa mihi vertunt inclinati ad Orien-*
C *tem solem.*

*7. Agite ergo, ipsam domum meam, & atria implete cadaueribus interfectorum, nec vos detineat religio contaminationis. Inde citi properate, & vrbem cædibus inuoluite. Nulla mora, dictum factum. Vrbem adoriuntur, obuios quosque neci dant.*

*8. Peracta calamitate, ego, qui solus superstes mihi videbar esse, procubui in faciem, & amarè gemens: Heu, heu, heu Domine, etiámne paucos illos, quos, vt reliqui fierent, signare iussisti, de medio tollis? siccine irasceris in Ierusalem, vt nihil de furore tuo retineas? totúmne*
D *effundes, vt penitus deleas populum tuum?*

*9. Dominus verò respondit mihi: Id planè exigebat iniquitas Ierusalem, quæ ad summum vsque excreuit. Nam homicidia in ea, & rebellio impia, ac peruersitas iudiciorum latè inundant, quinimò sic impiè confabulantur: Non curat Dominus res humanas, nec videt quæ apud nos fiunt, nimirum intra cæli ambitum se continens.*

*10. Igitur ob hanc impietatem & vecordiam sentient illi malo suo videre me illos, non tamen ad misericordiam, sed ad vindictam inferendam, dignásque de illis pœnas sumam; &*
E *secundùm actus eorum pessimos iudicabo illos.*

*11. His gestis candidatus ille, qui missus est cum atramento ad signandos viros gementes, reuersus ad Dominum ait: Feci imperata.*

# COMMENTARIVS.

A Capite primo vſque ad octauum enumerantur peccata populi Hieroſolymitani: ergo conuenienter iis enumeratis deſcribitur 9. capite, & 10. calamitas ob enumerata peccata. Primùm ergo dicemus de interfectione populi, mox de aliis.

## *De miniſtris interfectionis, & de ſignatore Thau.*

### SECTIO I.

*1. Narratur breuiter hiſtoria Viſionis. Sex viri armati ad occidendos impios Hieroſolymitanos, eſſe bonos Angelos, ex Theodoret. Explicatur locus 1. Cor. Probatur illud idem ex loco Pſalm. 103.*

*2. Septimus vir veſtitus lineis ſaluti deſtinatus eſt, ex Theodoreto. Cur linea veſte indutus? erat tunica Sacerdotalis. Moralis alluſio D. Hier.*

*3. Veſtitus lineis accipitur ab aliquibus Chriſtus Dominus, qui Sacerdos in æternum eſt, & Angelus teſtamenti. Illuſtrat loco Greg. Mag. & loco Ruper. Item alio Irenæi.*

1. DE exequutoribus diuinæ vltionis aduersùs Hieroſolymitanos ſequitur Verſ. 2. *Et ecce ſex viri veniebāt de via portæ ſuperioris, quæ reſpicit ad Aquilonē: & vniuſcuiuſque vas interitus in manu eius: vir quoque vnus in medio eorū veſtitus erat lineis, & atramentarium ſcriptoris ad renes eius: & ingreſſi ſunt, & ſteterunt iuxta altare æreum* Septuag. pro, *atramentarium ſcriptoris ad renes; zona ſapphiri ſuper lumbū.* Sex viros armatos gladiis interpretatur Theodoret. Angelos ad conſtitutum ſupplicium paratos. Et profectò (ait) Aſſyriorum multa millia vnus Angelus confecit; vnus item Ægyptiorum primogenitos; hîc verò propter impietatis exuperantiā, ſex Angeli interfectioni deputātur. Quòd autem veniant à porta templi, quæ reſpicit ad Aquilonem, ideo eſt (ait Theodoretus idē) quòd ſupplicium ibi reperit aditum, vbi & commiſſa culpa; iuxta illud Rom. 5. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors.* Vnde Aug. illud 1. Corinth. 15. 56. *Stimulus mortis peccatum eſt*, ſic interpretatur: vt non ſit ſtimulus, quo mors pungat, ſed potiùs, quo peccatū ipſum, quaſi pungendo aperiat aditū morti, quæ eſt pœna peccati. Iure ergo per eandem portam, qua ſcelus idololatriæ patratum eſt, egrediuntur ſex viri armati ad delēdos idololatras: ſunt enim & boni Angeli adminiſtri ſuppliciorum noſtrorum. Ponderare oportet illud Pſ. 103. 4. *Qui facis Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem vrentem.* Cur enim addidit, *vrentem?* Profectò ſi per illos proſpera tantùm & læta exequeretur erga nos, ſatis fuiſſet ponere, ignem ſplendentem, videlicet, illuminantem, calefacientem: vrentem ergo cùm dixit, quo verbo ſignificatur id, quod in igne dolorem ingerit, profectò ſignificauit, Angelis quoque ſuis Deum vti ad cruciādos peccatores. Vidit hoc Alex. Clem. Strom. 5. Angelóſque ait igneos aliquando reddi, vt improbos puniant.

*Varia lect.*

Theodor. *Sex viri armati, Angeli interfectioni deſtinati.*

*Supplicium ibi reperit aditum, vbi eſt commiſſa culpa.* Rom. 5. 12. D. Auguſt. 1. Cor. 15. 56. *Peccatum ſtimulus eſt, quo morti aperiat aditum.* *Boni quoque Angeli adminiſtri ſunt ſuppliciorum.* Pſ. 103. 4. *Facit Deus Angelos ſuos ignem vrentem, id eſt, etiam punientes.* *Angeli ignei, vt malos vrant.*

2. Porro ſeptimus vir, qui etiam monſtratus eſt Vati, erat veſtitus lineis, & atramentariū habebat ad renes. Theodoretus. Septimi, inquit, habitus erat Sacerdotalis: non enim ex iis erat, qui punirent, ſed ex iis, qui ſupplicarent pro redimēdis ſalute dignis. Nam quia ſeptimam diem coli præcepit, neceſſariò ſeptimum maximè honoratum oſtendit. Hæc ille. Eſt autem alluſio ad primam Sacerdotis tunicā in lege veteri, quæ linea

Theodor. *Septimi habitus Sacerdotalis, id eſt, propitiatorius.*

A erat ac ſtricta, Exod. 28. 4. de qua Hieronym. Sacerdotes, inquit, Dei in miniſterium vtuntur hac tunica, vt habentes pulchritudinem, nudorum celeritate diſcurrant. Quia, videlicet, quò fuerint candidioribus moribus, eò & pulchriores, & ad miniſterium hilariores erunt. Itaque quia Sacerdotem Deus poſuit, vt per eum occurrat laborantibus, exhibendo veniam, ac miſericordiam: idcirco Angelum, cuius interuentu ſeruaturus erat aliquos, lino, id eſt, ſacerdotali habitu conſpicuum Ezechieli demonſtrat. Puritate enim conſcientiæ fulgeat Sacerdos (ait Ambroſius epiſto. 82.) vt ſit promptus ad miſericordiam.

Exod. 28. 4. D. Hieron. *Quò fuerint pulchriores, eò ad miniſterium alacriores.* *Septimus quia ſeruator, Sacerdos apparet.* *Lino, id eſt, puritate cōſcientiæ fulgeat, vt ſit promptus ad miſericordiam.*

3. Sedenim ex hoc ſpeciali munere ſeruandi aliquos è populo illo damnato, aptiſſimè quidem collegerunt aliqui, eum, qui veſtitus erat lineis, non alium eſſe præter Seruatorem Chriſtum: B quaſi tunc apparuerit Ezechieli Verbum diuinum ſub ea ſpecie, nempe Sacerdotali, ac adeò ſaluatrice, qui & *Sacerdos eſt in æternum*, Pſ. 109. 4. & iuxta verſionem 70. apud Iſai. 9. 6. Angelus magni conſilij. Nam Sacerdos in æternum ſignificat, non limitatum ad certum tempus Saluatorem, quaſi poſt Incarnationem tantùm ſaluare cœperit, ſed æternum, vtpote, qui in omni tempore ſalutem operatus ſit in mundo. Magni verò conſilij Angelus, id eſt, nuncius æternæ ſalutis.

*Seruatoris habitu ſplēdidus Chriſtus erat.* Pſ. 109. 4. Iſai. 9. 6. *Sacerdos in æternum, quia ſaluat in æternum, nulli temporis alligatus.*

Vir quoque vnus (ait Gregor. Moral. 22. cap. 13. in medio eorum veſtitus lineis in morem Sacerdotis, quia Redemptor noſter etiam de Sacerdotali Tribu, iuxta carnem, parentes habere dignatus eſt: lineis autem, quia linum de terra, lana autem de corruptibili carne naſcitur, quia C indumentum ſui corporis ex Matre Virgine, non ex corruptione ſumpſit. Et atramentarium ſcriptoris ad renes eius, quia ipſe Dominus poſtquā mortuus eſt reſurrexit, & aſcendit in cælum (quæ ſunt poſteriora eius opera) tunc Teſtamentum nouum per Apoſtolos ſcripſit: qui enim ſcripturam Teſtamenti noui poſtquam deceſſit condidit, atramentarium quaſi à tergo habet. Hæc Greg. At verò Rupertus, Noſtræ carnis, inquit, veſtitus lineis, venit in mundum, vt electos ſuos iam dictæ vltioni excipiendos conſcriberet in libro viuentium; cuius rei ſignum illud fuit, quòd protinus naſcituro illo exiit edictum à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Iure autem Verbum diuinum ſub ſpecie Saluatoris in lege veteri cernitur, quoniam (vt rectè D. Irenæus aſſerit 4. contra hæreſes) Verbum ante Incarnationem ſuam ſalutes præſtruebat, præludēs, videlicet, & quodammodo exercens ſimulacra ſalutis D in veteri Teſtamēto, preſtādo illam multis, nō in vero, ſed in ſimulato corpore, vt quaſi addiſceret, quomodo eam in vero eſſet corpore præſtiturus.

Greg. Mag. *Sacerdotali habitu, quia Chriſtus ex genere Sacerdotali.* *Lino veſtitus, id eſt, carne puriſſima è Virgine.* *Atramētarii poſt tergum, quoniā nouum Teſtamentum ſcriptum eſt poſt eius Aſcenſionem.* Rupert. *Veſtitus lino carnis noſtræ venit, vt conſcribat ad ſalutem.* *Apparet ſub ſpecie Saluatoris, quia ſalutes præſtruebat.* D. Irenæus. *Præludia & ſimulacra ſalutis.*

## *Quæ Deus mandauerit ad exequutionem ſuppliciorum?*

### SECTIO II.

*1. Gloria Domini ad limen domus veniens, aliis eſt ſpecies illa electrina, aliis Deus ipſe, qui ſedebat in Propitiatorio inter Cherubinos, quod eſt probabilius.*

2. *Quale*

2. *Quale Propitiatorium, Exod. 25. Ex eo Deus respõsa dabat. Cur non ex Propitiatorio, sed extra illud mandata dedit? quia non propitia, sed dura renunciare veniebat. Locus Pauli, Rom. 3.*

3. *Naturale Deo, & quasi locus in quo quiescit, est beneficentia. Illustrat D. Ambr. Locus Isai. 28. Proloquium Theologorum.*

4. *Thau, in literis Hebraicis (quæ autore Ambrosio indicãt progressum ad perfectionem) vltima est, significat idem ac, errauit, & consummationem. Quid innuat in homine iam perfecto. Probat Ambrosius in Psalmo, & illustrat loco Cant. 5.*

5. *Lugẽtibus mala populi, i. perfectis imprimitur thau. Obseruatio Hieronymi circa literam thau.*

6. *Thau figuram habet Crucis, ex Hebræorum obseruationibus. Reconditus sensus ad verba Ps. 77.* Sanctum Israël exacerbauerunt. *Quomodo Masoretæ odio crucis Thau circumloquantur. Conuenientia, quare cruce signemur lugentes.*

7. *Mandata Dei ad interfectores, vt omnes occidant præter signatos thau. Locus Theodoreti contra negligentes salutem suam, & ob id incidentes in manus Dei viuentis. Illustrat Gregorius Magnus.*

8. *Vindicta hæc per Assyrios re ipsa facta est. Quòd sine differentia sexus, & ætatis fiat, non continet iniustitiam, vt latè probat Aug. de supplicio Sodomorum; quòd verò à sanctificatis Deo incipiat pœna, ratio duplex proponitur.*

1. STANTIBVS ergo his septem viris inter altare æreum ac ostium templi, apparuit Dominus. Vers. 3. *Et gloria Domini Israel assumpta est de cherub, quæ erat super eum ad limen domus, & vocauit virum, qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lũbis suis.* Vers. 4. *Et dixit Dominus ad eum: Transi per mediam ciuitatem, in medio Ierusalem, & signa thau super frontes virorũ gementium, & dolentium, super cũctis abominationibus, quæ fiũt in medio eius.* Vers. 5. *Et illis dixit, audiente me: Transite per ciuitatẽ sequentes eum, & percutite; non parcat oculus vester, neque misereamini.* Vers. 6. *Senẽ, adolescentulũ, & virginem, paruulum, & mulieres interficite, vsque ad internecionẽ. Omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, & à Sãctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus.* Sunt, qui putãt gloriam Domini hoc loco vocari imaginem illam electrinam, quam Ezechiel in quadriga Cherubinorum viderat cap. 1. quoniam ab ea gloria Dei, dicitur Propheta sublatus in cincinno capitis, vsque ad templum Ierusalem. Eam igitur esse volunt, quæ hîc dicitur à Cherubim, quibus insidebat, discessisse. Et probant ex eo, quia cap. sequenti eadem gloria Domini iussit virum, qui lineis indutus erat, ingredi sub rotas, & prunis manum implere. Est probabilis sententia. Verùm omnes tum Hebræi, tum nostri Chaldæum sequuti Paraphrastem, gloriam Domini vocari putant, quæ in templo super Cherubim, qui tegebant Propitiatorium, sedem habebat, iuxta illud Ps. 79. 2. *Qui sedes super Cherubim.*

*Per gloriam Domini, hic intelligitur species illa electrina, iuxta quosdam.*

*Iuxtà alios ipsa gloria Domini, quæ sedebat super Cherubim in templo.* Psal. 79. 2.

2. Notari ergo debet, intra Sanctum Sanctorum, vt narratur Exod. 25. 10. fuisse arcam Testamenti, & super illam Propitiatorium, quod nihil aliud erat, quàm operculum ipsius arcæ duorum Cherubinorum manibus paululùm eleuatum ab arca. In hoc Propitiatorio, ac adeò inter duos Cherubinos sedebat Deus, quando populo per Sacerdotes responsa dabat. Ab hoc igitur loco, sub aliqua specie, quæ non exprimitur à Propheta, visa est illi descendere gloria Domini extra fores templi, vt septem illis viris, qui foras stabant, denunciaret, quid acturi essent. Mirum tamen est, quòd gloria Domini de loco suo cesserit, & non ex Propitiatorio ad illos locuta fuerit. Verùm ob idipsum recessit à Propitiatorio, quia nõ propitia denunciatura erat, sed dura vehemẽter ac calamitosa vrbi. At verò Propitiatorium ex mandato Domini factum est in sedem placationis. Quò alludens Paul. Roman. 3. 25. de Christo Seruatore loquens: *Quem proposuit*, inquit, *Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius:* nam in Græco est, ἱλαστήριον, id est, propitiatorium, quo vocabulo vtuntur Septuaginta. Consonat Theodoretus. Cùm sit, inquit, contra ciuitatem sententiam laturus, extra sancta loca id facit, quæ non supplicia, sed salutem suppeditant.

Exod. 25. 10. *Propitiatorium, quid?*

*Recessit à Propitiatorio, quia non propitia denunciaturus veniebat.*

Rom. 3. 25. *Christus, propitiatorium.*

Theodor. *Extra loca salutis sit, qui non portat salutem.*

3. Egreditur ergo è loco suo Deus, & quasi extra centrum naturale manet, dum perditos punit: nam quies eius est, occasio benefaciendi; quod notauit D. Ambros. ad quietem eius in die septimo post creatum hominem, habens scilicet, cui benefaceret, quieuit: peccante autem homine soluta quiete graditur, quærens hominem ad supplicia. Nec verò aliud est mysterium illius sententiæ apud Isaiam cap. 28. 21. *Vt faciat opus suum, alienum opus eius ab eo, vt faciat opus suum, peregrinum opus eius ab eo.* Prædicit enim Vates Deum puniturum duas Tribus, sed quoniam punire malos ex se ipso non solet, ad hoc opus illum quasi peregrè iturum, tanquam ad alienum solum. Et in veritate huius sententiæ radicem habet ea doctrina Theologiæ: Deum de suo habere, vt nobis præstet beneficia; vt verò nos puniat, ex nobis ipsis causam accipere, id est, à peccatis nostris.

*Quies Dei, occasio benefaciendi.* D. Ambr. *Peccante homine graditur Deus, & à quiete surgit.*

Isai. 28. 21.

*Ad opus puniendi, [illegible] ad alienum solum peregrè it.*

*Vt nos puniat, à nobis causam sumit.*

4. Stans igitur in vestibulo templi Deus, primùm vocauit ad se virũ, qui vestitus erat lineis, & atramentarium habebat in lumbis suis, & dixit Dominus ad eum: *Transi per mediam ciuitatem Ierusalem, & signa thau super frontes virorum gemẽtium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius.* Thau inter vigintiduas literas Hebræi alphabeti vltima est; autore autem D. Ambrosio serm. 22. super Ps. 118. duplicem habet significationem. Prima est, qua idem est ac errauit. Item qua significat consummationem: putat autẽ ibidem sanctus Doctor Hebraico alphabeto exprimi progressum cuiusque ad cõsummationem vsque virtutum omnium. Rectè autem vltima litera primùm idẽ valet, ac errauit: vt significetur, in homine imperfecto quidem priùs, sed virtutum sensim exercitatione perfecto nullum iam errorem inesse. Vnde emendator ille morum, inquit, & perfectæ virtutis Apostolus ad Tit. 3. 3. *Eramus*, inquit, *aliquando insipientes, increduli, errãtes in desideriis, & voluptatibus.* Non dixisset vtique, *eramus aliquãdo insipientes*, nisi adeptus esset iam sapientiæ disciplinam; neque dixisset, *eramus errãtes*, nisi superiorem deposuisset errorem. Veteri ergo errore deposito, & Spiritu sancto, ac omni morum emendatione renouatus dicit: *Eramus aliquando errantes.* Vnde & Dominus ipse in Euangelio, quòd pastor reliquit nonagintanouem oues, & vnam requirit, quæ errauit, centesima ouis est, quam dicit errasse. Perfectio, inquit, & plenitudo numeri ipsa te instruat, & informet. Non immeritò enim cæteris antefertur, quia plus est à vitio se reuocasse, quàm propè vitia ipsa nescisse. Hæc Ambros. Et addit: Per alteram significationem idem ostendit: nam

*Thau vltima litera Hebræi alphabeti.*

D. Ambros. *Idem ac, errauit: ac consummatio.*

*Hebræo alphabeto exprimitur progressus ad perfectionẽ.*

*Significatur, hominem imperfectum olim, iam nullum habere errorẽ.* Tit. 3. 3.

*Homo omni morũ emendatione renouatus.*

*Plus est à vitio se reuocasse, quàm vitia ipsa nescisse.*

A nam consummatio perfectio disciplinæ est, qua deposito omni errore, & iniquitate, anima primam subit innocentiam: quod illustrat eo Cant. 5. 3. *Exui tunicam meam, quomodo induam eā?* Veteris, inquit, hominis vestimentum vitiis erroris intextum, in lauacro regenerationis depositum, nescit induere: studio enim correctionis inoluerat obliuio peccatorum: tanta vis consummatæ emendationis est, vt in quandam pueritiam redeat spiritalis ætatis, qua vias erroris ignoret, crimen, etsi velit, non possit admittere, quia desueuerit peccandi vsum nosse. Sic ibi.

*Prima innocentia, depositio omniū errorum.*

*Studio correctionis inoluit animæ obliuio peccandi.*

*In puerilem innocentiam redit desuetudine peccandi.*

5. Ergo iuxta interpretationem Ambrosij aptè imprimitur thau super frontes virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus Ierusalem, quod est perfectorum hominum proprium: non enim gemunt, atque dolent in erroribus populi, nisi qui proprios errores vel non habuerunt, vel penitus abiecērunt. Ita Christus luxit Ierusalem, Luc. 19. 41. Samuel Saülem, 1. Reg. 15. 35. Paulus Corinthios, 2. Corint. 12. 21. His ergo lugentibus tāquam perfectis imprimitur thau, & quasi dicitur, *Consummatio*: in fronte autem, quia nihil supra. Notat autem D. Hier. ex Hebræorum doctrina, thau esse primam literam nominis *Thora*, quod significat legem: vt hi propterea seruentur, quoniam habent zelum seruandæ legis; & ob eius violationem dolore contabescunt.

B

*Perfecti homines gementes.*

*Gemunt ob aliena peccata, qui propria non habent.*

Luc. 19. 41.

1. Reg. 15. 35.

2. Cor. 12. 21.

*Gementibus imprimitur thau, & quasi dicitur,* Consummatio.

D. Hier.

*In fronte, vt ostendatur, nihil supra.*

*Thau prima litera nominis* Thora, *vt fiat lege ipsa signati, qui ob eius violationem gemunt.*

6. Præterea ex eorundem adytis illud est, thau literam habere crucis effigiem. Vnde Genebrardi reconditus ille sensus ad verba Psalm. 77. 41. *Et conuersi sunt, & tentauerunt Deū, & Sanctum Israel exacerbauerunt.* Cùm enim multa præmisisset Vates de peccatis populi, quibus Deū in deserto irritauerat, addit: *Et conuersi sunt, & tentauerunt Deum, & Sanctum Israel exacerbauerunt.* Id est, rursum tentauerunt Deum per suos posteros in tempore passionis; & Sanctum Israel, id est, Christum, crucifixerunt: nam thau & limitem, & crucem significat. Vnde התוו *crucifixerunt*, quod noster latè interpretans, *exacerbauerunt*, dixit. Hæc igitur litera, quæ olim crucis effigiem reddebat, improbitate Masoretarum, vt Genebrardus ait, immutata est, vt mysterium crucis obtuerent, cuius tanto odio flagrant, vt eam non modò non scribant, sed ne nominent quidem, quare eam circumloquuntur, teste Kimhi, per שתי וערב stamen & subtegmen, quoniam hæc fila per modum crucis sese intersecant: propterea ergo conuenit, vt hoc signo seruentur lugentes pro peccatis populi, quoniam (vt Tertul. ait in lib. aduersùs Iudæos) eo signo vita hominū præstruebatur. Gaudentes igitur (inquit Origen. hom. 8. in diuersos) hoc signum leuemus in frontes, quod dæmones cùm viderint contremiscant: nam qui aurea Capitolia non timent, crucem timent. Denique hîc in Ezechiele, cùm omnes Angelus occidisset, & interfectio cœpisset à Sanctis, illi tantummodo sospites seruantur, quos thau litera, id est, crucis, vitæ figura signauerat. Ita Orig.

C

D

*Thau, effigies crucis.*

Genebr.

Ps. 77. 41.

התוו *crucifigere.*

*Crucē Masoreta circūloquuntur, per tegmen & subtegmen.*

*Aptè lugentes cruce seruantur à morte.*

Tertul.

*Cruce vita hominum præstruebatur.*

Orig.

*Dæmones crucem timent.*

7. Denique ad reliquos sex viros, qui habebant vasa interfectionis, ita Dominus: *Transite per ciuitatem sequentes eum, & percutite. Non parcat oculus vester, neque misereamini senē, adolescētulum, & virginem, paruulos, & mulieres interficite, vsque ad internecionem. Omnem autem, super quem videritis thau, ne occidatis, & a Sanctuario meo incipite.* Iure hoc loco cum D. Paulo ad Hebræos 10. 31. exclamat Theo. *Horrendum est, incidere in manus Dei viuentis.* Propriè aduersùs eos, qui ita negligenter viuūt, ac si Deum esse non credant, quales erant Hierosolymitani; nam de illis statim: *Dixerunt*, inquit, *Dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Hos autem quasi ex insidiis obseruare solet Deus, eò magis viuens, & vigilans, quò illi supiniores. Nihil verò æque horrendum, quàm imprudenter, ac præter opinionem incidere in latentes insidias. Scitum enim est illud Gregor. Mag. Iacula, quæ præuidentur, minùs feriunt: qui ergo inconsideratè currunt, & quasi peruagantur per omnia scelera, in diuinæ vindictæ manus, dum minime cogitant, horrendo casu incurrunt.

ad Heb. 10. 31.

Theod.

*Horrendum, incidere in manus Dei viuētis, negligentes scilicet in manus vigilantis.*

Greg. Mag.

*Strages hæc à Deo missa sine differētia sexus, nō est iniusta.*

8. Huius vindictæ executio, quam Vates per Angelos fieri vidit in spiritu, re ipsa per Assyrios, & Chaldæos facta est. Quòd autem absque vlla ætatis differentia, non est iniustitiæ tribuendum, sicut in Sodomorum incendio latè demonstrat D. Aug. in quæstion. veteris Testamenti, q. 13. Vt nimis, inquit, impium factum Sodomitarum aduerteretur, peccatum eorum peruenit vsque ad necem filiorum, ne de origine illorum signum aliquod remaneret. Nōnne prouisum est illis, ne diu viuentes exempla sequerentur patrum? A gehenna enim liberati sunt, in aliena causa occisi: parentes enim tam pro se, quàm pro his rei sunt: quia, vt eorum opera oblitarentur, omnis progenies ipsorum erasa est: nam sicut bonis parentum delectantur filij, quòd eorum quoque prærogatiua commendetur: sic & de morte, quæ pro malis eorum infertur, queri non possunt, participes lucri æquè, atque damni. Ita in Ægypto pro noxis patrum plexi sunt filij, & hæc mors filiorum crimen fuit patrum: quoquo enim modo filij debitum spiritum reddiderunt, futuri sunt accusatores parentum, quia perfidiam suam nec suo sanguine vicerunt. Hæc Aug. de Sodomis. Pari modo apta dici de Hierosolymitani, in quorum clade quòd innocentes pariter ac nocentes voluantur, & iustitiæ & misericordiæ diuinæ erga ipsos tribuendum est. Illud verò, *Et à Sanctuario meo incipite*, affine est loco illi 1. Petr. 4. 17. *Tempus est, vt iudicium incipiat à domo Dei.* Similiter Malach. 3. 3. vbi describitur aduentus summi Iudicis, & à filiis Leui, id est, à sanctificatis in Sacerdotium, iudicij principium est: *Sedebit*, ait, *conflans, & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum, & quasi argentum.* Hæc verò primùm demonstrant, Deum in sanctificatis suis ægriùs ferre quamcunque maculam. Idcirco (ait Hieronymus) caminum habet conflatorium: quasi dicat, non vt comburat principaliter, sed vt reficiat, conflet, restituat. Præterea hoc etiam de Sanctis seu sanctificatis iudicium, autore Ruperto, præiudicium est in malos, vt videlicet cùm viderint iram Dei à suis sanctificatis incipere, de sua condemnatione nihil dubitent, & interim resipiscant; aut certè de Iudicis æquitate iniustè querantur.

E

D. Aug.

*Cum Sodomitis filij quoque incensi, vt peccati grauitas nosceretur.*

*Prouisum pueris, ne exempla patrum sequēdo grauiùs punirentur.*

*Iustè progenies eorum est erasa, vt opera omnino oblitterarentur.*

*Immeritò queri possūt filij: nam vt bonorum, sic & malorum paternorum participes sunt.*

*Quòd cum parentibus tollantur filij, & iustitiæ, & misericordiæ tribuendum.*

1. Petr. 4. 17.

Malac. 3. 3.

*A Sacerdotibus incipit plaga, quoniā in eis ægriùs fert Deus peccatorum maculas.*

D. Hier.

*Deus caminum habet non destructorium, sed conflatoriū.*

Rupert.

*Deus plectēdo peius bonos, monet malos, monetque ad resipiscentiam.*



# VISIO DECIMASEXTA, DE VRBIS CONFLAGRATIONE.

*Ezechielis Cap. 10.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

ITERVM *apparet Vati quadriga illa, quam vidit iuxta flumen Chobar, vt cap. 1. explicatum est. Deinde videt Angelum ex mandato Dei prunas de medio rotarum sumere in manus, ac illas in vrbem spargere, quo portendebatur incendium Ierusalem.*

CAPVT X. EZECH.

1. ET vidi, & ecce in firmamento, quod erat super caput Cherubim, quasi lapis sapphirus, quasi species similitudinis solij, apparuit super ea.

2. Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarum, quæ sunt subtus Cherubim: & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim, & effunde super ciuitatem. Ingressúsque est in conspectu meo.

3. Cherubim autem stabant à dextris domus cùm ingrederetur vir, & nubes impleuit atrium interius.

4. Et eleuata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus, & repleta est domus nube: & atrium repletum est splendore gloriæ Domini.

5. Et sonitus alarum Cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis.

6. Cúmque præcepisset viro, qui indutus erat lineis, dicens: Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter Cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam.

7. Et extendit cherub manum de medio Cherubim ad ignem, qui erat inter Cheru

PARAPHRASIS.

A 1. *VLteriùs vidi illud ipsum stellatum cælum, quod prope flumen Chobar super capita Cherubinorum apparuit mihi, & super ea, videlicet firmamentum, & Cherubinos, vidi illud ipsum sapphirinum solium, & illam ipsam speciem hominis electrini in solio considentem.*

2. *Visus ergo mihi est is qui sedebat in throno ad eum qui lineo indutus erat vestimento, ita loqui: Ingredere intra ipsas quadrigæ rotas, quæ sunt infra Cherubinos, & è prunis, quæ ibi iacent, imple manum, ac per totam Ie-*
B *rusalem sparge in signum incendij, quo vindice me penitus conflagrabit. Is verò me vidente ingressus intra rotas est iussa impleturus.*

3. *Cherubini verò, qui currum agebant Dei, cum ipso videlicet curru in atrio Sacerdotum ad latus templi dexterum, id est, ad Australem partem, constiterant: nubes autem totum atrium interius latè obduxerat, in signum gloriæ Dei illic assistentis.*

4. *Vnde visum mihi est illico Deus gloria ac maiestate plenus è curru suo ad limen domus Domini quasi desilire; quo factum, vt templum ipsum nube, atrium verò splendore gloriæ Domi-*
C *ni repleretur.*

5. *Increpuit verò stridor alarum Cherubim instar tonitruorum, per quæ Deus ipse omnipotens quasi loquens, exterius etiam atrium latè perterrefecit.*

6. *Cùm verò Deus ipse præcepisset candidato illi, vt prunas è medio rotarum manu caperet: pergens stetit ante rotas, non tamen extendit manum ad capiendas è medio rotarum prunas.*

7. *Sed vnus è Cherubinis, proferens manum in caminum illum, qui inter eos erat, rapuit*

Cherubim: & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens egressus est.

8. Et apparuit in Cherubim similitudo manus hominis subtus pennas eorum.

9. Et vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta Cherubim: rota vna iuxta cherub vnum, & rota alia iuxta cherub vnum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis crysolithi.

10. Et aspectus earum similitudo vna quatuor: quasi sit rota in medio terræ.

11. Cúmque ambularent, in quatuor partes gradiebantur, & non reuertebantur ambulantes, sed ad locum, ad quem ire declinabat, quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec conuertebantur.

12. Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & circuli plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum.

13. Et rotas istas vocauit volubiles, audiente me.

14. Quatuor autem facies habebat vnum: facies vna facies cherub: & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ.

15. Et eleuata sunt Cherubim: ipsum est animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.

16. Cúmque ambularent Cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta ea: & cùm eleuarent Cherubim alas suas, vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ iuxta erant.

17. Stantibus illis, stabant: & cum eleuatis eleuabantur: spiritus enim vitæ erat in eis.

18. Et egressa est gloria Domini à limine templi: & stetit super Cherubim.

19. Et eleuantia Cherubim alas suas, exaltata sunt à terra corã me: & illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: & stetit in introitu portæ domus Domini Oriẽtalis: & gloria Dei Israël erat super ea.

20. Ipsum

A *puit inde prunas, deditque in manum eius, qui recipiens prunas egressus est ad incendendam ciuitatem.*

8. *Intuitus autem sum, vt antea, humanas manus sub alis Cherubinorum latitantes.*

9. *Deinde apparebant quatuor illæ rotæ, eo modo dispositæ, vt vna vni Cherubino, altera alteri, & sic cæteræ adhærescerent. Quod verò spectat ad colorem rotarum, visæ mihi sunt referre cæruleum, siue aqueum, qualis apparet in cristallo. Sed ex supposito igne denuo mihi apparuerunt quasi ignitæ, vt crysolithus, siue carbunculus.*

B 10. *Vna autem & eadem erat omnibus illis quatuor rotis forma atque similitudo, & in eo vel maximè similes erant, quòd quælibet vnam alteram rotam intra se habebat, ad eum modum quo videram priùs.*

11. *In omnem autem loci differentiam mouebantur facillimè, quia, vt se ita mouerent, non vertebant facies, sed secundùm varias, quas habebant, in varias partes illico incedebant: sic autem rotæ ipsæ factæ, atque connexæ erant, vt quocunque prima moueri cœpisset, eò omnes absque conuersione sequerentur.*

C 12. *Sed & illud in rotis aspiciebam, totum corpus earum oculatum esse, ac planè ad instar volucris: ita quasi colla modiolos, quasi manus radios, quasi pennas circulos ipsos, ad omnem efficientiam protendebant, & in omnibus his partibus oculos præferebant.*

13. *Audiui autem Deum appellasse rotas hoc quasi proprio nomine, galgal, hoc est, volubiles.*

14. *Vnumquodque verò animal præferebat quatuor facies: primam quidem Cherubini, forma videlicet puerili, & pulcherrima, cùm antea*
D *viderim ea parte faciem vituli: secundam viri, vtpote perfectæ ætatis: tertiam leonis, quartam aquilæ.*

15. *Porro aspiciebam animalia hæc (quæ illa ipsa erant prope flumen Chobar à me antea visa) sese in altum tollere, ac postea quasi ambulare.*

16. *Vidi ergo animalia moueri, rotas verò sequi: itaque cùm eleuarentur animalia, non quiescebant rotæ.*

E 17. *Cum illis ergo ita cohærebant, vt pariter cum eleuatis eleuarentur, & cum stantibus starent. Eodem enim quasi spiritu & animalia, & rotæ impellebantur.*

18. *Iterum autem gloriosus Deus è limine templi venit, currúmque iteratò subiit.*

19. *Móxque Cherubini surrectis alis eleuãtes sese, quadrigam ipsam sursum erexère, & rotæ pariter sequutæ sunt: hinc ad portam Orientalem atrij interioris progressi stetere, & maiestas ipsa Dei Israël sedebat super eos.*

20. Hæc

20. Ipsum est animal, quod vidi subter A Deum Israël iuxta fluuium Chobar: & intellexi quia Cherubim essent.

21. Quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni: & similitudo manus hominis sub alis eorum.

22. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram iuxta fluuium Chobar, & intuitus eorum, & impetus singulorum ante faciem suam ingredi.

*20. Hæc autem animalia, quæ modò vidi, & illa ipsa animalia esse comperi, quæ priùs videram prope fluuium Chobar sub imagine ex electro facta: & planè Cherubinos esse deprehendi.*

*21. Itaque omnino, vt illa quatuor vultus habebant singula, quatuor alas quilibet vultus; & sub alis latentes manus.*

*22. Quin & ipsæ illæ facies, quæ priùs mihi apparuerunt, speciésque similes, ac modus ipse incedendi ante facies ita sese offerebant visui, vt antea videram.*

---

## COMMENTARIVS.

NVnc de vrbis conflagratione dicendum, quam executus est ille, qui indutus erat vestibus lineis, de quo & aliis quæ circunstant primò dicemus, mox addemus explicationem allegoricam de throno, & animalibus.

### *Qui vestitus erat lineis, minister sit incendij vrbis.*

### SECTIO I.

1. *Quare indutus lineis, qui signauit thau in frontibus gementium ad salutem, modò exequatur diuinã vindictam? Respondetur dupliciter, species Christi Saluatoris, & Iudicis.*
2. *Cur induitur cãdidis vestibus, quæ signa sunt pacis? Quia Deus puniens malos, simul seruat bonos, eadem punitione cautos reddendo. Illustratur loco Psal. 57. Explicant Bernardus, Greg. Magnus & Aug.*
3. *Quòd Deus è curru suo prosilierit ad limen templi, vt inde iuberet vrbem incendere, significatur impatiẽs appetitus vindictæ. Illustratur simili loco Mich. 1. Hier. Deum à se quodammodo egredi, dum punire vult. Similis alius locus Isai. 64.*
4. *Signum aduenientis Dei nubes, & splendor; quod celebre est in Scriptura Ps. 107. Conuenientia, quare nubes sit Dei sedes; quòd nubes templum oppleuerit, splendor atrium illuminauerit, allegoricè explicat Rupertus.*
5. *Iubetur indutus lineis incendere ciuitatem, qui acceptis prunis abiit. Cur non explicat, quid fecerit? quia res tragica erat, quæ meliùs silentio tegitur; & exaggeratur locus Cant. 4.*
6. *Quare sub pennis manus apparent? quia exhibetur tantùm similitudo supplicij, & quasi pictura. Exequutio in manu, in penna celeritas.*

*Cur indutus lineis post signa salutis impressa, exequitur incendium vrbis? Si Angelus est, ostenditur, quomodo etiã exequatur supplicia.*

1. DOMINVS ad eum, qui lineis vestitus erat, ita loquutus est, Vers. 2. *Et dixit ad virum, qui indutus erat lineis, & ait: Ingredere in medio rotarũ, quæ sunt subtus Cherubim: & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter Cherubim; & effunde super ciuitatem: ingressúsque est, in conspectu meo.* Quæri potest, quomodo is, qui salutis paulò antè executus est munera, signans thau super frontes gementium, modò non mutato habitu, vindictæ primitias inferat, ignitas in vrbem iaciendo prunas? Respondetur iuxta duplicem dicendi modum positum sectione præcedenti: nam si indutus lineis est Angelus, apparet, quod ibidem asseruimus, B Angelos etiam bonos, non modò præmiorum, sed etiam suppliciorum administros esse: si verò est Diuinum Verbum, continet Visio grande mysterium: Christum scilicet ipsum, qui operatus est salutem in primo aduentu, armandum igne in secundo, ad vltionem impiorum. Vnde illud Isai. 1. 25. *Conuertam manum meam, & excoquam ad purum scoriam tuam*, de aduentu Christi ad iudicandum mundum interpretantur aliqui; quòd scilicet Christus, qui in primo aduentu salutari manu signauit plurimos litera thau, quasi conuersa manu scorias, hoc est, impios, igne consumet; vt sit quasi admonitio ad signatos, ne interim negligenter agant: nam eadem illà manu, qua signati sunt ad salutem litera thau, conuersione C facta igne torquebuntur in condemnationem. Conuertam manum, scilicet, alteram iudicio destinatam, vt sit graue symbolum vtriusque aduẽtus in Christo, si illum altera manu thau, siue crucem, altera ignem præferentem quis depingat.

*Si Diuinum Verbũ, ostenditur eius secũdus aduentus ad iudicium.* Isai. 1. 25.

*Christus vna manu thau, altera ignẽ tenens, ostenditur Saluator & Iudex.*

2. At quomodo indumenta linea propriè sacerdotalia, ac adeò propitiatoria, quæque suo candore, pacem, ac misericordiam repræsentant, cum officio incendendi vrbem quadrare potest? Quia Deus dum peccatores alios de medio tollit, alios miserendo seruat, dum per eadem supplicia cautos reddit. Conuenit illud ex Psalm. 57. 11. *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* Quæ verba D. Bern. D serm. 8. in Psalm. *Qui habitat*, in rem præsentem sic explicat: Non inquinabit, inquit, in sanguine manus, sed lauabit; vt vnde ille cruentus magis, inde iste nitidior videatur: vnde ille plus sordet, inde iste pulchrior elucescat. Et D. Greg. 18. Moral. 13. In peccatorum, inquit, morientium sanguine iusti lauant manus, quia dum eorum pœna conspicitur, conspicientis vita mundatur. Et D. Aug. ad prædictum Psalm. Iustus quando videt pœnam peccatoris, proficit ipse; & mors vnius valet ad vitam alterius; igitur dum vindictam E peccatoris vides, laua illic manus tuas, vt de cætero mundiùs viuas. Similiter ergo hic, qui indutus est lineis, id est, sacerdotalibus vestibus, dum alios iactis carbonibus incendit, alios expiat, eo modo, quo diximus, sic nimirum & Sacerdotis & vindicis egregiè officio functus.

*Cur nõ mutauit vestẽ candidam exequuturus incẽdiũ? Quia dum quosdã punit, alios seruat, & lætificat.* Ps 57. 11. D. Bern. *Quomodo iustus lauet manus suas in sanguine peccatoris.* D. Greg. D Aug.

3. Illud

3. Illud verò, *Et eleuata est gloria Domini desuper Cherubim ad limen domus. Et repleta est domus nube, & atrium repletum est splendore gloria Domini*, significat, Deum ipsum de throno sapphirino, qui Cherubinis innitebatur, descendisse ad limen templi, vt illinc vrbem iuberet incendere. Innuitur autem impatiens quidam appetitus vindictæ: quasi enim temperare sibi nequeat Deus, velitque per se ipsum exequi destinata supplicia, è quadriga prosilit sua. Hunc affectum sæpe in Scriptura reperies attributum Deo ad exaggerationem iræ diuinæ. Mich. 1. 3. *Ecce Dominus egredietur de loco sancto suo, & descendet, & calcabit super excelsa terra, & consumentur montes subtus eum*, &c. Hieron. quidem ad hunc locum commentarium adhibet mysticum, Deum quasi à se egredi, & quodammodo relinquere naturam suam, cùm peccatores punit. Ita enim, ait, Dominus, qui natura benignus est, ob peccata vestra cogetur, personam, quam non habet, crudelitatis assumere. Verùm prædicto Michææ loco literaliter exprimitur impotens quidam, & præceps ad vindictam egressus, sumpta metaphora ab eo qui domi quiescebat, & iniuria aliqua lacessitus, foras ruit ad sumendam vindictam. Vnde sequitur, *Et calcabit super excelsa terra, & consumentur montes subtus eum*, id est, potentissimos quosque pessundabit, & in nihilum rediget.

*E quadriga sua prosiliēs Deus exaggerat impulsum vindicta.*
Mich. 1. 3.
*Deus à se quodammodo egreditur, cùm peccatores punit.*
D. Hier.
*Impotens & praeceps ad vindictam exprimitur Deus.*

Est & locus alius idipsum rectè exprimens, Isai. 64. 1. *Vtinam disrumperes calos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, sicut combustio ignis tabescerent, aqua arderent igne, vt notum fieret nomen tuū inimicis tuis*, &c. Zelo videlicet diuini honoris, quem impij parui faciebant, ductus Vates ægrè fert, Deum quasi intra cælos se continere, ac patienter quiescere, dum illi petulanter tumultuantur in terra; ideo illum in vindictam accendens, *Vtinam*, inquit, *disrumperes calos, & descenderes*; quasi dicat: An non intueris, quibus te iniurijs lacessant inimici tui? quousque patienter ages? cur cælos non disrumpis, vt in eos furor tuus ex improuiso desiliat? Disruptio cælorum dicitur, graui allusione ad eum, qui lacessitus, non solitas ianuas ad prodeundum quærit, sed vicina statim disrumpit obstacula, vt intercipiat conuiciantem. Profectò si ita foret, non dubium, quin à facie furoris tui tanquam ab igne, hostium superbia, liuórque deflueret, agnosceréntque vel inuiti, quîcum sibi res esset. Similia reperies Psal. 43. & 67. Isai. 26. & alibi. Ex quibus patet, solitum in Scriptura hunc affectum iræ Deo tribui, non quidem vt aliqua in eo significetur perturbatio, sed vt exaggeretur magnitudo peccati puniendi. Ita prorsus hîc, cùm magna esset iniquitas Ierusalem, exhibetur Deus è curru suo prosiliens ad eam incendendam, quasi per se ipsum exequi velit vrbis cladem.

*Idē affectus probatur loco Isaia.*
Isai. 64. 1.
*Aegrè fert Vates quiescere Deum, dum impiorum peccatis lacessitur.*
*Disruptio calorum innuit, non expectandum solitum modum aggrediendi.*
*Ira affectus non perturbatio, sed exaggeratio causa irascendi.*

4. Idcirco autem maiestatem præfert: nam domus repleta est nube, atrium splendore gloriæ, quod similiter est in Scriptura celebre Exod. 16. 24. vnde Psalm. 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuū*: & Christus in die Iudicij *Veniet in nubibus cali*. Matt. 24. 30. Coniectura esse potest, quia nubes res est cælestis, ac adeò apta ad Diuinam præsentiam significandam. Sed in eo, quòd nubes templi interiora repleuerit, splendor autem gloriæ Domini atrium exterius, allegoriam rimatus est Rupertus Abbas, nimirum aduueniente Messia futurum, vt Iudæorum obnubilarentur mentes, gentibus verò, quæ foris stabant, alienæ scilicet à vera fide, splendor veritatis illucesceret.

*Nubes, symbolum gloria Dei.*
Exod. 16. 24.
Ps. 103. 3.
Matt. 24.
*Quia res cælestis est.*
*Adueniente Messia Iudaeorum mētes obscurata gentium illustrata.*

5. Ergo illi, qui indutus erat lineis, præcepit Deus, vt e medio rotarum sumeret ignem: at verò accedens vnus è Cherubinis manum prunis impleuit, deditque illi, qui statim egressus est. Non dicit (ait Hieronymus) quid egressus fecerit, quia tristis rei narrationem maluit nobis intelligendam relinquere, quàm oculis subiicere, & eo ipso magis exaggerauit. De Sponsa, quæ Cant. 4. 1. multis modis laudatur, dicitur: *Absque eo, quod intrinsecus latet*. Id est, absque silentio. Estque sensus, plura alia superesse, quæ laudari in ea possint, sed eorum magnitudinem silentio magis commendari. Itaque similes reticentiæ magis exaggerant, & ampliorem locum coniecturæ relinquunt.

D. Hier.
*Egressus est p. unus, quid fecerit, non ostenditur, quia res erat tragica, intelligēda, nō exhibenda.*
Cant. 4. 1.
*Suppressio dicendorum magis exaggerat.*

6. Statim verò addit Propheta, de Visione animalium, aliqua, quæ modò explicanda non sunt, nisi vbi diuersitas apparuerit. Ait igitur primùm visum in Cherubim sustinentibus thronum Dei, similitudinem manus subtus pennas eorum. De quo id solum quærimus, quare illico post egressum eius, qui incensurus erat vrbem, apparet similitudo manus sub pennis? Responderi potest, id causam esse, quia Deus in hac Visione non ipsam re vera mandauit exequutionem incendij, sed quandam veluti similitudinem exhibuit, ac adeò quæ modò ostendit, pictum quid esse ad futurum rei euentum, & ideo fortè sub pennis manus, quasi sub penicillo. Præterea, quia vel ob id videtur non omnino exerta, sed adhuc subtus pennas, quasi gladius intra vaginam, vt tacita quidem interminatio intelligatur, sed quæ habet in promptu alas ad certissimam exequutionem.

*Cur apparēt similitudines manus sub pennis? Quia futura tantùm cladis similitudo exprimitur.*
*Manus siue exequutio videtur sub pennis, hoc est, nō exerta, sed quasi gladius sub vagina.*
*Sub pennis, quia tamen citò veniet.*


---

## *Quæ in hac Visione diuersa sint ab iis quæ in prima vidit Ezechiel?*

### SECTIO II.

1. *Qualis sit chrysolithus Plinio. Noster hic chrysolithum dixit, cap. verò 1. marinum colorē posuit. Huius differentia causam ponit Hier. Dictum Theodoreti de diuina potentia.*
2. *Membra assignantur rotis. Quod Lyranum, & alios fefellit, vt de animalibus dictum fuerit: melius id explicat Hieronymus pro efficientiis rerum variis.*
3. *In Scriptura vsitatum, vt membra rebus insensibilibus dentur. Per membra rotarum significantur creatura; etiam insensibiles, obedire Deo Creatori.*
4. *Facies cherub ponitur hic primo loco, cap. 1. posita est facies hominis. Deinde quæ dicitur hic facies cherub fuerat, cap. 1. facies vituli. Primum contigit ex diuerso situ Propheta. Secunda differentia varias causas afferunt Autores.*
5. *Cherubim substantia spirituales figurantur corporaliter pro ratione officiorum ex Diuina voluntate. Plerumque forma puerili, & quarè? Cur appareat nunc facies cherub, variè sentiunt Autores, proponitur verosimilior sententia.*
6. *Hic appellat Deus rotas proprio nomine volubiles, non eas ad se vocando, quasi sensibiles, sed ita efferendo earum nomen. Communis sententia ita habet.*

1. SVNT



1. SVNT in hac Visione aliqua longè diuersa ab iis, quæ in prima Vari monstrata sunt. Illud primum diuersitatem habet, quòd species rotarum dicitur non quasi Visio maris, aut hyacinthi, vt in 1. cap. sed *quasi Visio lapidis crysolithi.* Hebraicè, תרשיש *Tharsis*, quasi crystalli; Septuaginta *carbunculi.* Crysolithus (autore Plinio) ab aureo colore dictus, quem tamen præfert, ardentibus quasi scintillis sparsum, habétque marini coloris cum aureo speciem quandam intermixtam. Vnde sortitur in Scriptura nomen Tharsis, vt hoc loco. At cur noster crysolithum vertit, cùm primo capite verterit, *quasi Visio maris?* Hieronymus ait, vt pœnarum per ignem, qui à Cherubino traditur, similitudo monstretur. Itaque colore igneo ex carbonibus desolatoriis inducto, rotæ non iam ex hyacintho, sed ex crysolitho factæ videbantur. Vnde Septuaginta verterunt, *quasi visio carbunculi.* Id ergo mysterium iuxta Hierony. est, quòd hîc agitur iam de executione vindictæ, vbi par est ignescat iam diuina potentia: perinde enim (ait Theodoret.) ac opus est, administrat Dominus potentiam suam, quasi dicat: Cùm eam ad benefaciendum admouet, splendore circunfundit, ac vestit: cùm ad perdendum, armat igne, ac vniuersum pro variis occasionibus, varias formas tribuit.

*Currus hic dicantur quasi crysolithus, antea quasi Visio maris? Varia lectio. Plin. Crysolithi descriptio ex Plinio. Igneum colorem habet intermistum marino. D.Hiero. Ignea nunc rota, vt pœnarum similitudo monstretur. Perinde ac opus est, administrat Deus potentiam suam.*

2. Deinde in rotis id quoque diuersum apparet, quòd membra rotis dentur. Dicitur enim omne corpus earum, & colla, & manus, & pennas, & circulos plena esse oculis in circuitu quatuor rotarum. Hæc distinctio membrorum in rotis fefellit aliquos, inprimísque Lyranum, vt crederent permisceri hoc loco rotas cum animalibus, & membra quidem ad animalia pertinere, vt omne corpus, colla, manus, pennas oculatas habuerint; circulos autem conuenire rotis, vt pariter fuerint conspersi oculis in circuitu: quasi verò rotæ, quæ oculos, & facies habent, vt capite primo visum est, mirum modò sit, colla, manus, ac pennas habere; nec, vt priora illa, sic posteriora hæc, metaphoricè sumpta optimè quadrent. Longè ergo meliùs D. Hieronym. de solis rotis intelligendum asserit, quem sequuntur omnes recentiores literales: membrorum verò mysterium aperit Hierony. Rotæ, inquit, non solùm corpus habent, aut membra, sed & colla, & manus, & pennas, vt efficientias rerum in singulis, non membrorum imagines sentiamus.

*Improbatur opinio Lyrani de membris rotarũ. D.Hieron. Habent mẽbra metaphoricè, hoc est, varias efficientias.*

3. Et rectè quidem. Nam Scriptura sacra operationũ varietates membrorum sæpe vocabulis exprimere solet, etiã in rebus inanimis: cor enim maris vocat medium maris, Psal.45.3. *Transferẽtur montes in cor maris.* Et Isai. 11.15. *Desolabit Dominus linguã maris Ægypti.* pro mari rubro, quod in formam linguæ ex Oceano in Ægyptum influit, 4. Reg.10.25. *Percusserunt eos in ore gladij.* id est, acie gladij. nec pluribus opus. Cùm ergo rotis oculos, ac facies semel dederimus, cur hærebimus in collibus, manibus, pennis? Certè quidem cùm per rotas has, varia creaturarum etiam insensibiliũ genera Deo ad nutum obedientia superiùs accepimus, quòd hîc dicantur habere colla, manus, pennas, rectè quadrat in obsequia Deo debita: nã collũ iugo, manus operi, pennæ volatui seruiunt, propriissima ad perfectè obediẽdum instrumẽta. Vnde hîc dicitur rotas à Domino vocatas *galgal*, id est, *volubiles*, addito articulo *ha*, qui adhiberi solet, ad designandũ in re aliquid notabile, hîc autẽ, vt ostendãtur rotæ, non quouis modo volubiles, sed magno cum apparatu alarum, manuum, &c. Quę omnia rectè exaggerant, quomodo creaturę omnes Deo per omnia promptè obediant: nam D. Bernard. ita describit perfectum obedientem in tractatu de præcepto, & dispensatione. Verus obediens, inquit, mandatum non procrastinat, sed statim parat aures auditui, linguã voci, pedes itineri, & se totum intus colligit, vt mandatum peragat imperantis.

*Scriptura membrorum vocabulis operationes exprimit, etiam in rebus inanimis. Psal.45.3. Isa.11.15. 4. Reg. 10. 25. Colla, manus, pennæ significant in rotis omnium creaturarum promptum obsequia. Ha, indicat aliquid notabile, cùm additur. D.Bern. Descriptio veri obedientis, ex Bernardo.*

4. Denique illa diuersitas longè celebrior hîc ostenditur; cùm enim cap.1. posita fuerit in animalibus, primo loco facies hominis, nunc ponitur facies cherub, secundo loco hominis, tertio leonis, quarto aquilæ. Vnde alia quoque celebris emergit diuersitas; nam hîc faciem vituli non cõmemorat, sed eius loco ponit faciem cherub, quã priùs non nominauerat. Ad priorẽ responderi potest, ex diuersitate situs Prophetæ cõtigisse, vt facies cherub prima illi appareret. Theodoretus vult ideo fuisse, quia in tẽplo facta est ista Visio, cui conuenit facies cherub, quam ponit eandem cũ facie bouis, seu vituli animalis sacrificio apti. Pro posteriori diuersitate perquirendũ est, qualis demum sit facies cherub. Et quidem Iosephus 3. Antiquitatũ hæc scribit: Operculo autem (scilicet arcæ Testamẽti) impositæ erant effigies duæ, quas Hebręi Cherubim appellant; ea sũt animantia volucria, noua specie, nec vnquam cuiquã hominũ visa, quę Moyses in Dei solio viderat figurata. Nã dixerat illi Dominus in monte Sina: *Inspice, & fac secũdum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* D. Hieronymus hîc existimat faciem cherub esse penè similem faciei vituli. Rabbi Salomon, vt Lyranus refert, arbitratur Cherubinorum facies referre pueros grata & eleganti forma.

*Duæ aliæ diuersitates. Facies cherub ponitur modò prius ob diuersitatem situs Prophetæ. Varia sententia de forma cherub. Iosephus. D.Hieron. Lyranus. Rab.Salom.*

5. Vera sententia est, Cherubinos esse substãtias spirituales, obtinentes secundum locũ in suprema Hierarchia, ac adeò nullius esse formæ secundùm se; accommodatè autem ad humanos intuitus, fuisse effigiatos à Moyse ea forma, quæ maximè ad humanam accedit: vt colligitur ex illo 2. Paralip.3.13. *Cherubim stabant erectis pedibus, & facies eorum erant versæ ad exteriorem domum.* Placet verò fuisse puerilis formæ, quoniã in ea plus gratiæ ac simplicitatis inest. Et ita communiter sentiunt plerique. Cur autẽ hîc pro facie vituli ostensa primo capite, apparuerit facies cherub, difficile est explicatu, ideo varia est, vt solet, Autorũ in interpretando libertas. D. Hieron. facilè se expedit, cùm existimet faciem, quæ primo capite dicta est vituli, & quæ 10. cherub, similes esse. Vatablus qui (vt vidimus suprà) existimat quatuor illas facies in animalibus omnes fuisse humanas, cum quibusdam quasi vestigiis facierũ Vituli, Leonis, Aquilæ, quæ hîc facies cherub dicitur; tenera ait fuisse faciem vituli, ob adiuncta vituli lineamenta. Verùm quoniam hæc absunt à communi sententia, vnum dicam, quod mihi ad literam, quam prosequor, maximè conuenire videtur. Capite primo, vbi Deus nitebatur per Ezechielem conuertere populũ ad pœnitentiã, per faciem vituli, eam vim significari diximus in beatis spiritibus, qua circa nos colendos laborant, vt fructus reddamus pœnitentiæ dignos: nunc verò cap.10. per faciem vituli mutatam in faciem cherub, ostẽdit Vates per eiusmodi sãctorũ spirituũ labores mutari sæpe homines interuẽtu pœnitentiæ, in Cherubinos quosdã, quoniã resipiscendo, ad verã sapiẽtiã perducũtur, qua fiunt cautiores in posterũ.

*Vera sententia, Cherubinos propriè nullam habere formã. 2.Paral.3.13. Effigiabantur communiter vt pueri, quòd in ea ætate plus insit gratia. D.Hieron. Quòd facies bouis apparuerit facies cherub, difficile explicatu. Sententia vera, & loco conueniens. Facies vituli prius ostẽdit beatorum spirituum circa nos colendos diligẽtiam, Facies cherub mutationem per pœnitentiã in Cherubinos.*

*De nomine hic rotis imposito difficultas.*


6. Illud quoque hîc diuersum est, quòd Deus rotas ipsas appellat quasi proprio nomine volubiles. *Et rotas,* inquit, *istas vocauit volubiles, audiente me.* Hebraicè, הגלגל Rabbi Dauid, & cum sequuti recentio res Interpretes, sic exponunt, *me audiente acclamatum est ipsis rotis:* O rota, subaudi, fac hoc, vel illud. Certè qui ita sentiunt eò quoque propendent, vt rotæ non modò vitæ, sed & mentis compotes sint (vt suprà animaduertimus) ac adeò mirum non est, si & præcepti hoc loco capaces faciant. Sed cùm oppositum sentiant omnes ferè Interpretes, idcirco neque hîc sermonem ad ipsas rotas fieri asserunt: nam si ita foret, appellasset eas Deus potiùs אפנים, vt aliàs solet. Cur ergo hîc appellat nouo nomine? גלגל Igitur verosimiliùs videtur hoc illis nomen modò impositum: idcirco Septuaginta nomen ipsum ita efferunt, γεγίλ. Propterea D. Hieronymus non dixit, *vocauit rotas,* sed, *vocauit volubiles:* & eodem sensu interpretantur Chaldæus, Rab. Moyses, lib. 3. More, & Rab. Salomon in commentariis suis in hunc locum.

*Verosimiliùs, impositum hic nomen rotis, non verò vocatas, vt aliquid facerent.*

## Allegoria, & moralis expositio Visionis animalium, & throni.

### SECTIO III.

1. *Variæ allegoriæ super hac Visione. Prima Irenæi, significari Incarnationem, & dispositionem doctrinæ Euangelicæ.*
2. *Gregor. Magnus pro quatuor Euangelistis explicat, & accommodat diuersitatem facierum ipsi Christo, & cæteram explicationem latè proponit.*
3. *Diuus Ambrosius animam describi ait in hac Visione, quæ quatuor animalibus, id est, quatuor affectionibus fertur. Rota, vita est corporis, &c. omnia moraliter.*



1. OBLIGATAM fidem ad primum caput Ezechielis hîc exoluimus; nam ibi, quia necessariò rediturus erat sermo de animalibus, ac throno Dei, sensus allegoricos ac morales distulimus in præsentem locum. Breuiter ergo percurremus Patrum hac de re sententias. Ac primùm celebris est illa, qua Incarnationis machina, ac dispositio Euangelicæ doctrinæ in hac Visione significatur. Tradit eam grauiter inprimis Irenæus martyr 3. contra hæres. 11. vbi sic: Cherubim, inquit, quadriformia, imagines sunt dispositionis Filij Dei. Primum animal simile leoni, efficabile eius, & principale & regale significat. Secundum simile vitulo, sacrificalem, & sacerdotalem ordinationem. Tertium habens faciem quasi humanam, aduentum secundùm hominem. Quartum simile aquilæ volitantis, spiritus in Ecclesiam aduolitantis gratiam; Euangelia verò his consonantia, in quibus insidet Dominus IESVS. Primum quidem eam, quæ est à Patre principalem, ac gloriosam generationem sic enarrat: *In principio erat Verbum,* &c. Propter hæc enim omni fiducia plenum est Euangelium istud; talis est enim persona eius. Secundum verò per Lucam, quoniam quidem sacerdotalis characteris est, à Zacharia Sacerdote inchoat: iam enim saginatus parabatur vitulus, qui pro inuētione minoris fi-

*Prima allegoria, significari machinam Incarnationis, & dispositionem doctrinæ Euangelicæ.*
*Irenæus.*

A lij mactari inciperet. Tertium ex Matthæo generationem secundùm hominem narrat. *Liber,* dicens, *generationis IESV Christi filij Dauid,* &c. humanæ formæ igitur hoc Euangelium. Marcus verò à Prophetico spiritu ex alto adueniente hominibus initium fecit; *Initium,* dicens, *Euangelij, quemadmodum scriptum est in Isaia Propheta:* volatilem pennatum, imaginē Euangelij monstrans; propter hoc compendiosam, & præcurrentē annunciationem fecit. Qualis igitur dispositio filij Dei, talis & animalium forma, & qualis animalium forma, talis & character Euangelij, quod eleuat, & pennigerat homines in cæleste regnum. Hæc ab Irenæo.

2. Sed & Gregor. Magnus super Ezechielem, Quid per quatuor, inquit, animalia, nisi quatuor B Euangelistæ signantur? Similitudo hominis scilicet Christi in eis; nam vt surgere ad sanctitatem valeant, ad hominis huius similitudinem tendunt. In distinctionibus autem facierum conuenit cum Irenæo, sed addit, ipsi Christo, vt Euangelistarum capiti, conuenire easdem distinctiones facierum. Ipse enim, inquit, veraciter factus est homo: ipse in sacrificio nostræ redemtionis dignatus est mori vt vitulus; ipse per virtutem suæ potentiæ surrexit, vt Leo. Leo etiam apertis oculis dormire perhibetur, quia in ipsa morte, in qua ex humanitate dormire potuit, ex diuinitate immortalis permanendo, vigilauit. C Ipse etiam post resurrectionem ascendens ad cælos volauit, vt Aquila. In illo verò, *quatuor facies vni, & quatuor pennæ vni,* rimatur Euangelistarum in scribendo, sentiendóque concordiam, quòd in vno quolibet, cæteros quasi ex facie, & stylo quis agnoscere possit. Pedes eorum pedes recti, quia sanctorum Euangelistarum opera ad sequendam iniquitatem non sunt obtorta. Planta pedis eorum quasi planta pedis vituli; quia maturè, fortiter, & cum discretione procedunt. Cætera de animalibus non accommodat Euangelistis, sed prædicatoribus generaliter, idque prolixè nimiùm, vt videre potes.

*Greg. Mag. Per quatuor animalia, quatuor Euangelistæ, secundum Greg.*

*Christo, vt capiti conueniunt eadem forma.*

*Euangelistarum in scribendo, sentiendóque concordia.*

Rotas verò interpretatur, Scripturam sacram veterem, quæ ex omni parte ad auditorum men- D tes voluitur. Cur autem Vates priùs posuerit animalia, id est, Euangelistas, per quos innuitur Testamentum nouum, quàm rotas, id est, Testamentum vetus? causam assignat, quia nos non per legem Euangelium, sed per sanctum Euangelium legem didicimus. Rota in medio rotæ: quia in Testamenti veteris litera latuit nouum per allegoriam. Ex eo autem quòd sit rota in medio rotæ, sequitur habere quatuor facies; quia nisi lex Euangelio concordaret, in quatuor mundi partibus non innotesceret. Visio rotarum, tanquam visio maris; quia in vtraque Scriptura magna sunt sententiarum volumina, & cumuli sensuum, &c. Spiritus vitæ erat in rotis; quia per sacra eloquia dono Spiritus viuificamur. Su- E per capita animalium similitudo firmamenti, quasi aspectus crystalli, &c. id est, natura Angelica: nam vt crystallus ex aqua solidatur, sic Angelis datum est primò liberum arbitrium in quamlibet partem, boni scilicet, & mali, labile vt aqua: & quia adhæsēre bono, hoc ex munere acceperunt, vt in felicitate persisterent, quasi in magnitudine crystalli durata. Et super firmamentum similitudo throni, quasi aspectus lapidis sapphiri. Potestates illas superiores, quæ dicuntur Throni, significantur: quia illis sublimis

*Rota sinterpretatur Scripturam sacram veterem.*

*In Testamenti veteris litera latuit nouum per allegoriam.*
*Visio maris in rotis, quia in vtraque Scriptura mare est sententiarū, & sensuum.*
*Firmamentū, natura Angelica.*

*Thronus, potestates superiores quæ dicuntur Throni.*

Crea

Creator omnium insidet. Cùm autem sapphirus A sit coloris aërei, conuenit, quoniam prædicti spiritus, superioris loci prærogatiuam, vt aër inter elementa, in cælestibus obtinent. Et super thronum similitudo hominis, scilicet mediatoris Christi, qui super omnes est, quasi species electri, quod ex auro, argentóque coalescit: quia in redemptore humanitas, & diuinitas coniunctæ, & contemperatæ sunt. A lumbis sursum ignis intrinsecùs, à lumbis deorsum ignis extrinsecùs, quia ante Incarnationem solùm intra Iudæam ardor amoris eius latuit; post Incarnationem verò gentibus omnibus claritas Spiritus sancti fulsit. Et velut aspectus arcus cùm fuerit in nube, vt significetur baptismus; quoniam in B arcu color igneus, & cæruleus, gratiæ, & Spiritus sancti propria symbola. Hæc eadem ferè reperies apud Rupertum.

*Similitudo hominis, id est, Christus.*

*Ignis intrinsecùs, & extrinsecùs, notitia Dei intra Iudæam, & postea effusa in omnes gentes.*

*Arcus significat baptismum.*

3. Moraliter verò Ambrosius afferens hunc locum 3. de Virginibus, *Similitudo quatuor animalium*, &c. Hîc, ait, animam describi accipimus, cuius quatuor animalia, quatuor affectiones sunt. Rationabilis, in facie Hominis, in Leone, irascibilis; in Vitulo concupiscibilis; in Aquila visibilis; quibus respondent quatuor virtutes, Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Iustitia: Prudentia autem rationis humanæ: Forditudo vim quandam ferocientis virtutis habet, mortísque contemptum: Temperantia sacratæ vinculo charitatis, mysteriorúmque contemplatione cælestiū, negligit corporis voluptates: Iustitia in alto quodam suggestu locata, videt, exploráque omnia quæ aliis potiùs nata, quàm sibi, non tam suas vtilitates, quàm publica emolumenta rimatur. Meritóque anima operata iustitiâ, formâ aquilæ accipit, quòd terrena defugiens, totáque cælesti intenta mysterio, resurrectionis gloriam pretio æquitatis adipiscitur. Habet etiam alas anima suas, quibus se possit liberè leuare de terris. Alarū verò remigium non materialis compago pennarum, sed continuus ordo bonorum factorum est, qualis ille Dominicus, cui bene à Propheta dicitur: *Sub vmbra alarum tuarum sperabo,* non solùm enim manus Domini affixa Cruci, in modum volantis extensæ, sed & eius facta cælestia, velut vmbra refrigerante, salutis æternæ, mundi feruentis incendia temperarunt. At rota super terram, prope animalia, vita est corporis, ad animæ aptata virtutes. Rota autem in medio rotæ, veluti vita intra vitam; quòd Sanctus sibi vita non dissonet, sed qualis fuerit superioris ætatis, talis sit & sequentis. Vel quòd in hac vita corporis, vitæ voluatur vsus æternæ. Cùm ista congruerint, tunc diuina vox è throno resultet, & similitudo hominis appareat. Hic homo verbum est, hic homo nostrorum est agitator animalium, nostrorum rector est morum. hucusque Ambrosius.


*D. Ambrof.*

*Iuxta Ambrosium significatur anima cum suis quatuor affectionibus.*

*Quatuor virtutes cardinales.*

*Alæ opera significant.*

*Sanctus vita non dissonet.*



# VISIO DECIMASEPTIMA,

## DE OSSIBVS VIVIFICATIS PER SPIRITVM.

### *Ezechielis Cap. 37.*

---

## ARGVMENTVM CAPITIS.

MONSTRATA *cadauerum in campo resurrectione, prædicit Iudæorum à captiuitate liberationem in patriam, additque ex occasione futuram per Christum Israëlis & Iuda reconciliationem.*

CAPVT XXXVII. EZECH.

1. FActa est super me manus Domini, & D eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus.

PARAPHRASIS.

1. *CVm populus Israëliticus diu iam in captiuitate Babylonica detineretur, magna illorum animos, vt assolet, concutiebat desperatio, nec putabant fore vnquam vt ex illo ergastulo liberarentur; solebántque me, ac eos, qui aliter sentiebant, irridere, ac sannis prosequi. Tum verò Deum sensi, quasi extensa manu, apprehendere me, ac in campum educere, ibique me dimittere; ac videre quidem mihi visus sum, non quidem re ipsa, sed per propheticam Visionem, totum campum plenum esse humanis ossibus.*

2. Et circunduxit me per ea in gyro: A
erant autem multa valde super faciem
campi, ſiccáque vehementer.

3. Et dixit ad me: Fili hominis, putáſne viuent oſſa iſta? Et dixi: Domine Deus, tu noſti.

4. Et dixit ad me: Vaticinare de oſſi- B
bus iſtis: & dices eis: Oſſa arida, audite verbum Domini.

5. Hæc dicit Dominus Deus oſſibus his: Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis.

6. Et dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem: & dabo vobis
ſpiritum, & viuetis, & ſcietis quia ego Do- C
minus.

7. Et prophetaui ſicut præceperat mihi: factus eſt autem ſonitus, prophetante me, & ecce commotio: & acceſſerunt oſſa ad oſſa, vnumquodque ad iuncturam ſuam.

8. Et vidi, & ecce ſuper ea nerui, & carnes aſcenderunt: & extenta eſt in eis cutis
deſuper, & ſpiritum non habebant. D

9. Et dixit ad me: Vaticinare ad ſpiritum, vaticinare, fili hominis, & dices ad ſpiritum: Hæc dicit Dominus Deus. A quatuor ventis veni ſpiritus, & inſuffla ſuper interfectos iſtos, & reuiuiſcant.

10. Et prophetaui ſicut præceperat mihi: & ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt: ſteterúntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde. E

11. Et dixit ad me: Fili hominis, oſſa hæc vniuerſa, domus Iſraël eſt: ipſi dicunt: Aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra & abſciſſi ſumus.

*2. Totum autem illum circumiens duce Deo, perluſtraui diligenter oſſa omnia, quæ, & quamplurima erant, & quia ſuper ipſam ſtrata erant planiciem, exucto omni humore, mirum in modum peraruerant.*

*3. At verò Deus noua me tunc interrogatione petit. O Ezechiel, quid tibi videtur? hæcne oſſa ſic diſſoluta, ac arida reſurgere poſſunt, ac vitam priſtinam recuperare? Reſpondi ego: Equidem credo in fine mundi reſurrectura, at verò vtrùm modò reditura in vitam ſint, an non, hominum quis ſciat? tui ſolius eſt, ô Domine, hoc noſſe, & explicare.*

*4. Age ergo, ait, prophetiam de hoc accipe, meóque nomine cum oſſibus iſtis ita loquere: Oſſa arida, ſurda quidem ad aliorum voces, at verò diuinæ loquutionis gnara, Domini hæc mandata percipite.*

*5. Rem ego in vobis mirabilem faciam, immittam in vos ſpiritum vitalem, & vitæ iterum functionibus reſtituam.*

*6. Itaque neruis iterum colligabo vos, & efficiam, vt ſuccreſcente carne corpoream reſumatis molem, quam vndique terminabo, & ſuperextendam cute ſua; immiſſóque ſpiritu viuere faciam, quo mea vobis potentia, & imperium notum fiet.*

*7. Hæc vaticinatus ſum ex mandato Dei, cúmque nondum prophetandi finem facerem, effectus prophetiæ conſequutus eſt: primùm enim ſtrepitus oſſium inuicem accedentium ad ſeſe auditus eſt, móxque tellus concuſſa tremuit; oſſa autem ipſa concurrere viſa ſunt motu certo ad locum ſibi natura debitum, & non ad alium.*

*8. Móxque viſum, neruis, carnibus, cute ſuperinduti: ſola deſiderabatur anima, quæ vi ſua iacentia corpora viuificaret.*

*9. Tum Deus: Hæc tu ad animas loquere. O animæ (quæ ſpiratione, & reſpiratione vitam facitis in animantibus, ac adeò ventis quodammodo agnatæ videmini) à quatuor mundi partibus, vnde principales venti flare ſolent, videlicet ab Oriente, Occidente, Septentrione, & Auſtro, adeſte huc citò, & corpora iſta immiſſa vitali vi reſpirare facite.*

*10. Quæ cùm finiſſem, ecce tibi ex omni quaſi mundi plaga aduolauêre animæ, quæ illapſæ in cadauera illa reuiuiſcere fecerunt; ac repentè conſtitit infinita hominum multitudo, exercitui immenſo par.*

*11. Tum mihi Deus viſus eſt exponere Viſionem ad hunc modum: O Ezechiel, oſſa hæc arida, quæ tibi demonſtraui, populum Hebræorum in captiuitate iacentem repræſentant. Sic illi de ſe, ac de oſſibus aridis æſtimant: nam putant actum de ſe eſſe, nec plus eſſe ſpei, vt in priſtinum ſtatum reſtituantur, quàm vt oſſa illa ſtrata per campum ante vltimam reſurrectionem reuiuiſcerent, itaque iactare*

A *per desperationem solent: Iamdiu mortui sumus: si enim recèns mortui essemus, spes aliqua reuiuiscendi superesset. At nos abscissi sumus sine vlla spe vitæ, sicut arbores, quæ radicitus euulsæ iacent in media sylua.*

12. Propterea vaticinare, & dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris populus meus: & inducam vos in terram Israël.

12. *Quare oportet te, ô Ezechiel, hæc vaticinari aduersùs einsmodi desperantes: Audite verbum Domini consolatione plenum. Ecce ego, ait, vos ipsos, populum videlicet meum, opinione quidem vestra iam emortuos, ac planè fœtentes in sepulchris, vel qui ad instar mortuorum iacetis in captiuitate Babylonica,* B *veluti iam tumulati, educam è sepulchris, & è mortuis suscitabo, ac iterum in patriam saluos incoluméisque reducam.*

13. Et scietis quia ego Dominus, cùm aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris popule meus:

13. *Cúmque vos ita mirabiliter restituero, cognoscetis, ac re ipsa probabitis meam in vos paternam, ac specialem circa res vestras prouidentiam.*

14. Et dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram: & scietis, quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus.

14. *Maximè autem id compertum fiet, cùm (sicut spiritum visus sum misisse in ossa arida) Spiritum similiter sanctum meum vobis largiar, quo impellente mihi seruiatis, vt specialis populus in terra vestra, & latè etiam per* C *vniuersum orbem mihi ab omnibus gentibus præstentur obsequia.*

15. Et factus est sermo Domini ad me, dicens:

15. *Atque, vt hæc tu meliùs explices:*

16. Et tu fili hominis sume tibi lignum vnum, & scribe super illud: Iudæ, & filiorum Israël sociorum eius: & tolle lignum alterum, & scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israël, sociorúmque eius.

16. *Virgas duas cape in manus, signa duorum regnorum, Iudæ, & decem Tribuum. Primam ergo sume, & scribe in ea: Iudæ, cuius est in regnum ius primum, & filiis Israël, sociis eius, hoc est, Tribui Beniamin & Leui, quæ sociatæ sunt Iudæ; deinde cape aliam virgam, & scribe in ea: Ioseph, siue Ephraim, ac sociis aliis ex decem Tribubus.*

17. Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in lignum vnum: & erunt in vnionem in manu tua.

17. *Tum verò duo hæc ligna coniunges* D *inuicem, ita vt in manu tua non duo, sed vnum omnino appareat lignum.*

18 Cùm autem dixerint ad te filij populi tui loquentes: Nónne indicas nobis, quid in his tibi velis? loquêris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus:

18. *Cùm verò populus à se petierit, quid hæc sibi velint, respondebis ei ex meo nomine:*

19. Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israël, quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum vnum: & erunt vnum in manu eius.

19. *Ecce ego coniungam duo ligna, duo sceptra, duo regna, videlicet regnum Iuda, & regnum Israël, ità vt nulla in re sibi dissideant, sed vinculo eodem charitatis ac fidei coniuncta sint in Ecclesia mea.*

20. Erunt autem ligna, super quæ scripseris in manu tua, in oculis eorum.

E 20. *Faciésque, vt populus omnis videat ligna, super quæ scripseris, inter se ipsa coadunata: vt mirabilis coadunationis contemplatione allecti, facilè credant futuram eorum in vna fide coniunctionem.*

21. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam filios Israël de medio nationum, ad quas abierunt: & congregabo eos vndique, & adducam eos ad humum suam.

21. *Tum verò ad eos ita loquêris: Adducam ego Israelitas omnes, & collocabo in Ecclesia Catholica supra montem posita, futura olim sub Christo meo, ac in patria veriùs sua requiescere faciam à captiuitatum oneribus.*

22. Et faciam eos in gentem vnam, in terra in montibus Israël, & rex vnus erit omni

22. *Copulabo ergo illos cum cæteris nationibus in gentem vnam, vt non sit ampliùs Iudam*

A omnibus imperans: & non erunt vltrà duæ gentes, nec diuidentur amplius in duo regna.

23. Neque polluentur vltrà in idolis suis, & abominationibus suis, & cunctis iniquitatibus suis: & saluos eos faciam de vniuersis sedibus, in quibus peccauerunt, & emundabo eos: & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus.

24. Et seruus meus Dauid Rex super eos, & pastor vnus erit omnium eorum: in iudiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea.

25. Et habitabunt super terram, quam dedi seruo meo Iacob, in qua habitauerũt patres vestri: & habitabunt super eam ipsi, & filij eorum, & filij filiorum eorum, vsque in sempiternum: & Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum.

26. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum.

27. Et erit tabernaculum meum in eis: & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus.

28. Et scient gentes, quia ego Dominus sanctificator Israel, cùm fuerit sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.

*deus, & Græcus; sed omnium cor vnum, & anima vna, & regnum vnum, sub vno rege Christo.*

23. *Itaque veniet tempus, cùm populus meus non se ampliùs contaminabit commiscendo se cum gentibus, ac opera eorum addiscendo: educam enim eos ab eorum consortio, cum quibus peccauerunt idola eorum adorantes, ac illos ita eductos purificabo, vt mihi dignè seruiant.*

24. *Præficiámque illis Christum, qui etsi filius meus, tamen, vt habet quoque ortum à seruo meo Dauid, seruus meus est. Is erit pastor*
B *vnus, & ij ouile vnum mihi erunt: vias mandatorum meorum sequentur, & perfectè custodient.*

25. *Habitabunt ergo pacificè in Ecclesia mea (quam per terram Chananæorum significaui seruo meo Iacob) ipsi, inquam, & filij eorum, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Nam ibi Christus meus ita dominabitur, vt regni eius nullus vnquam futurus sit finis.*

26. *Ibi fœdus nouum, ac testamentum condam per filium meum, qui omnia pacificabit per sanguinem crucis suæ, erítque pax ea non tem-*
C *poraria, sed æterna.*

27. *Radices ergo eorum altissimè figam, & augebo multitudine innumerabili, Ecclesiámque meam, ac templum statuam inter eos, vt sicut habitaui olim cum eis in templo Hierosolymitano; sic in cordibus eorum habebo sedem meam stabilem, in qua illi vt populus peculiaris, me proprium Deum colent.*

28. *Idque erit apud omnes mundi nationes inprimis celelebre, nec vlla poterit obliuione deleri, quòd inter eas vel inuitas statuerim Ecclesiam meam, nulla vnquam vi conuellendam, vtpote aduersùs quam ne ipsæ inferi portæ præ-*
D *ualere poterunt.*

---

## COMMENTARIVS.

FAmosa, inquit, Hieronymus, est hæc Visio, & omnium Ecclesiarum Christi lectione celebrata. Eius verò quoniam certam hîc habemus explicationem ab ipso Deo, non erit difficilis interpretatio quoad literam. Addemus tamen ad illustrationem aliquot mysteria, quæ in ea congruenter rimati sunt Patres. Ad finem dicemus de ostensione duorum lignorum quæ in vnum copulata.

### *Explicatur Visio in sensu literali.*

### SECTIO I.

1. *Manus significat hic vim diuinam, qua Prophetæ impellebantur, ex Theodoreto. Hierony manum, Dei Verbum accipit. Locus Augustini. Obseruatio multorũ, cùm sit manus mentio, significari rẽ eximiam enũciandam. Aliorum obseruatio per manũ significari loqutionem, qua aliquid præcipitur. Illustratur loco 2. Reg. 14. & loco Iosue 17. & aliis.*
2. *Quid sit, educi Vatem in spiritu? Illustratur loco ad Hebræ. 4.*
3. *Locum de ossium viuificatione Tertullian. ait esse non solam parabolam de restitutione Hebræorum, sed ve-*
E *ram assertionem resurrectionis carnis. Idem sentit Origenes, & alij communiter.*
4. *Ossa, non integra cadauera, cur monstrata? De ossibus humanis Ambrosij præclara sententia pro resurrectione. Similiter philosophatur Hilarius ad verba Ps. 52.* Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent.
5. *Etiam insensibilem vocem Domini norunt. Locus Ambrosij, rem optimè illustrat.*
6. *Commotio signum diuinæ potentiæ, vim exprimit, quæ in opere resurrectionis maximè apparet. Locus Pauli 1. Corinth. 6. illustrante Chrysostomo. Ideo Tertulliano autore præmisit Deus ab initio aliquarum rerum resurrectiones.*

7. Quàm

*7. Quàm mirè ossa fuerint colligata, eleganter explicat Cyprian. Quomodo intelligẽdus Cyprianus, cùm ait, ossibus inesse rationem immortalẽ ad resurrectionẽ.*

*8. Cur euocatur spiritus, & non anima? quia surgit spirituale corpus ex Paulo, quod explicat D. Thom.*

*9. Iubetur spiritus venire à quatuor ventis, id est, à quatuor Orbis partibus, hoc est, vndequaque euocantur animæ in corpora. Similis locus Matth. 25. Insignis locus autoris imperfecti in Matthæum.*

*10. Animabus corpora sua ingredientibus subitò stetit exercitus hominum, similitudine illustratur ex Isai. 26. ex loco egregio D. Ambrosij, rursúmque alia similitudine, & loco Chrysostomi.*

1. PRIMVM opus est historiam paucis exponere. Est ergo in textu, Vers. 1. *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini: & dimisit me in medio cãpi, qui erat plenus ossibus.* Vers. 2. *Erãt autẽ multa valde, siccáque vehementer.* Vers. 3. *Et dixit ad me: Putásne viuẽt ossa ista? Et dixi: Domine Deus, tu nosti.* Vers. 4. *Et dixit ad me: Vaticinare de ossibus istis, & dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini.* Vers. 5 *Hæc dicit Dominus Deus ossibus istis: Ecce ego intromittã in vos spiritum, & viuetis.* Vers. 7. *Et prophetaui: factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnumquodque ad iuncturã suam.* Vers. 8. *Et vidi, & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt: & extẽta est in eis cutis desuper, & spiritũ non habebant.* Vers. 9. *Et dixit ad me: Vaticinare ad spiritũ. Hæc dicit Dominus Deus: A quatuor vẽtis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* Vers. 10. *Et prophetaui: & ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde.* Manũ interpretatur Theodoretus vim diuinam, qua scilicet interiùs acti Prophetæ, de futuris vaticinabantur: & cõgruit, quoniã manus propriè est impellere; at Prophetæ patiebantur diuinos quosdam impulsus, antequam prophetarent. D. Hieronymus manum interpretatur ipsum Dei Verbum, quoniam per ipsum facta sunt omnia, Ioan. 1. 3. Vnde est illud August. ad initium Psalm. 104. Christus se in Prophetis prædicabat, quoniam ipse est Verbum Dei: annunciabant ergo Christum pleni Christo. Sunt autem qui obseruent, Prophetas, quando vtuntur hoc modo loquendi, *Facta est super me manus Domini*, rem afferre eximiam, & in qua specimen diuinæ potentiæ singulariter emineat. Vnde ante Visionem animalium cap. 1. eadem illa verba ponuntur. Sed enim alia obseruatio huic loco magis congruere videtur, qua in Scriptura sacra compertum est, manũ sumi pro loquutione, præsertim, qua præcipiatur aliquid: vt enim manu rem proiicimus in quamcunque partem volumus, ita verbis præcipiendo, subditum quasi manu impellimus eò, quò mittimus.

*Manus, iuxta Theodoret. vis diuina impellens Prophetas.* D. Hieron. *D. Hiero. Dei Verbũ, per quod facta sunt omnia.* Ioan. 1. 3. D. August. *Modus loquendi, Facta est super me manus Domini, importat rem eximiã. Congruentiùs, manus, pro loquutione, qua præcipitur aliquid.*

2. Regum 14. 19. post orationem, quam mulier Thecuitis habuit ad Dauid, ita rursum ad eã ipse: *Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis?* quasi dicat, præsentio in hac tua oratione verba Ioab. Videris ab eo edocta ita loqui. Estne ita? Et respondit mulier: *Per salutẽ animæ tuæ, Domine mi Rex, nec ad sinistram, nec ad dextram est ex omnibus his, quæ locutus est Dominus meus Rex.* id est, ita omnino est, vt suspicaris, certissimè rẽ ipsam coniectasti, vnius verba Ioab protuli. Vnde aptè subdit: *Seruus enim tuus Ioab præcipit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc.* Similiter Iosue 17. 4. *Dñs præcipit per manũ Moysis, vt daretur nobis possessio, &c.* id est, per os, seu verba Moysis. Esdræ quoque 3. 10. *Steterũt Sacerdotes in ornatu suo, vt laudarẽt Deũ per manus Dauid regis Israel;* id est, illis ipsis canticis, quæ in laudẽ Dei cõposuit Dauid Rex. Sic interpretatur Iosephus 11. Antiquit. 4. Vnde & illud Psal. 136. 5. *Si oblitus fuero tui Ierusalẽ, obliuioni detur dextera mea,* iuxta interpretationẽ veterũ Hebræorũ huc etiã tendit. Imprecatur enim id, quod Poëtæ sæpe facere solent, carminibus scilicet à se conditis, perpetuã obliuionem si qua vnquam subeat animũ sanctæ vrbis obliuio. Ita ergo prorsus hîc: *Facta est super me manus Domini*, perinde est, ac si dicatur, facta est ad me loquutio diuina; loquutus est mihi Deus.

2. Reg 14. 19. Manus Ioab tecum est, *id est, verba Ioab. Nec ad sinistram, nec ad dexterã est, quod locutus es. id est, certissimè rẽ attigisti: nec plus, nec minus.* Iosue 17. 4. *Per manum Moysis, per os Moysis.* Esdræ 3. 10. Ioseph. Psal. 136. 5. Obliuioni detur dextera mea. *id est, carmina à me composita.*

2. Et eduxit me in spiritu Domini, id est, ea ipsa manus, & locutio diuina eduxit me in spiritu Domini, id est, virtute Spiritus sancti, spiritum meum, id est, partem intellectiuam ita eduxit à parte sensitiua, vt planè libera intueri posset quæ sequuntur. est enim ea vis sermocinationi diuinæ, vt colligitur ex illo Pauli ad Hebræos 4. 12. *Viuus est sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsque ad diuisionẽ animæ, & spiritus.* quasi dicat: Ea est diuini sermonis efficacia, ipsa Spiritus sancti exacuta vi, vt spiritũ, hoc est, superiorẽ hominis partẽ, in qua est intellectus, ab anima, hoc est, ab inferiori, in qua insunt sensus, separet, ac educat in eam libertatem, vt capi faciliùs ab homine possit.

*Loquutio diuina eduxit spiritum Vatis à parte sensitiua.* ad Heb. 4. 12. *Sermo Dei pertingit ad diuisionem animæ & spiritus. Anima inferior hominis pars, spiritus superior.*

3. Igitur in spiritu monstratus est Vati campus, qui erat plenus ossibus: *Et circumduxit me*, inquit, *per ea in gyro; erant autẽ multa valde super faciẽ campi, siccáque vehementer, & dixit ad me: Putásne viuent ossa ista?* Tertul. hæc luculenter tractat in lib. de resurrect. carnis, multísque probat, non esse hoc loco figuram vacuam, vt ad confirmationem restitutionis Hebræorum, hæc ossium demonstratio, & viuificatio, habenda sit omnino parabolica, non autẽ vera, & ex re ipsa veniens resurrectionis carnis assertio. Sic ergo ibi. Hoc ipso, quòd recidiuatus Iudaici status decorporatione, & redanimatione ossium figuratur, id quoque euenturum ossibus probatur: non enim posset de ossibus figura componi, si non id ipsum & ossibus euenturum esset. Nam etsi figmentum veritatis in imagine est, imago ipsa in sui veritate est: necesse est priùs esse sibi, quò alij configuretur: de vacuo similitudo non competit: de nullo parabola non conuenit: ita oportebit ossiũ quoque credi reuiscerationem, & respirationem qualis dicitur; de qua possit exprimi Iudaicarum rerum reformatio, qualis adfingitur. Sed magis religiosum est, veritatem de suæ veritate simplicitatis defendi, quam sensus diuinæ propositionis expostulat. Si enim ad res Iudaicas spectaret hæc Visio, statim reuelato situ ossium subiecisset: *Ossa ista domus Israël est, &c.* At cùm ostensis ossibus, de propria spe eorum obloquitur, nondum nõminato Israële, fidẽ Prophetæ tentat: *Fili hominis, si viuent ossa ista?* Vt & ille respõderet: *Domine tu scis?* Non vtique Deus Prophetæ fidem de ea re tentasset, quæ futura non esset, quam nunquã Israël audisset, quam credi non oporteret, sed quoniam prædicabatur quidem resurrectio mortuorum, Israël verò pro sua incredulitate diffidens scandalizabatur, & adipiscens habitum senescentis sepulturæ desperabat resurrectionem, vel non in eam potiùs animum dirigebat, sed in circunstantias suas: idcirco Deus & Prophetam, quasi & ipsum dubium præstruxit ad constantiam prædicatio

Tertull. *Iuxta Tertullianum non parabola, sed assertio resurrectionis. Restitutio Iudaici status vera resurrectione astruitur.*

cationis, reuelato ordine resurrectionis, & populo id credendum mandauit, quod Prophetæ reuelaret; ipsos dicens esse ossa, quæ erant resurrectura, qui non credebant resurrectura. Ita Deus eam restruebat fidem, quam populus destruebat. Quamquam etsi aliqua præsentium rerum conflictatione hærebat Israël, non idcirco in parabola accipienda esset reuelationis intétio, sed in testationem resurrectionis, vt in illam spem erigeret illos æternæ scilicet salutis, & necessarioris restitutionis, & auerteret à respectu præsentium rerum. Habemus igitur ex Tertull. esse præsentem locum primam quandam contestationem resurrectionis mortuorum. Idem sentit Ambros. de fide resurrectionis, Origen. homil. 7. super Leuit. Theodoret. ad hunc locum, & communiter Interpretes.

Tertul.
Ambr.
Origen.
Theodor.

4. Cur autem non cadauera ostendit integra, sed ossa per campum sparsa? quoniam ossa duritie, & soliditate sua quandam præ se ferunt permanentiam, resurrectioni congruam. Vnde grauiter D. Ambros. vbi proximè, ossa humana in sepulchris iacentia appellauit æternitatis semina, quòd in eis perinde ac in seminibus arborum virtus apta insit restituendis, ac regenerandis hominibus in æternum duraturis. Quare ibidem dixerat florem resurrectionis esse immortalitatem, vt ossa quidem hominum in terram defossa, seu potiùs seminata, mox autem pullulantia seu resurgentia, florem illis proferant immortalitatis. Claudit ergo Ambros. Vnumquemque nostrûm semen esse sui resurrecturi suo tempore, iuxta Paul. 1. Corinth. 15. 42. *Seminatur in corruptione, surgit in incorruptione: seminatur in ignobilitate surgit in gloria: seminatur corpus animale, surgit spiritual.* Tu ergo, ait Ambros. qui seminaris vt cætera, quid miraris, si resurgis vt cætera? In eandem quoque sententiam D. Hilar. super illa verba Psal. 52. 6. *Quoniam Deus dissipauit ossa eorum, qui hominibus placent.* Spes, inquit, æternitatis in ossibus significari solet, ex quo dictum est: *Hoc nunc os ex ossibus meis:* quod Beatus Apostolus, quia magnum mysterium est, ad Christum, & Ecclesiam refert, quæ ex Adæ sui æternitate, æternitatis substantiam mutuatur, quod in Domini vulnerato licèt corpore, confixóque non frangitur. *Os*, inquit, *eius nõ conteretur.* quia cùm fuerit vis passionis in carne, in æternam tamen diuinitatis, & impassibilem naturam nihil licuit passioni. Integram autem, & incorruptam spem æternitatis significari in ossibus, etiam illic meminimus, vbi dicitur: *Custodit Dominus omnia ossa iustorum, vnum ex his non cõteretur.* Quia secundùm demonstratam Ezechieli resurrectionem, sacramentum eius sub ossium significatione sit reuelatum. Hæc Hilarius.

D. Ambros. *Ossa humana æternitatis semina.*

*Immortalitas, flos resurrectionis. Vnusquisque nostrum semen est sui resurrecturi.*
1. Corint. 15. 41.
D. Ambros.
D. Hilar.
Psal. 52. 6.

*Spes æternitatis in ossibus significatur.*

*Os eius non conteretur, quia æternitas diuinitatis non est destinata.*

5. Igitur congruenter iubetur Propheta vaticinari ad determinata ossa in hunc modum: *Ossa arida audite verbũ Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego immittam in vos spiritũ, & viuetis, & dabo super vos neruos, &c. & scietis, quia ego Dominus.* Primũ illud notatu dignũ, quòd ossa insensibilia iubeantur audire vocem Domini; & rectè quidem, quoniam vocem Domini res omnes probè norũt, de quo suprà. Et D. Ambros. citatus, hoc expendens, Innumera, inquit, habemus exempla, quibus natura rerum cælestibus est obsequuta præceptis: nam terra pabulum gignere iubetur, & gignit, ad virgæ tactum sitientibus populis petra aquam vomere, & illico exundant flumenta dura saxorum. Virga quoque in serpen-

*Ossa iubentur audire, quia res omnes vocem Dei probè audiunt.*
D. Ambros.
*Probat id exemplis Ambrosius.*

A tem versa, quid indicauit, nisi volente Deo ex insensibilibus sensibilia posse generari? An potiùs incredibilius putas, quòd ossa cùm iubentur, accedunt, quàm, quòd retrorsum fluenta vertũtur, maria fugiunt? Mare enim vidit, & fugit. Ergo Propheta intonante præceptum Dei super ossa dispersa, subitò facta est commotio, inquit, & accesserunt ossa ad ossa vnumquodque ad iuncturam suam: & vidi, & ecce super ea nerui, & carnes, & extenta est in eis cutis desuper.

6. Commotio (ait Theodoret.) significat aduentum Dei cum quadam vi, ex Scripturæ consuetudine: nam in opere resurrectionis specialiter operatur diuina potentia. Vnde illud Pauli 1. Corint. 6. 14. *Deus verò, & Dominum suscitauit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Ad quæ verba
B D. Chrysostom. Cùm dixisset, inquit, rem incredibilem, & quæ rationibus subiici nequit, incomprehensibilitati potentiæ ipsius Christi resurrectionem remittit. Nos suscitabit per virtutem suam, autoritate fortitudinis contradicentium ora obstruens. Ita Chrysost. Idcirco Tertul. lib. citato eleganter ostendit, Deum ad astruendam fidem resurrectionis, quasdam ab initio statim mundi mirabili potentiæ suæ vi exhibuisse resurrectiones. Aspice, inquit, ad ipsa quoque exempla diuinæ potestatis, dies moritur in noctem, & tenebris vsquequaque sepelitur, funestatur mundi honor, & omnis substãtia denigratur, sordent, silent, stupent omnia: ita lux amissa lu-
C getur, & tamen rursus cum suo cultu, cum dote, cum sole, eadem, & integra, & toto vniuerso Orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam noctem, rescindens sepulturam suam, tenebras, reuoluuntur hyemes, æstates, &c. Et paulò pòst: Totus, inquit, ordo reuolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum operibus eam præscripsit Deus, antequam literis, viribus prædicauit, antequam vocibus, præmisit tibi naturam magistrã, submissurus & prophetiam, quo faciliùs credas prophetiæ, discipulus naturæ, quò statim admittas, quod vbique iam videris: nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, qui omnium notis restitutorem. Quòd si prædicta dicas non tam
D mori quàm desinere, accipe plenissimum huius spei specimen, illum Orientis alitem, de singularitate famosum, de posteritate monstrosum; qui semetipsum libenter funerans renouat, natali fine descendẽs, ac sibi succedens Phænix. Hæc Tertul. Vt rectè constet prænunciam resurrectionis commotionem, seu potentiam antecessisse, cùm ab initio mundi, in testationem potentiæ resuscitandi homines, tot rerum commotiones, ac reuolutiones potestate præmiserit sua.

*Commotio in Scriptura, aduentus Dei cum quadam vi.*
Theodor.
1. Cor. 6. 14.
*Resurrectio specialem virtutem Dei exigit.*
Chrysost.

*Autoritas fortitudinis Dei ad probandam resurrectionẽ necessaria.*
Tertul.
*Præmissæ ab initio mundi speciales resurrectiones.*
*Mors diei, nox, sepultura, tenebra.*

*Probatur resurrectio ex Phænice.*

7. At illud stupore plenum, quomodo ad vocem Prophetæ ossa illico certissimè accurrerint, vnumquodque ad iuncturam suam, subitóque alligari neruiculis, superindui carnibus cœperint? Rem quidem miram Cyprianus super Symbolo
E Apostolorum, ad sapientissimam Dei potentiam, atque ad insitam humanis ossibus quasi virtutẽ seminalem, vt paulò antè diximus, eruditè refert, ac explicat exemplis visibilium rerum. Cùr quæso te, inquit, tam angustus, & inualidus diuinæ potentiæ æstimator es, vt dispersum vniuscuiusque carnis puluerem in suam rationem colligi, & reparari posse non credas? An non censeas, cùm videas quòd & mortale ingenium demersas in profundum terræ metallorum venas rimatur, & artificis oculus aurum videt, in quo terram putet

Cyprian.
*Quòd ossa illico ad vocẽ Prophetæ accurrerint certò, ac inuicem cohæserint, explicat Cyprianus.*

impe

*Optimum exemplum ex aurifodinis.* imperitus? Et cùm auri esse propriam venam, & argenti aliam, æris quoque longè disparem, ferri quoque, & plũbi diuersas in terra species terræ latere, mortale deprehendat ingenium: diuina virtus discernere non putabitur vniuscuiusque carnis proprium sensum, etiam si videatur esse dispersus? Præterea si quis diuersa semina in vnum *Idem probatur ex diuersarum seminum fructificatione.* permisceat, & indiscrete seminet, nónne vniuscuiusque seminis, quocunque loco fuerit, satio competenti tempore secundùm naturæ suæ speciem germen producit, & statum suæ formæ, & corporis reparat? Ita ergo & vniuscuiusque carnis substantia quamuis variè, ac diuersè dispersa sit, ratio tamen ipsa quæ inest, immortalis est, quia immortalis animæ caro est, ex eo tempore, quo seminatis in terram corporibus, primùm veri Dei voluntati arrisit, collectum de terra, & attractum substantiæ sensum reparat in illa specie, quam mors dissoluerat. Ita fit, vt cuique animæ non confusum, aut extraneum corpus, sed omnino suum reparetur, vt consequenter possit pro agonibus præsentis vitæ cum anima sua, vel pudica coronari, vel impudica puniri. Hæc à Cypriano.

*Ratio immortalis, humanæ carni impressa quæ? Genes. 1.* In quibus notari debet ratio illa immortalis, quæ humanæ carni impressa est, cùm diuinæ voluntati arrisit: intelligi enim debet de illo, quod dicitur Genes. 1. 28. *Benedixit illis Deus*, Adæ, scilicet, ac Euæ; *& ait, Crescite, & multiplicamini.* Hinc enim velle videtur Cyprianus, communicatam *Ex illo, Crescite, & multiplicamini, &c. communicata carni virtus seminalis ad resurrectionẽ.* humanæ carni à Deo virtutem quasi seminalem, & occultam quandam vim multiplicationi, adeóque regenerationi aptã post auxilium diuinæ potentiæ. Verùm in ossibus prædictam virtutem non agnoscit philosophia, etiam sacra, nisi fortè obedientialem, vt vocant, qua res omnes aptæ *Vis seminalis non est qualitas inhærens, sed ius ad resurrectionem.* sunt in omnibus obsequi autori Deo. Quod si Cyprianus vim illam intelligit quoddam veluti ius, quod ex diuina promissione humanis ossibus quasi inest ad resurrectionẽ, libẽter admittimus. Tota ergo resurrectionis officina Deo primùm, mox Angelis administratoribus tribuenda est, vt latè demonstrat Suar. 3. p. disput. 50. sect. 4. *Suar.*

*Cur vocatur anima sub nomine spiritus?* 8. At cur hîc non euocatur anima, sed speciali nomine spiritus, qui nihil aliud est, quàm ipsius animæ superior, vt vocant, portio, scilicet, intellectualis? Respondetur, hoc ipsũ rectè quadrare mysterio resurrectionis, de quo hîc ad literam agitur, vt respondet illi, quod similiter ad literam de resurrectione protulit D. Paulus: *Seminatur cor-* *Conuenit mysterio resurrectionis per quã redibit corpus spiritale.* *pus animale, surgit corpus spirituale.* Quod D. Thom. rectè explicat 1. p. q. 97. art. 3. Animale, inquit, quatenus habet vitam ab anima; spirituale, quatenus participat ea quæ sunt spiritus, scilicet, impassi- *D. Thom.* bilitatẽ, immortalitatem, & alia, quæ resurgentibus conuenient. Conuenienter autem sationi di- *Corpus animale quatenus habet vitam ab anima, spiritale quatenus participat spiritalia.* ctum, *surgit spirituale.* Semper enim semẽ cum fœnore prouenit. Vnde Theodoret. Spiritus gratiæ multiplicatum asserit, & ideo animale ipsum, arrham spiritus rectè dixit. *Theodor.*

*A quatuor ventis euocantur anima, id est, vndecũque. Theodoret.* 9. Igitur virtute diuina coaptatis in sua corpora prædictis ossibus iacebant adhuc toto campo expertia vitæ, quale Adami corpus, antequam fieret in animam viuentem, quamobrem Propheta ita clamare iubetur: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscãt.* Vbicumque sint animæ, inde venire iubentur in sua corpora. sic interpretatur Theodoret. illud *à quatuor ventis*: significat enim à quatuor orbis partibus, quatuor enim venti principales, quatuor orbis principales occupant partes, & per eas orbis totus significatur. Ostenditur id simili loco *Per quatuor ventos, quatuor orbis partes.* Matth. 24. 31. *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabit electos eius à quatuor ventis, à summis cælorum, vsque ad terminos eorum.* Nam hæc *Matth. 24. 31.* posteriora verba explicant, imò ampliant illa priora, interprete Caiet. à summis enim cælorum *Caiet.* vsque ad terminos, siue summa eorum, idem esse ait, ac ab vtroque hemisphærio, quorum vnum non est alio superius, sed vtrumque summum. *A summis cælorum vsque ad terminos eorũ, hoc est, ab vtroque hemisphærio.* Vel meliùs quidquid est à summo cælo empyreo, vsque ad centrum terræ (hi enim sunt duo termini mundi omnia complectentes.) Et congruit, *Vel, à cælo empyreo, vsque ad centrum terræ.* quoniam multæ eo die animæ à cælo empyreo, & è Purgatorio euocabuntur ad sua corpora. Congruenter igitur ad prædicta verba Autor *Extrema tuba potens sonus.* Imperfecti. Verè, inquit, magna vox tubæ terribilis, cui omnia obaudiunt elementa, petras scindit, inferos aperit, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignat, in eius voce puluis corporum dissolutus in noua membra constringetur, & mare, quasi vna persona, discu- *Mare, quasi persona vna discutietur.* tietur, vt si quid apud se retinet de humanis ossibus, sine contradictione restituat: in eius voce à quatuor partibus mundi spiritus congregatur, qui resuscitet populum dormientem. Hæc ibi.

10. Spiritus ergo euocatus à quatuor ventis, animæ sunt, vbivbi regionum fuerint, siue cælestium, siue terrestrium. Visum est autem animabus in illa cadauera ingredietibus, subitò cõstitisse ingentem hominũ multitudinem, quasi exercitum. Ecce quid anima in corpore suo præstet. Iu- *Anima ros lucis, seu vitæ, cuius infusione reuiuiscent corpora.* re ab Isaia, *ros lucis*, seu vitæ nuncupatur cap. 26. 19. Vt enim in viridario flores, qui præ nimio æstu languescũt, ac penè mortui iacent, cælitus immisso rore subitò reuiuiscunt, rursúmque erectis capitulis ridere videntur: ita cadaueribus istis *Isai. 26. 19.* truncorum instar iacentibus, per subiectam planiciem, vbi vitalem concepère rorem, illico in pedes erecta stetère, quasi exercitus. Non omittã verò, quæ Ambrosius eleganter scripsit loco citato in hanc subitam ossium resurrectionem. In *D. Ambros.* ipsis, ait, legimus propheticis sermonibus huma- *Noua seges humanorum corporum.* norum videtur seges corporum rediuiua consurgere, atque ipsa spatia diffusa camporum, nouis pullulare seminibus: igitur si veteres satis Hydræ dentibus in regione Thebana, inhorruisse armatorum segetem crediderunt, cùm vtique alterius *Thebis alia similis seges, sed fabulosa ex dentibus hydræ.* naturæ semina certum sit in naturam verti non posse alteram, nec partum suis discordem esse posse seminibus, vt ex serpente homines nascerentur, quantò magis vtique credendum est, ossa *Quantò magis ossa hominũ seminata homines feret.* hominum, quæ sunt seminata, in suam naturam resurgere, nec à satione sua segetem discrepare? ergo gentes Prophetis credite, qui fabulis inanibus creditis. Ita Ambros. Iacebant ergo ossa illa, *Corpora instar musicorum organorum.* colligata quidem inter sese, & cõuenienter aptata sicut organa musica; deerat solùm conueniens flatus, ad reddendam vitæ harmoniam, idcirco eũ Vates euocat dicens: *A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscant.* *Spiritus instar flatus vitæ harmoniam edidit.* Similiter philosophatur Chrysostom. in corpore Adami, cùm in illud spirauit Deus spiraculum vitæ. Sicut lyra, inquit, quæ opus habet aliquo, *Corpus Adami instar lyræ, membra quasi fistulæ.* qui possit arte sua, per membra, quasi per fistulas, conuenientem Domino offerre melodiam.

Accommo

## *Accommodatur in particulari prædicta Visio.*

### SECTIO II.

1. *Resurrectionis generalis exemplo probat restitutionem Hebræorum. explicatur Tertullianus.*
2. *Vnus sensus literalis alio literali explicatur, ostenditur ex loco Ioann. 6.*
3. *Hebræi, in captiuitate quare velut ossa videbantur. Permittit Deus sic attenuari homines laboribus, vt in desperatissimis rebus ad se confugiant. Locus Isaiæ 11. extremum in aliqua calamitate exaggerat Scriptura comparatione ossium, Iob. 7. Psal. 21.*
4. *Quomodo accipienda sit hoc loco spes pro Messia, ex loco Genes. 49. More Scripturæ, quando aliquid certò euenturum est alicui, etsi illud ignoret, expectare illud dicitur, Isai. 5. Messias peculiaris spes Iudæorum.*
5. *Nunquam de Deo desperandum, ne sepultis quidem. Locus Isai. 26. Congruit reprehensio illa Sadducæorum à Christo illata. Tertulliani lectio super loco Isaiæ citato expenditur. Infusio roris in eodem Isaiæ loco quid significet?*
6. *Allegoria Origenis de adunatione fidelium ad vnum Christum ex ossium adunatione desumpta.*

1. DOMINVS ipse prædictam Visionem accommodat, dicens ad Prophetā, Vers. 11. *Fili hominis, ossa hæc vniuersa, domus Israel est, ipsi dicunt: Aruerüt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus.* Vers. 12. *Propterea vaticinare, & dic ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, populus meus, & inducā vos in terram Israel.* Septuaginta pro, *abscissi sumus; dissonuimus:* & pro, *tumulos vestros; memorias vestras.* Hebræi in captiuitate degentes se mortuos, ac penè Sepultos arbitrabantur, existimantes Deum non iam curare res suas, ac adeò abiecerant omnino spem in Deum. In hac igitur desperatione positis Dominus ait: *Ecce ego aperiam tumulos vestros,* &c. quasi dicat: Similiter, ac in fine mundi apertis omnium hominum sepulchris excitabo illos, ac viuere faciam, quod ossium suscitatione paulò antè monstraui. Ita faciam Hebræis in captiuitate sua quasi sepultis. Cùm ergo ait Deus ad Prophetā: *Fili hominis ossa hæc domus Israël est,* intelligendum non ad literam, sed per accommodationem: ad literam enim ossa illa suscitata repræsentant generalem hominum resurrectionem; accommodatur autem hæc eorum suscitatio ad exprimendam Hebræorum restitutionem, quo pacto intelligendus est Tertullianus vbi suprà, cùm negat hac Visione intelligi domum Israël. Non enim negat sensum accommodatiuum, & quasi confirmatiuum, sed literalem.

*Varia lectio.*

*Hebræi in captiuitate abiecerant spē in Deū.*

*Quasi mortuos se reputabant in captiuitate sepultos. Ossa monstrata domus Israël per accōmodationem.*

2. Non est autem nouum in Scriptura, vno sensu literali explicari, & confirmari alium. Ioan. 6. multa Dominus disseruerat de cibo illo mystico; promiserat enim daturum se carnem suam in cibum, & sanguinem suum in potum: item eo cibo, & potu vitam æternam illis esse propinandam; at verò Discipuli nihil altum adhuc sapientes, sed humi omnino repentes, scandalizati sunt hæc audientes: putabant enim

*Vno sensu literali explicari aliū. Ioan. 6.*

A sibi apponendas esse carnes humanaš in esum, & humanum sanguinem in potum feralem, dicebantque inuicem: *Durus est hic sermo.* Hic ergo Christus: *Quod si videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius?* non solùm, vt Ascensione sua mirabili mirabile sacramentum confirmaret, sed vt congruenter ostenderet ad fidem, atque vsum eius mysterij ascensione animi opus esse, nec de sua carne ac sanguine carnaliter, ac humiliter, sed spiritualiter, ac sublimiter omnino sentiendum. est hic sensus D. Athanasij & aliorum. mitto loca alia.

*Ascensione sua mysterii Eucharistiæ probauit Christus. Ad intelligendum mysterium Eucharistiæ ascensione animi opus est.*

3. Hoc ergo modo rectè intelligitur dictum à Deo: *Fili hominis ossa hæc, domus Israel est;* sic atB tenuata scilicet in captiuitate Babylonica, vt nihil ex illa aliud, quàm mera ossa reliquum esse videatur. At cur Deus homines ita per labores extennuari permittit? vt misericordiam suam tum maximè præstando, doceat illos, vel in desperatissimis rebus non desperare. Est insignis in hanc sententiā locus ille Isai. 11. 1. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Nam גזע quod noster *radicem* vertit, propriè significat eam radicis partem, quæ supra terram eminet post dissectam arborem, dicitúrque truncus. Radix ergo Iesse, & truncus familiæ Dauidicæ, idem est; nam Iesse pater fuit Dauidis. Hunc ergo truncum tot Regibus olim florentēm, quique in triginta octo gentilitates, siue C ramos cognationis Dauidicæ (vt est in Sederolam) magna cum gloria se diffuderat, post captiuitatem Babylonicam ita permisit Deus paulatim defluere, ac vndequaque succidi, quousque Herodes (vt Philo narrat) de medio sustulit Sanedrim, id est, Senatum grauissimorum Iudicum 72. de domo Dauidis. Hircanum verò, & vxorem ac filios, plurésque alios alicuius nominis ex eadem familia, ita consumpsit, vt solus è tam regia, fœcundaque arbore remanserit penè aridus, ac sine nomine truncus.

*Sinit Deus extenuari homines per labores, vt sperare doceat in rebus desperatis. Isai. 11. 1.*

*Arbor Iesse in triginta octo cognationum ramos extendebatur.*

*Sanedrim Senatus 72. senum sublatus ab Herode. Decisis in cognationū ramis mansit solus truncus familiæ Dauid.*

Rebus igitur compulsis ad has miserias affuit Deus, & è trunco penè arido, sed adhuc radicibus inhærente, regiam produxit virgam, id est, Virginem Mariam, cum suo flore Christo, cuius D partu felicissimo non modò restituta est stipiti vetus illa gloria, sed in infinitum sic ampliata, vt quæ regia olim tantùm fuerat, iam remanserit diuina, ac adeò minimè decidua, sed æterna. Est ergo sensus reconditus, ac subtiliter notandus in prædictis Isaiæ verbis: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet;* id est, nascetur eo tempore Virgo ex radice regia, quo illa ob iniurias temporum præcisis vndique nobilioris notæ propaginibus ad eam obscuritatem redigetur, quæ fuit sub Iesse Dauidis patre, cùm nullos adhuc haberet ex se natos Reges. Tunc virga, & flos, ascendent, vt totam E familiam non modò restituant, sed ascendere faciant ad gloriam longè excellentiorem pristina.

*E trunco spoliato eduxit Deus virgā Mariam cum suo flore Christo. Gloria stirpi Dauidici per Christum non solùm regia, sed diuina mansit. Redacta virga ad ignobilitatem Iesse, germinabit virgam & florem diuinum.*

Pari ergo ratione in præsentibus eousque permisit Deus captiuitatis labores excrescere, vt Hebræi mortuos se, ac sepultos, ossa quædam arida reputarent; ideo dicunt: *Aruerunt ossa nostra: periit spes nostra, & abscissi sumus.* Extremum in qualibet calamitate, ex ossium metaphora exaggerare solet Scriptura sacra. Iob. 7. 15. *Quamobrem elegit suspendium anima mea, & mortē ossa mea; desperaui, nec vltrà iam viuam.* Significat (ait Polychronius) nihil in eo tam forte, ac intimum esse, quò

*Extremam calamitatis ex ossium metaphora. Iob. 7. 15.*

quò vis doloris non peruaserit: ad ipsam animā, ad ossa ipsa: vt vel propterea totus ipse, & corpore scilicet & animo, prælegerit mori, ac penitus non esse, ex quadam exaggeratione. Quod ait, *desperaui*, credo ego continere rationem præcedentis voti: est enim desperantis, & impotenter furentis, nulla ratione vti in iis, quæ optat, dum disparata coniungit, dum eligit inaudita, dum remotissima quæque sequitur: quid enim ab immortali anima magis alienum, quàm strangulatio? quid magis nouum, quàm ossa mortem ambire? Igitur anima strangulationem operans, & ossa mortem, ostendunt, eò perductum hominem ob doloris vim, vt aliena prorsus, disparata, & insana proferat. Psalm. 21. 15. *Sicut aqua effusus sum, & dispersa sunt omnia ossa mea.* Est ad literā de Christo patiente: & significatur summa viriū debilitatio in Seruatore optimo: sanguinem enim suum sicut aquam latè effudit, toto corpore vlneratus, quo factum est, vt ossa, quorum firmitas, & stabilimentum in corpore, viscoso humore, quem ministrat sanguis, continetur, omnino distracta sanctissimum corpus in vestigio tenere non possent.

*Desperantis est, desperata coniungere, quale, animam suspendio perire.*

Psal. 21. 15.

*Significatio summa debilitatis in Christo patiente.*

Item Psalm. 31. 3. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea, dum clamarem tota die.* Est ad literam de pœnitentia Dauid, id est, silentium meum, quo volui dissimulare peccatum coram Nathan, compensaui continuis pœnitentiæ clamoribus, ita vt vel ob id solum accelerauerim senectutis mala, debilitatem, mœstitiam, dolores. Psal. 101. 4. *Ossa mea sicut cremiū aruerunt.* Poëtica hypotyposis summæ cuiusdam miseriæ, quæ pingi potest homo mœstissimus, cuius corpus macie conficitur ob doloris magnitudinem: sicut cremium, id est, sicut res crematu facilis, quæ quolibet igne applicato, statim accenditur: quasi dicat, eò perductus sum miseriæ, vt nihil amplius. Itaque ad hoc vnum seruari posse videor, vt sim cremium, seu pabulum miseriarum.

Psal. 31. 3.

*Inde mala senectutis accelerata Dauidi.*

Psal. 101. 4.

*Descriptio summa miseriæ.*

4. Simili ergo metaphora sua mala amplificant captiui in Babylonia, *Aruerunt*, inquiunt, *ossa nostra, periit spes nostra, abscissi sumus.* Quasi dicant, Actum de nobis est, peruenimus ad ipsum desperationis cumulum. Vna spes erat nobis, Dei, etiam, vt videbatur, stabilita promissis, vt è nobis prodiret spes illa seculorum, nempe Messias, & tamen hæc quoque videtur amissa penitus; abscissi namque à trunco, vt inutiles rami, quomodo talem fructum reddere poterimus? Non dubium ergo mihi est, quin ita accipienda sit spes, de qua hîc sermo. Concinunt apta Scripturę loca. Maximè verò illę Geneseos 49. 10. in benedictione Iudæ: *Ipse erit expectatio gentium.* Vbi Iacob ad literā loquitur de Messia nascitur ex stirpe Iudæ; at nomen *expectationis*, emphasim habet: non enim dicit, *expectatum*, sed ipsam *expectationem*, vt ostenderet, eum ipsum, & solum esse scopum omnium desideriorum mundi. At quomodo id verum est, mundo adhuc ignorante Messiam? Ex more linguæ Hebraicæ: quando enim aliquid alicui certò conferendum est, etsi illud ignoret, dicitur tamen illud expectare, euentu tantùm considerato, quo illud alacriter suscipiet, ac si diu ab eo foret expectatum. Sic enim Isaiæ 51. 5. idem de se Messias: *Me insulæ expectabunt.* nihilominus tamen hæc spes propria erat Iudæorum, quòd eis specialiter sit promissus Messias; vnde illam idem Patriarcha in benedictione Ioseph sub eleganti metaphora ad Iudæos restrinxit: appellauit enim Christum desiderium collium æternorum: Patriarcharum, scilicet, ac fidelium Iudæorum, qui soli tunc æternitatem curabant; eo vel maximè colles mundi, ac præcelsi montes comparatione reliquarum gentium, quæ vallium instar, spes suas ac desideria in res terrenas abiecerant. Cùm ergo viderent Hebræi tandiu se in captiuitate à Deo relinqui, prorsus existimabant, hanc spem suam periisse, ac penitus se abscissos esse, ne possent benedictum Messiæ proferre fructum.

*Spes nostra, id est, qua sperabamus è nostro genere Messiā.*

Genes. 49. 10.

*Christus, expectatio gentium, hoc est, valde speratus.*

*Hebraismus quod ignoratur, sperari dicitur, ex euentu, quo alacriter excipitur.*

Isai. 51. 5.

*Messias spes propria Iudæorum.*

*Desiderium collium æternorum, id est, Patriarcharū, &c. Colles æterni, quòd excellerent reliquas gentes spe æternitatis.*

5. Dominus ergo ad hanc desperationem tollendam in tempore occurrens, ait ad Prophetam: *Vaticinare ad eos. Hæc dicit Dominus Deus: ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris vestris, & inducam vos in terrā Israël, & scietis, quia ego Dominus.* quasi dicat: Perperam agitis, dum, vel in extremis calamitatibus desperatis: nec sepultis de me ipso desperare permitto. *Ecce ego aperiam tumulos vestros*, &c. Similis in non dissimili afflictione est consolatio Domini ad Ecclesiam lamentantem Martyres suos apud Isaiam cap. 26. 19. *Viuent*, inquit, *mortui tui, interfecti mei resurgent; expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere, quia ros lucis, ros tuus.* Notanda primùm est pulchra illa, & amoris plena correctio: *mortui tui, interfecti mei:* quasi dicat: mortui tui, imò mei, resurgent: ne credas non pertinere illos ad me, nō me tangere: profectò mei sunt, etiā modò dum habitant in puluere: mei, id est, meæ potestati subditi; vt si ex eo puluere velim reuocare illos, in vitam statim venire debeant. Congruit huic expositioni illud Christi Matt. 22. 29. quo Sadducæos resurrectionem negantes, Scripturarum, ac Dei imperitos vocat: in ea enim dicitur Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, etiam postquam vita functi sunt, non ob aliud, nisi quia suscitari à Deo possunt: perindéque in hoc Dei potentiæ sunt obnoxij, ac si planè viuerent.

*Nec sepultis licet de Dei promissis desperare.*

Isai. 26. 19.

*Interfecti mei, hoc est, meæ potestati subditi, vt eos suscitē.*

Matth. 22. 29.

*Deus Abraham, &c. quoniam suscitare eos potest.*

Idcirco & Isaias prosecutus ait, *Ros enim lucis, ros tuus.* Ros significat vim fœcundatricem, seu viuificatricē; éstque sensus: vis illa fœcundatrix, & viuificatrix, quæ in me est, lucémq; ac vitam germinat, illa, inquā, tota tua est, ô Ecclesia, & in tuos vsus expéditur, suscitatis in vitā Martyribus, filiis tuis, ac meis. Tertul. legit: Ros enim, qui à te, medela ossibus eorum. quasi verò ossa mortuorum comparatione potentiæ Dei, re vera, non morte, sed morbo aliquo correpta fuerint, ac adeò sanari ab eo tantùm opus habeant, vt herbæ, quæ vigore æstus languerant, infusum duntaxat rorem expectant, vt repullulent. Adde, infusionem roris facilitatem subindicare ex parte Dei ad resuscitandum. Id enim Deo non plus laboris ingerit, quàm si paruum effundat rorem. Quia verò hoc Dei beneficium de resuscitatione Martyrum minuere quis poterat, quod futurum sit generale erga omnes homines, etiam interfectores Martyrum, addit Propheta congruenter: *Et terram gigantum detrahes in ruinam.* quasi dicat, magnatum quoque, ac Regum impiorum corpora suscitabuntur, sed longè dissimili conditione, ac Martyrum: videlicet, in ruinam, & condemnationē æternam. Vnde non dixit corpora gigantum, sed terram, per contemptum: quasi diceret: non gloriosa recipient corpora, sed moles illas suas terreas, sine vlla spe gloriæ. Ergo verba illa, *Ecce ego aperiam tumulos vestros*, non significant simpliciter liberationem à captiuitatis malo, sed latet in eis quasi argumentum à maiori, ab ossium

*Ros lucis, ros tuus, id est, vis mea viuificatrix tua suscitationi seruiet.*

Tertull.

*Ossa mortuorū quasi morbo tantùm, & non morte correpta.*

*Roris infusio innuit facilitatem ad suscitandū ex parte Dei.*

*Malorum quoque Regum corpora suscitabuntur, sed in condemnationem.*

*Terra gigantum, id est, corpora eorum non gloriosa, sed vilia.*

sium illorum suscitatione deducendum: quasi dicat, Ego qui mortuos è sepulchris suis in hanc lucem reuocare possum, aperire etiam possum malorum vestrorum quasi tumulos, vt reducam vos in libertatem. Atque hæc de literali sensu.

Origen. *Fidelium coadunatio ad Christū caput. Homines absque Spiritus sancti virtute, ossa dissipata.*

6. Apud Origenem reperio sensum allegoricum de fidelium coadunatione ad Christum caput suum, quem in hac ossium copulatione rimatus est ad cap. 10. Leuit. homil.7. sed locus cautè legendus. Vult ergo, homines in hoc mundo, ossa dispersa fuisse antequam per Spiritus sancti virtutem Christo coniungerentur. Vnumquodque, inquit, os ex istis ossibus inops erat: non enim habebat iuncturam charitatis, non potentiæ neruos, non venas vitalis animi, non vigorem fidei. Vbi verò venit, qui dispersa colligeret, & qui dissipata coniungeret, consocians os ad os, & iuncturam ad iuncturam, ædificare cœpit sanctum corpus Ecclesiæ. Sed addit Origenes coadunationem hanc ossium solùm perfectam futuram post resurrectionem corporum, de quo vult intelligi illud Domini apud Ioannem: *Pater sancte, clarifica me:* quasi Christus sine suis, perfectam se fateatur non habere claritatem. Vult enim, ait, in isto corpore suo habitare, velut anima, vt omnes motus, & opera secundùm ipsius habeat voluntatem, vt dicere queat illud, *Habitabo in eis, & ambulabo.* Sed & illud cum Dauide post coniunctionem ossium ad ossa, *Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi?* Hæc Orig. Quæ quidem confirmari possunt ex illo Isaiæ citato, *Interfecti mei resurgent:* videtur enim dictum quodam cum desiderio, & affectu optantis: & in Hebræo non est, *interfecti mei*, sed, *cadauer meum*: cui plurale verbi sequentis additum, mysterium auget. Verti enim potest, *Cadauer meum resurgent*; videlicet, vt vnicum quidem corpus, sed mysticum, ex pluribus scilicet resurgentium corporibus coalescens cum suo capite Christo intelligatur.

*Spiritus sāctus insufflans in eos ædificauit corpus Ecclesiæ.*
Ioa. 17. 1. *Perfecta adunatio post resurrectionem, in qua suam Christus perfectam claritatem obtinebit.*
1.Cor.6.10.
Psal.54.20.
Isa.26.19.
*Corpus mysticum cum suo capite resurgens.*

---

## *De duobus lignis in vnum coniunctis.*

### SECTIO III.

1. *Specialis Visio proponitur ad ostendendam vnionem fidelium per interuentum Spiritus sancti.*
2. *Historia de diuisione decem Tribuum sub Ieroboam. Rebus etiam prophetabant Vates, Isai. 20. Ierem. 27. Sic duorum lignorum copulatione intelligit duorum regnorum, Iuda, & Samariæ, adunationem sub rege Christo.*
3. *Hæc adunatio non est facta post reditum à captiuitate, quia decem Tribus adhuc captiuæ seruiunt; fiet verò in fine mundi.*
4. *Versio Chaldæi non ligna, sed tabulas ponit, quòd meliùs conglutinentur, quàm virgæ; sed meliùs noster virgas posuit, quòd per virgas Tribus, & regna significentur, & aptius indicatur vnio plurium hominum. Locus Oseæ 1. explicatur.*
5. *Quomodo intelligi debeant tituli lignorum, siue sceptrorū ex Hebræo. Tribus Leuis adhæsit Tribui Iuda, & Benjamin. Quòd Ieroboam expulerit Sacerdotes Domini, creatis à se nouis.*
6. *Duo ligna coniuncta in manu vna, significant vnionem Iudæorum cum regno Christi. Locus Ioannis 4. explicatur.*

1. 
CVM in adunatione ossium, per spiritus insufflationem promiserit Deus, autore Origene, futuram vnam Ecclesiam ex Iudæis, & Gentibus copulatam per interuentum Spiritus sancti, ostendit vlteriùs idipsum Visione quadam speciali, de qua sic Vates, Vers.16. *Et tu fili hominis, sume tibi lignum vnum, & scribe super illud: Iuda, & filiorum Israel sociorum eius. Et tolle lignum alterū, & scribe super illud: Ioseph ligno Ephraim, & cunctæ domui Israel, sociorúmque eius.* Vers.17. *Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in lignum vnum: & erunt in vnionem in manu tua.* Vers.19. *Loquêris ad eos: Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego assumam lignum Ioseph, quod est in manu Ephraim, & Tribus Israel, quæ sunt ei adunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum vnum: & erunt vnum in manu eius.* Hebr. pro, *Iuda, & filiorum eius*; *Iuda, & filiis eius.* Septuag. *Iudam, & filios Israel.* *Varia lectio.*

2. Repetenda est historia ex lib. 3. Regum cap. 12. 1. quomodo regnante Roboam diuisæ sunt Tribus, decémque in Samaria Regem sibi constituerunt Ieroboam: duæque aliæ, Iuda scilicet, & Benjamin, adhæserunt Roboam, quibus adiuncta est Tribus Leui Sacerdotalis, quoniam Ieroboam expulerat è regno suo omnes Sacerdotes Domini, aliósque creauerat in cultum vitulorum suorum. Hoc igitur loco Ezechiel, non tam verbis, sed signis ad sensum accommodatis vtitur, vt moris erat apud Prophetas, quò magis permouerent animos audientium. Sicut Isai. 20.2. Vates ipse nudus vadit, ac discalceatus iubente Deo, quò denunciet Ægyptiis, & Æthiopibus, sic eos captiuos ducendos per regem Assyriorum; & Ierem.27.2. Vates ex mandato Dei collo suo suspendit catenas ligneas, quò repræsentaret ita ducendos concatenatos Israëlitas per Babylonios. Sic Ezechiel iubetur coniungere duo ligna, seu duas virgas, hoc est, duo sceptra, videlicet Iuda, & Samariæ; quò prænunciet, regna illa duo coniungenda esse sub vno rege Christo, vt cum cæteris gentibus constituant eius regnum sempiternum. 3.Reg.12.1.

*Signo etiā, vt solebant Prophetæ, adunationē futuram demonstrat.* Isai.20.2. Ierem.27.2. *Duo ligna, quasi duo sceptra, duo regna, Iuda, & Samariæ.*

3. Hæc adunatio duorum regnorum, non est facta statim post reditum duarum Tribuum à captiuitate Babylonica, quoniam decem Tribus (ait D.Hieronym.) vsque hodie in montibus & vrbibus Medorum seruiunt captiuæ; fiet ergo coniunctio regnorum, cùm omnes illæ Tribus educentur, & in vnam Ecclesiam cum duabus Tribubus, cæterísque ex gentilitate fidelibus vni regi Christo seruient, quod Vates hîc futurum esse prædicit, cœptúmque iam fieri, tandem absoluetur ad finem mundi sub eodem æterno Rege. D.Hieron. *Hæc adunatio duarum Tribuum, at decem fiet in fine mundi.*

4. Chaldæus Paraphrastes, non lignum aut virgam, sed tabulam reddidit; & quidem in tabulis meliùs exprimitur conglutinatio; nam virgæ nullo glutino sic copulari possunt, vt non discernantur duæ, quod in tabulis secus accidit. Verùm longè congruentiùs noster cum Septuaginta virgam vertit, qua & regnum, & tribus significatur: nam inde dictæ sunt duodecim שבטים quasi duodecim virgæ ex eodem trunco prodeuntes: nomen enim שבט virgam, significat: regnum verò significari per virgam passim in Scriptura inuenietur. Quòd verò virgæ non ita vniri possint, vt appareat vna omnino virga, meliùs congruit vnioni plurium hominum sola voluntate se coniungen

*Chaldæus duas tabulas ponit, non duas virgas.* *Virgis meliùs significantur regna. Virga meliùs cōgruit vnioni plurium hominum.*

iungentium ad parendum vni Regi, qui aliàs inter se non modò corporibus, sed moribus, vt plurimum, distinctissimi sunt. Idcirco dicitur infrà de duabus virgis, *Erũt in vnionem in manu tua.* Vt sit sensus: futuras quidem plures gentes, ac plura regna in se, sed intra vnam manum, siuè potentiam regiam Christi. Similiter Oseæ 1.11. *Congregabũtur*, inquit, *filij Israël, & filij Iuda pariter, & ponent sibimet caput vnum*; non enim congregatione mutua sic efficientur vnum, vt sunt plura membra vnum, sub vno naturali capite, sed erunt ciuiliter vnum sub vnius hominis voluntate, quã sibimet liberè ponent ad commune regimen.

*Plures gentes intra vnam manũ siue potentiam.*
*Ciuiliter vnum, sub vnius hominis voluntate.*

5. Porro verba illa, *Scribe super illud: Iuda, & filiorum Israël, & sociorum eius*, iuxta Hebræum sic habent: ליהודה ולבני *Iuda, & filiis Israël sociis eius*, quasi dicatur de ligno, seu sceptro: dicatum Iudæ, & filiis Israël sociis eius. Per Iudam autem intelligit Tribum Iuda, ad quam regnum iure pertinebat: per filios Israël socios eius, Tribum Benjamin & Leui: quæ duæ Tribus adhæserãt Tribui Iuda in illa seditione Ieroboã, 3. Reg. 12.21. Tribus quidem Benjamin statim, Tribus autem Leui, vt creditur, postea, cùm Ieroboam constituit nouos idolorum Sacerdotes, 3. Reg. 12. 31.32. Cùm verò dicitur: *Ioseph, ligno Ephraim, & cunctæ domus Israël, sociorúmque eius*, eodem modo iuxta Hebræũ: *ligno Ephraim, & cũctæ domui Israël, sociis eius*. vt fuerit quasi titulus sceptro insculptus. Per Ioseph autem, & Ephraim intelliguntur decẽ Tribus Isai. 7.2. &c. Vel dici potest per Ephraim intelligi solã Tribum Ephraim, quæ rebellionis caput fuit: nã Ieroboam eius autor fuit ex Tribu Ephraim: per domum autem Israël intelligi nouem alias Tribus, quæ sequutæ sunt Ieroboam. Quia verò Ephraim fuit filius Ioseph, ideo dicitur: *Ioseph ligno Ephraim*. Et quamuis Ioseph fuerit vnus e duodecim Patriarchis, tamen Tribus non est ab eo denominata, sed à filio eius Ephraim, Numeror. 1. 10. idque propter prærogatiuam, quam illi Iacób dederat, cùm filiis suis benediceret, Genes. 48.10.

*Tribus Iuda primò ponitur, quia eius erat ius regni.*
*Per filios Israël, Tribus Benjamin & Leui, quæ Iudæ adhæserant. 3. Reg. 12. 21.*
*Leui repulsa à Ieroboam.*
*Per Ioseph & Ephraim, decẽ Tribus. Isai. 7.2.*
*Ephraim causa fuit rebellionis per Ieroboã.*

A

Num. 1.10
*Ea prærogatiua data Ephraim à Iacob, vt ab ea denominaretur Tribus.* Genes. 48. 10.

6. Igitur cùm ait Deus: *Et erunt vnum in manu eius*, intelligit duo sceptra, duo regna, Iuda, & Ephraim in manu Iudæ futura vnum lignum, vnum sceptrum, quia sublata contentione veteri inter Iudam & Israël, vnum nominabitur regnũ, quod quidem (vti diximus) non ad illud tempus quo ex captiuitate redierunt, sed ad vnum Christi tempus omnino referẽdum est, cùm vnum erit regnum Iudæorum, non secundùm carnem, sed secundùm spiritum, iuxta illud Domini Ioann. 4. 21. ad mulierem Samaritanam: *Mulier crede mihi, venit hora, quãdo neque in mõte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrẽ: sed venit hora, & nunc est, quãdo veri adoratores adorabunt Patrẽ in spiritu, & veritate*. Nempe mulier illa adhuc sapiens antiquam hæresim rogauit Dominum: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, vos dicitis, quia Hierosolymis oportet adorari*, &c. Cui Dominus mysterio illo magno adunationis spiritualis plenè satisfecit: *Venit hora*, quasi diceret, quod Ezechiel, & alij Prophetæ de consensione plurium regnorum in vnã fidem regni mei prænunciarunt, nunc incipit effectum sortiri, cùm omnes gentes adorabunt Patrem in spiritu, tanta scilicet animorum conspiratione, vt non iam plura regna, sed ne plures animæ, imò vna, & cor vnum dici debeant.

B

Ioan. 4.21.


C

*Ostendit Dominus Samaritanæ completam hanc prophetiam de adoratione Israëlitarũ. Adunatio expressa est dictum est: Erat cor vnũ, & anima vna credentium.*

# VISIO DECIMAOCTAVA,
## DE RESTITVTIONE TEMPLI.

*Ezechielis Cap. 40.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.



*CONCIONANTE Ezechiele ad populum captiuum prædicebat sæpe fore, vt templum Hierosolymitanum, & ipsa ciuitas reædificaretur, sed eam felicitatem miseris persuadere nequaquam poterat. Igitur exhibitam sibi à Deo ea de re Visionem eis proponit, ac per octo capita digerit vsque ad finem libri. Euentus autem comprobauit veritatem prophetiæ: nam sub ducibus Zorobabele, & Nehemia instaurata est vrbs ac templum Dei. Verùm, quoniam in præsenti Visione multa ostensa sunt Prophetæ, quæ in vrbe, ac templo Zorobabelis, & Nehemiæ nunquam fuerunt, necessariò ad tempora Messiæ, & eius Ecclesiæ, literam accommodare oportet, vt latiùs patebit in sequentibus.*

CAPVT XL. EZECH.

1. IN vicesimoquinto anno transmigrationis nostræ, in exordio anni, decima mensis, quartodecimo anno postquã percussa est ciuitas, in ipsa hac die facta est super me man⁹ Domini, & adduxit me illuc.

PARAPHRASIS.

1. *ANnus incipiebat vigesimusquintus, communis mecum cum cæteris transmigrationis, sub Rege Ioacim, in ipsa mensis primi, hoc est, Martij, decima die, cùm iam ageretur annus decimusquartus à capta vrbe per*

A *Babylonios, Rege Sedecia; ipsa, inquam, illa die mensis primi afflatus sum prophetico spiritu, & quasi missa est ad me similitudo manus Dei, quæ me quasi apprehensum duxit in locum vbi ciuitas Ierusalem ædificata fuerat.*

2. In Visionibus Dei adduxit me in terram Israël, & dimisit me super montem excelsum nimis: super quem erat quasi ædificium ciuitatis vergentis ad Austrum.

2. *Ductúsque sum in terram Israël, vt in ea Deus mirabiles quasdam Visiones demonstraret mihi; méque ita raptum dimisit in monte quodam, qui nimia celsitudine eminebat, qualem nec Sionem, nec alium in terra Israël agnoueram, vt planè non situs, sed mysterij altitudo præmonstraretur.*

3. Et introduxit me illuc: & ecce vir, cuius erat species quasi species æris, & funiculus lineus in manu eius, & calamus mensuræ in manu eius: stabat autem in porta.

B 3. *In eo verò monte vidi sola adhuc similitudine, ac primis lineamentis, & ichnographia designatam vrbem versùs Meridiem: isq́; qui me illuc adduxerat in vrbem ipsam, denuo surgentem introduxit. Obuius autem nobis ad portam vrbis fuit vir totus fulgidus ac splendidus, quale æs bene tersum, ac politum splendescere solet. Habebat is in manu funiculum lineum, quo vti solent architecti, & calamum mensorium, vt ipsa specie architectum ageret nouo ædificio præfectum.*

4. Et loquutus est ad me idem vir: Fili hominis, vide oculis tuis, & auribus tuis audi, & pone cor tuum in omnia, quæ ego ostendam tibi: quia vt ostendantur tibi adductus es huc: annuncia omnia, quæ tu vides, domui Israël.

C 4. *Is autem me alloquutus, Aspice, ait, diligenter, & attentè audi omnia, animóque obserua, quæ ostendam tibi. Non enim absque diuino decreto huc venisti, sed omnino Deo sic disponente, vt quæ videris, & audieris, Israëlitis annuncies.*

5. Et ecce murus forinsecus in circuitu domus vndique, & in manu viri calamus mensuræ sex cubitorum, & palmo: & mensus est latitudinem ædificij calamo vno, altitudinem quoque calamo vno.

5. *Et ecce visus sum mihi videre murum citra domum in circuitu, quem prædictus architectus calamo illo suo (qui sex cubitos sacros, hoc est, sex palmorum, continebat) metiri cœpit: posuitque signum ad altitudinem calamum vnum, hoc est, sex cubitos, rursum in latitudinem eosdem sex cubitos: itaque altitudo, & latitudo muri erat æqualis.*

6. Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus eius: & mensus est limen portæ calamo vno latitudinem, id est, limen vnum calamo vno in latitudine.

D 6. *Progressus autem à porta scilicet muri, in qua mihi primùm obuius venerat, ascendit per gradus septem ad portam templi Orientalem, siue prioris atrij, mensúsque est postes duos, qui ex lateribus portam efficiebant, vno illo calamo in latum, siue in spissum, ab Oriente in Occidentem.*

7. Et thalamum vno calamo in longum, & vno calamo in latum, & inter thalamos quinque cubitos.

7. *Item vltra portam mensus est versùs Occasum sex thalamos, hoc est, tria cubicula pro custodibus templi, tria videlicet ad dextrum latus portæ, & tria ad sinistrum vno calamo in longitudinem, & latitudinem; & frontes thalamorum æquales erant. Inter vnum autem, & alterum cubiculum erat murus quinque cubitorum.*

8. Et limen portæ iuxta vestibulum portæ intrinsecùs calamo vno.

E 8. *Postẽ interiorẽ mensus est, qua parte respicit adytum, mensurámque habebat sex cubitorũ.*

9. Et mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis: vestibulum autem portæ erat intrinsecùs.

9. *At verò vestibulum, quod non erat extra portam, vt communia vestibula, sed intra portam versùs templum, mensus est cubitis octo secundùm latitudinem; frontem autem eius siue appendicem, & quasi fornicem extantem supernè à ianua duobus cubitis in latitudinem.*

10. Porro thalami portæ ad viam Orientalem tres hinc, & tres inde: mensura vna

10. *Cubicula verò, quæ erant iuxta portam Orientalem, erant sex, tria vna ex parte portæ, &*

vna trium, & mensura vna frontium ex vtraque parte.

A *& totidem ex altera, quorum eadem erat mensura, scilicet vnius calami in longum, & alterius in latum; similiter & frontium eadem erat mensura hinc, inde; videlicet duorum cubitorum, vt dictum est.*

11. Et mensus est latitudinem liminis portæ decem cubitorum, & longitudinem portæ tredecim cubitorum.

11. *Porro ostium, siue introitum portæ mensus est ab Aquilone in Austrum, secundùm latitudinem decem cubitis, altitudinem verò portæ tredecim cubitis.*

12. Et marginem ante thalamos cubiti vnius: & cubitus vnus finis vtrinque: thalami autem sex cubitorum erant hinc & inde.

12. *Erat autem inter portam hucusque descriptam, & thalamos muro adhærentes, spatium quoddam vnius cubiti, & ex altera parte,* B *qua thalamus ad murum vadit, spatium alterum similiter vnius cubiti: itaque margo illa, siue spatium vnius cubiti erat finis thalamorum, hinc & inde, media verò porta.*

13. Et mensus est portam à tecto thalami, vsque ad tectum eius, latitudinem vigintiquinque cubitorum: ostium contra ostium.

13. *Deinde mensus est portam, intellige non solùm quoad introitum, sed etiam quoad totum ædificium, quod porta ornabat, in quo & porta ipsa, & thalamorum latitudo continebatur, quod totum ædificium à tecto vnius thalami, id est, ab extremitate tecti vnius thalami, vsque ad vltimam extremitatem alterius thalami è regione respondentis, fuit vigintiquin-* C *que cubitorum. Ostia verò thalamorum ita erant disposita, vt è regione sibi inuicem responderent, sicut monachorum cubicula videmus esse disposita.*

14. Et fecit frontes per sexaginta cubitos: & ad frontem atrium portæ vndique per circuitum.

14. *Sed & in frontibus thalamorum metiendo designauit sexaginta cubitos; ad frontem verò cuiusque thalami erat atrium.*

15. Et ante faciem portæ, quæ pertingebat vsque ad faciem vestibuli portæ interioris, quinquaginta cubitos.

15. *A facie autem anteriori portæ, vsque ad faciem interiorem alterius portæ vestibuli, totum interiectum spatium quinquaginta cubitorum erat.*

16. Et fenestras obliquas in thalamis, & in frontibus eorum, quæ erant intra portam vndique per circuitum: similiter autem erant & in vestibulis fenestræ: per gyrum intrinsecùs, & ante frontes pictura palmarum.

D 16. *Fenestras item in thalamis obliquas, seu clausas, hoc est, strictas vna sui parte, altera apertas, siue latas, similiter & in frontibus, seu ad postes thalamorum, & in vestibulis per gyrum erant eiusmodi fenestræ obliquæ: quin & vnicuique posti, aut columnæ insculptæ erant palmarum figuræ.*

17. Et eduxit me ad atrium exterius, & ecce gazophylacia, & pauimentum stratum lapide in atrio per circuitum: triginta gazophylacia in circuitu pauimenti.

17. *Tunc eduxit me Angelus ad primum atrium, quod ingredientibus occurrebat; erátque distinctum mulieribus; appellabatúrque exterius comparatum cum atrio virorum, quod erat interius. Vidi autem ibi gazophylacia, siue* E *cubicula, in quibus res sacræ seruabantur, & ministri templi habitabant; erántque triginta cubicula per circuitum atrij quod erat stratum lapide.*

18. Et pauimentum in fronte portarum secundùm longitudinem portarum erat inferius.

18. *Ad latus autem portarum atrij erat pauimentum tantò inferius porta, quantò porta altior, propter gradus, per quos ad illam ascendebatur: cùm enim templum esset in monte situm, ad omnes portas, tum vestibulorum, tum atriorum, ascendebatur per gradus.*

19. Et mensus est latitudinem à facie portæ inferioris, vsque ad frontem atrij interioris extrinsecùs, centem cubitos ad Orien

19. *Ascensus est autem à principio portæ Orientalis atrij exterioris, vsque ad initium atrij virorum, ex parte extima centum cubitos:* &

Orientem, & ad Aquilonem.

20. Portam quoque, quæ respiciebat viam Aquilonis atrij exterioris, mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine.

23. Et porta atrij interioris contra protam Aquilonis, & Orientalem: & mensus est à porta vsque ad portam centum cubitos.

38. Et per singula gazophylacia ostium in frontibus portarum: ibi lauabant holocaustum.

39. Et in vestibulo portæ duæ mensæ hinc, & duæ mensæ inde: vt immoletur super eas holocaustum & pro peccato, & pro delicto.

42. Quatuor autem mensæ ad holocaustum de lapidibus qu dris extructæ: longitudine cubiti vnius, & dimidij, & latitudine cubiti vnius, & dimidij: & altitudine cubiti vnius: super quas ponant vasa, in quibus immolatur holocaustum, & victima.

43. Et labia earum palmi vnius, reflexa intrinsecùs per circuitum: super mensas autem carnes oblationis.

44. Et extra portam interiorem gazophylacia cantorum in atrio interiori, quod erat in latere portæ respicientis ad Aquilonem: & facies eorum contra viam Australem, vna ex latere portæ Orientalis, quæ respiciebat ad viam Aquilonis.

45. Et dixit ad me: Hoc est gazophylacium, quod respicit viam Meridianam, Sacerdotum erit, qui excubant in custodiis templi.

46. Porro

A *& eodem modo mensus est latus Aquilonare, quo Orientale, hoc est, iisdem centum cubitis.*

*20. Sicut portam Orientalem, qua primùm ingressus est, descripsit; ita & Aquilonarem eiusdem atrij exterioris delineat: per omniáque æqualem fuisse ait portæ Orientali. Sume autem non portam præcisè, sed cum adiunctis, vestibulo scilicet, ac thalamis, vt patet ex tribus sequentibus versibus.*

*23. His autem duabus portis atrij exterioris, Orientali, & Aquilonari iam descriptis, re-*
B *spondebant è regione aliæ duæ portæ in atrio interiori, idémque de aliis portis intelligendum est, vt in quatuordecim versibus sequentibus patet.*

*38. Ostia verò singulorum gazophylaciorum erant iuxta frontes portarum; ita vt iuxta singulas portas, singula gazophylacia, siue cubicula essent, & in eis lauabantur carnes animalium, quæ offerebantur in holocausta.*

*39. In vtroque verò Aquilonaris portæ vestibulo, hoc est, tam interiori, quàm exteriori, quorum vtrumque eminentia portæ tegebatur, quatuor erant mensæ, duæ in vno latere, & duæ*
C *in altero, ita vt quatuor essent intra, & quatuor extra portam (vt explicatur duobus versibus sequentibus) vt in eis immolarentur carnes ad holocausta pro peccato, & pro delicto, siue ignorantia.*

*42. Quatuor eædem mensæ (quod intelligendum est de octo) eandem mensuram habebant: erant enim è lapidibus quadris omnes, vno scilicet cubito, & dimidio in longitudinem, & latitudinem; altæ verò erant vno cubito, in quibus etiam mensis reponebantur instrumenta*
D *ad holocausta perficienda.*

*43. Habebant autem mensæ huiusmodi labia quædam reflexa introrsus vno palmo eminentia, quo meliùs reciperent & continerent prædicta: alij non mensas intelligunt, sed vel tripodes, quibus ollæ superponuntur, vel vncinos, quibus carnes suspendi solent.*

*44. In singulis vestibulis erant decem cubicula, quinque ad vnum latus, & totidem ad alterum; erant enim tres portæ in vnoquoque atrio, præter Occidentalem, quæ erat ingressus in Sanctuarium, in qua nihil huiusmodi erat: erant igitur triginta cubicula, in quibus ministri templi habitabant pro cuiusque officio ac digni-*
E *tate, quare in iis, quæ erant ad portam Aquilonarem, cantores habitabant. Vnus autem ordo cubiculorum erat versùs illud latus portæ Orientalis, quod prospiciebat ad Aquilonem: alter autem ordo erat versùs Occidentem: hic respiciebat Orientalem portam, ille Occidentalem.*

*45. Is verò, qui me ducebat, ostendit vnum gazaphylacium, hoc est, vnum ordinem gazophylaciorum, qui respiciebat viam Meridianam, quæ dixit deputata esse Sacerdotibus, qui templum custodiunt.*

*46. Alter*

46. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium altaris: isti sunt filij Sadoc, qui accedunt de filiis Leui ad Dominum vt ministrent ei.

A

*46. Alter item cubiculorum ordo, qui ad Aquilonem spectabant, erat eorum Sacerdotum, qui custodiebant altare, id est, qui sacrificiis peragendis destinati erant. Isti sunt ex genere Sadoc, qui inter Sacerdotes tam fuit illustris, vt ex eo omnes posteri nominarentur. Primus enim Sadoc in templo Salomonis summi Sacerdotis officio functus est. Sunt autem omnes ex filiis Leui, quibus solùm fas est accedere ad Dominum, hoc est, ministrare Domino.*

47. Et mensus est atrium longitudine centum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi.

B

*47. Mensus est etiam atrium centum cubitis in quadrum: & altare ostendit, quod est ante templum propriè sumptum, siue sacrarium.*

48. Et introduxit me in vestibulum templi; & mensus est vestibulum quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & latitudinem portæ trium cubitorum hinc, & trium cubitorum inde.

*48. Similiter vestibulum sacrarij mensus est quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde; id est, quinque extrinsecus, & quinque intrinsecùs: mensus quoque est vtrumque postem portæ ternis cubitis, quæ eadem erat latitudo portæ.*

49. Longitudinem autem vestibuli viginti cubitorum, & latitudinem vndecim cubitorum, & octo gradibus ascendebatur ad eam. Et columnæ erant in frontibus: vna hinc, & altera inde.

C

*49. Mensuram etiam designauit in porticu; longitudinem quidem viginti cubitorum, latitudinem vndecim; & per gradus ascendebatur ad portam sacrarij; non exprimitur numerus in Hebræo; & Septuaginta decem numerant; nostri octo: Hebræi duodecim. Columnæ quoque erant hinc inde, quarum figuram non designant; verisimile est fuisse similes iis quæ erant in templo Salomonis.*

## COMMENTARIVS.

IN re obscurissima consultò prætermittentur aliqua, quæ iuuare possunt intelligentiam cæterorum; sed ante omnia illud discutiendum, an ea quæ à Deo monstrata sunt Vati præcisè, & in rigore literæ, accommodari debeant templo post captiuitatem instaurato. Idémque de vrbe generaliter explicandum. Deinde ipsam Visionem ingressi, mysteria primùm in partibus templi rimabimur.

### *Quid Hebræi sentiant de templo Ezechielis?*

### SECTIO I.

1. *Hebræorum veterum opinio de templo Ezechielis, quòd sit illud ipsum, quod statim post captiuitatem ædificatum est, alioqui non bene cõsolaretur captiuos promissione templi, quod multa post secula erat ædificandum; templum decursu temporis maximè ornatum, & auctum.*
2. *Non est vera Hebræorum sententia, quia ciuitas & templum Zorobabelis ædificata sunt in ruinis templi, ac vrbis veteris. At templum Ezechielis distat ab eius vrbe multa milliaria.*
3. *Deinde à templo Ezechielis egrediuntur aquæ ad mare mortuum, à templo Zorobabelis minimè. Præterea circuitus templi Ezechielis longè maior erat circuitu templi Zorobabelis.*

1. DE o inprimis duce hæc à nobis controuersia complanabitur, vt quam deinceps viam tenere debeamus in vastissima difficultatum sylua certò constet. Est ergo primùm sententia ve-

*D. Fern. in Vis. vet. Test.*

D

terum Hebræorum, hanc Visionem templi & ciuitatis compleri cœptam post reditum a captiuitate per Zorobabelem, & Nehemiam. Est autem eorum hoc vnicum argumentum, quoniam initio cap. 40. 2. cùm Propheta dixit: *Quartodecimo anno postquam percussa est ciuitas*, &c. statim describit instaurationem ciuitatis ac templi ad consolationem captiuorum: quomodo autem consolaretur eos instaurationis, quæ post captiuitatem futura non erat, propositione? Addunt præterea, etiamsi templum ab Ezechiele descriptum longè sit augustius, quàm illud, quod per Zorobabelem ac socios erectum est; tamen postea Persarum reges ex deuotione addidisse plurima ad ornatum, & magnificentiam eius, vt constat ex 1. Esdræ, & 2. Machab. Quin & Herodes, autore Iosepho 15. Antiquitatum, ipsam vrbem ac prædictum templum amplissimis auxit ædificiis, additis ad pristinam altitudinem cubitis 40. quibus non modò Salomonis, sed Ezechielis etiam æquauit templum.

E

*Hebræorum veterũ opinio. Visionẽ cõpleri cœptam post reditum à captiuitate. Ezech. 40. 2.*

*Templum Persarum dono auctũ.* 1. Esdræ. 2. Machab. Iosephus. *Herodes tẽplum & vrbem amplissimis ornauit ædificiis. Addidit altitudini tẽpli 40. cubitos.*

2. Hæc tamen vetus Hebræorum sententia nullo modo stare potest. Primùm, quoniam ex 3. cap. 1. Esdræ constat templum reædificatum fuisse in eodem loco vbi antea; idémque de vrbe

*Reiicitur opinio Hebræorum.*

be liquet, Nehem. 2. Nam hæc instauratio facta est, murorum veterum interruptionibus reparatis, ac ruinis prioris templi, quoquo modo resarcitis, ergo templum hoc posterius reædificatum est intra vrbem ipsam, quemadmodum prius, vt narratum est 4. Reg. 3. Templum autem ab Ezechiele descriptum distat ab vrbe quam vidit viginti octo milliaria, & ampliùs, vt Lyranus supputando deducit.

*Templum Zorobabel in eodem situ vrbis instauratum, Ezechielis extra vrbẽ.*

Ostendetur id apertè in Paraphrasi cap. 45. vers. 3. vbi dicitur templum ædificandum in medio possessionis Sacerdotibus assignatæ, quæ continebat in latitudinem decem millia calamorum; & post hanc sequitur possessio Leuitarum eiusdem mensuræ, vt dicitur vers. 5. Post hanc verò sequetur portio quinque millium calamorum in latum, in qua ædificatur ciuitas, ac proinde distat à situ templi per prædicta multa milliaria. Præterea tempore Zorobabelis, non erat aliqua portio assignata Sacerdotibus, nec à Iosue assignata est: hîc autem assignatur; ergo fieri nequit, vt templum, ac ciuitas ab Ezechiele visa, conueniat cum templo ac ciuitate è Zorobabele, & Nehemia conditis.

*Ostenditur ex designatione tẽpli.*

*In templo Ezechielis assignatur portio Sacerdotibus, in altero minimè.*

3. Præterea cap. 47. narrat Propheta vidisse se aquas egredientes de templo vsque ad mare mortuum, stantibus hinc inde plurimis arboribus, per singulos menses fructificantibus, quod tamen in templo à Zorobabele condito nunquã est visum, quocumque in sensu sumatur. Denique murus exterior templi describitur cap. 42. 16. quingentorum calamorum in quolibet latere, quingenti verò calami continent ter mille cubitos, ac adeò totus murus habebat in circuitu duodecim millia cubitorum, iactis in singulos calamos sex cubitis, vt patebit inferiùs: quingenti verò calami facta supputatione vera per pedes, & passus, faciunt vnum milliare, vt patebit ex sequentibus, quare circuitus prædicti muri, ac totius templi continebat quatuor milliaria, quæ faciunt vnam leucam Lusitanam, quem circuitum non dicam templum Zorobabelis, sed nec tota habuit ciuitas Nehemiæ.

*Aquæ egredientes monstrantur in templo Ezechielis, in altero non.*
*Circuitus templi Ezechielis multo maior.*
Ezech. 42. 16.

## *Opinio recentiorum Hebræorum.*

### SECTIO II

1. *Recentiores Hebræi opinantur, templum Ezechielis esse ædificandum a Messia, ex loco Aggæi 2.*
2. *Vana opinio, quoniam nunquam in Scriptura promittitur ædificandum templum, aut ciuitas a Messia. Locus Aggæi intelligitur de illo ipso templo Zorobabelis. Quare fuerit magis gloriosum, dupliciter explicatur.*

1. SVPERIORA argumenta coëgerunt recentiores Hebræos aliò diuertere. Aiunt igitur hanc vltimam Ezechielis Visionem non esse adhuc completam, sed complendam tempore Messiæ, quem venturum expectant, ac regem temporalem futurum omnium gentium, quibus debellatis, ac communi pace per orbem constituta, asserunt ædificaturum vrbem Hierosolymitanam, ac templum ad hanc ipsam formam, qua per Ezechielem describuntur. Confirmant id ex Aggæo. Nam cap. 2. 10. suæ Prophetiæ sic alloquitur Zorobabelem, ac socios reædificãtes hoc templũ, de quo loquimur. Magna erit gloria do-

*Opinio recẽtiorum Hebræorum, tẽplum hoc ædificandum à Messia.*

*Ex Aggæo de maiori gloria huius templi.*
Aggæi 2. 10.

A mus istius nouissimæ, plusquam primæ. Cùm enim secundum templum fuerit priori illo, nẽpe Salomonico, longè inferius, omnino credunt intelligendum Prophetam de templo Ezechielis magnificentissimo, quod à Messia ædificandum est; quare hinc argumentum sumunt contra nos, quòd Dominus IESVS Nazarenus non fuerit Messias, quia non ædificauit templum, & vrbem promissam à Deo per Ezechielem.

*Hebræi Dominum Iesũ non esse Messiam, quia non ædificauit hoc templum.*

2. Verùm hæc opinio, vt cæteræ Iudæorum, vana est. Primùm, quia nusquam in Scriptura promittitur, quòd Messias ædificaturus sit ciuitatem aliquam, ac templum materiale. Quod verò attinet ad locum Aggæi, omnino cæcutiunt,
B cùm in eo oppositum asseratur, ac ipsi volunt: nam velint, nolint de secundo templo prophetiam accipere debent, quod sic apertè demõstratur ex contextu. Aggæus videns populum mœrentem, ac ab opere penè deficientem, eo quòd templum humile ædificarent, ac cum priori illo minimè conferendum, consolans eos dixit: *Nolite timere, magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ.* Quomodo autẽ cõsolaretur eos, ac ad prosequendum cœptum opus erigeret, si de templo alio, quàm de secundo illo loqueretur? Est ergò sermo de templo per Zorobabelem instaurato. Appellatur autem ab Aggæo nouissimum, quia non est expectandum aliud à Messia
C ædificandum. Quod verò attinet ad maiorem gloriã, quæ futura in illo asseritur, explicari debet vel de ingressu Christi in illud (vt Patres cõmuniter asserunt) vel quia reuera ab Herode auctum, ex aliquorum opinione longè superauit gloriam primi templi. Vide Riberam Aggæi 2.

*Opinio Hebræorum vana.*
*Nusquam in Scriptura promittitur, Messiam ædificaturum templum materiale.*
*Prophetia Aggæi de secundo templo intelligenda.*
*Vt excitaret ædificantes, maiorem eius templi gloriam promisit.*
*Templum nouissimum, quia non est aliud ædificãdum, etiã à Messia.*
*Maior gloria eius tẽpli, vel ob ingressum Christum, vel ob augmentum ab Herode.*
Ribera.

## *Opinio Lyrani de templo Ezechielis.*

### SECTIO III.

1. *Opinio Lyrani, significari templum ædificatum post captiuitatem; mirum tamen non esse, si non sit ædificatum eo modo quo describit Ezechiel, quoniam promissio nõ fuit absoluta, sed conditionata, si filij Israel se rectè gessissent, quod non fecerunt. Probat à similibus aliis promissionibus Dei, quæ non sunt impleta.*
D
2. *Fundamentum Lyrani verum Opinio non est probabilis, quia ostendere non potest, quomodo aquæ illæ egressæ sunt de templo Zorobabelis cum aliis quæ de aquis dicuntur.*

1. MISSIS Hebræorum fabulis, est etiã inter Catholicos Doctores opinionum varietas: nam Lyranus putat in hac templi, ac vrbis Visione monstrari Prophetæ id ipsum templum, ac vrbem, quã
E Deus post solutam captiuitatem ædificari volebat; mirum tamen non esse, si non est exequutioni mandata talis voluntas Dei; quoniam absoluta non fuit, sed conditionata, videlicet, si filij Israël rectè se gessissent, quod quidem secus euenit: nam Cyro Rege per diuinum impulsum potestatem faciẽtẽ omnibus Hebræis reuertendi in terram suam ad reædificandum templũ, atq; vrbem, plurimi redire noluerunt, capti amore possessionum ac coniugum, quas in exilio duxerant. Præterea ex iis, qui redierunt, non pauci alienigenas fœminas matrimonio sibi copularũt contra præceptum Domini, quapropter digni habiti non sunt, qui templum iuxta præscriptam ab Ezechiele

*Opinio Lyrani, intelligendum de tẽplo Ezechielis, quod tamen non est ædificatum ob peccata populi.*
Lyranus.

*Plures redire noluerunt ex Babylone.*
*Qui redierunt, alienigenis vxoribus adhæserunt.*

Ezechiele formam ædificarent, sed aliud longe inferius. Hæc Lyranus pluribus exemplis a simili confirmare nititur, e quibus illud vnum satis fuerit, quòd cùm Deus promiserit Hebræis possessionem Palæstinæ sub amplissimis limitibus, Exod. 23. Deut. 11. ad eos tamen nullo vnquam tempore, etiam sub Salomone felicissimo rege, peruenerunt, idque ob peccata populi. Similiter ergo, etsi Deus per Ezechielem promiserit templum, & vrbem sub tam magnifica forma, populi ingratitudo fecit, ne ad exequutionem perduceretur vnquam.

*Similiter sub amplissimis terminis promissã terram nunquam obtinuisse ob peccata sua.* Exod. 23. Deut. 11.

2. Vt verum quidem sit Lyrani fundamentum; sententia tamen eius nõ est probabilis. Primùm, quia non potest vllo modo expedire, quomodo aquæ illæ egrediantur de templo: quod fatetur inchoatum, sed non perfectum, & quomodo mortui maris aquas dulces reddant. Nam quod ait Lyranus, non videri impossibile, quòd aquæ illæ inde prodirent, ac virtutem haberent naturalem edulcorandi, cùm Deus mirabiles alias virtutes pluribus in orbe fontibus indiderit, etsi negare nemo debeat, tamen nec res ita euenit, nec apparet quomodo id probabile reputemus: quando enim tanta aquarum vis è templo egredi, aut per tot milliaria ad sanandum mare progredi potuerit, non satis expeditum. Vnde in re difficili, satis fuerit, imò necessarium, recurrere ad mysterium. Similiter arguitur de arboribus, quæ à Vate per ripas fluminis visæ sunt, ac singulis mensibus, singulos fructus reddere; quod quidem licèt facile concedat Lyranus, tamen rei ipsius nouitas, ac admirabilitas sacratius aliquid, ac omnino extra materiam, innuere videtur.

*Lyrani verũ fundamentum, non sententia. In templo, quod longè inferius ædificatũ fatetur Lyranus, nõ sunt omnia conditiones templi Ezechielis.*

---

## *De templo, & vrbe probabilior sententia.*

### SECTIO IV.

1. *Templo, & vrbe Ezechielis contineri mysteria, videlicet, principatum duplicem, Ecclesiasticum, & secularẽ. Vsus Scripturæ, transitum facere à temporalibus ad spiritualia. Exemplũ, promissio regni æterni Dauid, quod in Christo tantum impletum est. Illustrat promissio facta Sponsæ, Cantic. 1.*
2. *Loqui Vatem mysteria, colligitur ex verbis eius, quæ ponderantur maximè à D. Gregorio Magno. Quomodo mons Sion dicatur excelsus nimis, & futurus in vertice montium.*

1.  YRANVS ipse suam illam existimationem iure improbatus sese ad communem Catholicorum vltrò adiungit. Nimirum per templum, & vrbem significari mysteria fidei, & morum in Ecclesia, & maximè duplicem eius principatum, spiritualem in templo, temporalem in vrbe. Ita sentiunt D. Hieronym. in hæc capita, D. Gregor. in expositione huius Visionis, Hugo Cardinalis, Dionys. Carthus. Maldonat. Rectè autem cohærere hanc interpretationem cum ipsa litera, is facilè perspiciet, qui obseruatũ habuerit, in Scriptura sacra diuinas promissiones, quoad temporalia, sæpe ita exhiberi solitas apud Prophetas, vt necessariò fieri debeat transitus ad spiritualia, de Christo, & Ecclesia. Hanc regulam statuit D. Hieronad caput 9. Amos. At D. Aug. egregiè demonstrat 17. Ciuit. 10. ad illa verba Psal. 88. 36. *Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit, & thronus eius sicut sol*, &c. Nã hæc promissio in solo regno temporali Dauid impleta non est; cùm de facto finitum fuerit, ac adeò in vnius Christi Filij eius spirituali, ac æterno regno plenum sortita est euentũ. Vnde (inquit August.) ne putaretur Deus contra sua promissa fecisse, continuò subiecit Vates: *Distulisti Christum tuum.* Non est ergo ille Salomon, aut Dauid, si in eis dilatus est Christus Domini: cũ enim Christi eius dicerentur omnes Reges mystico chrismate consecrati: erat tamen vnus verus Christus, cuius illi figuram prophetica vnctione gestabant. Hæc Augustinus. In eandem sententiam est illud auctoris imperfecti in Matthæum, hom. 49. Frequẽter, inquit, ex occasione carnali incipiebant Prophetæ, & sic miscebant prophetiam; vt in Ps. 3. de se incipit: *Domine, quid multiplicati sunt qui tribulãt me?* & ad Christum assurgit: *Ego dormiui, & soporatus sum, & exurrexi.* quæ necessariò intelligimus de Christo. Sic ille. Celeber est ille transitus, Isa. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, vt subiiciam ante faciẽ eius gentes.* Sed mox relicto Cyro, ad Christum se attollens, ait: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustũ, aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* Vbi Hier. cœptam de Cyro ad Christũ refert intelligentiam. Videlicet (vt rectè animaduertit Ribera ad secundũ Oseæ) Prophetæ non transeunt ex abrupto, sed ex occasione oblata, vt cordati homines facere solent. Quare minùs cordatè Theod. Mempsuest. hãc doctrinam irridet, extremæque dementiæ asserit susceptum sermonem præcedere, vt aliò transeatur. Non considerauit, hoc genus transitus fieri, seruato, vti diximus, proposito. Habebat quos irrideret fanaticos Gentiliũ Vates, qui furore rapti subitò exorbitabãt à proposito, vt videre est apud Horatium lib. 3. Od. 3. vbi cùm hoc argumentum tractandum assumeret: virtute præditum virum nihil extimescere, ex abrupto prosiluit in causas euersionis Ilij:

*Gratum eloquuta consiliantibus*
*Iunone diuis. Ilion, Ilion,*
*Fatalis, incestúsque iudex,*
*Et mulier peregrina vertit*
*In puluerem.* ---

Quare malè Lambinus excusat hanc exorbitationem allato Prophetarum Diuinorum transitu, de quo nunc agimus, cùm is iuxta prædicta longè dissimili ratione contingeret.

Illustrat hanc de transitu doctrinam promissio illa Sponsi ad Sponsam Cant. 1. 10. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Murenulas enim aureas plerique interpretantur ornamenta muliebria è pluribus sigillis quasi concatenata, auro quidem substrato, argenteis autem vermiculis intercurrentibus, opere variegato; argento igitur viliori metallo vermiculatim posito, & cãdore suo priùs mouente sensum, promissiones tẽporales, ac terrenæ, in lege veteri Synagogæ factæ, significantur, inter quas tamen profundiùs iaceat aurum spiritualium promissionũ de Christo, & Ecclesia. Promissa ergo Synagogæ, vermiculi fuerint argẽtei, quasi accidẽtaliter, vt vocãt, superfusi; at ipsa substãtia promissorũ, aurum est Spiritus, totũ Ecclesiæ nostræ repositũ, vt in hac Visione demonstrabimus. Ita enim prorsus in eã videre est: ostenditur quidem instauratio templi, &

*Vera sententia, per templum & vrbem significari Ecclesiam. Quoad duplicem principatum, Ecclesiasticum, & profanum.* D. Hier. D. Greg. Hugo Car. Dionys. Maldonat.

*Apud Prophetas necessariò fit transitus à temporalibus ad spiritualia.* D. Hier. D. Aug. Ps. 88. 36. *Aeternitas regni Salomonis cõpleta in Christo.*

*Plura exẽpla de hoc transitu.*

*Transitus propheticus est cordatus, non phanaticus, vt in profanis Poëtis.*

Cant. 1. 10. *Quid murenulæ?*

*Argento promissiones temporales.*

*Auro spiritualia promissa.* *Reprehenditur Theodorus Mempsuest. quòd transitum irrideat.*

& Ierusalem materialis, sed quia plurima inuoluuntur, quæ in tali instauratione nec fuerunt vnquam, nec esse poterant, idcirco quasi dilatata & extenta est ad significandum illum duplicem in Ecclesia Christi principatum.

*Ostenditur loqui mysticè hoc loco Vatem.*

2. Mysteria verò loqui Vatem in tota hac ædificiorum machina, vel inde colligi potest, quòd dicitur, Vers. 1. *Facta est super me manus Domini, & adduxit me illuc.* Vers. 2. *In Visionibus Dei adduxit me in terram Israel.* Hebr. pro, *manus Domini; Prophetia Domini.* Cur enim Visiones dixit in numero plurali? Nempe quia in eo, quod Deus sibi mentaliter proponebat, aliud longè sublimius moliebatur, id est, Ecclesiam. Vnde quasi duplicem terminum Visionum non sine causa posuit: ait enim, *Adduxit me illuc*, absolutè, & nihil nominando. Et, *Adduxit me in terram Israel.* Vt terminus ille innominatus, ac primo loco positus, Ecclesiam innuat, quæ principaliter demonstratur. Terminus autem nominatus secundò loco, id est, terra Israël, ostendit minùs principaliter adhiberi, ac solum vt manuductionem ad priorem terminum. Vnde est illa D. Greg. in hæc verba annotatio. Quod dixerat, *adduxit me illuc*; hoc replicans subdit, *Adduxit me in terram Israel.* Manus quippe in Visione, est virtus in contemplatione. Quibus verbis, quid apertè indicat, nisi quia nihil de ciuitate, quam viderat, iuxta literam dicat? Ita D. Gregor. in eo quod ait, *Manus in Visione est, virtus in contemplatione:* significat, non alia manu adductum à Chaldæa in terram Israël, quàm ipsa Visione, hoc est, sola Visione contigisse Vati istum transitum. Virtutem verò, seu vim, & quasi substantiam eorum, quæ visa sunt, meram fuisse contemplationem. Vel meliùs; *Manus in Visione est, virtus in contemplatione:* quasi dicat, opera vtriusque ædificij non sunt egressa limites Visionis, & contemplationis; quidquid ibi erat machinarum, operúmque (quæ omnia significantur per manum) non est ad literam exigendum, sed ad spiritum, ac vim ipsam contemplatiuam, quæ semper abstrahit à materia. Atque huius etiam opinionis est Tertul. 3. contra Marc. in fine.

*Terminus innominatus Ecclesiā designat.*

*D. Greg.*

*Adductus Ezechiel in Ierusalem sola Visione.*

*Opera vtriusque ædificij nō sūt egressa limites Visionis.*

Idem deduci potest ex eo quod ait Vates, se deductum *in montem excelsum nimis*; cùm tamen mons Sion non sit altitudine celeber; quare intelligendum de monte Ecclesiæ. Quod verò Rab. Dauid intelligit montem Sion esse excelsum nimis, quia terra Israël altissima omnium terrarum erat: tamen id commune est Rabbinorum commentum, quod alibi demonstrauimus. Omnino ergo ad mysterium spectat, quòd excelsus nimis dicatur, sicut Isai. 5. 5. dicitur, futurus in vertice montium, non quòd ita futurum esset, sed quòd significaretur futurus celeberrimus: supposita ergo descriptione ædificij tēpli, quam sumus prosequuti in Paraphrasi, ad mysteria speciatim enodanda accedamus.

*Siō excelsus nimis, quo sensu?*

---

## *Cur templum dicatur ædificatum vt ciuitas super montem?*

### SECTIO V.

1. *Ecclesia speciem habet ciuitatis. Matt. 5. ciuitas super montem posita. Mons Christus ex autore imperfecti operis. Excelsus nimis propter diuinitatem, ex Gregor Magno.*

A

2. *Montis nomine alij intelligunt eminentiam conuersationis.*

3. *D. Chrysostomus montis nomine intelligit diuinæ insigne potentiæ. Quare dictum, portas inferi non præualere aduersùs Ecclesiam?*

4. *Non ædificium nominat, sed quasi ædificium, vt spiritualia se loqui innuat. Ex Greg. Magno, quomodo Ecclesia sit ædificium, explicatur. Explicatur locus Ieremiæ 6. de Christo laborante sub ædificio Ecclesiæ.*

5. *Templum videtur habere speciem ciuitatis, quia turres præfert, vt ciuitas: spiritualiter autem significat esse in Ecclesia, quo fideles muniantur. Illustratur loco Isai. 26.*

B

1. PROSEQVITVR ergo Vates mysteria tēpli, Vers. 2. *Et dimisit me super montē excelsum nimis, super quem erat quasi ædificiū ciuitatis vergentis ad Austrum.* Septuagin. pro, *vergentis ad Austrum; è regione.* In Paraphrasi visum quare dictum sit, quasi ædificium ciuitatis. Primum ergo mysticè significatur Ecclesia ædificata supra montem. Nam & Dominus, Matth. 5. 14. ciuitatem eam dixit supra montem positam. Quapropter oportebit eandem vtrobique esse montis significationem. Autor imperfecti operis in Matth. montem interpretatur Christum: nam docens quomodo ciuitas supra montem posita non possit abscondi, Quamuis ipsa, inquit, velit esse velata, mons ipse, qui portat, facit illam manifestam omnibus. Sic & Apostoli, & Sacerdotes, qui fundati sunt in Christo monte excelso, non possunt esse absconditi, & si abscondere se velint, Christus ipse manifestat eos, qui baiulat eos. Hæc ille. Quare hic D. Gregor. rem ipsam latiùs explicans, Quem ergo, inquit, significat mons excelsus nimis, nisi Christum, qui de terra quidem, sed vltra terram est? nam caro eius de imis habet materiam, sed in summis potestate præeminet. Ponderans autem sanctus Doctor illam vocem, *nimis*, adhibitam agnoscit exaggerandi causa, vt altitudo diuinitatis incomprehensibilis exprimatur. Homo enim, ait, vltra homines, & vltra Angelos, etiam Deus inuentus est. Vnde Isai. 2. dicitur *mons in vertice montium*, quia quantumuis Sancti in Deo profecerint, Christi vestigia vix tangere poterunt, ex vertice cogitationum. Supra montem istum fundata videtur Ecclesia, quia primarium fundamentum eius, vt alibi diximus, Christus est, ex 1. Cor. 3.

*Lectio varia.*

*Ecclesia ædificata supra mōtem. Matt. 5. 14.*

C

*Mons, ipse Christus.*

*D. Greg.*

*Mons Christus, qui de terra est, sed vltra terrā.*

D

*Expressio Diuinitatis Christi. Isai. 2. Quare Christus mōs in vertice montiū. 1. Cor. 3.*

2. Alij montis nomine intelligunt, eminentiam conuersationis. Vnde Ruperf. annotat Matth. 5. Quia nostra conuersatio, inquit, in cælis est. Huc alludens Tertul. Quid nos Dominus, inquit, ciuitati supra montem constitutæ comparauit, si non extamus inter demersos? demersos intelligit infideles, quos terrena conuersatio demergit. Extantes autem, & eminentes quasi in monte positos ex diuina constitutione fideles esse testatur.

*Mons eminentia conuersationis. Rupert. Tertull. Obligatio Primatum Ecclesiæ, extare inter demersos.*

E

3. D. Chrysost. Matth. 5. montem ait esse diuinæ insigne potentiæ, quæ sola vi sua Ecclesiam quasi sustinet, nec aliam esse causam, quare alibi dicatur, portas inferi aduersùs eam præualere nō posse; id est, viribus omnium dæmonum inaccessibilem esse. Quamobrem ad radices quasi montis, rugientium leonum instar circumeunt, solùm

*Mons, est diuinæ insigne potētia, quæ Ecclesia sustinetur. D. Chrys. Mōs Ecclesiæ dæmonibus inaccessibilis.*

quæ

quærentes quem deuorent. Omnes autem hi sensus in vnum conuenire possunt, vt Christus quidem sit mons iste, qui robore suæ omnipotentiæ sustineat Ecclesiam, eamque omnibus conspicuam, ac reliquis in mundo sectis longè reddat eminentiorem.

*Quasi ædificium dicitur Ecclesia, vt spirituale intelligatur.* D.Greg.

4. Cùm verò ait Propheta, *Super quem erat quasi ædificium ciuitatis*, innuere sine dubio videtur (vt obseruat D. Gregor.) de spirituali ædificio sermonem esse. Qui non ædificium, inquit, sed quasi ædificium nominat, cor audientium ad spiritualem fabricam mittit. Deinde quasi ædificio comparatur, quoniam ad similitudinem ædificij extructa est Ecclesia. Matth. 16.18. *Ædificabo super hanc petram Ecclesiam meam.* Quam propterea D.Paul. Eph. 2.22. vocat *habitaculum Dei in Spiritu.* Ad quæ verba sic Theodor. Ædificationem Ecclesiæ facit gratia Spiritus, diuinas doctrinas afferens per prædicatores veritatis. Architectus ergo Spiritus sanctus; operarij, prædicatores veritatis. In quam sententiam rectè D.Ambros. Luc. 19. Hoc, inquit, templum est, quod fidei series, non lapidem structura fundauit. Ita Ambros. Vnde, quod lapides viuos in hoc ædificio agnoscit D.Petr. epist. 1. cap. 2.5. prærogatiuã habet Spiritus viuificantis Ecclesiam dono charitatis. Quomodo autem non erit viuum hoc ædificium, cuius primum fundamentum est ipsa vita, nempe Christus, qui inde (vt grauiter pronunciauit Lactantius) vitam inspirat in omnes partes ædificij mystici? Aptè ergo lapides viui, vt viuo ædificio coaptentur, quotidianis (ait Gregor.) vitæ doloribus quasi dedolantur, & conquadrantur. Ex illo autem Pauli ad Galat. 6.2. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, deducit modum structuræ huius spiritualis, ad exemplar materialis; quòd lapis lapidem portet, & portetur ab alio, id est, vicissim se proximi tolerent: Vt consummetur, inquit, ædificium charitatis inuicem, Christo Deo, fundamentóque, ac fratribus adhærendo.

*Quasi ædificium, quia ad similitudinem ædificij extruitur Ecclesia.* Matth. 16. 18. ad Ephes. 2.22. Theod. *Architectus Spiritus sanctus, operarij, prædicatores veritatis.* D.Ambr. *Lapides viui, fideles.* 1. Petr. 2. 5. *Ædificium viuum, quoniam fundamentum primum est ipsa vita Christus.* Lactant. *Lapides, seu fideles vitæ laboribus dedolati.* ad Galat. 6. 2. *Lapides inuicem se portant, vt consumment ædificium.*

Mirè autem exaggerat ædificij huius molem, quod paulò infrà. Idem Greg. Christo illam sustinenti accommodat verba illa Ierem. 6. 11. *Laboraui sustinens.* Nam cùm Christus omnipotens sit, nulla in re, quam, vt omnipotens, facit, laborare, aut sustinendo fatigari posse existimandus est. Ex prædictis ergo Prophetæ verbis, *Laboraui sustinens*, coniecturam solùm magnitudinis ædificij nos eruere voluit; quasi tanta sit, vt exprimi non potuerit aliter, quàm per speciem laborantis Christi. Præterea, sicut in Atlantibus magnorum ædificiorum cernere est, qui sustinentes humeris ingentes fornices, aut totum ipsum ædificij pondus, speciem quandam præseferunt laborantium, cùm tamen reuera non laborent, vtpote nihil aliud, quàm lapides insensibiles: ita diuinus Atlas Christus, Ecclesiæ machinam sustinet, ac in eo laborare dicitur, solùm vt intelligatur, tantam esse ædificij magnitudinem, vt vel Christus ipse omnipotens sub ea laborare videatur.

D.Greg. Ier. 6. 11. *Tanta est ædificij moles, vt vel ipse Christus laboret sustinens.*

*Christus diuinus Atlas instar laborantis habetur.*

5. Credi etiam potest, Vatem appellasse templum quasi ædificium ciuitatis, ad exaggerationẽ magnitudinis, & apparatus, quem præ se ferebat: item, quia turrium, ac portarum munitionibus, vrbis speciem ostentabat. Quo significatur habere Ecclesiam, quo fideles muniat, armétque contra aduersarios. Vnde Rupert. Abbas ad locũ Matth. citatum: Ad hoc, inquit, ædificatur Ecclesia vt ciuitas, vt omnes, qui inter aduersarios periclitantur, recurrere sciant ad ciuitatem hanc, & in ea communiri, déque ea sumptis sententiis armari, vt habeant, vnde animas defendere possint. Iure enim de hac ciuitate vaticinatus Isai. cap. 26. 1. *Vrbs*, inquit, *fortitudinis nostræ Sion Saluator, ponetur in ea murus, & antemurale.* Ad literã sermo est de Ecclesia. Et ex Hebræo, *Vrbs fortitudinis nobis.* Habet autem exaggerationem fortitudinis mysterio adiunctam: quod dicitur, *vrbs fortitudinis nobis Sion Saluator*, vel salus. Quasi dicat, Ecclesia ita nobis est munita contra omnes impetus, vt sit ipsa salus, at salutem nemo expugnare potest; vel, vt sit ipse Saluator Christus; qui scilicet nobis est omnia, etiam ciuitas fortitudinis, seu fortitudo ciuitatis nostræ. Nam ponetur in ea murus, & antemurale, id est, pro muro, & antemurali. Non enim erit opus alio muro, aut antemurali: Saluator, id est, salus ipsa erit murus, & antemurale. Eodem igitur redit salus, & Saluator. Manet autem templum à Propheta visum, quasi ædificium ciuitatis, ad expressionem munitionis, & fortitudinis.

*Templum quasi ædificium ciuitatis, ad exaggerandam eius molem.* Rupert.

*Ecclesia ciuitas munitionis.* Isai. 26. 1. *Ecclesia est ipsa salus.* *Est ipse Saluator, nobis omnia, etiã ciuitas fortitudinis. Salus, vel Saluator, est murus & antemurale.*

---

## *Cur dicatur ædificium templi vergere ad Austrum?*

### SECTIO VI.

1. *Quid sit vergere ad Austrum? Explicat D. Gregor. expandere se ad flatus Spiritus diuini. Exemplum Beata Virgo, cùm dixit*, Ecce ancilla Domini.
2. *Ecclesia in cœnaculo clausa vergebat in Austrum, hoc est, in solum Spiritum sanctum. Explicat Diuus Ambrosius.*

1. ERAT mons Sion ad Occasum Septentrionalem, vrbs verò ad latus montis versùs Orientem, & Meridiem explicata. Sed cùm ait, *vergentis ad Austrum*, maioris mysterij rationem continet: nam, vt alibi explicauimus, Auster in Scriptura sacra significat Spiritum sanctum. Quòd ergo ciuitas hæc visa fuerit vergere in Austrum, ostenditur, Ecclesiam quasi in decliui humilitatis positam, totam se ad diuini Spiritus flatus expandere. Ita D. Greg. Quia electorum (inquit) Ecclesia cogitationes suas in afflatu sancti Spiritus aperit, atque ab omni superbiæ suæ vertice discedens, in Deo, cui credit, amoris calorem cõcipit. Ita Greg. Certè quidem illa quasi discessio ab elatione, ac humilitatis decliuitas, prima est inuitatio Spiritus sancti. Vnde Virgo Deipara hac se ratione composuit ad flatum Spiritus sancti excipiendum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Nam promiserat Angelus aduentum Spiritus sancti; at illa optimè callens, quid facto opus esset, totum in primis affectum suum humiliter expandit ad afflatum diuinum dicens, *Ecce ancilla Domini*; omnes videlicet sui quasi sinus aduenienti aperiens. Ancilla Domini sternit Domino sedem congruam, vt asserit D. Bern. Respondet humiliter, inquit, vt sedes gratiæ præparetur. Habemus ergo in sanctissima Virgine verissimam speciem ciuitatis, id est, Ecclesiæ vergentis ad Austrum.

*Ciuitas vergit in Austrum, quia Ecclesia ad Spiritum sanctum se expandit.* D.Greg. *Humilitatis decliuitas, prima est inuitatio Spiritus sancti.* Luc. 1. 35. *Ostenditur in Virgine Deipara.* D. Bernard.

2. Sed enim Actor. 2. 1. id quoque expressum habe-

Actor. 2. 1.

*Ecclesia in cœnaculo versò in Austrum, in Spiritum sanctum vergens.*

habemus, in nouella Ecclesia expectante in cœnaculo aduentum Spiritus sancti. *Erant*, inquit, *omnes pariter in eodem loco:* nam clausa penitùs omnibus aliis, quasi ventis aditum obstruxerat, præterquam diuino Austro: nimirum orationi instanter incumbebant omnes, ac desideriis superiorum animas exercebant, quæ quidem (vt rectè ait D. Ambros.) Spiritum sanctum attrahere solēt, iuxta illud Ps. 118. 131. *Os meum aperui, & attraxi spiritum.* Euentu autem probata res est: nam dum ille cœtus sacratus totus in Austrum vergeret, *Factus est repentè de cælo sonitus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque super singulos eorum.* In quibus verbis multa sunt notatu digna: nam vt cælo dumtaxat se totam aperuerat, clauserat verò penitus terrenis omnibus; ita certum habuit è cælo solatium: de cælo enim factus est sonus. Clauserat illos timor Iudæorum, velut Aquilo frigidus (inquit Ambrosius) flores mundi stringens, sed Spiritus sanctus Austro similis, laxauit inclusos, & flagrare toto orbe fecit. Spiritus porro vehemens, iuxta Græcum, flatus transit citato impetu; quasi cui faciles patent aditus, vtpote loci vergentis, & quasi apertis ianuis expectantis familiares impulsus. Maximè autem congruit, quòd dicitur replesse totam domum. Significatur enim patentis sibi loci omnes quasi angulos percurrisse flatum illum, hoc est, Spiritus diuini vim illam eo die Ecclesiam sibi anhelantem; omnes quasi sinus affectuum, ac desideriorum dulciter simul ac efficaciter percurrisse. Rectè igitur templum dum scribitur situm in speciem ciuitatis vergentis ad Austrum, repræsentat Ecclesiam, quatenus ab ipso statim suo principio eam Christus collocauit in cœnaculo ad Spiritus sancti inspirationes obuersam, iubens expectare in ciuitate virtutem ex alto, Luc. 24. 50.

*D. Ambr. Oratio in primis Spiritum sanctū attrahit.* Ps. 118. 131. Act. 2. 2.

*Cælo aperta, clausa solo, certū habet anima è cælo, solatium. Auster diuinus inclusos flores Apostolicos laxauit. Repleuit totam domū, patētem sibi, mundo latētem. Diuinus flatus facilè permeat omnes affectuum sinus. Dum iubet Dominus expectare in ciuitate, facit vergere in Austrum.* Luc. 24. 50.

---

## *De tribus muris, & portis templi.*

### SECTIO VII.

1. *Primus murus, diuina custodia, Psal. 124. Augustinus explicat. Secundus murus, custodia Angelorum, ex eodem Psalmo, & August. Illustrat Hieron. Tertius murus, humana custodia per Prælatos, Ezechiel. 13.*
2. *Tres portæ Orientalis, Septentrionalis, Meridionalis, tres partes sunt, è quibus præcipuè venitur ad Ecclesiam. Illustratur loco Iere. 20. Per portas tres directè in templum deducentes, qualibet ex prædictis partibus, significantur ordines venientium ad fidem. Frontes viros perfectos innuunt.*
3. *Quare in prima porta multi gradus, in secunda septem, in tertia octo? Bern. de tribus osculis erga Sponsum. Quare prima porta non habeat turres, porticus, thalamos?*
4. *Cur incipientes non præferant ædificia? ex Gregor. Magno. Idem describit perfecti hominis spirituale ædificium.*

A 1. TRIBUS muris circundatum erat templum. Primus murus, periboli; secundus, atrij exterioris; tertius, atrij interioris, vt latiùs in Paraphrasi. Textus sic habet, Vers. 5. *Et ecce murus forinsecus in circuitu domus, vndique.* Vers. 6. *Et venit ad portam, quæ respiciebat viam Orientalem, & ascendit per gradus eius.* Vers. 32. *Et introduxit me in atriū interius per viam Orientalem.* Primus murus intelligendus citra domum, seu templum. Cùm autem versic. 6. dicitur venire ad portam, intelligendum est, templi, quod incipit describere. Vnde non rectè alij portam muri, quoniam vers. 3. dicitur ingressus per portam muri; nunc ergo venit ad templi portam, ad quam nondum accesserat.

*Tres muri templi.*

B Tribus ergo muris significatur Ecclesiæ triplex custodia. Primus murus, qui omnia complectebatur ædificia, ostendit diuinæ custodiæ vim, dum vniuersam Ecclesiam latè ambit, ac munit, Psal. 124. 2. *Dominus in circuitu populi sui.* Quæ verba continent probationem eius quod præcesserat: *Non commouebitur in æternum, qui habitat in Ierusalem.* Ad literam: Ciues Ecclesiæ, quod attinet ad diuinam custodiam, tutos omnino esse ab æterna perditione, quandoquidem ipse illis Deus est pro muro. Congruit annotatio Augustini. Ipse, inquit, murauit plebem suam munimento spirituali, ne moueatur in æternum.

*Ecclesia triplex custodia. Prima custodia diuina ambiens, vt primus murus, totā Ecclesiam.* Ps. 124. 2.

C Secundus murus significat custodiam Angelorum, de quibus etiam Psalmo citato dicitur: *Montes in circuitu eius.* Et pro Angelis accipit idē Augustinus: Ambiunt, inquit, Ecclesiam Angeli, & quasi murum faciunt. Montana (vt ait Hieronym.) proceritate sanctitatis. Tertius murus repræsentat humanam custodiam per Sacerdotes, ac Prælatos Ecclesiæ; ideo proximus atrio Sacerdotum, & minoris ambitus, quia humana custodia minoris est efficaciæ. De hoc muro dicitur Ezechiel. 13. 5. *Non opposuistis murum pro domo Israel.* Sermo est ad literam de Sacerdotibus, quòd cùm ex officio deberent tueri populum Domini, eum tamen impiè diripiebant; & quadrat in malos hodie Prælatos ac Sacerdotes, qui

*D. Aug.* *Ipse murauit plebem suam seipso. Secundus murus, custodia Angelorum.* Ps. 124. 2. D. Hier. *Montana in Angelis, proceritas sanctitatis. Tertius murus, custodia humana per Sacerdotes, &c.* Ezech. 13. 5. *Mali Prælati Ecclesiam sibi pro muro statuunt.*

D cùm se ac sua impendere teneantur pro defensione Ecclesiæ, se ipsos Ecclesiæ bonis circumuallant, ac ipsa illis Ecclesia murus est contra iniurias temporum, non ipsi Ecclesiæ. Bonum murum Sacerdotalem expressit Aaron, cùm sæuientem in Hebræos plagam, Num. 16. 47. oratione continuit. De quo Ambrosius lib. 3. epistolarum epist. 25. edit. Rom. Medium se inter viuentes morientésque obiecit, vt mortem sisteret, verè vir animi Sacerdotalis. itaque mortis impetum tenuit, infregit aculeum, negauit transitum. Sic Ambros.

E 2. Per hos muros ad templum itur tribus portis ad tres orbis partes spectantibus, Orientem videlicet, Septentrionem, & Austrum. Quo significatur, à tribus præcipuè orbis partibus patere ingressum in Ecclesiam; nimirum ab Asia, quæ ad Orientem iacet; ab Africa, quæ ad Austrum; ab Europa, quæ ad Septentrionem, comparatione reliquarum duarum. Ierem. 22. 30. ad has maximè regiones dicitur, *Terra, terra, terra, audi sermonem Domini:* est enim inuitantis acclamatio, & repetitio continet expressionem efficaciæ vocationis Gentium. In tribus autem muris, sunt tres portæ se inuicem directò respicientes, per quas significantur tres gradus venientium

*Tres portæ, quibus in templū itur à tribus orbis partibus.* Ier. 22. 30. *Vocatio Gētium trina, ad expressionem efficaciæ. Tres portæ, tres gradus, incipiētium, proficiētium, perfectorū.*

tium ad fidem, incipientium, proficientium, A perfectorum. Frontes in portis, summos viros interpretatur Gregorius, qui cæteris in Ecclesia virtute, & sapientia eminent, idque significare sexaginta cubitos, per quos eriguntur: nam senarius numerus perfectionem innuit. Sex enim diebus perfecit Deus totius Vniuersi opus. Horum igitur est, verbo, & exemplo prælucere, etiam aduersa tolerando: nam & frontes portarum expositæ sunt iniuriis temporum, & in hoc, ait, cælestis ædificij frontes faciunt: quia horum pulchritudo operum, ornat ac durat ædificium Dei.

*Frõtes portarum, summi in Ecclesia viri.*

3. Idcirco in prima porta non assignantur gradus; in secunda septem; in tertia octo; quoniam qui incipiunt, nihil altum adhuc meditantur, sed quasi humi repunt, instar infantium: proficientes ascendunt, euntes de virtute in virtutem: perfecti summa tenent inter brachia Sponsi. B Vnde a D. Bern. serm. 4. in Cant. in vno osculo oris, duo priora supposuit, vt tria ordine suo prædictis tribus gradibus conuenirent. Primum incipientium ad pedes Sponsi, denuo conuersorum, ac verè pœnitentium, qualis Magdalena, quæ ad pedes Domini (vt Augustinus ait) primos sibi quasi pedes acquisiuit, vt in via Dei ambulare posset. Secundum proficientium, ad manum eiusdem, qua iam erigatur, & corroboretur ad exercenda bona opera: neque enim a pedibus Sponsi ad os eius subitò ascendere licet, aut conuenit. C Recenti adhuc (inquit Bern.) respersus puluere, ora sacra continges? heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaberis? per manum tibi transitus sit, illa priùs te tergat, illa te erigat in spem audendi potiora. Ita Bernard. Tertium denique an perfectis conueniens ad os ipsum Spõsi: quantum quippe, inquit, crescis in gratia, tantum & in fiducia dilataris. Similiter ergo & porta prima non describitur habere thalamos, turres, porticus; maximè autem secunda, & tertia, quia denuo conuersi non erexère adhuc virtutum ac bonorum operum ædificia; maximè verò proficientes, ac perfecti, sed hi cum hoc discrimine: quòd vno gradu proficientibus emi- D neant, quia virtutes possident in gradu illo Heroico, quem Ethici perfectioni duntaxat attribuunt.

*Incipientes nihil altum meditantur, proficientes ascendunt, perfecti summa tenent.*
*D. Bernard. Tria oscula Sponsi eodem ordine.*
*Magdalena a pedes Domini, pedes acquisiuit.*
D. Aug.
D. Bernard.
*De luto ad vultũ gloriæ non statim ascenditur.*
*Quantum crescis in gratia, tantũ in fiducia dilataris.*
*Conuersi denuo nõ erexere adhuc virtutum ædificia.*

4. Et incipientes quidem mirum non est, si nulla præferant virtutum ædificia, qui toti, videlicet, puluere adhuc testi, & in terram absconditi, fundamenta humilitatis, & pœnitentiæ procurant: nam sic omnino faciendum rectè admonet August. serm. 10 de verbis Domini in Matth. Cogitas magnam fabricam extruere celsitudinis? de fundamento cogita humilitatis: nam quantam quisque vult, & disponit superimponere molem ædificij, tantò altius fodit fundamentum. Et ser. 16. in dedicatione Ecclesiæ, sic describit perfecti hominis spirituale ædificium: Prima fundaméta, inquit, in cordibus vestris Apostolica, & Prophetica monita iacite; humilitatem vestram, sicut pauimentum, sine offensione prosternite; salutarem in corde vestro doctrinam orationibus & sermonibus tanquam firmis parietibus communite; diuinis eos testimoniis, tamquam luminaribus illustrate; infirmos, sicut columnæ sufferte; inopes, sicut tecta protegite; vt Dominus Deus noster pro temporalibus bonis æterna restituat, & vos in æternum perfectos, dedicatósque possideat. Sic ille.

*Incipientes sola curant humilitatis fundamẽta.*
D. Aug.
*Moles ædificij altissimũ exigit fundamentum.*
*Descriptio ædificij perfecti hominis.*

## *Quid per vestibulum, & frontes, ac fenestras obliquas?*

### SECTIO VIII.

1. *Quid vestibulum, & frontes?*
2. *Significant charitatem Dei, & proximi. Locus Ambro. ad Psalm. 118. Alter quidem ad verba Genes. 18.*
3. *Fenestræ obliquæ sunt fideles, qui cælitus illustrantur; declaratur quomodo sint fenestræ obliquæ.*
4. *Palmæ effigiatæ repræsentant præmia iustorum, ex D. Gregorio.*

1. VESTIBVLVM siue porticum, potæ significationis אלם quod vocabulum Septuaginta seruarunt; & Pagninus rectè vertit, *testudinem*, quę pars domus aduentantes primò excipit, protegitque. Erat ergo huic portæ inhærens vestibulum splendidum cum obliquis fenestris; erectæ verò frontes, siue turres supra portas, cum pluribus hinc inde mansionibus, ac fenestris obliquis.

2. Duo autem hæc specialiter exprimunt charitatem erga Deum, ac charitatẽ erga proximos: nam porticus omnibus peruia, omnes protegit, quod charitas erga proximum præstare solet. Vnde illud Ambr. super Ps. 118. Ecclesia acclinatur per charitatem, vt recipiat omnes: quasi dicat, efficit acclinatione sui quandam quasi concameratam porticum in commune receptaculum; & tamen alioqui erigitur duabus in cælum frontibus, quoniam eadem charitas, quæ proximo cõdescendit, per officium hospitalitatis ad Deum ascendit ex feruore contemplationis, idque D. Ambros. elicit ex illo Genes. 18. quòd Abraham in ipso feruore diei opaca sub quercu excipiebat peregrinos: cùm enim animus altissimè ac feruẽtissimè amat Deum, in ipso scilicet meridie charitatis, tum maximè decet, vt fouendis proximis sub quercu, quasi sub porticu præstò sit. Rectè autem frontem diximus charitatem, quoniam frons seu facies Ecclesiæ, id est, id, in quo illa apparet pulchra, vna videlicet charitas est; vt pulchrè deducit Alexandrinus Cyrillus ex illo Ioann. 13. 35. *In hoc cognoscent, vos meos esse discipulos*, &c. Mansiones verò intermediæ significant varia genera virtutum.

*Porticus exprimit charitatem erga Deum, & erga proximos.*
*Ecclesia acclinatur per charitatem, vt recipiat omnes.*
*Erigitur per feruorem charitatis ad Deum.* Gen. 18.
*Charitas frons est, qua dignoscitur discipulus.* Cyril. Alex. Ioan. 13. 35.

3. Quid verò sibi volunt fenestræ obliquæ in frontibus, in porticu, & in cæteris mansionibus? Significant (ait Greg.) vniuersos fideles, summos, videlicet, medios, infimos diuinitus illustrari; hoc verò omnibus curæ esse debere, vt obliquè, id est, angusto quasi ore, diuinum lumen recipiant, postea in omnes mentis sinus dilatandum; quoniam in receptione gratiarũ, cauta considerationis trutina opus est, ne scilicet cum multitudine donorũ irrepat elationis spiritus: per obliquas enim fenestras (ait Greg.) lumen intret, fur non intret.

*Fenestræ obliquæ, fideles diuinitus illustrari.* D. Greg. *Obliquæ, quoniã diuina gratia cautè recipienda est, postea dilatanda.* *Lumen intret, fur non intret.*

4. Erant præterea toto ædificio portarum, & porticuum interseminatæ picturæ palmarum. Quibus ostenditur (ait Greg.) species præmiorum in singulis fidelium bonis operibus: notãter enim adhibitũ ait, *picturas palmarum*; in cælo enim victoriæ palmæ erunt, in mundo solùm picturæ palmarũ, seu imagines ac promissiones præmiorum. Hæc igitur proficientium, & perfectorum cura

*Picturæ palmarum, varia species præmiorum.* *Pictura palmarum, promissiones præmiorum in hoc mundo.*

cu[illegible]l est, pluribus se virtutum ædificiis in altum erigere, cùm tamen incipientes nihil adhuc moliantur altum.

---

## *Quid thalami, & gazophylacia significent?*

### SECTIO IX.

1. *Quæ, & quibus in atriis gazophylacia & thalami? Cur atrium interius dicatur à Septuaginta.*
2. *Gazophylacia fidelium memoria. Quomodo differant memoria religiosorum hominum, & secularium?*
3. *Ostēditur, qualis fuerit memoria Augustini, & qualis Bernardi, insignis videlicet deuotionis gazophylacia; sunt & cæterorum fidelium memoriæ gazophylacia, sed perturbatiora; ostenditur ex loco Pauli 1. Corint. 7. & loco Matthæi 13.*
4. *Thalamorum differentia designat conscientiarum quoque differentiam in religiosis, & prophanis hominibus. Illustratur ex loco Cant. 7.*

1. IN secundo, & tertio atrio sunt thalami, seu cubicula quieti destinata, & gazophylacia ad seruandas res varias templo necessarias, cum hoc tamen discrimine, quòd gazophylacia tertij atrij pauciora erant, ac rebus sacratioribus, hoc est, Sacerdotibus, cantoribúsque hebdomadariis deputata. Thalami autem, etsi numero, & qualitate conueniebant, in iis tamen, quæ in tertio atrio erant, vtpote à populi frequentia remotioribus, longè tranquilliùs quiescebatur. Quod verò Septuaginta vocant atrium interius, à nostro autem, & in Hebræo dicitur exterius, inde est, quòd Septuaginta vocant interius comparatione periboli: at noster, & Hebræus vocant exterius comparatum ad atrium reductius, quod sequebatur.

*Atrium interius & exterius diuersa comparatione.*

2. Primum illud de gazophylaciis repræsentat differentiam hominum prophanorum ac religiosorum, quòd horum memoriæ thesauri sunt, ac veluti gazophylacia altissimarum rerum, in quibus nihil non sacrum, ac diuinum asseruatur: cùm tamen ij, qui in seculo viuunt, etsi sint in gratia, tamen multas cogantur rerum malarum species admittere, & eas; vel nolentes, memoria retinere, ad recordationes aliquando turpissimas.

*Gazophylacia tertij atrij & secundi, memorias repræsentant religiosorũ, & prophanorum.*

3. Ac prioris quidem illius duo afferam præclara exempla, à duobus præcipuis religiosorum hominum Patriarchis, Augustino, & Bernardo petita. Nam Aug. lib. 10. Confes. cap. 24. postquam memoriam suam diuinis auxit cogitationibus, in hæc verba deuotè prorumpit. Hæ sunt, inquit, sanctæ deliciæ meæ, quas donasti mihi misericordia tua, respiciens paupertatem meam. Hæc ille. Certè qui iam ab omnibus terrenis sese abdicauerat, dignus fuit, qui in thesaurum memoriæ diuinas opes reconderet, fierétque diues optimarum cogitationum, inter quas, tanquam inter suas delicias, moraretur. Similiter D. Bern. super illa verba Cant. 1. *Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur.* Dulcem sibi, ait, ab ineunte conuersione sua collegisse fasciculum ex amaritudinibus Domini IESV, quæ sparsim sustinet sylua Euangelica: hoc est, didi-

*D. Aug. Memoria Augustini plena altissimis cogitationibus.*

*D. Bern. Memoria Bernardi fasciculo passionum Christi plena.*

A cisse ex Euangelio omnes passiones Christi, atque inter vbera sua, hoc est, in memoria reposuisse, vt crebrò inde deductis meditationibus, spiritualiter deliciaretur, & iuxta Psalm. 144. 7. *Memoriam, inquit, suauitatis tuæ eructabo quoad viuero*, quæ verba Psalmi ad literam hoc ipsum, de quo agimus, significant. Erant igitur Augustini, & Bernardi memoriæ, duo quædam diuinarum gratiarũ secretioria gazophylacia. Nam cæterorum quoque fidelium memorias, etsi Ecclesiæ quoque Dei gazophylacia dixerim, tamen in exteriori atrio posita, hoc est, prophaniora, ac adeò perturbatiora reputauerim. Vnde 1. Corint. 7. 32. cùm laudasset Paulus sanctas Ecclesiæ nuptias, addidit: *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi.* & rationem assignat: *Qui cum vxore, inquit,*
B *est, cogitat quæ sunt mundi, & diuisus est.* quia scilicet in eius memoria diuisiones sunt, & quædam quasi factiones cogitationum; hinc de Deo, illinc de mundo, ac adeò bellum intestinum, quo mens ita distrahitur, vt vix mandata Dei fideliter custodiat, dum cogitat simul custodire mandata mundi, partitum videlicet gazophylacium, ac adeò periculosæ fidei. Afferri etiam potest illud Matth. 13. 3. de semine iacto in varias terræ partes, quod nihil aliud est, quàm verbum Dei commendatum multorum memoriis, cùm tamen in earum pluribus malè hæserit: nam (vt de cæteris taceam) seminatum secus viam, conculcatum
C est à prætereuntibus; quod repræsentat prophanas quasdam memorias, diuina quidem monita suscipientes, sed interim mundanarum rerum vestigiis interturbatas. Ex quibus patet differentia inter vtraque Ecclesiæ nostræ spiritualia gazophylacia.

*Ps. 144. 7.*

*1. Cor. 7. 32.*

*Memoria coniugati perturbata & diuisa.*

*Partitum gazophylacium, & periculosæ fidei.*

*Matt. 13. 3.*

*Semen verbi Dei seminatũ in memorias hominũ diuersimodè prouenit.*

4. Quam verò in thalamis assignauimus, inde vel maximè patet, quòd in veris religiosis, ac Deo propinquiùs seruientibus, longè maior est quies conscientiarum, quàm in secularibus. Quod quidem expressum habemus Cant. 1. 15. in eo quod ait omnium Religiosorum nomine anima illa sancta: *Lectulus noster, inquit, floridus*: quasi sibi complacens, quòd conscientiam habeat, in qua diuinus Sponsus non modò quiescere possit, sed
D etiam cum delectatione; vtpote inter flores bonorum operum, cùm tamen in conscientiis hominum prophanorum cum molestia decumbat, quasi inter spinas peccatorum. Est interpretatio Bern. serm. 47. super Cant.

*Religiosi thalami sũt tertij atrij, in quibus suauiùs quiescitur.*

*Cant. 1. 15.*

*Bonis lectos habent floribus virtutũ Deo ad quiescẽdum gratiores.*

*D. Bern.*


---

## *De luteribus, ac mensis in vsum sacrificiorum.*

### SECTIO X.

1. *Luteres, seu pelues ad lauandas carnes, omnino supponi mensas esse octo intra & extra portam.*
2. E *Semper aliquid in nostris holocaustis abluendum. Illustratur optimè à D. Gregorio. Luteres, confessionis sacramentum.*
3. *Quadratis è lapide mensis, firma proposita, ex loco Isai. 1. & Eccl. 37. & D. Aug.*
4. *Mensæ sustinentes cultros, forcipes, & huiusmodi alia quid significent? Locus Pauli Roman. 8. annotante Origene.*
5. *Formam quadratam Christianis aptam, ex loco 1. ad Thessal. 3. Illustrat D. Greg.*

1. De



1. De luteribus nihil Vates, sed omnino supponuntur ad lauãdas carnes offerendas, iuxta cap. 3. Reg. 7. 38. Erant igitur in atrio Sacerdotum prope portas luteres, seu pelues ad lauandum holocaustum. Erant & mensæ, è quadrato lapide, vbi carnes immolandæ reponebantur, vt expresse habetur cap. 40. Octo autem numero mensæ, quatuor intra, quatuor extra portam, vt patet ex Paraphrasi.

*3. Reg. 7. 38.*

2. Holocaustum Domino est, qui se totum ei vouit. Verùm illud quæri potest, quomodo qui se ita Deo tradidit, adhuc lauetur? Cui dubitationi respondet D. Greg. etiam post illam generalem traditionem, qua quis se Deo deuouit, emergere ex corruptibili carne aliquid sordis, quo inquinetur sacrificiũ: idque oportere lacrymarum aquis ablui: illustrátque rem eiusmodi exemplis. Ecce, inquit, deuouit aliquis esse patiẽs, nulli conuicium reddere, omnia æquanimiter tolerare, & tamen si contumelia eum percusserit, dolore tangitur, & stimulatur intus contra contumeliantem, holocaustum est, sed inquinatum adhuc interna impatientia: nam tolerare exteriùs, & odisse intus, non est virtus mansuetudinis, sed velamentum furoris. Alius omnia, quæ possidet, decreuit indigentibus dare, vitámque suam supernæ gubernationi committere; sed quod lætus dare destinauerat, tristis præbet, quãdo cogitatio ista subrepit, Vnde viues, si cuncta dederis? Quid huius mens, nisi misericordiæ holocaustum est, sed per tristitiam cogitationis inquinatum? Hi nimirum dum se lamentis affligunt, ac lacrymas fundunt, holocausta sua lauant ad ostia portarum; dum extra quasi educunt interiorem munditiam, manifestantes, velle vota sua intus, ac exteriùs perfecta esse. Nam cum Psalmista *holocausta medullata* offerunt, qui siue in opere, siue in cogitatione medullitus accenduntur, ac adeò, in quibus exteriora simul, & interiora Deo placeant. Hæc ferè ex Gregor. Quamobrem luteres præstò esse conuenit, quibus rectè confessionis sacramentum significari dixeris; quoniam per hoc Sacramentum abluitur anima a quotidianis offensis, iuxta illud Isai. 1. *Lauamini, mundi estote.*

*Holocaustũ Domino est, qui se totum illi vouit.*
D. Greg.
*Ex corruptibili carne colliguntur sordes, quas oportet lauare lacrymis.*
*Tolerare exteriùs, & odisse intus, velamentũ furoris.*
*Qui cum tristitia misericordiam exhibet, holocaustum inquinatum præstant.*
Psal. 65. 15.
*Holocausta medullata, qua intus & foris grata Deo sunt.*
Isai. 1. 16.

3. Deinde mensæ è quadrato lapide, in quibus lotæ carnes reponebantur, stabilia decreta significant, quæ apud se quisquam ex deuotione erigit, ad perseuerandum in cuiuslibet virtutis destinato studio. Non est satis purum habere cor, sed opus est illud quasi conquadrare ad perseuerantiam. Vnde Isai. 1. *Lauamini*, inquit, *mundi estote*: & quasi id parum esset, addit; *quiescite agere peruersè.* Nam verbo quiescendi significatur quadrata illa stabilitas, in qua diu perseuerare debet innocentia. Et Eccles. 37. 17. dicitur: *Cor boni consilij statue tibi*: id est, posteaquam salutare tibi excogitasti consilium, siue vt in pauperes tua expenderes, siue vt castitatem seruares, siue vt in his, vel in illis purum te, & immaculatum custodires, statue hoc ipsum apud te, erige quadratas mensas, id est, firma, vt vocant, proposita, in quibus quæ deuotè, ac purè cœpisti agere, stabiliter conserues, nullo casu, aut tentationis impulsu deiicienda. Vnde illud D. Aug. ad Psalm. 86. In omni, inquit, opere bono conquadramini, ad omnes tentationes parati, quidquid impulerit, non vos euertat.

*Mensa quadrata, stabilia proposita.*
*Opus est conquadrare cor ad perseuerandum.*
Isai. 1. 16.
Eccles. 37. 16.
D. August.
*Conquadramini ad omnes tentationes parati.*

4. Ex his autem mensis, aliquot memorantur destinatæ ad portanda vasa holocaustorum, id est, cultros, quibus scindebantur carnes, forcipes, & huiusmodi alia. Nam cùm dicitur, *Vasa, in quibus immolatur*, illud, *in*, sumitur pro, cum. Quo significatur, ea quoque decreta in animo erigenda, & conquadranda, quæ hominem constantem seruent in bono opere, etiamsi mortem, vulnera, tormenta mille se opponant: omnia namque firmiter portabit sine conuulsione vlla. Qualem se nobis Paulus exhibuit Rom. 8. 35. *Quis nos separabit*, inquit, *à charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculum? an persequutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, &c. neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei.* Cernere (inquit Orig.) fixam, & immobilem animam, ac veluti per charitatem conquadratam aduersùs omnes omnium rerum impetus. *Certus sum*, inquit, primò quidem, ex diuinæ opis promissione; secundò, ex Martyrum exemplis; tertiò, ex præsidiis sacramentorum; quartò, ex fidelium suffragiis, quatuor quasi lateribus hinc mihi certitudinis assurgentibus, quò firmiter sustinere possim omnia tormenta.

Ezechi. 40. 42.
*In, pro, cum.*
*Perseuerandum, etiamsi tormenta se opponant.*
Rom. 8. 35.
Orig.
*Anima Pauli conquadrata.*
*Quatuor latera quadratura spiritualis.*

5. Certè quidem Paulus idem 1. ad Thessalon. 3. 2. hanc formam Christianis aptam, ac necessariam ostendit, cùm fideles ad perferendas tribulationes exhortans, ait: *Misimus Timotheum ad confirmandos vos, vt nemo moueatur in tribulationibus istis: ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus*; quasi diceret, omnes Christiani ita positi sumus, siue ea forma constituti à Deo, vt moueri nullatenus debeamus, quasi quadrata firmitate aduersùs omnia mala consistentes, qua in re videtur Paulus respexisse illud Isai. 9. 10. *Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* Quæ verba in rem præsentem explicat Gregor. Magnus hom. 21. in Ezechiel. Cùm propheta, inquit, Iudæos à fide perire cognosceret, & sanctos Apostolos surgere præuideret, per quos multi sunt ex gentibus in fidei, & vitæ fortitudine solidati, in magna consolatione loquutus est dicens: *Lapides ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus.* Erant quippe Iudæi lapides rudes, inæquales, distorti, ac adeò in ædificio Synagogæ malè sibi inuicem cohærendo, ruinosam efficiebant maceriam, quæ passim dissipabatur, nullum ferre valens aut pondus, aut incursum tribulationum. Quare Deus Iudæis abiectis, tanquam inutilibus ædificio lapidibus, quadratos parauit lapides, id est, fideles ex gentibus, ad omnes laborum impetus immobiles, quibus Ecclesiam constabiliuit suam, vt portæ inferi aduersùs eam præualere nequeant.

1. ad Thessalon. 3. 2.
*Omnes Christiani constituti, vt moueri à bono non debeant.*
Isai. 9. 10.
Greg. Mag.
*Iudæi lapides rudes malè sibi inuicem cohærentes.*
*Fideles ex gentibus, lapides quadrati.*

---

## *De significatione altaris holocaustorum.*

### SECTIO XI

### Ex cap. 43.

1. *Quid Ariel, iuxta Hebræos?*
2. *Altare holocaustorum significat cor humanum, in quo se fideles Deo sacrificant, ex D. Gregor. Illustratur*

*stratur loco Pauli Rom. 12. Congruit Gregorio Augustinus circa significationem altaris. Eodem tendit Nazianz. & Clemens Alexandrinus.*

3. *Allegoricè in altari holocaustorum significatur Christi crux, ex Augustino. Illustratur loco Habac. 3. Quomodo Christi potentia in cruce, ex D. Chrysostomo, & aliis.*

4. *Corona altaris holocaustorum repræsentat regnum Christi, mysterium coronæ spineæ Christi. Quatuor cornua altaris, & quatuor crucis, repræsentant vniuersitatem regni Christi, ex Augustino, &c.*

David Rib. *Ariel, mons Dei.*

Hebr. Leo Dei, *deuorans sacrificia.*

D. Greg.

1. CAP. 43. describitur Ariel, hoc est, altare holocaustorum, à Vers. 15. vsque ad 27. Ariel, iuxta Rabbi Dauid, quasi mõs Dei, vt sit oppositio ad altaria idolorum in excelsis montibus, iuxta alios Hebræos, Leo Deo, aut Leo Dei, quòd deuoraret sacrificia consumendo illa igne suo.

2. Significatio mystica nunc prosequenda, de qua sic D. Greg. Ex mœrore, inquit, compunctionis ardet ignis, & caro consumitur. Altare igitur ante faciem templi est, cùm multi in sanctæ Ecclesiæ conspectu proponuntur, qui æterni Iudicij memores semetipsos quotidie in lamento compunctionis Deo sacrificium mactant. Hæc Gregor. Intelligit ergo Greg. cor vniuscuiusque fidelis ad instar esse altaris, in quo quisque se Deo immolat. Huc verò respiciens Paulus ad Rom. 12. *Exhibete*, inquit, *corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem*, &c. Quasi velit, diuersam diuerso altari conuenire hostiam. Nam in illo æreo insẽsibili cremabatur hostia mortua, in hoc carneo, ac viuo, viua hostia incenditur. Viua (ait Greg.) ad bene faciendum, ad malè faciendum mortua; iuxta illud ad Roman. 6. 11. *Ita & vos existimate, vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* id est, ad similitudinem Christi, qui viuus in crucis altari positus est. D. August. tom. 10. serm. 4. dedicationis Ecclesiæ, altare hoc, quod erat extra templũ, interpretatur corpus nostrum, per quod iugiter exercenda sunt opera bona. Tomo verò 5. lib. 10. de ciuitate, cap. 4. cor nostrum altare hoc vocat. Cùm ad Deum, inquit, sursum est cor nostrum, Dei est altare; ei cruentas victimas cædimus, quando vsque ad sanguinem pro veritate certamus. Origen. in cap. 8. Iosue homil. 9. sic ait: Ego arbitror, quòd quicunque ex vobis apti sunt in hoc, & prompti, vt orationibus vacent, diéque ac nocte obsecrationes offerant Deo, & supplicationum victimas immolent, ipsi sunt, ex quibus Iesus altare ædificat. Ita Origenes.

*Ariel ante faciem templi, cor in Ecclesia, igne compunctionis ardens.*

Ad Rom. 12. 1.

*Cor altare viuum, viuam requirit hostiam.*

Ad Rom. 6. 11.

D. Aug. *Altare holocausti, corpus nostrũ.*

*Sursum cor, Dei altare, victima nos ipsi vsque ad sanguinẽ certantes.*

Origen.

Sed & Nazianz. Greg. in oratione de funere patris, perennem in rebus aduersis patiẽtiam, rationale holocaustũ vocat in vniuscuiusque corpore egregiè consumptum. Rationale holocaustum, ad distinctionem eorum, quæ fiebant in templo, ad altare, de quo agimus: erant enim holocausta irrationabilia, quoniam mactabantur animalia rationis expertia: at per patientiam mactantur Deo homines. Ad eundem modum Clem. Alex. Stromat. 7. corpus nostrum quasi altare reputat. In quo, inquit, Dei holocaustum fit, cùm quis se ipsum interimit, veterem scilicet hominem, qui per cupiditates corrumpitur, de medio tollens, nouum autem suscitat à veteri mortis conuersatione. Atque hæc de morali

Greg. Naz. *Perennis patientia, rationale holocaustũ.*

Clem. Alex. *Dei quis holocaustum fit, cùm veterem in se hominem mactat.*

A sensu.

3. Inest etiam in prædicto altari allegoria de Christi cruce, in qua ipse se obtulit Patri sacrificium cruentum pro genere humano. Vnde Aug. serm. 1. in Parasceue, Nouum, inquit, altare noui sacrificij Crux est, quoniam Christus, & hostia & Sacerdos erat. Et Ecclesia canit,

*Cuius corpus sanctissimum*
*In ara crucis torridum*, &c.

*Altare, crux Christi.* August.

Quatuor quidem altaris cornua repræsentant quatuor cornua crucis, de quibus ad literam Habac. 3. 4. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius.* Illud, *Cornua in manibus eius*, hypallage est, vt Psalm. 18. *In sole posuit tabernaculum suum*: pro, posuit solem in tabernaculo suo, id est, in cælo, vt sic etiam accipiamus, *In cornibus*, scilicet, crucis, *manus eius*; intellige confixæ: quod quidem apparebat, in signum infirmitatis, cùm tamen occulta virtus, & potentia crucis interim mundum vniuersum feliciter oppugnaret; quod hypallage aliàs exprimit. *Cornua in manibus eius*; quasi dicat, etsi in cornibus crucis affixæ sint manus eius, ac adeò potentia quasi ligata videatur, tamen occultè libera est, ac mundum vincit, perinde ac si cornua manibus expeditè versaret, ad ventilandos hostes suos. Propterea enim additur à Propheta: *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Cui egregiè congruit illud Ambrof. lib. 1. de Spiritu sancto. O diuinum Crucis sacramentum, in qua si hæret infirmitas, virtus libera est! Dum ergo sic inter cornua crucis affaretur agnus, illicmet tanquam fortissimus rhinoceros ventilabat, ac vincebat aëreas potestates. Quare Hieronymus cornua in manibus exponit vexilla crucis. August. 18. de Ciuit. 32. trophæum interpretatur, Euseb. 6. Demonstr. 15. insignia, ac notas regni Christi.

*Quatuor altaris cornua quatuor cornua crucis.*

Habac. 3. 4. Psal. 18.

*Occulta potentia crucis mundum oppugnabat.*

*Sacramentum crucis.* D. Ambr.

*In cruce hæret infirmitas, virtus libera est.*

D. Hieron. *Cornua in manibus, vexillum & trophæum crucis.*

4. Propterea namque inter cornua altaris intercurrebat corona, vt significaretur, ipsismet crucis cornibus, etsi ligatas Christi præferrent manus, stabiliri ampliùs regnum ipsius, cui spinea illa corona inter crucis brachia pulchrè respondet: nam etsi per irrisionem ab hostibus infixa, à Deo tamen miro quodam modo destinata est in præclarum insigne regni Christi. Nec enim mysterio caret, quòd corona capiti Christi infigitur, cùm cæteris Regibus imponatur tantùm, sic enim (vt iam diximus) expressa est stabilitas regni eius, vt cadere nunquam debeat, cùm cætera mundi regna caduca sint. Quòd quatuor cornua sint in altari, ad quatuor orbis partes, significatur vniuersitas regni Christi, quæ similiter expressa est, autore Augustino serm. 1. de Vigilia Pentec. in eo quòd summa pars crucis in cælum ferebatur, infima per terram inferos etiã contingebat, duo media cornua cæteras mundi partes appetebant. Quò respiciens Christus à mortuis resurgens dixit, Matth. 28. 18. *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Igitur in altari holocaustorum allegoricè significata est sancta Crux; & in ipsis holocaustis, Christi oblatio. Quod egregiè significat Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Paschate. Magna, inquit, illa, & quantùm ad primam naturam immactabilis (vt ita loquar) victima, legalibus sacrificiis immista erat: illa, inquam, non exiguæ cuiusdam partis orbis terrarum, nec ad exiguum tempus, sed totius mundi, nec vnquam intermortua expiatio.

D. August. Euseb.

*Corona inter cornua altaris, regnum Christi in cruce.*

*Vniuersitas regni Christi, in cornibus crucis.* D. August.

Matth. 28. 18.

Greg. Naz. *Generalis, & perpetua expiatio in cruce.*

Porta


## *Porta Orientali clausa significari Deiparam Virginem.*

### SECTIO XII.

Ex cap. 44.

1. *Celebre apud Patres, significari per portam Orientalem Deiparam Virginem.*
2. *Significatur Virginitas Deiparæ in porta clausa. Ostenditur in conglobatis negationibus, quæ in textu ponuntur, & specialiter exprimitur votum Virginitatis eiusdem: quod similiter ostensum est in illud Luc.1.* Virum non cognosco, *ex Augustino, & Hugone Victorino, & aliis.*
3. *Ostenditur idem ex loco Isai.7. Expenditur significatio nominis* Alma. *Locus Origenis, & alter Ambrosij.*
4. *Virgo per antonomasiam clausa, quia corpore, & spiritu Virgo. Cur Angelus ad Virginem legatus, ex Ambrosio.*
5. *Quare Virgo turbata sit ad ingressum Angeli? Nempe quia sub adolescentis specie intrauerat, ex D. Ambrosio, cuius verba ponderantur.*
6. *Cur Virgo concipiendo, & pariendo non fuerit corrupta? Nimirum, quia Dominus ingressus est ad eam, & egressus ex ea. Illustratur loco D. Ambrosij, & altero Diui Chrysostomi.*
7. *Quomodo apud Patres intelligatur, Christum aperuisse vuluam matris? quòd per portam Orientalem non ingrederetur alius à Rege, in nullo templo seruatum, vt omnino sit mysteriũ legis nouæ. Primus modus respondendi non probatur. Adhibetur alius verus, & ingeniosus, quia videlicet sic verè natus est Christus, ac si aperuerit vuluam Virginis. Alij explicant, Christum aperuisse vuluam matris, vt significaretur esse primogenitus. Nota phrasis Scripturæ. Alij aperuisse, quia ostendit matrem non esse sterilem consueto loquendi more in Scriptura. Hoc modo explicandi Patres.*

*Porta Orientalis quæ intelligatur.*

1. AP.44. deducitur Vates ad portam Sanctuarij exterioris (secundùm Rabbi Dauid) templi, quod respectu Sancti Sanctorum appellatur Sanctuarium exterius. Secundùm alios, ad portam atrij Sacerdotum, vbi erat altare holocausti. Clausam cùm dicit, intelligendũ, postquam per eam ingressa est gloria Domini; nam antè apertam viderat, & gloriam Domini per eam ingredientem cap.43. vers.2. textus ita habet, Vers.1. *Et conuertit me ad viam portæ Sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientẽ, & erat clausa, & dixit Dominus ad me*, Vers.2. *Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir nõ transibit per eam, quoniã Dominus Deus Israël ingressus est per eam; eritque clausa Principi.* Vers.3. *Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coram Domino.* Quòd Noster, & Hebræus dicant, *Principi, &, Principis*, significatur eo quasi titulo portam hanc propriam Principis esse. Igitur cùm in tota huius templi fabrica, quæ visa est Ezechieli, antiquos sequuti Patres, Ecclesiæ, quoad spiritualia, principatum acceperimus; tum verò maximè Orientalem portam pro præcipua Ecclesiæ parte, hoc est, Deipara Virgine Maria, eorundem Patrum vestigia sequentes interpretabimur.

*Clausa post ingressum gloriæ Dei.*

*Porta Principis, titulus portæ Orientalis.*

*Porta Orientalis, Virgo Maria.*

2. Mirum ergo est, quanto cum applausu prædicti Patres excipiant, quæ de hac porta dicuntur in contextu sacro ad celebrandam Virginitatem & integritatem Virginis ante & post partũ. Dicitur enim primùm, quòd porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam. Quæ quidem negationes ita conglobatæ more Scripturæ exaggerant, idque volunt, vt omnino, & omni homini clausa esse intelligatur. In quo Patres Virginitatem Deiparæ à nullo vnquam homine temeratam, eiúsque speciale hac de re votum cum veneratione agnoscunt. Quod ipsamet testata est Gabrieli, cùm ad ipsum conceptus ac partus nuncium grauissimè respondit: *Virum non cognosco*, Luc.1.34. Vbi plerique Patres præfatum agnoscunt votum, de nunquam violanda Virginitate. Hugo Victor. in tractatu hac ipsa de re. Quid est, inquit, Virum non cognosco? Nihil aliud quàm propositum habeo, virũ non cognoscendi. Et D.Aug. in lib. de perpetua Virginitate Mariæ: sic eam inducit loquentem cum Angelo: Vnde erit, inquit, quòd generabo? si fiat, vt concipiam intacta, & generem clausa, indica modum, & paratum inuenies cor meum.

*Sumunt Patres in ea integritatẽ Virginis ante & post partum.*

*Negationes conglobatæ more Scripturæ multum negant.*

*Significatur firmum votum Virginitatis.*

Luc.1.34.

*Expressit illud Virgo cùm dixit.* Virum non cognosco.

Hug.Vict.

D.August.

*Agnoscunt hoc votum Patres.*

Apertiùs autem de sancta Virginitate ad eadẽ verba, *Virum non cognosco.* Hoc profectò, inquit, nõ dixisset, nisi Deo Virginem se antè vouisset: sed quia hoc Israëlitarum mores non ferebant, desponsata est Iosepho, non violenter ablaturo, sed potiùs cõtra violentos custodituro quod illa iam vouerat. Virginitatem ergo dicauit, cùm adhuc quod esset acceptura nesciret, vt in terreno mortalique corpore, cælestis vitæ imitatio, voto fieret, non præcepto: amore eligendi, nõ necessitate seruiẽdi. Et Gregor. Nyssen. in Orat. de humana Christi generatione. *Quoniã virũ non cognosco*; quia carnem, inquit, Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod oblatum munus, oportebat intactam, integrámque præstare. Atque hoc ipsum votum verbis illis Mariæ expressum ait Aponius lib.4. in Cantica: esse vocem illam turturis antea non auditam, de qua Sponsus gaudẽs. Cant.2.12. dixit: *Vox turturis audita est in terra nostra.* Tũ primùm videlicet terram, quam maledixerat ac execrabatur, nostram appellans; vt sibi deinceps ob nuncupatum à Maria Virginitatis votum gratissimam declararet. Vnde & Bern. in serm. super signum magnum, Mariã, ait, in libertate Spiritus, legis Mosaicæ decreta transcendentem, illibatam Deo corporis, & spiritus sanctimoniam vouisse. Mitto alios Patres: ex dictis enim rectè patet, Ezechielem, cùm dixit, *Hæc porta clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam*, expressisse votum de seruanda Virginitate mentis, & corporis, quòd Virgo breuiùs, & efficaciùs significauit dicens, *Virum non cognosco.*

*Ioseph custos Virginitatis Mariæ.*

Greg.Nyss.

Apon.

Cant.2.12.

*Terram suã dixit Sponsus post emissum à Virgine votum Virginitatis.*

*In libertate Spiritus vouit, id est, latiùs extendens Spiritus gratiã, quàm in lege veteri.*

3. Afferam & aliũ locum celebrem, qui clausã omnino portam egregiè repræsentat. Is est Isai. 7.14. *Propterea dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet, & pariet filiũ, & vocabitur nomẽ eius Emmanuel.* Nam in Hebræo est, *Alma*, quod iuxta proprietatem radicis, idem est, atque abscondita. nam Genes.24.16. postquam appellauit Rebeccã *Alma*, id est, Virginem, addidit, quasi explicans, *Et incognitam viro.* Imò Aquila vertit eo loco, pro alma, absolutè, abscõditã, vt omnino significetur hoc vocabulo Virginitas Mariæ illibata: vnde noster iure reddidit, *Virginem*; quoniã & vox ea nũquã in Scriptura sumitur pro puella, quæ corrupta pariat, & signi nouitas à Deo promissa exigit, vt Virgo, & omnino clausa pepererit. Quæ enim

*Probatur idem loco Isaiæ.*

Isai.7.14.

Alma, *abscondita, id est, Virgo.*

Genes.24.16.

*Vox, Alma, nunquam in Scriptura sumitur pro puella, quæ corrupta pariat.*

*Signi nouitas exigit, vt Virgo pariat,* Orig.

nouitas, si puella pariat? At magna erit, si pariat Virgo, & clausa nihilominus permaneat. Vnde Origen. lib. 1. contra Celsum. Viri, ait, magis cõuenit gignere Emmanuelem, quod est Nobiscum Deus, mulierine more fœminarum grauidæ, an puræ, & castæ Virgini? Certè hanc decet parere talem prolem, qua nata dicatur, *Nobiscũ Deus.* Ita Orig. Vt propterea credi par sit, signũ hoc à Deo promissum appellasse Ambrosium in lib. de fide resurrectionis, signum salutis. intellige, non solùm publicæ & communis erga totum genus humanum, sed specialis & secretæ erga Deiparam, quæ omnino clausa peperit.

*Solam Virginem decet parere Emmanuelem.* D. Ambros. *Virginem parere signum salutis, quomodo?*

4. Rectè autem hæc respondent præsenti vaticinio Ezechielis. Porta hæc, inquit, clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eã. Quandoquidem ita hoc in Virgine completum est, vt propterea quasi per antonomasiam appellata sit clausa. Quòd omnino, id est, corpore & spiritu, omni virili congressui sese clauserit. Vnde rectè Ambros. in illud Luc. 1. *Ingressus Angelus ad ea,* &c. Propterea ait Angelo commissam legationem ad Virginẽ, vt ingressus ille hominibus significaretur imperuius. Alioqui potuisset Deus Prophetã aliquem ad Virginem legare, vt aliis in rebus grauissimis cõsueuerat, Ne quo degenere, inquit, deprauaretur affatu, ab Angelo salutatur. Videlicet, quia (vt D. Hieronymus ait) Virginitas Angelis cognata est, ac adeò bene sibi cum eis conuenit quasi eiusdem speciei cum illis: homines autem, in quibus concupiscentia regnat, ac si alterius sint naturæ, naturaliter quodammodo auersatur. Ideo ergo Angelus salutat, ne hominis degeneris affatu quauis ratione possit adulterari ea puritas, quæ viris omnino clausa erat.

*Virgo Maria, per antonomasiam clausa.* D. Ambros. Luc. 1. 28. *Angelus legatur, vt ingressus ad Virginem hominibus significetur imperuius. Affatus humanus degener apud Virginem.* D. Hieron. *Virginitas affatu etiã deprauatur, Virginitas cognata Angelis.*

5. Imò idem Ambrosius ponderans turbationem Virginis ad ingressum Angeli, 1. de off. 18. causam refert ad speciem adolescentis, quã Angelus assumpserat, & Virgo domi suæ præter cõsuetudinem expauerat. Salutata, inquit, ab Angelo tacet, & mota est ad introitum eius, quia ad virilis sexus speciem peregrinã turbatur aspectus Virginis. Et lib. 2. de Virginibus, Gabriel, inquit, vbi reuisere solebat, Mariam inuenit, at illa Angelum, quasi viri specie mota, trepidauit, & quasi non incognitum, audito nomine recognouit: ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo. Hæc Ambros. In quibus verbis illud, *Quasi nõ incognitum, audito nomine recognouit,* significat Virginem, quæ ad speciem viri trepidauerat, Angelum sub ea recognouisse, cùm is statim addidit: *Ne timeas Maria.* Ex vsu enim audiendi Angelum eo se modo vocare solitum, deprehendit Gabrielem esse: sicut Magdalena recognouit Christum in horto, cùm pristino modo eam vocauit Mariam, quasi enim ad notã vocem accurrit. Sic peregrinata est ad speciem viri, non tamen ad vocem, qua illam ex vsu vocare solebat. Omnia autem hæc rectè nobis repræsentant Virginem quatenus portam Orientalem, quæ clausa erat, & non aperiebatur, & vir non transibat per eam. Quod verò in contextu legitur:

D. Ambr. *Turbati Virginis ad speciem adolescentis quam assum sit Angelus. Species hominis peregrina Virgini.*

*Angelum recognouit, cùm eam de more appellauit Mariam.*

6. *Quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi,* &c. continet legitimam causam, quare Virgo aut concipiendo, aut pariẽdo, integritatem non amiserit, *quoniam Dominus Deus Israël ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Quasi dicat: Cùm Deus ipse intrauerit Virginis vterum assumpturus carnem, dubium non est, quin ingressus ipse, pudoris integritate con-

*Legitima causa integritatis Mariæ, est Deus ipse intrans in eam.*

A secratus manserit, similiter, & egressus in partu, & post partum. Vnde D. Ambros. de institutione Virginis, cap. 7. Quæ est hæc porta, inquit, nisi Maria? Ideo clausa, quia Virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando Virginali fusus est partu, & genitalia Virginitatis claustra non soluit. Mansit intemeratum claustrum pudoris, & inuiolata integritatis durauère signacula, cùm exiret ex Virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset. Hæc Ambros. Verè admirabundus, quòd vterus Virginis Deum, quem mundus non sustinet, admiserit, nihil laxatus, aut perruptus. Quod etiam Chrysostomus stupet super Psal. 50. B afferens illa verba Psalmi 103. 32. *Qui respicit terram, & facit eam tremere; qui tangit montes, & fumigant.* O noua res, inquit, & ineffabilis! Lapides consumuntur, & mater nihil læditur? Montes tabescunt, & vterus Virginis gestat? Ita ibi. Est tamen hîc obiectio. Nam porta Orientalis, etsi clausa semper asseritur cap. 44. tamẽ aperiendam monet Propheta cap. 46. quoties ingredi, aut egredi Rex deberet. Et tamen fatendum est, vterum Virginis, nec ad ingressum Verbi, nec ad egressum eius patuisse.

D. Ambros.

*Vterus Virginis Deum, quem mundus non sustinet, comprehendit.* D. Chrys. Psl. 103. 32.

7. Est in obiectione magna quædam occasio ad explicandam illam difficultatem. Quomodo plerique ex Græcis Patribus, & Latini aliqui asserant Christum nascendo vuluam matris aperuisse? Epiphan. hæres. 78. Hic est, inquit, qui verè C aperuit vterum matris. Similiter Chrysostom. Nyssen. Amphilochius homiliis de Purificatione, Origen. homil. 14. in Lucam, Theoph. Luc. 2. & ex Latinis Ambros. Luc. 2. Hieron. 4. contra Pelagianos, & Tertul. in lib. de Carne Christi, vbi explicans illud ad Galat. 4. *Factum ex muliere.* Quia agnouit, inquit, ad apertæ vuluæ nuptialẽ passionem. Itaque prædicti Patres de Christo singulari quadam prærogatiua dictum interpretantur, Exod. 13. 2. & Num. 8. 16. *Omne masculum adaperiens vuluam Sanctum Domino vocabitur.* Quia in sola natiuitate Christi vulua matris ab eo aperta est, cùm cæterarum matrum in conceptione adaperiatur. Videntur autem velle, Mariam in partu patefactam, more aliarum matrum, D ac adeò corruptam, quod est contra fidem. Et certè testimoniis prædictorum Patrum Caluiniani abutuntur ad asserendum, Christum nascendo abstulisse matri Virginitatem. Respondetur inprimis, magno mysterio, quòd hîc Propheta portam Oriẽtalem assignauerit Regibus, vt per eam soli, & ingredi, & egredi deberent, nunquam in posterum fuisse impletum in aliquo templo; cùm constet, per portam Orientalem secundi templi, quod post hanc Prophetiam ædificatum est, non modò Reges, sed Sacerdotes, ac Leuitas promiscuè solitos intrare. Vnde colligitur quod Propheta asseruit, soli Regi aperiendam portam Orientalem, quam viderat, sublimiorem sensum continere, ac de apertione non vera ac reali, quæ nunquam erat futura in templo hoc E suo, sed de metaphorica omnino sumendum esse.

*Quomodo intelligendum, quod Patres asserunt, Christum nascẽdo aperuisse vuluam matris?* Epiph. D. Chrys. Nyssen. Amphil. Orig. Theoph. D. Ambr. D. Hieron. Tertull. Exod. 13. 2. Num. 8. 16. *In sola natiuitate Christi vuluam matris apertam, quomodo sumendum?*

*Per portam Orientalem solos Reges ingredi debere, in nullo templo completum. Necessariò mysterium continere hanc prohibitionem.*

Deinde sunt qui velint prædictos Patres contra Marcionistas, qui Christo phantasticum attribuebant corpus, disputantes, eo quasi abreptos disputationis impetu, vt Christum asseruerint nascendo vuluam aperuisse, ac adeò verissimè etiam quoad hoc, vt cæteros homines natum. Hæc responsio potiùs damnat Autores veteres, quàm

*Non probatur explicatio sententia Patrum.*

quam excusat; errorem enim eos asseruisse autumat, sed quasi per errorem, & inconsiderantiam. Liberaliùs alij, & ingeniosiùs. Patres illos, cum dixerunt, Christum nascendo aperuisse vuluam Matris, hoc solum voluisse: Virginem eam concepisse, quia filius ex ea prodiens per natiuitatem inuenit eam clausam. Non ergo volunt Christum reuera vuluam aperuisse (sicut nec alij infantes propriè aperiunt, qui nascendo, iam matres apertas, saltem inchoate, inueniunt) sed notarunt adhuc singulare discrimen inter infantem Christum, ac cæteros: quoniam hi matrum vuluas imperfectè aperiunt: at Christus veriùs aperuit, quia clausā omnino reperit. Est ergo sensus, ita ex clauso prodiit vtero, ac si omnino aperuisset, vt dicitur Matth. 5. 16. Spiritus sanctus apeuisse cælos, cùm in specie columbæ supra Christum apparuit. Nec enim sensus est, quòd cælos ita aperuerit, sed quòd tam verè de cælis descenderit, quàm si verè aperuisset illos. Ita Christus nascendo aperuit vuluam: quia tam verè natus est non aperiendo vuluam, quàm si verè illam ad A nascendum aperuisset.

*Verè & subtilis explicatio.*

*Ita ex clauso prodiit vtero, ac si omnino aperuisset, vuluam.* Matt. 5. 16.

Alij quoque sic interpretantur, Christum aperuisse vuluam nascendo: quia primonatus, seu primogenitus erat: nota phrasi in Scriptura, quòd qui primus nascitur, quasi viam aliis aperit nascituris. Sic legem prædictam communes explicant interpretes, *Omne masculū adaperiens vuluam, Sanctum Domino vocabitur*: id est, omnis primogenitus Deo offeretur. Alij denique aperire vuluam accipiunt, pro fœcunditatem matris re ipsa probare, ostendereque non esse sterilem, quod facit quisquis primus nascitur: sicut è contrario claudere vuluam significat sterilem facere, Genes. 29. B 31. & 30. 22. Ita censemus intelligendos esse Patres illos. Nam cæteros, nempe Ambros. Leonem, Gregor. Nyssen. Gaud. Fulgent. & alios, non oportet explicare, quoniam explicatè asserunt Christum clausis vteri viis exiisse. Ad eundem ergo prorsus modum intelligi oportet, Orientalem portam aperiendam esse Principi, vt diximus, apertam vuluam nascente Christo.

*Aliter explicatur: Aperuit vuluā, quia primogenitus natus.*

*Alij aperire vuluam, id est, ostendere fœcunditatem Matris. Claudere vuluam, id est, sterilem facere.*



# VISIO DECIMANONA,

## SORTIS VRBIS, PRINCIPIS, ET POPVLI.

### *Ezechielis Cap. 45.*

---

## ARGVMENTVM CAPITIS.



*OST designationem templi sequitur designatio ciuitatis, & diuisio terræ, pro Rege ac Tribubus. Prima enim portio Deo cedit, & in hac includitur portio Sacerdotum & Leuitarum; secunda ciuitati; tertia Regi; & post hanc sequuntur portiones singularum Tribuum, vt in Paraphrasi videbitur; deinde agit de iustitia mensurarum, & de mensura primitiarum.*

CAPVT XL. EZECH.

1. CVmque cœperitis terram diuidere sortitò, separate primitias Domino, sanctificatum de terra longitudine vigintiquinque millia, & latitudine decem millia: sanctificatum erit in omni termino eius per circuitum.

PARAPHRASIS.

C 1. *CVm de diuisione terræ in hæreditate agetur, primas partes dabitis Domino, seu prima diuisio erit Domino assignanda; Dei autem arbitrio hæc diuisio fiet, non vt prima sub Iosue, in qua paucioribus minor, pluribus maior data est. Aequaliter ergo iuxta Dei beneplacitum diuidetur terra; quæ tamen quia sermo est de hæreditatibus, quæ sorte diuidi solebant, ideo sortitò facienda dicitur. Leuate ergo, inquit Deus, leuationem primùm Domino; seu primas partes Domino, ex more offerentium primitias: nam Sacerdotes primitias offerentes solebant in altum manipulos leuare; idcirco ex more oblationum sacrarum, prima diuisio facienda pro Deo, dicitur sanctificatum, seu res sanctificata Domino. Prima*



2. Et igitur

2. Et erit ex omni parte sanctificatum quingentos per quingentos, quadrifariam per circuitum: & quinquaginta cubitis in suburbana eius per gyrum.

3. Et à mensura ista mensurabis longitudinem vigintiquinque millium: & latitudinem decem millium, & in ipso erit templum, Sanctúmque Sanctorum.

4. Sanctificatum de terra erit Sacerdotibus ministris Sanctuarij, qui accedunt ad ministerium Domini: & erit eis locus in domos, & in Sanctuarium sanctitatis.

5. Vigintiquinque autem millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui ministrant domui: ipsi possidebunt viginti gazophylacia.

6. Et possessionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia secundùm separationem Sanctuarij, omni domui Israël.

7. Principi quoque hinc & inde in separationem Sanctuarij, & in possessionem ciuitatis, contra faciem separationis Sanctuarij, & contra faciem possessionis vrbis: à latere maris vsque ad mare, & à latere Orientis, vsque ad Orientem: longiudinem autem iuxta vnamquamque partem à termino Occidentali, vsque ad terminum Orientalem.

8. De terra erit ei possessio in Israël: & non depopulabuntur vltrà Principes populum meum: sed terram dabunt domui Israël secundùm Tribus eorum.

9. Hæc dicit Dominus Deus: Sufficiat vobis Principes Israël: iniquitatem & rapinas

A *igitur pars terræ Domino dicanda continebit in longitudinem vigintiquinque millia calamorum ab Oriente in Occidentem; decem verò millia in latitudinem ab Aquilone in Meridiem. Congruentiùs autem calami ponuntur, non cubiti, cùm agatur de diuisione agrorum, qui per calamos rectiùs mensurantur. Totum igitur hoc spatium erit sanctum, non quidem vt templum, aut templi peribolus, sed ita vt terra Sacerdotum, in quorum etiam hæreditatem, & habitationem iubetur fieri hæc prima*

B *diuisio.*

*2. Maiori verò sanctitate erit sanctum spatium, in quo futurum erit templum, quia in Dei habitationem cedet; quingentos autem habebit per singula quatuor latera calamos. Erítque inter finem templi, & Sacerdotum habitationem, spatium quinquaginta cubitorum per circuitum, in quo, tum reuerentiæ causa, tum vt pulchritudo templi magis appareat, nullum erit ædificium; id significat ager suburbanus hoc loco.*

*3. Spatio illo maximò mensurato, hoc est, longitudinis vigintiquinque millium calamo-*

C *rum, latitudinis decem millium, fiet in medio eius designatio templi per quingentos calamos per circuitum in singulis lateribus.*

*4. Inseruiet autem spatium totum vigintiquinque millium longitudinis, & decem latitudinis Sacerdotum habitationi, & templo, erítque peculiari sanctitate separatum à reliqua terra Iuda.*

*5. Præter spatium illud maius Sacerdotibus assignatum, per vigintiquinque millia in longitudinem, & decem millia in latitudinem, desi-*

D *gnabitur deinceps æquale spatium in habitationem Leuitarum; quia similiter Domino seruiunt, ipsíque possidebunt viginti gazophylacia, quæ in eodem spatio in eorum gratiam ædificabuntur.*

*6. Post portionem verò Sacerdotum, & Leuitarum, quæ sacra erit, dabitur in possessionem ciuitatis spatium vigintiquinque millium calamorum in longitudinem, & quinque millium in latitudinem.*

*7. Post portionem Sacerdotum, & Leuitarum, ac post portionem ciuium, erit portio Principis cingens, & veluti vallans sacras possessiones, vt eas defendat: non assignantur autem li-*

E *mites possessionis regiæ; probabile est, fuisse tantam, quanta fuit Sacerdotum, & Leuitarum, alioqui mensuram Propheta posuisset.*

*8. Itaque pars Regis de terra erit, non ex vectigalibus, ne opprimat deinceps populum: factis autem huiusmodi portionibus, quod reliquum fuerit terræ, populo Israëlitico distribuetur.*

*9. Hactenus oppressisse populum meum satis vobis, ô Reges; separate terminos vestros à terminis*

nas intermittite, & iudicium, & iustitiam facite, separate confinia vestra à populo meo, ait Dominus Deus.

10. Statera iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis.

11. Ephi, & batus æqualia, & vnius mensuræ erunt, vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorum.

12. Siclus autem viginti obolos habet: porro viginti sicli, & vigintiquinque sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt.

13. Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis: sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei.

14. Mensura quoque olei, batus olei, decima pars cori est: & decem bati corum faciunt: quia decem bati implent corum.

15. Et arietem vnum de grege ducentorum de his, quæ nutriunt Israël in sacrificium, & in holocaustum, & in pacifica, ad expiandum pro eis, ait Dominus Deus.

16. Omnis populus terræ tenebitur primitiis his Principi in Israël.

18. Hæc dicit Dominus Deus: In primo mense, vna mensis, sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis Sanctuarium.

19. Et tollet Sacerdos de sanguine quod erit pro peccato: & ponet in postibus domus, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in postibus portæ atrij interioris.

A *minis populi, ne possessionis vestræ fines in alienas possessiones irruendo dilatetis, estote possessione vestra contenti, quandoquidem tanta est, quanta vniuscuiusque sit Tribus.*

*10. Erit ergo in vrbe vestra præcipua cura Magistratuum, vt mensuræ, ac pondera iusta sint; nimirum statera, & ephi, & batus.*

*11. Ephi ergo & batus æqualia sint, in illo aridorum, in hoc liquidorum mensura iusta erit, ita vt vtrumlibet decimam partem cori contineat, hoc est, ephi tria sata, batus item tria, nam corus triginta continebat.*

B *12. Siclus habet viginti obolos, id est, viginti grana siliquæ, vt vocant. Viginti autem sicli, hoc est, mna, sexaginta siclos habet, secundùm tres alias mensuras, quas in se continebat.*

*13. Ne autem Sacerdotum auaritia plus iusto exigat, dabitis certam mensuram, id est, pro primitiis cori frumenti sextam partem ephi; & cori hordei sextam partem ephi, hoc est, sexagesimam partem cori.*

*14. Lex olei hæc erit, vt detur batus olei, hoc est, decima pars cori, qui continet decē batos.*

C *15. Qui ducentas oues habuerit, vnum sacrificabit, eámque ex pinguioribus, ad expiationem peccatorum suorum.*

*16. Omnes Iudæi dabunt Principi Sacerdotū has primitias, vt ipse onus sustineat offerendi holocausta, & libamina in solemnitatibus.*

*18. Mense Martio, qui primus anni mensis, prima eius die, vitulum offeres ad expiationem Sanctuarij.*

D *19. Sacerdos verò sanguine tinget postes templi, & quatuor angulos crepidinis altaris, & postes atrij interioris. cætera patent.*

---

## COMMENTARIVS.

EX Paraphrasi constat, primam designationem templi factam per quingentos calamos in quadrum: post eiusmodi designationem sequebatur ager suburbanus quinquaginta cubitorum in circuitu, in quo nullum erat ædificium reuerentiæ causa. Post hos quingentos calamos portio Sacerdotum per viginti millia calamorum in longitudinem, & decem millia in latitudinem: deinde portio Leuitarum eiusdem magnitudinis. Postea ciuitatis, per æquale spatium, quoad longitudinem; quoad latitudinem verò quinque tantùm millia calamorum. Mox Regis, vt apparet, tanta quanta erat Sacerdotum, & Leuitarum. Denique singularum Tribuum portiones assignatæ sunt ex reliqua terra. Et de mensurarum, ac primitiarum iustitia præcepta dantur. Cùm ergo de templo iam suprà dictum sit satis, de cæteris, quæ ad vrbem, & portiones spectant, déque iustitia mensurarum, & primitiarum differemus.

### *An hæc vrbs ab Ezechiele visa vnquam extiterit?*

### SECTIO I.

1. *Mirum, Autores aliquos sumere hîc vrbem à Nehemia ædificatā, & præsentis loci, qui de hac vrbe agit, nō curare verba ad vrbis Ezechielis designationē.*
2. *Eisdem argumentis ostendi debet, esse vrbem aliam, ac ostensum est esse aliud templum.*
3. *Reiicitur veterum Hebræorum existimatio de vrbe Zorobabelis, quòd ea fuerit ædificata in ruinis antiquæ vrbis; at hæc Ezechielis minimè: nam in ea templum distat ab vrbe; in illa alia est intra vrbem.*

4. *Reiicitur maiori iure opinio recentiorũ Hebræorum, quòd ciuitas Ezechielis ædificanda sit à Messia. Nusquam in Scriptura habetur, Messiam esse ædificaturum ciuitatem aliquam.*

5. *Reiicitur & sententia Lyrani, quæ vult vrbem esse Zorobabelis, sed non ædificatam cũ apparatu Ezechielis, ob peccata populi, quia non potest explicare, quomodo templum nō sit à Zorobabele extra vrbem ædificatum, quod hic apud Ezechielem iubetur.*

6. *Significari potius politicum principatum in Ecclesia, iuxta Hieronymum, Gregorium, & alios, ex loco Psalmi 2. Duplex in Ecclesia principatus colligitur; Ecclesiasticus, & secularis. Quare hic soli tantùm designationes fiant?*

*Arguuntur qui vrbem Ezechielis explicant alieno textu.*

1. MIROR Autores aliquos modernos hanc vrbem accipere pro vrbe à Nehemia post captiuitatem instaurata, ac textu hoc penitus omisso, vrbis statum, ac formam ex 2. Esdræ cōcinnare. Vnde enim meliùs constare potuit ratio vrbis Ezechielis, quam ex capite hoc 45. Ezechielis, in quo de illa priuatim agit? aut quid opus fuit interpretem Ezechielis, vrbem eius ex aliorum librorum capitibus exponere, & ne verbum quidem hinc desumere ad explanationem?

2. Vt ergo constent quæ in re dubia sese offerunt, repetere oportet quæ suprà diximus ad caput 40. vbi similiter inuestigauimus, num templum Ezechielis fuerit idem cum Salomonico? ferè enim eadem argumenta, quæ aliud templum fuisse probant, similiter & aliam fuisse probant ciuitatem.

*Veterum Hebræorum reiicitur opinio.*

3. Veterum ergo Hebræorum primũ illud placitum (hanc scilicet vrbem eandem esse cũ vrbe à Zorobabele condita) eodem argumento concidit, quo & existimatio similis de tēplo, vt videre est citato loco, & maximè ex illo contra ciuitatē Zorobabelis; quòd ea instaurata fuerit in ipsis ruinis vrbis antiquæ, vt cōstat Nehem. 2. ac adeò templum intra eadem spatia vrbis, sicut antea, fuerat ædificatum. At verò ex cap. 45. constat, vrbem distare à situ templi per multa milliaria, quæ in portionibus Sacerdotum, & Leuitarum interiacent, vt loco iam allegato probatum manet.

Recentiores Hebræi. *Recentiores Hebræi explodunt ur.*

4. Sed & recentiorum Hebræorum peius illud commentum, quod ibidem proposuimus, ne audiri quidem potest: Hanc vrbem Ezechielis non fuisse adhuc ædificatam, sed ædificandam à Messia, postquam gentes omnes debellauerit. Vnde aiunt IESVM Nazarenum Messiam non esse, quòd ciuitatem Ezechielis non ædificauerit. Vanissimè dictum: nam, vt suprà demonstrauimus, nusquam reperitur in Scriptura, Messiam ædificaturum aliquam ciuitatem corporalē, aut armis visibilibus orbem esse debellaturum, videlicet quòd solitum id, & per Alexandros, Pompeios, Scipiones factitatum vulgari militandi apparatu, & vi: at Christus Optimus Maximus orbem quidem debellauit, & Ecclesiam in eo erexit sola autoritate prædicationis suæ, & vi miraculorum. Quod inauditum, & inusitatum fuit, & præuisum quidem à Daniele cap. 2. 34. in lapsu parui lapidis, qui statuæ illius prodigiosæ multiformitatem & apparatum metallorum omnino comminuit, & in montem postea creuit, qui totum terrarum orbem occupauit. Quo significatũ est, vt latè ad eum locum explicabimus, Christum humilitate sua omnia orbis imperia dissipaturum, ac pro iis imperium suum, nulla vnquam vi delendum, in omnes terræ plagas extensurum.

*Christus orbem debellauit, & Ecclesiam erexit autoritate prædicationis, & miraculorũ.* Dan. 2. 34.

*Humilitate sua regna mundi subegit.*

Lyran. *Lyrani sententia non probatur.*

5. Nec verò Lyrani sententia nobis placet, qui, vt eodem loco vidimus, credit, posse hanc eandem vrbem intelligi à Zorobabele ædificatã, etsi non sub ea magnitudine, qua Ezechieli monstrata est: idque ob peccata populi, nam & in captiuitate desperauit de promissione Diuina circa instaurationē vrbis, & in Palæstina accepit vxores alienigenas contra præceptum Domini, 1. Esdr. 9. 1. Manet nihilominus explicandum Lyrano, quomodo templum intra vrbem ædificatum fuerit à Zorobabele, quod extra illam à Deo iubetur ædificari, vt cap. 45. apparet? Deinde quomodo non sunt distributæ reliquæ portiones, eo modo quo hîc iubentur distribui, æquales, scilicet, singulis Tribubus, cap. 47. 14.

*Templum ædificatur à Zorobabele intra vrbē. Ezechieli ostenditur extra illam. Vrbs Ezechielis significat principatum secularem Ecclesiæ.* D. Hier.

Quare sententia vera est, hanc vrbem significare secularem principatum in Ecclesia, vt affirmant D. Hieronym. in hæc capita, D. Greg. in expositione huius Visionis, Hugo Cardin. Carthusianus, Maldonatus, & Lyranus, qui relicta priori opinione, ad communem hanc se vltrò contulit. Voluit igitur Ezechielem, vt vidit, sub typo templi, Ecclesiasticum principatum, ita sub typo vrbis secularem aspexisse. Nam vel ob id nihil aliud in hoc capite, quàm soli designationes prætendit, implendas videlicet in lege gratiæ, iuxta illud Isaiæ 49. 16. *In manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis*, &c. Constat videlicet Ecclesia Christi ex vtraque monarchia, Ecclesiastica, & seculari, quod significauit Regius Vates Psal. 2. 6. vbi Christus Rex ad literam: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum eius*, id est, super Ecclesiam: erat quippe mons Sion biiugus, & in altero quidem eius colle erat arx, seu ciuitas Dauidis; in altero templum: vtrumque enim Magistratum, Ecclesiasticum, & politicum, Ecclesia continet, vt in præsentibus deducemus.

*Designationes soli duntaxat vidit Ezechiel, implendas in lege gratiæ.* Isa. 49. 16. *Christus rex super Sion biiugum, propter duplicem principatum.* Psal. 2. 6.

## *De Ecclesiastico Principatu.*

### SECTIO II.

1. *Ecclesiasticus principatus prius esse ostenditur.*
2. *Quod templum in medio ædificari iubetur, significatur principatus Ecclesiasticus, ex more Scripturæ, 3. Reg. 3. Daniel. 4. Ezechiel. 34.*
3. *Ecclesiastica respublica spiritualis à Christo fundata. Primùm commissa Petro, & deinceps sequentibus Pontificibus, quod probatur.*
4. *Ecclesiastica hierarchia in templo, & cæteris portionibus Sacerdotum ad similitudinem cælestis hierarchiæ, ex loco Ps. 10. & ad Hebr. 8. regnum cælorum quomodo dicatur Ecclesia militans?*
5. *Separatio Principatus sacri, & profani, ex loco 2. Timot. 2. & ex sententia Nicolai Papæ in epistol. ad Michaëlem Imperatorem.*
6. *Vtrũlibet ius sine præiudicio alterutrius seruari debet, ex illo Christi,* Reddite quæ sũt Cæsaris, Cæsari, &c. *& ad Roman. 13. exemplo Thebanorũ ducum apud Maximianum. Ex conscientia debetur obedientia Regibus, iuxta Paulum loco citato.*
7. *Locus egregius D. Ambrosij aduersus Principes, qui vsurpare volunt iurisdictionem Ecclesiasticam. Alter Gregorij Nazianzeni.*
8. *Licèt in lege naturæ Reges fuerint Sacerdotes, vt Melchisedech: tamen in lege gratiæ id moris esse desiit. Quod ostenditur ex loco Nicolai Papæ, & Psal. 100. Item ex Hosio.*
9. *Agitur cōtra Reges asciscētes ministros Ecclesiasticos ad gubernacula profana, ex loco Apocalypsis 12.*

1. IPSA

*Ordo ædificij vrbis.*

1. PSA descriptio à Deo ordinata satis ostendit Ecclesiasticum principatum esse priorem. Nam primùm designata est portio Sacerdotum,& in medio eius iussum est ædificari templum; deinde portio Leuitarum, postea ciuitatis, mox Principis, denique Tribuum cæterarum. Vers. 1. *Cúmque cœperitis terram diuidere sortitò separate primitias Domino, sanctificatum de terra, longitudine viginti quinque millia, & latitudine decem millia. Sanctificatum erit in omni termino eius per circuitũ.* Vers. 3. *Et in ipso erit templum, Sãctũmque Sanctorũ.* Vers. 4. *Sanctificatum de terra erit Sacerdotibus.* Vers. 5. *Viginti quinque millia longitudinis, & decem millia latitudinis erunt Leuitis, &c.*

*Templum in medio situm innuit, principale esse ex more linguæ.* 3. Reg. 3. 7.

*In medio esse id est, principem esse.* Dan. 4. 7.

*Christi familiaris principatus exprimitur.*

2. Nam quòd templum in medio situm dicitur, innuit quendam modum principalis potestatis, more loquendi Hebræis noto, iuxta illud Salom. 3. Reg. 3. 7. *Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum puer paruulus: & ignorans egressum, & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi, quem elegisti*, &c. id est, constitutus sum Princeps populi tui electi. Sed & Daniel. 4. 7. explicans Nabuchodonosor somnium arboris quam viderat, ait, *Videbam, & ecce arbor in medio terræ*, &c. qua significabatur is ipse toti quodammodo terrarum orbi latè dominans, vt interpretes eo loco explicant. Similiter hìc præcipit Deus, vt sibi in medio paretur locus tanquam Principi. Quare & Ezechiel. 34. 24. ait: *Ego pascam oues meas, & suscitabo super illas pastorem vnum, qui pascat eas, seruum meum Dauid. Ego Dominus ero eis in Deũ: & seruus meus Dauid Princeps in medio eorum.* Intelligit Propheta Deum, quatenus Deus est, pascere Ecclesiam suam, sed quia minùs gratum ouibus visibilibus se futurum nouerant, vtpote pastor inuisibilis, idcirco se suscitaturum, hoc est, incarnaturum pollicetur Filium suum, qui accommodatè pascat eas, & sit Princeps in medio earum, id est, familiarem inter eas principem agat.

*Ecclesia, respublica à Deo spiritualiter administrata.* Ioan. 21. 17.

*Eius administratio cõmissa Petro, & successoribus.*

*Petrus omnes futuros Pontifices in se cõtinebat.* D. Aug.

*Vnitas Pastorum præfigurata in Petro.*

*Similitudo cælestis Hierarchiæ.*

3. Quo loco notandum est ex Prophetæ verbis constare, Ecclesiam esse Rempublicam, quam Deus, & Christus Optimus Maximus spiritualiter pascit, dirigendo illam ad salutem æternam, quem principatum commisit Petro Christus, Ioan. 21. 17. cùm dixit: *Pasce oues meas.* Manifestè autem continuare voluit successionem huius Principatus per Petrum, & alios Apostolos, & sequentes Pontifices. Nam, *oues meas*, absolutè dixit, videlicet, quæ tunc erant, & futuras; manifestum autem est, Petrum futuras per secula consequentia non potuisse per se pascere. *Pasce*, ergo dixit Petro; non quatenus persona quædam particularis erat, sed quatenus in se ipso quasi omnes futuros Pontifices continebat. Vnde illud Augustini lib. de pastor. cap. 13. Inuenio omnes Pastores hos in vno pastore, nempe Christo, imò verò in ipso Petro vnitatem commendauit; multi enim erant Apostoli; & vni dicitur, *Pasce oues meas.* Sic Augustinus. intelligit ergo in vno Petro, quasi vnitos omnes Apostolos, & consequenter omnes summos Pontifices, cùm dixit: *Pasce oues meas.* Non enim per Petrum, & Apostolos, plenè prouidebat ouibus suis. Vnde & serm. 24. de Sanctis, cap. 2. ait idem Aug. In vno Petro figurabatur vnitas omnium Pastorum.

4. Præterea, quòd Deus parari sibi sedem iubeat in medio Sacerdotum, & Leuitarum, similitudinem vult indicare cælestis Hierarchiæ:

A vt quemadmodum is in cælesti solio sedet stipatus vndique Angelorum choris, ita in terra solium habeat, ipsum videlicet propitiatorium, in quo soleat, populúmque suum regat, stipatus vndique Sacerdotibus, & Leuitis, tanquam Angelis, & administris imperij sui. Vnde est illud Psal. 10. 4. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* quasi velit Propheta innuere conformitatem, & correspondentiam vtriusque Dominatus, & Hierarchiæ, cælestis videlicet, ac terrestris; vt sicut in cælesti templo sedet Deus Rex Regum, ac Dominus Dominantium, ita in terrestri sedeat dominatione, & imperio sacro sublimis, similique Angelorum stipatus satellitio: nam & Sacerdos Angelus Domini est, Malach. 2. 7. B & Paulus ad Hebr. 8. 5. Sacerdotes, ait, vmbræ deseruire cælestium: hoc est, simili ratione deseruire in terra, ac cælestes illi spiritus in cælo deseruiunt. Idcirco & Ecclesia nostra militans sæpe dicitur in Euangelio, *Regnum cælorum*: obseruántque Patres, maximè Augustinus, idcirco esse, quoniam ad instar cælestis regni ordinata est; nam regni vocabulum dispositionem importat ab vno capite, per intermedias dignitates, vsque ad infimæ plebis homines: & regni cælestis comparatio, sacratissimum illum ab æterno Deo per intermedios Angelos, Apostolos, Martyres, Confessores, Virgines, vsque ad infimum Beatũ, indicat ordinem in Ecclesia militantè expressum ab eodem Deo per summum Pontificem, C reliquósque Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, & reliquos ordines vsque ad infimum.

*Psal. 10. 4. Conformitas vtriusque Dominatus, cælestis ac terrestris.*

*Malac. 2. 7. ad Hebr. 8. Sacerdotium terrestre, vmbra cælestis deseruire, quid sit? Quare Ecclesia dicitur regnum cælorum?*

*Separatio principatus Ecclesiastici à profano.*

*Iura vtriusque diuersa.*

*Principes vtriusque ordinis intra suos limites se contineãt.* 2. Paral. 26. 1. Reg. 13.

5. Atenim separatio terræ sacræ à terra profana manifestè innuit huius sacri Principatus separationem à principatu profano. Ex quo primùm sequitur, iura vtriusque potestatis, Ecclesiasticæ, & secularis, distincta esse; & ideo Principes in vtraque debere se intra suo iurisdictionis limites continere, vt nec Ecclesiasticus in secularem, nec secularis in Ecclesiasticam iurisdictionem se immittat. Nullus ergo sit Osias, qui incensum ritu Sacerdotali offerre tentet, 2. Para- D lipom. 26. nullus Saül, qui moram faciente Samuele sacrificium offerat, 1. Reg. 13. ne & ille lepra in fronte, & hic peiori lepra frontis, stultitia notetur. Sic enim ibi Samuel increpans Saülem, quòd sacrificare ausus fuerit: *Stultè egisti.* Non sit item Sacerdos, aut Episcopus, qui potestatem laicam vsurpare præsumat, qui aulas Regum sectetur, qui bella tractet, qui negotiis mũdi se implicet relicto grege suo. Rectè enim Apostolus 2. ad Timoth. 2. 4. *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Verbum, *implicat*, in præsenti, vt aliàs sæpe in sacris literis, morem, & propositum firmum significat, vt Virgo Deipara, Luc. 1. 34. *Virum non cognosco*; hoc est, statutum habeo non cognoscere: idque ex voto concepto, vt graues Patres asserunt. Sic E etiam, qui semel se cælesti militiæ addixit, quasi sacramento ad eam tenetur, eodémque se abstinere debet ab omnibus negotiis secularibus, vt soli Deo placeat, cui se professione militiæ probauit. Nec enim (vt ait Ambros. ad hæc verba) duplicem quis professionem habere conuenit. Et egregiè Nicolaus Papa in epistol. ad Michaëlem Imperatorem in hanc rem ita loquitur. Idem mediator Dei & hominum Christus Iesus sic actibus propriis, & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusque discreuit, vt & Christiani

*2. Timot. 2. 4.*

*Luc. 1. 34. Ecclesiasticus quasi sacramento se addixit militiæ Christi.*

*D. Ambr. Nicol. Pap. Nemo duplicem professionem habet.*

*Quomodo Deus discreuit vtramque potestatem.*

Impera

Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus vterentur. Sic ille. A

*Cuique suũ ius seruãdũ impermixtũ. Matt. 22. 21. Obligatio iustitiæ, ad seruandum vtrumque ius integrũ. Rom. 13. 7.*

6. Deinde illud quoque sequitur ex prædicta separatione, quòd cuique suum ius sine præiudicio alterius seruare & possumus, & debemus. Iuxta illud Christi Matth. 22. 21. *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Vbi verbum, *reddite*, innuit obligationem iustitiæ: quam Paulus quoque expressit illo ad Rom. 13. 7. *Reddite ergo omnibus debita, cui vectigal, vectigal; cui tributum, tributum; cui honorem, honorem; cui timorem, timorem.* Quod sanctè admodum distinxisse referuntur egregij duces illi Thebanæ legionis Mauritius, & Exuperius, cùm Maximiano Imperatori ad idola compellenti, responderunt: Milites, inquiunt, tui sumus, ô Imperator, sed tamen serui Christi: tibi disciplinam, & operam debemus militarem; Deo autem debemus obedientiam, & innocentiam. In hoc te sequi non possumus, vt nostrum abnegemus conditorem. Sic illi. Hæc autem obligatio, qua tenentur Regibus suis Christiani omnes, non est solùm ex eo, quia aliter eis resistere non possunt, sed ex conscientia, vt expresè docuit D. Paulus loco citato, assignans causam, quare sint tributa reddenda: *Ideo*, inquit, *necessitate subditi estote* (quando aliter communis rerum status consistere non potest, quin Magistratus publici iustitiam administrent) *non solùm propter iram* (eorundem scilicet in delinquentes) *sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes.* Quare autem non repugnet, vtrique iuri subditum esse Christianum, reddit causam D. Thom. 2. 2. q. 10. art. 10. quia dominium, inquit, introductum est iure humano, distinctio autem fidelium, & infidelium est ex iure diuino; ius autem diuinum, quod est ex gratia, non tollit ius humanum, quod est ex naturali ratione. Ita D. Thom. B

*Milites Imperatoris, & serui Christi.*

*Obligatio obedientiæ Christianorũ erga Reges suos, est ex conscientia.*

*D. Thom. Ius diuinum non tollit ius humanũ.*

*Principes hæreticos iniquissimè vẽdicare sibi iurisdictionem spiritualem. D. Ambr.*

7. Ex dictis quoque sequitur, iniquissimè Principes hæreticos vendicare sibi iurisdictionem spiritualem, quæ immediatè data est per Christum Petro, & successoribus eius: quam in rem liberè est illud ab Ambrosio dictum in epist. 14. aliàs 33. ad Marcellam sororem. Allegatur, ait, Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo. Noli te grauare, Imperator, vt putes, te in ea, quæ diuina sunt, imperiale ius habere; noli te extollere, sed si vis diuinitus imperare, esto Deo subditus. Scriptũ est, quæ Dei Deo; quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorẽ palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesia, publicorum tibi mœnium ius commissum, non sacrorum. Sic Ambr. Rectè quidem monet Imperatorem, vt subdatur Deo, si velit diuinitus imperare; nam qui aliter imperare præsumit, diabolicè imperat. Sed & Nazianzeni Gregorij præclara illa est sententia ad Principes suæ Diœcesis, Oratione 17. Quid, inquit, vos Principes, & Præfecti? anne liberè loquentem æquo animo feretis? Nam vos quoque lex Christi imperio meo ac throno subiicit: Imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam, præstantius ac perfectius, nisi verò æquum est, spiritum carni fasces submittere, & cælestia terrenis cedere. Ita ille. Vbi rectè præposteram sugillat in Principe temporali administrationem spiritualem, qualis foret ea, qua spiritum caro regeret, aut terra cælum.

*In ea, quæ diuina sunt, imperiale ius nihil posse. Imperator diuinitus imperat, si Deo subditus sit. Principes hæretici, & Deo nõ subditi, diabolicè imperant. Greg. Naz. Lex Christi subiicit Imperatores imperio Episcopali. Imperium Episcopale præstantius Imperiali.*

*Quòd Reges fuerint Sacerdotes: iure gentiũ introductum, dissolutum verò lege scripta, & gratia. Nicol. Pap.*

8. Nec obest quòd in lege naturæ Reges fuerint Sacerdotes; qualis Melchisedech: nam id cùm iure gentium, & moribus populorum tantummodo contigerit, ex eadem iuris vi desiit esse in lege scripta, & maximè in lege gratiæ, in qua omnium antecedentium legum figuræ completæ sunt. Quod expresè docuit Nicolaus Papa loco citato. Fuerunt, inquit, hæc ante aduentum Christi, vt quidam typicè Reges simul & Sacerdotes existerent, quod sanctum Melchisedech fuisse sacra historia prodit: sed cùm ad verum ventum est; eundem Regem, atque Pontificem esse vltrà nec Imperator, nec Pontifex vsurpauit. Sic ille. Optimè quidem: vt ad verum, scilicet Melchisedech, id est, Christum, ventum est, desiit typicus Melchisedech, & quis alius in vlla lege Rex simul, & Sacerdos fuit: solus enim Christus expectabatur, qui verus Rex esset, & Sacerdos, iuxta Psalm. 109. 4. in quo Vates Messiam Regem celebrat virga dominatrice insignitum, additque insuper: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Itaque is solus verus Melchisedech, atque, vt ad verum ventum est (ait Nicolaus) limes præfixus, & clausula immissa est Regibus, & Sacerdotibus, vt qui ampliùs inuaserit vtrumque ius, non verus, sed verè fallax, & mendax esse intelligatur Melchisedech. Præclarè Episcopus Hosius, referente Athanasio in epistola ad solitarios: scribens enim ad Constantium Imperatorem, Serua te, inquit, in diem Iudicij purum Regem, ne te misceas Ecclesiasticis. Sic ille. Rex ergo, qui se miscet Ecclesiasticis, iure dici potest impurus, & mixtus Rex. C

*Adueniente vero Melchisedech Christo, desiit typicus.*

*In vero Melchisedech limes præfixus Regibus & Sacerdotibus.*

*Hosius.*

*Purus Rex: qui se non immiscet Ecclesiasticis rebus. Reges ne asciscant Episcopos ad gubernacula profana.*

9. Non solùm autem Reges probi cauere debent ne se immisceant iurisdictioni spirituali, sed ne Episcopos, aliósue ministros Ecclesiasticos asciscant ad tractanda gubernacula profana: id enim est stellas è cælo detrahere in terram; quod fecit draco ille rufus, hoc est, diabolus, cauda sua trahens in terram tertiam partem stellarum, Apocal. 12. 4. quo significari potest, præposteram esse in illis Regibus gubernandi rationem, & non tam iudicio, & maturitate capitis, quàm brutali, & diabolica circumactione, cùm cælestes ministros Ecclesiæ ad negotia terrena peragenda trahunt. D

*Apoc. 12. 4. Præpostera gubernandi ratio Regum per Episcopos, aliósue Ecclesiasticos.*

---

## De Principatu ciuili.

### SECTIO III.

1. *Homines ex vi creationis habent à Deo supremam potestatem ciuilis gubernationis, ex eo quòd homo sit animal sociabile, & societas conseruari nequeat sine potestate se gubernandi, sit autem Deus causa non modò hominis, sed rerum omnium, quæ naturam eius consequuntur.* E
2. *Ideo primùm Deo sedes locatur, ac Sacerdotibus, mox vrbi. Agitur de iustitia mensurarum, quæ rempublicam inprimis concernit.*
3. *Sidus Sanctuarij nominatur, non quòd maior, sed quòd iustior. Cur Propheta vnam circumlocutione trium mensurarum explicet?*
4. *Cain in vrbe, quam ædificauit, primus iniustas intulit mensuras, referente Iosepho. Quàm vtilis sit ciuitatibus æquitas mensurarum, ostenditur.*

1. **S**EQVITVR. Principatus profani species in portione assignata vrbi, & Principi. Primùm dicemus de administratione vrbis, quæ suapte natura prior est. Post portionem ergo templi ac Sacerdotum, sequitur portio vrbis. Vers. 6. *Et possessionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis viginti quinque millia, secundum separationem Sanctuarij omni domui Israel.* Primum notandum est, ex vi creationis hominum, per naturalem consequutionem sequi, vt in populum perfectum congregati, habeant à Deo supremam potestatem ciuilis gubernationis, qua videlicet se ipsos gubernent. Nam cùm (vt ait Aristoteles) homo sit animal natura sua sociabile, & congregabile, naturalis autem hæc societas siue congregatio conseruari non possit absque administratione ciuili, necessariò quoque illi debet inesse potestas ad se gubernandum. Cùm autem Deus non modò naturæ hominis autor sit, sed omnium quoque, quæ naturaliter eam consequuntur, fit vt ea potestas à Deo sit, non interuentu alicuius aut præcepti, aut reuelationis, sed consequutiuè ex sola vi naturalis creationis. Atque hæc doctrina communis est & Theologorum, & Iurisperitorum. Vnde Vlpianus ad legem 1. ff. de Constit. Princip. populum ait, omne suum imperium transtulisse in Principem. Priùs ergo omne imperium fuit penes populum.

*Ex vi creationis, populi congregati habent ius gubernandi se.*
Aristot.
*Ius & potestas gubernandi in populo, est à Deo, non per aliquod præceptum, sed per naturalē consequentiam.*
Vlpianus.
*Populus suū ius in principes trāstulit.*

2. Quamobrem & Deus (vt est in omnibus ordinatissimus) collocato templo, sede videlicet sua, & portionibus Sacerdotum, ac Leuitarum, qui sunt ipsius ministri, illico posuit vrbanam siue popularem portionem. Addit verò statim de ponderum, ac mensurarum iustitia, quia reipublicæ est inprimis necessaria. *Statera*, inquit, *iusta, & ephi iustum, & batus iustus erit vobis. Ephi, & batus æqualia, & vnius mensuræ erunt, vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partē cori ephi: iuxta mensuram cori erit æqua libratio eorū. Siclus autem viginti obolos habet: porro viginti sicli, & viginti quinque sicli, & quindecim sicli, mnam faciunt.* Ponit Propheta has mēsuras solùm, vt per eas intelligātur cæteræ. Similiter Amos 8. 4. 5. *Audite qui conteritis pauperes, & deficere facitis egenos terræ, dicentes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces, & apponemus frumentum, vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas?* pro mensura, quam absolutè posuit noster, est in Hebræo, אפה *Epha*, seu, *Ephi*.

*Ideirco vrbana portio est post Diuinam, & Sacerdotalē.*
*Curare mēsuras publicas proprium reip.*
Amos 8. 4. 5.

3. De ephi, & bato, non est, quòd inquiramus: nam eorum rationes explicauit Ezechiel. Hoc solum notari debet, ephi esse mensuram aridorum, batum liquidorum, corum autem, communem aridorum, & liquidorum. Vtrumque ex hoc loco perspicuum est, & ex 3. Reg. 4. 22. & ex cap. 5. 11. Obolus Hebraicè גרה vt Hebræi tradunt, grana siliquæ. Similiter Exod. 30. 13 *Siclus viginti obolos habet.* Et cùm ibi agat Moyses de siclo templi, hîc autem Ezechiel de siclo publico seu vulgari, rectè hinc multi colligunt, siclum sacrum & profanum eiusdem esse mensuræ. Vnde colligitur, verum non esse, quod aliqui Autores asserunt, siclum templi maiorem esse, aut minorem. Variè enim in hanc materiam opinantur Lyran. ad vltimum Leu. Pagninus in Thesauro, Vatabl. Exod. 30. & alij. Quod quidem mirum est; cùm manifestum sit Exodi illo loco, & hîc apud Ezechielem agi de sacro & pro-

*Ephi mēsura aridorū, batus liquidorum, corus communis.*
3. Reg. 4. 22.
Exod. 30. 13.
*Siclus sacer, & profanus eiusdem mēsura.*
Lyranus
Pagnin.
Vatabl.

A fano siclo, & eodem omnino obolorum numero claudi vtrobique. Quòd autem Scriptura toties pro discrimine nominet siclum Sanctuarij, non est, quòd maior sit, aut minor, sed quòd iustissimi fuerit ponderis, vt esset inuiolabilis mensura cæterorum; sicque obuiam iretur auaritiæ diuitum. Sic intelligitur illud Exod. 30. *Hoc autem dabit omnis, qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* *Ad nomen*, aliàs, *ad numerum*, vt intelligantur nominati, seu numerati, ad bellum, scilicet. Et Leu. vltimo 25 *Omnis æstimatio siclo Sanctuarij ponderabitur.* Vtroque enim loco exigitur solùm iustitia sicli profani, ad siclum sacrum. Quod verò addit Propheta hîc de mna, quòd cōtineat *viginti siclos, & vigintiquinque siclos,*
B *& quindecim siclos,* significat, mnam habere sexaginta siclos. Cur autem vsus fuit Propheta ea circumlocutione, rationem reddit Rab. Dauid, quòd mna tres alias mensuras contineret, quarum vna quindecim siclos habebat, id est, quartam mnæ partem; secunda viginti, hoc est, tertiam; tertia vigintiquinque, id est, tertiam cum duodecima. Et est sermo de mna profana (vt annotat Kimhi) non de sacra, quæ erat duplo maior mna profana, quia habebat siclos centum viginti.

*Siclum Sanctuarij vocat Scriptura, non quòd maior sit, sed quòd iustior.*
Exod. 30. 13.
Leu. 27. 25.
*Mna tres mensuras continebat, quod circūlocutione expressit Propheta.*
*Mna profana, diuersa à mna sacra.*

4. Quòd verò in republica magna soleat esse, in hac mensurarum, & ponderum ratione corruptio, experientia constat, ducta etiam à primis il-
C lis temporibus. Nam Iosephus narrat Cain vrbem à se conditam eo vel maximè deprauasse, quòd pondera, & mensuras iniustas excogitauerit. Idem apparet ex vtroque loco illo Ezechielis, & Amos, quos citauimus. E contrario, mensurarum vtilitas ac planè necessitas in omni bene constituta ciuitate colligitur ex loco Sapientia 11. 21. Nam cùm vniuersam hanc mūdi rempublicam conderet Deus, ponderum & mensurarum iustitiam ritè statuit. Sic enim ad illum Sapiens: *Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti.* Et Aristoteles 9. Metaph. quamlibet rempublicam inquit curare debere, vt dimensio-
D nes magnitudinum, & ponderum quantitas, rerúmque humidarum, aridarúmque mensuræ iustæ sint, quòd iis communis vsus humanæ societatis indigeat. Idcirco & Leuit. 19. 35. districtè præcipitur mensurarum, ponderúmque æquitas. *Nolite*, inquit, *facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura: statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquúsque sextarius: Ego Dominus Deus vester.* Quæ vltima verba legis sanctitatem ostendunt, quam scilicet Deus suo nomine ratam voluit: est enim excellens nomen, יהוה

*Cain pōdera & mensuras iniustas excogitauit.*
Sap. 11. 21.
*Deus primò ponderum & mensurarum iustitiā sanxit.*
Aristot.
Leu. 19. 35.
*Sanctitas legis de ponderibus, & mensuris.*

Vsque adeò autem Deus ponderum, mensurarúmque rationes sanctas esse vult, vt ad eas exigendum sibi esse iudicium affirmet Isai. 28. 17.
E *Ponam*, inquit, *in pondere iudicium, & iustitiam in mensura*; id est, quæ iudicaturus sum, ac iustè de vobis decreturus, ad libram examinabo, & quasi ad palmos, vel cubitos exigam. Vno verbo, iustissimè id præstabo. Quin & Virgilius quasi æmulatorem veri Dei Iouem fingens Æneid. 12. iudicantem de Turni Æneæque fatis sic inducit:

*Iudicium suū ad mensuram exigit Deus.*
Isai. 28. 17.

*Iuppiter ipse duas æquato examine lances*
*Sustinet, & fata imponit diuersa duorum,*
*Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.*

Iustitiæ quoque simulachrum antiquitas ita efforma

*Iustitia simulachrum cum bilance & gladio.*

formabat, vt Virgo videretur bilancē sinistra manu tenens, gladium dextra vibrans. De quo Pierius lib. 42. Hierogly. in gladio. Vnde illud Orphei in Hymnis, vt est apud Stobœum, de iustitia: O iustissima Dea mortalibus, beata, optabilis, quæ semper iustis hominibus propter bonitatem gaudes, veneranda, felicissima, gloriosa iustitia, quæ pura mente semper digna cuique distribuis, integra conscientia fruens: semper autem cōminuis omnes, quotquot staturam tuam non subeūt, sed vltra ipsam lancibus duris inexplebiliter declinant. Ita apud Orpheum. Qui rectè iustitiam exhibet statera instructam, & ab ea declinantes in lances duras, hoc est, iniustas, gladio suo non tam vulnerantem, quàm comminuentem. A

5. Primitiarum quoque, & sacrificiorum religionem commendat vrbi. *Et hæ sunt primitiæ, quas tolletis, sextam partem ephi de coro frumenti, & sextam partem ephi de coro hordei, &c.* D. Hier. putat hoc loco assignari numerum primitiarum, cùm tamen in Pentateucho non fuerit præscriptus, vt eat obuiam Deus auaritiæ Sacerdotum, qui iusto plus exigebant in primitias. Declaratur autem, vt sexagesima pars detur ex fructibus terræ. Nam cùm ephi decima pars esset cori, sexta pars ephi, sexagesima est cori. Confirmat autem id ex Hebræorum traditione, quæ docet, pro primitiis nec minus quàm sexagesimam, nec plus quàm quadragesimam partem dari posse. Reliquam partem capitis insumit Vates in commendandis, ac designandis sacrificiis, quæ à populo offerenda erant. Vt vrbem ostenderet duabus potissimùm rebus stabiliri, iustitia erga homines, pietate erga Deū, illámque exprimi per mensurarum æquitatem, hanc per sacrificiorum oblationes. B C

*In Pētateucho non præscribitur numerus primitiarū. Hic præscribitur contra auaritiam Sacerdotum.*

*Vrbs iustitia & pietate stabilitur.*

---

## De Principatu regali.

### SECTIO IV.

1. *Exprimitur ratio possessionis regiæ in textu.*
2. *In textu manifestè videtur, quomodo potestas regia à Deo per intermediam potestatem ciuilē oriatur. Locus egregius Augustini. Expenditur lex 1. ff. de constit. Princip.*
3. *Ex loco Deut. 17. colligitur, Deum supponere potestatem regiam à plebe nasci. Quid sibi Deus reseruauerit in constitutione Regis facta per populum? Ostenditur in creatione Saul in Regem.*
4. *Exhortatio ad Reges salutaris. Ostenditur, partes Regis esse, protegere Ecclesiam, & ciues.* D

1. POST possessionem templi Sacerdotum, ac vrbis, sequitur possessio Principis, vt apparet in Paraphrasi. Vers. 7. *Principi quoque hinc & inde in separationem Sanctuarij, & in possessionem ciuitatis contra faciem separationis Sanctuarij, & contra faciem possessionis vrbis, à latere maris, vsque ad mare, & à latere Orientis vsque ad Orientem. Longitudinis autem iuxta vnamquamque partem, à termino Occidentali, vsque ad terminum Orientalem.* E

2. Ex hoc textu manifestè colligitur, potestatem regiam fluere quidem à Deo, sed per communitatem intermediam in Reges ipsos. Fitque illud primum, nullum Monarcham, ex communi lege, habere, aut habuisse immediatè potestatem à Deo. Quæ est communis sententia Theologorum, & Iurisconsultorum. Nam vt homo quilibet iure naturæ à cuiuscumque alterius hominis seruitute liber est, ita hominum quælibet perfecta communitas secundùm idem ius eandem omnino libertatem habet: nulli enim mortalium dedit Deus potestatem in alios homines, sed ex communi consensu ipsimet homines Reges constituerunt super se. Vnde est illud D. Aug. 3. Confes. 8. Generale pactum est societatis humanæ, obedire Regibus suis. Idem etiam constat ex leg. illa 1. ff. de constit. Princip. vbi prædictum pactum appellatur, lex regia, quæ scilicet de Rege creato per populum ex communi consensu lata est, vt glossa, & Doctores ibi explicant.

*Potestas regia fluit à Deo per cōmunitatem. Nullus Monarcha ex communi lege habuit potestatem à Deo immediatè.*

*Nulli mortalium dedit Deus potestatem in alios homines.*

D. Aug. *Generale pactum societatis humanæ, obedire Regibus. Lex regia, quæ de rege creato per populum, lata est.*

3. Deinde illud sequitur, immediatè quidem prodire à populo regiam potestatem, mediatè verò à Deo: quoniam primò Deus illam dedit populo, & populus eam transfudit in Reges. Significatur id loco illo Deuteron. 17. 14. *Cùm ingressus fueris terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, & possederis eam, habitauerísque in illa, & dixeris: Constituam super me Regem, sicut habent omnes per circuitū nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum: non poteris alterius gentis hominem facere, qui non sit frater tuus.* Vbi manifestè vides, supponere Deum, esse potestatem in populo creandi Regem, populúmque ipsum re vera illum constituere super se. Ne autem aberraret in Gentilem aliquem constituendum, ac adeò in idololatriam deflueret, vt erat zelotes & æmulator, reseruauit sibi personæ designationem. Nec enim satis habuit, si præciperet, vt ex solis Hebræis eligerent regem: locus enim aperiretur illico variis interpretamentis: sufficere, si aliqua parte Hebræum sanguinem contingeret: si diu inter Hebræos moratus fuisset, si iunctus diuturna societate, & amicitia, & his similia, quibus legum sanctitas quotidie non dispensatur, sed dissipatur: propterea id vnum iudicij sui esse voluit Deus. Huc autem referri debent vnctiones illæ, quæ Deo iubente præmittebantur: erant enim quædam quasi designationes, seu promissiones, aut prædictiones, quòd Reges constituerentur, qui eo modo vngebantur. Vnde illud Samuelis ad Saülem, postquam eum vnxit, 1. Reg. 10. 1. *Ecce vnxit te Dominus super hereditatem suam in Principem*: scilicet constituendum à populo. Nam post hanc vnctionem narratur cap. seq. *Perrexit*, inquit, *omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi Regem Saül coram Domino.*

*Regia potestas immediatè prodit à populo, mediatè à Deo.* Deut. 17. 14. *Lege Dei cautum, ne rex ex aliena gente, quàm Hebræa crearetur.*

*Reseruauit sibi Deus personæ Regis designationem.*

*Ideo iubebat Deus vngere, quos volebat, in Reges.* 1. Reg. 10. 1. *Iungebat Deus constituendum à populo.*

4. Rectè ergo Dominus ad Principes: *Separate confinia vestra*. quasi dicat: Noueritis quatenus extendatur potestas regia: ne irrumpatis in alienos fines, continete vos intra vestros. Sufficiat vobis hucusque vexasse, & diripuisse populum meum. Habetis possessiones vestras designatas, ne ampliùs grauetis populum tributis. Illud autem vestri officij est, facere iudicium, & iustitiā, ac vndique protegere Ecclesiam meam; idcirco enim vestra portio postrema ponitur, & vndique cingens reliquas, tum sacras, tum profanas, vt intelligatis muneris esse vestri, amplecti, quasi vlnis auxiliariis primùm Sacerdotes, deinde ciues. Certè quidem, si hæc per Vatem à Deo pronūciata legerēt Reges quotidie, curę suę rationes optimè administrarent, ac planè feliciùs agerent: iuxta illud Aug. lib. 15. de Ciuit. cap. 24. Imperatores, inquit, Christianos felices dicimus, si iustè imperant, si suam potestatem ad Dei cultum maximè dilatandum maiestati eius famulā faciunt.

*Reges vetat Deus, trāsilire fines suos.*

*Assignatur portio Regibus ne populum tributis vexent.*

*Munus Regis, religionem ac regnum tueri, & amplecti.* D. Aug. *Imperatores Christiani felices, si iustè imperent ac famulentur Deo.*

VISIO

# VISIO VIGESIMA.

## DE EGRESSV AQVARVM E TEMPLO.

*Ezechielis Cap. 47.*

### ARGVMENTVM CAPITIS.

A LIMINE *Sanctuarij, ac dextro templi latere videt Ezechiel egredientes aquas: quater metitur earum profunditatem: videt ex vtraque parte fluminis arbores; fluménque ipsum ingredi mare mortuum, non tamen æstuaria: piscatores denique multos per ripas intuetur.*

CAPVT XLVII. EZECH.

1. ET conuertit me ad portam domus, A
& ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.

2. Et eduxit me per viam portæ Aquilonis, & conuertit me ad viam foras portam exteriorem, viam, quæ respiciebat ad Orientem: & ecce aquæ redundantes à latere dextro.

B

3. Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquam vsque ad talos.

4. Rursúmque mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua.

5. Et mensus est mille, & traduxit me C
per aquam vsque ad renes. Et mensus est mille, torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari.

6. Et dixit ad me: Certè vidisti fili hominis. Et eduxit me, & conuertit ad ripam torrentis.

7. Cúmque me conuertissem, ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraque parte.

D

8. Et ait ad me: Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli Orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, sanabuntur aquæ.

9. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocunque venerit torres, viuet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc

PARAPHRASIS.

1. *Conuersus ad portam templi vidi de sub limine portæ Sanctuarij profluere aquam, & de sub latere (ad verbum ex Hebræo) dextro domus à Meridie altaris; quod latus ingredientibus templum erat sinistrum.*

2. *Eductus autem per portam Aquilonarem atrij interioris, & similiter per Aquilonarem exterioris atrij, veni ad portam exteriorem Orientalem totius templi, ad quam primò ductus fueram; vidíque redundantes aquas, templum quasi ambientes, & ad portam Orientalem redeuntes.*

3. *Tum vir ille funiculo mensorio mensus est mille cubitos per aquæ superficiem. At verò ingredientes comperimus aquam pertingere talos.*

4. *Rursum mensus est mille alios cubitos, & aqua vsque ad genua ascenderat.*

5. *Tertiò mensus est alios mille, & aqua renibus propinquabat: denique mensus est alios mille, & vltrà traiicere non potuimus, quia nimiùm intumuerant aquæ: erant enim deinceps aquæ natationis (vt Hebræus ait) hoc est, quas nando oportebat ingredi.*

6. *Tum socius ille meus: Ergóne, inquit, vidisti fluminis vada; reduxítque me ad ripam fluminis.*

7. *Conuersus autem vidi per fluminis ripam arbores plurimas.*

8. *Vidit etiam aquas defluentes tendere, primùm versùs Galilæam, deinde ad plana deserti, ingredíque mare mortuum, & egredi, ex quo aquæ eius dulces factæ sunt.*

9. *Imò omnis anima, quam aqua fluminis pertinget, viuificabitur, & erit deinceps in mari magna piscium fætura.*

aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens. A

10. Et stabunt super illas piscatores, ab Enggadi vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit: plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ:

*10. Super torrentem vidi piscatores multos, tantámque piscium multitudinem capere, quantam in mari magno capere possent. Hæc piscatio latè tendetur ab Engaddi, vrbe, videlicet, prope mare mortuum, vsque ad Engallim, extremam scilicet partem vel ipsius maris mortui, vel terræ Iuda versùs Occasum. Inter hos terminos magna erit retium extensio per ripas, vt exsiccari possint: erunt autem tot genera piscium in eiusmodi torrentę, quot sunt in mari magno Mediterraneo, magno, scilicet, comparatione maris mortui.* B

11. In littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur: quia in salinas dabuntur.

*11. Sed non sanabuntur, aut dulcescent aquæ, quæ fuerint extra torrentem, & mare. Æstuaria ergo, & palustria non dulcescent, sed in salinas euadent.*

12. Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraque parte omne lignum pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua, quia aquæ eius de Sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam.

*12 At super torrentes, & in ripis eorum arbores erunt, quarum nec defluent folia, nec fructus deficient: nam singulis mensibus nouos fructus afferent, quoniam aquæ, quæ de Sanctuario egredientur, earum semper circumfluent stipites, fructúsque in cibum erunt folia ad sanitatem.* C

## COMMENTARIVS.

Prima erit consideratio de significatione aquarum egredientium; mox de quadruplici aquarum incremento; postea de arboribus ad ripas germinantibus; deinde de termino cursus aquarum, tum de piscatoribus; denique de palustribus, & æstuariis.

### *De significatione aquarum è templo egredientium.*

### SECTIO I.

1. *Quomodo intelligendum, à latere domus profluere aquas? A situ templi id deducitur. Mysterium lateris Christi.*
2. *Fueritne percussum latus Christi dextrum, an sinistrum? Probabilius dextrum, ex præsenti figura, & ex communi pingendi more. Picturam esse quandam traditionem in Ecclesia.*
3. *Egressum aquæ & sanguinis è latere Christi celebrãt Patres. Inprimis Cyrillus Hierosolymit. quòd significetur duplex Baptismus, aqua & sanguinis. Concinunt Tertullian. Ruffinus. Hieronym.*
4. *Aqua & sanguis profluxit, quoniam aqua Baptismi habuit efficaciam ex sanguine Christi mortui. Hinc ortum, vt dicatur Ecclesia formata ex latere Christi dormientis, ex D. Cypriano, & Tertul.*
5. *Alij intelligunt Baptismum, & Eucharistiam. Chrysostomus, & Cyrillus.*
6. *Aliis visũ effusione aquæ, & sanguinis, significari Sacramẽta Ecclesiæ, quæ ideo ex latere Christi manasse communiter asseruntur. Locus Cypriani expenditur.*

1. IN Paraphrasi visum est, quomodo aquæ profluebant à latere domus, quod versiones etiam determinabunt. Vers. 1. *Et conuertit me ad portã domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus, ad Orientem: facies enim domus respiciebat ad Orientẽ: aquæ autẽ descendebant in latus templi dextrũ ad Meridiẽ altaris.* Septuaginta pro, *subter limen domus*, *de sub dio domus*. Hebra. *de sub limine domus*, id est, de loco, qui erat sub limine domus. Et quod noster, *in latus templi dextrum*, Hebra. *de sub latere dextro domus à Meridie altaris*. Septuag. *A latere dextro ab Austro*. Dextrum verò latus vocat, quod ingredientibus Sanctum Sanctorum sinistrum erat; ídque erat Meridianum, quia totum templum ad Orientem respiciebat: proinde aqua decurrebat versùs Orientem, vt statim explicat: domum autem vocat Sanctum Sanctorum, vt potior fert opinio. D *Varia lectio.*

*Eiusmodi aquis significantur aquæ Baptismi, à latere Christi fluentes.*

2. Significabant eiusmodi aquæ ab ostio templi ac dextro eius latere profluẽtes futuras aquas Baptismi, quæ ex aperto Christi latere promanarunt. Vocant enim Patres latus Christi ianuam Baptismi, & cæterorum Sacramentorum, vt ex sequentibus apparebit. Fortè autem ob id dicitur à Ioanne militem aperuisse, non percussisse latus Christi, quasi qui ostium panderet ad egressum aquæ, & sanguinis. Vnde & August. in Manuali, cap. 23. Longius (inquit) aperuit mihi latus Christi, & ego intraui, & ibi requiesco securus. E *Latus Christi ianua Baptismi & cæterorum Sacramentorum.* *Ioan. 19. 34.* *Miles aperuit latus, quasi ostiũ.*

3. Poterit autem hinc duci argumentum, quo probetur dextrum Christ latus fuisse percussum, non sinistrum: iuxta communem pingendi morem, quo in latere Christi dextro exprimitur vulnus; *Dextrum Christi latus percussum, non sinistrum, probabilius est.*

nus; quamquam sinistrum fuisse perculsum inde coniiciant viri docti, quòd Eua credatur è sinistro latere Adæ formata, ad sinistrum verò latus magis incliner cor sedes amoris, vt amor, qui inter virum & vxorem intercedere debet, exprimeretur: fuit autem hoc figura formationis Ecclesiæ ex latere Christi, quod proinde sinistrum esse debuit, vt veritas responderet figuræ. Verùm res dubia est, an e latere dextro formata sit Eua; & certius est, iuxta peritos anatomiæ, cor in medio pectoris residere. Et ex altera parte habemus etiam hanc figuram cum expressa commemoratione lateris dextri, simul cum pingendi more, qui in Ecclesia habet aliquam autoritatem: est enim quasi quædam traditio. Celebrant igitur hoc Patres, inprimis Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. Primùm, inquit, mutauit Moyses flumē in sanguinem; & Iesus postremò emisit de latere aquam vnà cum sanguine: fortasse propter duas cædes, alteram iudicantis, alteram verò clamantium, aut propter credentes, & non credentes. Pilatus enim dixit: *Innocens sum*, & aqua lauit manus: clamantes autem dicebant: *Sanguis eius super nos*. Erant igitur hæc duo de latere, fortassis iudicanti, aqua, clamātibus verò, sanguis. Duplicem cædem vocat Cyrillus; alteram scilicet, qua Pilatus cruce occidit Dominum; alteram, qua Iudæi gladio linguæ (vt loquitur Augustinus) cùm clamarūt, *Crucifige, crucifige*. Aquam igitur Iudici suo dedit ex latere, vt ablueretur; sanguinem sitientibus, vt redimerentur. Vlteriùs autem Cyrillus: Ac rursus, ait, aliter intelligendū: Iudæis quidem sanguis, Christianis verò aqua: illis quidem tanquam insidiatoribus, ex sanguine condemnatio; tibi verò nunc credenti per aquam salus. Concinit his Ruffinus in expositione symboli. Produxit, inquit, aquā, qua credentes diluat; produxit etiam sanguinem, qui cōdemnet incredulos. Prosequitur Cyrillus. Assignauerunt Patres nostri & aliam causam. Cùm enim duplex sit Baptismi salutaris virtus, vt est in Euāgeliis; vna quidem, quæ baptizatis donatur, per aquam; altera verò sanctorum Martyrum in persequutionibus per proprium sanguinem: exiuit de latere salutari sanguis & aqua propter eam, quæ esset futura Christi confessionem, & in Baptismo, & in martyrio confirmans gratiam. Ita Cyrillus.

*Pingendi mos, quasi quædam traditio in Ecclesia.* Cyril. Hier.

*Duplex Christi cædes, altera à Pilato, altera à Iudæis.*

Ruffinus. *Aqua credentibus, sanguis incredulis.*

*Sanguis, & aqua: ille Martyribus, hæc baptizandis fidelibus.*

Duplicem ergo agnoscit Baptismum; alterum aquæ, alterum sanguinis, & vtrumque ex latere Christi per aquam, & sanguinem produxisse. Sed & Tertul. in lib. de Bapt. Est quidem nobis, inquit, secundum lauacrum, & ipsum sanguinis, de quo Dominus; Habeo, inquit, baptismo tingi (cùm iam tinctus fuisset) venerat enim per aquam & sanguinem, sicut Ioannes scripsit: vt aqua tingeretur, sanguine glorificaretur; proinde vt nos faceret aqua vocatos, sanguine electos. Hos duos Baptismos de vulnere perfossi lateris emisit. Ita Tertul. Similiter sentit Ruffinus, vbi proximè. Potest, inquis, intelligi, quòd duplicem gratiam Baptismi figurauerit; vnam, quæ datur per aquæ Baptismum; aliam, quæ per martyrium profusione sanguinis quæritur. Idem notauit D. Hieronymus epistol. 83. ad Oceanum. Latus, inquit, Christi percutitur lancea; & Baptismi, atque martyrij pariter sacramenta funduntur. Sic Hieronymus. Et Tertul. in lib. de pudicitia. Ex vulnere, inquit, lateris Christi aqua, & sanguis, hoc est, vtriusque lauacri paratura manauit.

*Duplex Baptismus, aqua, & sanguinis, ex latere Christi.* Tertul.

Ruffin.

Tertul.

4. Aliter mysterium rimantur Doctores ex illo 1. Ioan. 5. 6. *Hic est, qui venit per aquā, & sanguinē; non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine.* Quasi diceret; per aquam venit, non qualis fuit in Baptismo Ioannis, qui solum significabat Baptismum Christi: sed per aquam, quæ haberet efficaciā ex sanguine Christi fuso. Vnde non sine mysterio aqua prodiit ex latere Christi mortui, quia tota efficacia aquæ Baptismatis ex Christi morte vigorem habet. Vnde illud D. Ambrosij de benedictionibus cap. Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium. Et hoc est fundamentum, quo à Patribus dicitur Ecclesia formata ex latere Christi dormientis in Cruce, ad similitudinem Euæ, quæ formata est ex latere Adæ dormientis. Cyprianus in lib. de monte Sina, & Sione, Percussus, ait, in latere lancea est, sanguisque aqua mistus fluebat, vnde sibi Ecclesiam sanctam fabricauit. Ita Cyprian. Similiter Tertul. in lib. de Bapt. Somnus Adæ, inquit, mors erat Christi dormituri in mortem, vt de iniuria, perinde lateris eius Mater viuentium formaretur Ecclesia. Ita Tertul.

1. Ioa. 5. 6. *Christus venit per aquam & sanguinem, i. per aquam Baptismi suo sanguine efficacē. Aqua Baptismi efficax ex morte Christi.* D. Ambrosi. *Aqua ad lauacrum, sanguis ad pretium.* Cyprian. *Ecclesia formata ex sanguine lateris Christi.* Tertul.

5. Sunt etiam qui per aquam intelligentes Baptismum, per sanguinem intelligunt Eucharistiam. Vnde est illud D. Chrysost. ad locum Ioan. 19. Non casu, inquit, & simpliciter hi fontes scaturiunt, sed quoniam ex ambabus Ecclesia constituta est. Sciunt hoc initiati, per aquam regenerati, sanguine, & carne nutriti. Hinc mysteria ortum habent, vt quotiēs ad admirandum calicem accedis, tanquam ab ipso latere hauriens accedas. Ita Chrysostom. Simili ratione Cyrillus Alexandrin. ad eundem Ioannis locum. Illico sanguinem simul atque aquam emisit benedictionis mysticæ, ac sancti Baptismatis originem quandam, atque primitias. Ita Cyrillus.

*Per sāguinē aliqui intelligunt Eucharistiam.* D. Chrys.

*Per aquam regeneramur, sanguine nutrimur.* Cyril. Alex. *Ad calicem Eucharisticum, tanquā ad latus Christi.*

6. Præterea eadem effusione aquarum, maximè accedente sanguine, intelliguntur reliqua Sacramenta, quæ similiter ex sanguine Christi efficaciam habent conferendæ salutis; ac in Baptismo, & Eucharistia, tanquam in initio, & consummatione omnis iustitiæ comprehenditur, & ob id ipsum reliqua gratiarum, & cælestium donorum profluuia designantur. Vnde est illud Cypriani serm. de resurrectione Christi. De latere tuo (Christum alloquitur) fons egreditur in vitam æternam prosiliens, & de eadem consubstantiali origine diuersis limitibus, aqua & sanguis emanant, ad complementum perfectionémque totius iustitiæ, Sacramenta in perpetuum duratura, & fontis illius vbertas perenni lapsu vniuersam Ecclesiam rigat, & fœcundat. Ex hoc fonte non solùm ablutionis primæ vndas haurimus, sed & compunctionis, & lachrymarū perennes effluunt riui, misericordiarum suauitas, & totius pietatis affectus. Hæc Cyprian. In cuius verbis notandū, aquam, quæ fluxit à latere Christi, non permixtam cum sanguine fluxisse, sed distinctam duobus riuis, idque rursum duobus modis, vel simul per idem vulnus maiori sanè miraculo simul manarunt, sine permistione, vel ita, vt post effusum totum sanguinem aqua manaret, quod distinctioni inseruit, & mysterio redemptionis conuenit, vt scilicet effuso toto pretio, manaret aqua eo ipso pretiosa; &, qui ab aquis cœpit, finiret in aquis, vt loquitur Hieronymus, vbi suprà.

*Aqua & sanguis, primitiæ Baptismi, & Eucharistiæ. Aquarum effusione intelliguntur omnia Sacramenta.*

*Diuersis limitibus aqua & sanguis manāt. Fons Sacramentorum, quo irrigatur Ecclesia. Inde & compunctionis & lacrymarum perennes riui. Aqua & sāguis nō permista manarunt duobus modis. Qui ab aquis cœpit cread., finiuit in aquis recreando.* D. Hieron.

## *De quadruplici aquarum redundantium incremento.*

### SECTIO II.

1. *Incrementis aquarum Iudæi rerum suarum incrementa significari putant; falsò id quidem: nam in peius semper ruerunt ex demonstrata Visione.*
2. *Potius significari fidei incrementa toto orbe, vt res ipsa ostendit. Expenditur locus Actor. 10. & iste Propheta illustrat Ambrosius.*
3. *Primum aqua talos solùm pertingens, & postea paulatim inundans, significat Ecclesiam à paruis principiis ortam in immensum creuisse. Ostenditur ex figura 3. Reg. genua superans, quòd paulatim coegit genua curuare: renes pertingens, quòd latiùs carnem cœpit constringere: denique quod iam vadari non potuerit, sed oportuerit nando superari, significat Christianos in Ecclesia quasi pisces natare. Christiani pisces à Christo pisce, ex veterum Annalibus.*
4. *Aliter varia incrementa accipiunt alij, videlicet in incipientibus, proficientibus, & perfectis, quod expenditur, & illustratur.*

1. AQVÆ egredientes à limine, & à latere Sanctuarij, ac extra templum effusæ primùm per mille cubitos mensuratæ, ad talos tantùm pertingebāt, deinde per alios mille ad genua: per alios rursum ad renes: denique per mille alios iam nō poterant transuadari, sed oportebat ob nimiam profunditatē natando superari. Vers. 3. *Cùm egrederetur vir ad Orientem, qui habebat funiculū in manu sua, mensus est mille cubitos, & traduxit me per aquā vsque ad talos.* Vers. 4. *Rursúmque mensus est mille, & traduxit me per aquam vsque ad genua.* Vers. 5. *Et mensus est mille, & traduxit me per aquā vsque ad renes. Et mensus est mille torrentem, quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transuadari*, Hebr. *aqua natationis*. hoc est, ita profunda, vt non nisi natando superari posset. Septuaginta pro, *transire fecit me per aquam vsque ad talos; transiuit in aqua aquas remissionis.* Putant Iudæi per hoc significari rerum suarum incrementa, Prophetámque velle ex paruis eas initiis incredibilem accessionē adepturas. Hoc iuxta historiam nullam fidem habere potest, quoniam tantum abest, vt fœlicitatis Iudaicæ augmenta certò futura prædicentur, vt certò constet, res eorum per futura secula in peius semper fuisse prolapsas. Potiùs dicerem repræsentari per hoc incrementa infortuniorum, quæ magis, ac magis inundarunt in eorū rempublicam, vt tandem compulsi fuerint in immensum pelagus miseriarū, quib⁹ planè obruti, ac suffocati perierunt.

*Varia lectio.*

*Vana existimatio Iudæorum, de suarum rerum incrementis.*

*Potiùs intelligi possunt incremēta infortuniorū Iudæorum.*

2. Oportet ergo mysteria prosequi: cúmque ex superiori sectione constet, per aquas egrediētes à limine & à latere Sāctuarij significari aquas Baptismi à latere Christi promanantes, hæc exuberantia earumdem aquarum, repræsentat Baptismi, & ex cōsequenti fidei Christi felicem toto orbe cursum. Quòd autem statim vt egressæ sunt aquæ de templo, exundare cœperunt, ostendit, illico vt in Iudæis primitiua Ecclesia cœpit, baptismales aquas nouis auctibus ingentes quoque effusas. Vnde illud Actor. 10. 45. *Obstupuerunt ex Circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Tunc respōdit Petrus: Nunquid aquā quis prohibere potest, vt nō*

*Baptismi, ac fidei Christi felix toto orbe cursus.*

*Act. 10. 45. Prima effusio aquæ Baptismi nascente Ecclesia.*

A *baptizentur hi?* Videtur enim Apostolus satisfacere fidelibus admirantibus effusionem gratiæ baptismalis, etiam in Gentes: quasi diceret; Quis potest prohibere, seu continere à cursu suo, inundatione sua aquam Baptismi, iam exuberat extra Synagogam tanto impetu, vt prohiberi nulla vi possit. *Et conuertit me* (inquit Vates) *ad viam foras portam exteriorem. Et ecce aquæ redundantes*, &c. Ecce, quasi admiratione plenus, quòd aquæ extra claustra templi, & omnino foras egressæ irent in Orientem pariter & Occidentem. Nam sunt qui velint, aquam torrentis diuisam tendere in mare Mediterraneum, quod vergebat ad Occidentem, & in mare vel mortuum, vel etiam sinum Persicum versùs Orientem: quod videbimus Sect. 4. Celebrat hanc effluentiam D. Amb. in sermon. B Dominicæ 6. post Pentecost. ponderans quomodo in Iordane Christus baptizatus sit? Non nobis (inquit) Orientalis petenda est regio, non fluuius terræ Iudaicæ: vbi enim nunc Christus, ibi quoque Iordanis est. Eadem consecratio, quæ Iordanis flumina benedixit, Occidentis fluenta sanctificat. Vnde etsi fortè nomen fluuio aliud sit de seculo, inest tamen illi mysterium è Iordane. Ita D. Ambros.

*Foras effusa aqua Baptismi, hoc est, ingentes. Iuxta quosdam aqua diuisa in Occidentem & Orient. D. Ambros. Rab. Salom. Rab. Dauid.*

3. Iam quid illa quadruplex mensuratio, quídve incrementa illa varia sibi volunt? Primùm dici potest, significari per hoc Ecclesiam è paruis initiis in immensum auctam. Nam etsi exundauit C illico, nō tamen profundo gurgite, sed ita paruo, vt vestigio pedis trāscurri posset. Videlicet ab humilitate primùm cœpit, omniúmque Barbarorū vestigiis, quasi supposita, & Tyrannorum omniū cōculcata est pedibus. Communis enim tunc existimatio erat, gentem Christianorum abiectissimam esse. Quod Quintianus ille Siciliæ Prætor Agathæ Virgini exprobrans ait: *Non te pudet nobili genere natam, humilē & seruilem Christianorū vitam gerere?* Sic 3. Reg. 18. 44. vidit puer Eliæ primùm nubeculam illam paruam instar humani vestigij, quæ tamen postea aucta paulatim obduxit cælum vndique, & in pluuiam immensam effusa est; quod Patres accipiunt allegoricè, pro fidei incrementis, quæ scilicet à paruis principiis, à vesti- D giis, à pedibus hominum eò peruenit, vt totum inundaret orbem. Sic Vates aquam primùm vidit humano vestigio superabilem, Ecclesiam primò humilem, ac verè cuiusuis pedibus obnoxiam: sed postea vidit eandem aquam ad genua pertingere, quasi illa sibi submittens, quòd Ecclesiæ iam crescenti ac Christi nomine amplificato multarum gentium incurrenda essent genua. Mox ascēdere ad renes, & quasi constringere, quia iam planè auctior cœpit legibus Christi coërcere carnem. Denique in immensum aucta, aqua natationis facta E est (vt ait Propheta) in qua scilicet vestigia figi nequeunt, sed omnino oportet nare. Acommodatè ad naturam Christianorum, qui tanquā pisces, in aqua Baptismi nati sūt: iuxta illud Tertul. in lib. de Baptismo. Serpentes reguli arida sectantur, nos pisciculi, secundùm ἰχθὺν nostrū Iesum Christū, in aqua nascimur; nec aliter quàm in aqua permanendo salui sumus. Ita Tertull. Christus à veteribus dictus est ἰχθὺς, *piscis*, iam inde à Sibylla Erythræa, vt refert D. Aug. 18. de Ciuit. cap. 23. Nam ex capitibus carminum eius iuxta Græcum, quæ is Latinè citat, deducitur totum hoc: Ἰησοῦς Χριστὸς θεοῦ υἱὸς σωτήρ, Latinè, *Iesus Christus Dei filius Saluator*; quorū nominū si primas literas ex Græco iungas, manet ἰχθὺς, hoc est, *piscis*. In quo nomine (ait Aug.) mysticè

*Ecclesia à paruis initiis in immensum aucta.*

*Primùm omnium tyrannorum conculcata est pedibus. Gens Christianorum humilis habita. 3. Reg. 18. 44. Ecclesia nubeculæ Eliæ in immensū auctæ similis.*

*Multarum gentium sibi genua subdidit. Ecclesia auctior cœpit legibus coërcere carnem. Christiani tāquā pisces in aqua nati. Tertul.*

*Christus à veteribus dictus piscis. D. August. Sibylla Erythræa. Sibyllæ Erythræ carmen, è quo ἰχθὺς.*

*QuareChristus dictus piscis.*

mysticè intelligitur Christus, eo quòd in huius mortalitatis abysso, velut in aquarum profunditate, viuus, hoc est, sine peccato esse potuerit. Sic August. Ad cuius exemplar formati Christiani omnes dicti sunt pisces, ob liberam nandi facultatem, quia in magna Ecclesiæ abysso non modò viuunt, sed duobus quasi brachiis, fide videlicet, & charitate, natationem exercent, & ad omnes sacrorum mysteriorum recessus quasi vrinando peruadunt; ac vt verè pisces, non nisi in aqua permanendo (vt Tertullianus loquitur) salui sunt.

*Christiani ad mysteriorum profunda natant.*

*Primi cubiti, infimus Christianorũ ordo, qui sola mandata seruant.*

4. Significare etiam possunt primi illi mille cubiti infimum Christianorum ordinem, qui incipientium appellatur, quòd minore gratiarum copia perfunditur; nempe vsque ad talos, id est, donec in solis mandatis Dei ambulant, vt Scriptura loqui solet. Alij mille denotant eos, qui ad præcepta Domini etiam eius consilia iungunt, sed nondum ad perfectionem peruenerunt, & dici solent proficientes. Alij mille indicant perfectos, quibus vsque ad lumbos aqua circumfluit, hoc est, tantum gratiæ accipiunt à Deo, vt perfectam vitam agere in Ecclesia possint ac velint. Mille vltimi Beatorum statum designãt, qui transuadari non potest: quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus iis qui diligunt illum, Isai. 64. 4. 1. Corinth. 2. 9. In primo ordine fuit Beata Magdelena, cùm Christum primò adiit, & stans retrò lacrymis cœpit rigare pedes eius, Luc. 7. 38. Nam (vt ait D. Aug) quæ diu malè ambulauerat, vestigia recta quærebat. Quia verò non satis est pedum plantas esse firmas, si genua ipsa labant, in secundo ordine illi sunt, qui iuxta Vatem Psal. 83. 8. eunt, hoc est, proficiunt de virtute in virtutem, seu de robore in robur, id est, qui in dies fiunt gratia potentiores. In tertio ordine sunt Apostoli, qui ex præscripto Domini lumbos habent præcinctos, zona videlicet iustitiæ & perfectionis Euangelicæ: zona quippe vltimò perficit hominem vestitum, & iustitia omnem, suo ambitu, virtutum coronam habens, perficit hominem Euangelicum. In quarto tandem ordine sunt Beati, qui vt in abyssum gloriæ cælestis ingrediuntur nando viuunt, nunc intellectum, nunc voluntatem extendentes ad contemplationem, dilectionémque diuinæ pulchritudinis: intumescunt enim ibi aquæ profundi torrentis, qui non potest modo vllo transuadari.

*Secundi, qui ad præcepta Domini etiã consilia addunt, & dicuntur proficientes.*
*Tertij, perfectos significant.*
*Vltimi, qui transuadari nequeunt, beatos.*
Isai. 64.
1. Cor. 2.
*In primo ordine, Magdalena, vestigiis Saluatoris inhærens.*
D. Aug.
*In secundo, qui proficiũt de virtute in virtutẽ.*
*In tertio, Apostoli lũbos præcincti, id est, perfecti.*
*In quarto, Beati nando viuunt.*


*Beatitudo transuadari non potest.*

---

## *De arboribus, quas per ripas torrentis vidit Propheta.*

## SECTIO III.

1. *Visio arborum per ripas torrentis illustratur loco Apocal. 22. & altero ex primo Psal. Item Ieremiæ.*
2. *Locus Apocal. 22. explicatur cælesti beatitudine.*
3. *Locus Psalmi primi declaratur pro homine in hac vita beato.*
4. *Arbores fideles sunt, & quomodo cætera literæ in eos quadrent, explicatur. Proficere proficisci est in virtutes, ex Bernar. Quid sit primitiua facere.*
5. *Quare fœcunditatis causa attribuatur non tã aquis rigantibus, quam principio vnde oriebantur. Locus Tertulliani accõmodatè à Sanctuario, id est, à pectore Christi, qui tẽplũ Dei erat, aqua Baptismi profluxit.*
6. *Quid per folia & fructus intelligat D. Hieron? Fructus opera bona in cibum quomodo sint, ex Psal. 103.*
*D. Fern. in Vis. vet. Test.*
7. *Folia ad sanitatem verba sunt salutaria, ex loco Pauli 2. Timo. 4. explicante Theodor. Locus alius Luc. 10. de curatione eius qui incidit in latrones, interprete D. Ambros.*

1. IDET Propheta super ripas torrentis, quacumque ibat, ex vtraque parte quãplurimas arbores. Vers. 7. *Cúmque me conuertissẽ, ecce in ripa torrẽtis ligna multa nimis ex vtraque parte.* Vers. 12. *Et super torrentẽ ex vtraque parte omne lignũ pomiferum, non defluet foliũ ex eo, & nõ deficiet fructus eius. Per singulos mẽses afferet primitiua sua, quia aqua eius de Sãctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibũ, & folia eius ad medicinã.* Hebr. *Et folia eius ad fractionẽ sanandã vtile.* Apocalyps. 22. 2. locus est huic respõdens, vbi Apostolus vidit ex vtraque parte fluminis vitæ, crystallo similis, *lignũ vitæ afferens fructus duodecim, per menses singulos reddens fructum suũ, & folia ligni ad sanitatẽ gentiũ.* Est & locus alter ex primo Psalmo de beato illo, qui est *tanquã lignum, quod plantatũ est secus decursus aquarum, & folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet,* semper *prosperabuntur.* Similiter & apud Ierem. cap. 17. 8. *Erit*, inquit, *quasi lignum, quod transplantatur super aquas, quod ad humorẽ mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus, & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit solicitum, nec aliquando desinet facere fructum.*

*Varia lectio.*
Apoc. 22. 2.
*Similis locus Apoc. 22. & Ps. 1. & Ierem. 17.*
Psal. 1. 1.
Ierem. 17. 8

2. Et Apostolus quidem illo Apocal. loco, statum (vt videtur) beatitudinis cælestis repræsentat; in qua fluuius aquæ viuæ splendidus tanquam crystallus, hoc est, gaudium beatificum, viuo planè, nec vnquam intermisso cursu fluit. Præterea ob certitudinem quod vltrà sit permansurum, instar crystalli transparentis. Nam inde beati, verè arbores paradisi cælestis, gaudium quo rigantur, foliis, & fructibus iucundissimis exhibent toto anno; duodecies, scilicet, reddentes eundem fructum, hoc est, nunquam nõ exhibentes gaudium, eadem semper iucunditate gratum. Nam cùm gaudium essentiale Beatorum idem semper sit, tamen ita semper placet, ac si nouum sit, & varium, quod per se placere solet. Est igitur, & sine satietate constans, & in ipsa constantia delectatione varium. Quin etiam talis est huiusmodi voluptatis natura, vt vel folia eius, vel minimum eius, quale folium in arbore, satis esset ad omnes gentes sanandas, hoc est, ad pellendas omnes ægritudines, ac languores animorum. Quod purpuratus ille Diues in tormentis iacens expressit per guttã, quã petiit ad refrigerandã linguã suã, Luc. 16. 24.

*Loco Apoc. status beatitudinis significatur.*
*Gaudium beatificum perpetuum.*
*Gaudium beatificum in sua perpetuitate semper gratum.*
*Minimum gaudij beatifici, satis foret ad pellendas omnes ægritudines animorum.*
Luc. 16. 24.

3. At Vates Regius illo loco Ps. exprimere inprimis voluit hominem beatum in hac vita, eum asserens, qui veluti arbor nõ syluestris, sterilis, sed hominum industria plantata, secus decursus aquarum foliis semper vernat, fructum verò suo tempore profert. Et rectè id quidem: nam (vt ait Tertull. 2. contra Marcion.) homo non natura in bonum dispositus est, sed institutione. Fortè enim ideo Deus formato homine, non dixit, quòd esset bonus, cùm tamen cæterarum rerum bonitates approbauerit; videlicet, vt meminisset, has suas esse partes; vt se ipsum studio, & exercitatione bonum faceret. Planta igitur cælestis cùm sit homo (inquit Alex. Clem. in adhort.) vt cælestes quoque virtutum fructus ferat, inutiles vitiorum stolones pœnitẽtiæ ferro circũcidat: arbor enim (vt ait Lyricus) ab ipso ducit opes animúmque ferro. Et, vt rectè Ambrosius in cap. Luc. 7. vnicuique sua cultura fructus donat. Et D. Chrysosto. homil. 25.

*David beatum in hac vita descripsit.*
Tertull.
*Homo non natura in bonum, sed institutione dispositus.*
Alexand. Clem.
Horatius.
D. Ambros.
Chrys.
*Vnusquisque, vt se colit, fructum fert.*

 in

in varia Matthæi loca. Esto, inquit, arbusculæ tuæ diligens cultor, ô homo, arida & infructuosa reseca, fructuosa, etsi luxurient, abscinde. Vbertate enim germinis, non inani spe Dominus delectatur. Suo ergo tempore, vt solent arboribus maturos æstate fructus mittere, sic homo jam maturus virtutibus, opera bona mittat necesse est. Rectè enim D. Ambros. lib. 3. Hexamer. cap. 11. postquam eleganter descripsit vitis fœcunditatem. Nec aduertis, inquit, ex his admoneri te, homo, ne immaturos fructus tuos inueniat supremus dies, & plenæ tempus ætatis opera immaturâ dedeceant, &c. Atenim cùm fructus non semper, sed suo tantùm tempore, id est, cùm opportunum fuerit, ferre debeat, folia tamen habeat necesse est semper viridantia, ac minimè decidua. Et folium eius non defluet; per quod intelligi possunt bona verba, quibus homo beatus abundare inprimis debet, vt nunquam in eius ore deficiant, tum ad exhortandum, tum ad consolandum, tum etiam ad arguendum, qualem se Corinthiis exhibuit Paulus cùm dixit: *Os nostrum patet ad vos, ô Corinthij*, 2. Corint. 6. 11. Ad quæ verba D. Chrysostom. Quia silere, inquit, non possumus. rectè quidem; quasi velit, non esse in potestate Apostoli, ingem ad eos sermonis continere cursum. Simile est illud D. Petri ad Magistratus prohibentes ne docerent, néve loquerentur in nomine Iesu, Actor. 4. 20. *Non possumus*, inquit, *quæ audiuimus, & vidimus non loqui*.

*Maturus virtutibus opera bona ferat.* D. Ambros. *Plena tempus ætatis opera immatura dedecent.* *Bona verba nunquam deficiunt in ore beati hominis.* 2. Corint. 6. 11. D. Chrys. *Non est in potestate Apostoli ingem sermonis tenere cursum.* Act. 4. 20.

4. Ex dictis locus etiam præsens ex parte patet: nam ligna super torrentem visa, fideles sunt dum viuunt in hoc mundo; quòd autem per singulos menses dicantur ferre nouos fructus, significat eorum profectus, quibus de virtute eunt in virtutem, Psal. 83. 8. Nam (vt ait D. Bern. serm. 2. de Natiuitate) proficere, proficisci est. In quo illud latet, quod egregiè huc quadrat: nam si proficere, proficisci est, cùm proficisci, sit denuo discedere ab aliquo loco, semper proficere, est semper denuo quasi incipere procedere in via Dei, quod sancti Patres impensè commendant veris fidelibus, qui ad perfectionis culmen seriò contendunt, illud crebrò in ore habentes quod ait Dauid Psal. 76. 11. *Ego dixi, nunc cœpi*. Hinc est, quod ait Propheta, eiusmodi ligna, quæ vidit singulis mensibus primitiua sua reddere; quod est, nouos semper fructus facere, & primitiuum feruorem semper repetere; non quò tyronis instar semper imperfectè agat, qui Deo seruit, sed quò magis accendatur ad perfectionem. Incipientibus enim initio conuersionis suæ solet Deus plurimum feruoris ingerere, quò, nisi obstarent inueteratæ consuetudinis vitia, multum sanè proficerent. Salubre ergo consilium est provectioribus in via Dei, vt feruorem quoque illum crebrò repetant: sic enim proiectis iam decursu temporis malarum cõsuetudinum scrupulis, maiorem quotidie ad perfectionem progressum facient. Rectè ergo D. Gregor. Moral. lib. 21. cap. 76. Humana mens, inquit, dum igne amoris excoquitur, semper in se seruat claritatem pulchritudinis, quotidiana innouatione feruoris. Nescit enim mens per torporem veterascere, quæ stupet per desiderium semper inchoare. Hinc per Paulum dicitur: *Renouamini spiritu mentis vestræ*. Ita Gregor.

*Ligna super torrentem, fideles sunt.* *Per singulos menses ferunt fructũ, quia semper proficere debent.* Psal. 83. D. Bern. *Proficere quomodo sit proficisci.* *Denuo semper incipiendum bono fideli.* Ps. 76. 11. *Primitiua reddere, id est, primitiuum feruorẽ repetere.* *Incipientibus solet Deus plurimum feruoris dare.* D. Greg. *Quotidiana innouatio feruoris.* ad Ephes. 4. 23.

5. Iure autem Propheta causam perennis huius fœcunditatis attribuit, non tam aquis irrigantibus, quàm principio, vnde egrediuntur. *Quia aquæ*, inquit, *eius de sanctuario egrediuntur*. Si enim aqua Baptismi per se sumatur, nullam habet virtutem ad fœcundandas, & sanctificandas animas, sed à Sanctuario, hoc est, à Spiritu sancto totius sanctitatis fonte id mutuant. Nam propterea Dominus Ioan. 3. 5. ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*. Vnde est illud rectè à Tertulliano deductum ab illo Genes. 1. 2. *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, in lib. de Baptismo. Aqua, inquit, prima sedes Spiritus Domini. Ita de sancto sanctificata natura aquarum, & sanctificare cœpit. Ita Tertul. Accommodatiùs tamen ad ea, quæ diximus, Sanctuarium hîc intelligitur Christi pectus, è quo per latus apertum exiuit sanguis & aqua. Erat enim corpus Christi templum Dei, iuxta illud Ioan. 2. 19. *Soluite templum hoc*. At verò pectus siue cor ipsius erat veluti Sanctuarium, è quo Baptismi aqua manauit, vt sect. 1. diximus.

*Causa fœcunditatis est principium, è quo aqua egrediuntur.* *A Sanctuario, hoc est, à Spiritu sancto oritur fœcunditas.* Ioan. 3. 5. Tertul. Genes. 1. 2. *Aqua Baptismi de sancto sanctificare cœpit.* *Sanctuariũ, Christi pectus.*

6. Illud verò, *Et erunt fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam*, subtiliter à D. Hieronymo exponitur pro Scriptura sacra, in qua historicus sensus in cibum est, quia eo fides nutritur: allegoricus & mysticus in medicinam, quia per eum prauis moribus medetur Deus. Verùm cùm per ligna fideles accipiamus, fructus bona eorum opera, folia verò verba sunt, vt suprà dictum est. Et fructus quidem operum in cibum dicuntur esse, quoniam eis nutriuntur fideles. In illo Psal. 103. 5. *De fructu operum tuorum satiabitur terra*, loquitur Vates de Sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, & eam quidem prædicit, postquam induerit carnem, tanquam verè lignum vitæ, satiaturam esse operum suorum fructibus omnem terram. Vult autem Dominus, nos quoque fructibus nostris prodesse mundo: ideo namque plantauit nos ad ripas fluminis sui, loco videlicet irriguo, ac fœcundo. Cauendum autem (ait D. Ambros. Luc. 13. 8.) ne fœcundum Ecclesiæ locum vacui meritis occupemus. At verò folia ad sanitatem gentium sunt, quoniam per illa fideles inuicem prodesse debent, maximè verò ij, qui sunt in Ecclesia Doctores, aut ex statu vitæ ad ædificandum alios expositi, idque tum bonis operibus, tum bonis sermonibus. Scitum est illud Pauli 2. Timoth. 4. 2. *Argue, obsecra, increpa*, quod quidem è Theodoreto sic explicatur: Hoc solent, inquit, facere docti medici: occultum vitium primùm secant, tum acerbioribus vtuntur medicamentis, denique lenia applicant. Est igitur redargutio similis sectioni, increpatio medicamentis austerioribus, lenibus verò exhortatio. Ita Theod. Vult ergo verba ab Episcopo ita doctè componenda, & applicanda, vt variè per ea quasi medicata, curet fidelium animas. Quod expressit D. Ambros. Luc. 10. 34. super curatione eius, qui incidit in latrones, quam Samaritanus (quem ait esse Dominum Iesum) oleo, vino, & alligaturis procurauit: *Appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum, & vinum*. Multa, inquit, medicamenta habet medicus iste, quibus sanare consueuit: sermo eius medicamentum est: alius sermo eius constringit vulnera; alius fouet oleo; alius infundit vinum. Sic Ambrosius. Quare & D. Basilius: A colloquiis, inquit, perfectorum ne conuertas animam tuam: verba enim vitæ, verba illorum, & incolumitas animæ. Sic Ille. Iure ergo hîc folia

*D. Hieron. Historicus sensus in Scriptura cibus est, allegoricus, medicina moribus.* *Fructus bona opera, folia verba sunt.* Ps. 103. 5. *Christus operum suorum fructibus satiauit terram.* D. Ambros. *Per verba sua Doctores medeantur multis, & per opera fatiant.* 2. Tim. 4. 2. Theodoret. *Quomodo per verba mederi debeamus.* *Verba sua componat Doctor ad curandum.* D. Ambros. Luc. 10. 34. *Multa medicamenta habet Christus.* D. Basil.

*Verba Dei vim habēt ad sanandas animas.*

lia dicuntur esse ad sanitatem gentium, quòd verba Dei eiusmodi vim habeant ad sanandas animæ ægritudines.

---

## *Ad quos terminos torrentis cursus peruaserit, & quid effecerit?*

### SECTIO IV.

1. *Hebræorum opinio de cursu torrentis, ex loco Zachar.14.*
2. *Explicatio Maldonati amplior pro sinu Persico, & mari Mediterraneo, ex loco Psal.71. Illud*, Intrabunt mare, & exibunt, *quomodo explicandū: ex sanatione aquarum colligitur esse mare mortuum.*
3. *Dilatio fidei ab Oriente in Occidentem celebrior est, ex Psal.67. Antichristus profligandus à Regibus Orientalibus.*
4. *Aquæ intrabunt, & exibunt duplici sensu.*
5. *Quomodo sanatæ sint aquæ? in Baptismo quidem, quia per contactum carnis Christi acceperunt vim sanctificandi. Locus Augustini, sanationem istam factam ad instar sanationis corporalis.*
6. *Vis exprimitur viuificatrix in Baptismo per id, quod pisces victuri dicuntur. Locus August. & alter Tertul. nec non Hiero. Egregia comparatio cum aquis super quas ferebatur spiritus, Genes.1. Quomodo exprimatur ingens Christianorum prouentus.*

1. SOCIVS ille datus Prophetæ explicauit quò tenderet torrens, & eius per loca, quæ alluebat, effectus: vt ostendimus in Paraphrasi. Sic ergo ad Prophetam, Vers.8. *Et ait ad me: Aquæ istæ quæ egrediūtur ad tumulos sabuli Orientalis, & descēdunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ.* Vers.9. *Et omnis anima viua, quæ serpit, quocumque venerit torrens, viuet, & erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Septuaginta: *Aquæ istæ, quæ egrediuntur in Galilæam, & descendunt in Arabiam.* Pro, *anima quæ serpit; anima ebullientium.* Antiqua est Hebræorum existimatio (vt videre est apud Rabb. Salomonem, & Rabb. Dauid, nósque in superioribus tetigimus) torrentem hunc, qui à limine Sanctuarij prodiisse dicitur, in duos fuisse diuisum riuos, quorum vnus in mare Tyberiadis; aut in mare mortuū (vtrumque erat Orientale) alter in mare Mediterraneum, quod Occidentale est, excurreret. sicut Zachar.14.8. dicitur, *Et erit in die illa: Exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum ad mare Orientale, & medium earum ad mare nouissimum.* Per mare Orientale intelligit ibi D. Hieron. mare mortuum: per mare nouissimum, mare Mediterraneum. Nouissimum vocari putat Ribera, respectu maris mortui, quod ingredientibus Israëlitis in Palæstinam primum occurrit. Igitur per tumulos sabuli Orientalis accipi debet mare Orientale, videlicet, prope mare videre est arenæ montes, ac sabulosas prominere rupes. Per synecdochen ergo intelligitur mare sabulis clausum.

*Varia lectio.*

*Aquam egredientem diuisam in duos riuos, opinantur Hebræi.*

*Ex loco Zachariæ.* Zachar.14.8. D. Hieron. Ribera.

2. Amplior quidem sensus apparet Maldonato, si per mare Orientale hoc loco intelligatur sinus Persicus. Nam eo modo magnificentiùs exprimitur propagatio fidei, in Orientem, & Occidentem. sicut Psal.71.8. dicitur Christus regnaturus *à mari vsque ad mare*, id est, ab Occidentali Oceano, vsque ad Orientale. Quo vniuersale Christi imperium designatur, vt nihil terræ sit, quò non extendatur, quaqua terra mari alluitur. Nam propterea ab antiquis Geographis appellatur tota terra, magna Insula. Fauet huic expositioni illa alia, super eo quod sequitur, *Intrabunt mare, & exibunt*; quod aliqui sic vertūt, *In mare eductarum aquarum*, hoc est, ab orbe seiunctum, qualis Oceanus, qui totum orbem circundat, sicut explicat Rabb. Dauid: phrasis tamen nimis dura, & insolita. Meliùs vertit noster interpres, *intrabunt, & exibunt.* cuius planus sensus; fluent in mare aquæ, & inde refluent. Autoritas quidem Septuaginta, qui Galilæam Orientalem transtulerunt, cogit mare aliquod propinquius intelligere, videlicet, aut mare Tyberiadis, aut mare mortuum. Et sanè quod additur de sanandis aquis, & de piscium prouentu, ex ingressu torrentis in mare, omnino sumi debet pro mari mortuo solùm, quoniam in eo (vt Autores referunt) nulli oriebantur pisces, & aquæ eius amarissimæ erant, quæ congruenter hic dicuntur sanatæ ex commistione aquarum Sanctuarij, hoc est, dulces redditæ.

*Maldona. Per mare Orientale, intelligi sinum Persicum. Maldon.*

Psal.71.8.

*Vt significetur amplius regnum Christi.*

*Mare eductarum aquarum, hoc est, ab orbe terræ seiunctum.*

*Ex autoritate 70. mare propinquius intelligitur.*

*Mare mortuum maximè quadrat.*

*Aquæ sanatæ, hoc est, dulces redditæ.*

3. Significatur ergo primùm fluxus aquæ Baptismi per totum orbem, à mari, videlicet, vsque ad mare, accommodato sensu ad Palæstinæ incolas, apud quos ea maria, nempe Mediterraneum; & mortuum, erant familiaria. Rectè autem Occidentis, & Orientis mentio fit in dilatatione Ecclesiæ, quoniam per eum mundi tractum fides Christi præcipuè manauit. Nam à Ierusalem (vbi præcipuè, & solenniùs receptum est Christi regnum, atque cultus) exiit primùm versùs nostram Europam, Africam, & omnino Asiæ Occidentalia, respectu Ierusalem, à qua solet Scriptura notare regnorum plagas: postea ad Orientalia regna procurrens, Mesopotamiam, Chaldæam, Arabiam, Persiam, Indiam adiit. Hæ namque regiones tardiùs, & minùs vniuersè, & publicè se Christo dediderunt. Idcirco Psalm. 67.5. primùm Christus inducitur equitans in Occidentem: *Iter facite ei, qui ascendit super Occasum*; deinde equitans in Orientem: *Qui ascendit super cælum cælorum ad Orientem.* Vtrobique verbum est equitandi, quo (vt alibi notauimus) significatur metaphoricè præsidentia, gubernatio, regni sublimitas. Estque sensus, Christum in Occidentem primùm cum imperio venisse, postea in Orientem; qui licèt seriùs iugum subierit, saltem quoad integras Monarchias, & earum Principes, qui ne hodie quidem Christo colla submittunt, tandem subiicientur, imò ad finem mundi subuenient Ecclesiæ laboranti. Nam Apocalyp. 16. 12. Antichristus ostenditur profligandus à Regibus Orientalibus. *Sextus Angelus* (inquit) *effudit phialam suam in flumen illud magnum Euphratem, & siccauit aquam eius, vt præpararetur via Regibus ab Ortu solis.* Cui mysterio (vt ait Genebrardus) inseruiunt Portugalenses, & Castellani suis nauigationibus, & suorum crebra apud eas gentes Euangelij prædicatione.

*Fluxus Baptismi à mari vsque ad mare.*

*Per Orientem & Occidentem fides Christi præcipuè floruit.*

Psal.67.5. *Christus equitans in Occidentē, & in Orientem.*

Apocal.16.12. *Antichristus ostenditur profligandus à Regibus Orientalibus.*

*Portugalenses & Castellani inseruiunt huic prophetiæ cōplēdæ.*

4. Quod verò de aquis additur, *intrabunt mare, & exibunt*, hoc est, fluent illuc, & refluent, significat, non futuram otiosam, ac, vt antea, mortuam aquam, sed sub Baptismo operatoriam, ac planè viuam exercitatione Christianarum virtutum. Vel meliùs per hunc ingressum, & regressum

*Aqua Baptismi operatoria.*

sum intelligitur, aquam Baptismi, & fidei ablutionem in populo Iudæorum (qui per mare mortuum designatur) sanctificasse, quos diuina præordinatio statuerat, postea relicto eodem populo, quòd se indignum æterna salute faceret, aliò diuertisse, hoc est, ad Gentes. Iuxta illud Barnabæ, ac Pauli ad Iudæos Euangelium repellentes, Actor. 13. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos indicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad Gentes.* Ad eundẽ modum Matth. 10. 13. instruens Christus Discipulos, quos ad prædicandum mittebat, pacem vt omnibus largiantur præcipit. *Intrantes*, ait, *in domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui, & si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Credo Euthymium omnium optimè interpretatum: quasi iubeat Christus, oblatam Apostolos pacem Euangelicam reuocare, quantum in ipsis est, & aliò pergere, videlicet, vt in alios refundant, qui digni sint. Intrabunt ergo aquæ in mare mortuum, & exibunt, ipso introitu, & exitu, electorum ac reproborum differentiam præmonstrantes, qua his subtrahitur, illis infunditur gratia Dei.

*Fluxus, & refluxus, ad sanctificandum, & à sanctificatione cessandum.*
Act. 13. 46.
Matth. 10. 13.
*Introitu & exitu, electorum & reproborum differentia notatur.*

5. Sequitur, *Et sanabuntur aquæ.* Repræsentat verò id quod veteres Patres in ore habent: Christũ tactu suæ mundissimæ carnis Baptismi aquas sanctificasse. Ita Ambros. lib. 2. in Luc. cap. vltimo. Baptizatus est Dominus, non mundari, sed mundare volens aquas; vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, Baptismatis ius haberẽt; hoc est, quandam quasi autoritatem nancíscerentur ad eluendas peccatorum maculas. Idem argumentum tractat luculenter Augustinus serm. 36. de Tempore. Filium (inquit) genuit mater, & casta est: Christum vnda lauit, & sancta est: nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post Baptismum, aquæ est purificatio comprobata, nisi quòd penè maiori munere, quàm Maria, vnda ditata est: illa enim sibi tantùm meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret, ista vt peccata purgaret: illi est collata Virginitas, isti donata fœcunditas. Ita Aug. Similes sententias reperies apud Epiphanium in Anchorato, Bedam lib. 1. in Luc. cap. 10. Hieronym. ad caput Matth. 3. Rectissimè autem Propheta idipsum expressit per aquarum sanationem: nam vt sanatio non fit per impressionem alicuius nouæ qualitatis in corpus sanatum, sed tantùm per contemperationem & reductionem humorum ad proportionem debitam corpori: ita caro Christi contactu suo sanauit aquas, & sanctificauit, quatenus eas deputatione quadam reddidit aptas ad sanctificandum, applicata vera forma Baptismi.

*Christus tactu suæ carnis sanctificauit aquas Baptismi.*
D. Ambrof.
*Baptismatis aqua ius & autoritatem sanctificandi habet.*
*Baptisma-lis aqua, & Virginis Deiparæ comparatio.*
S. Epiphan.
Beda.
D. Hieron.
*Quomodo sanatæ sint aquæ Baptismales*

6. In eo autem quod sequitur, *Et omnis anima viuens quæ serpit quocunque venerit torrens, viuet. Et erunt pisces multi satis, postquã venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Primùm notare oportet in Hebræo, אשר ישרוץ *ascher iischrotz* significare, tum repere, tum natare, & cùm de aqua, & piscibus sermo sit, pro natatione sumendum. Significat autem Vates, viuificatricem vim in Baptismi aqua futuram post primam illam aquæ sanctificationem. Quod expressit August. tractat. 80. in Ioan. cùm ipsum principium vitæ cor. per aquam Baptismi principaliter ablui dicit. Corpus enim, inquit, tangit aqua, & cor abluit. Significatam hanc vim impartiendæ vitæ, ait Tertul. lib. de Baptismo, in eo, quòd omne viuens in principio mundi ex aqua factum est. Primus liquor, ait, quod viueret, edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquæ animare nouerunt. Et D. Hieron. in epistola ad Oceanum idem figuratum in Spiritu sancto, cùm initio mundi *ferebatur super aquas*, Genes. 1. 2. quia nascentẽ, inquit, mundum in figura Baptismi parturiebat. Sic Hieronym. Innuens eodem diuino Spiritu parturiente nascituros in Baptismo Christianos, pisces multos satis, futuros ait, quia multi satis erunt fideles, postquam per aquam cœperit vigere Baptismus. Plinius quidem naturalis historiæ lib. 2. c. 2. in mari plura, & maiora animalia prouenire dicit, quàm in reliquis elementis; cuius rei causam assignat humoris luxuriam. Hinc est quod Exod. 17. vbi noster; *Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt*, iuxta Hebræum dicitur creuisse multitudo filiorum Israël ad instar piscium ebullientium. Nam est verbum, שרץ *scharath*, quod propriè de piscium fœtura dicitur, teste Vatablo loco Exod. citato. Iure ergo magnum hîc Christianorum prouentũ vt exprimat Vates, pisces vocat multos satis, quòd instar piscium ebullire vbiuis terrarum debeant. Quare autem Christiani dicantur pisces, explicauimus suprà.

*Vis Baptismi viuificatrix.*
D. August.
*A principio mundi aquæ animare nouerunt.*
D. Hieron.
Gen. 1. 2.
*Nascentem mundum Spiritus sãctus in figura Baptismi parturiebat.*
Plin.
*In mari plura & maiora animalia, & quare*
Exod. 1. 7.
*Per pisces exprimit Vates magnum prouentũ fidelium.*

---

## *De piscatoribus visis supra torrentem.*

### SECTIO V.

1. *Piscatores Apostoli sunt, Matth. 4. Luc. 5. Ecclesiæ typus.*
2. *Magna similitudo piscationis & prædicationis, ex Abulensi. Apostoli ex modo, quo capti sunt, didicerũt alios capere. Explicatur artificiũ, & labor artis prædicatoriæ, ex prædicta comparatione.*
3. *Retia prædicationis ex Autore operis imperfecti, item ex Ambrosio. Varia lectio in illo,* Ex hoc iã eris homines capiens, *componitur. Varius modus trahendi ad Ecclesiam.*
4. *Piscatio siue corporalis, siue spiritualis dulcis quædam vis. Cur Dominus Apostolos vocans addidit promissionem, quòd facturus esset piscatores hominum. Responsio Chrysostomi.*
5. *Engaddi, & Engallim qui termini exsiccationis retium? quid sit spiritualiter eiusmodi exsiccatio.*
6. *Quot genera piscium, per pisces centum quinquaginta tres, significantur omnes Christiani. ex Diuo Hieronymo, Cyrillo, Augustino.*

1. SEQVITVR Visio piscatorum plurium super torrentem. Is enim quocumque deductus est, ita fuit nauigabilis, atque piscationi aptus, vt mare ipsum est. Vers. 20. *Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim. Siccatio sagenarum erit, plurimæ species erunt piscĩu eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.* Piscatores eiusmodi à Propheta visi, Apostoli sunt, quibus à Domino dictum, Matth. 4. 19. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Et Petro Dominus dixit, Luc. 5. 10. *Ex hoc iam eris homines capiens.* Itaque iam inde Vates vtrumque flumen ad Orientem, Occidentémque diuisum, vidit piscatoribus

*Piscatores Apostoli sunt.*
Mat. 4. 19.
Luc. 5. 10.

bus plenum, & Ecclesiam in eo rectè delineauit, in qua primùm Apostoli piscationi hominum operam Christo nauarrunt.

*Officiū piscatoris habet cognationem cū officio prædicatoris.*

2. At quare Christus piscatores vocauit? quoniam habet officium piscatoris magnam cum officio prædicatoris affinitatem, vt ostendit Abulens. quæst. 98. in Matth. quia sicut piscatores extrahunt pisces è mari iactis retibus, ita prædicatores educunt homines de amaritudinibus huius seculi, dum Verbi Dei retia tractant. Vnde Imperfecti autor ad illa verba Christi, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, ait: id est, faciam vos Doctores, vt cum reti Verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, & fluctuabundo, &c. Sic ille. Et propter hanc similitudinem, quā piscandi ars habet cum arte prædicandi, facilè Christus Apostolos traxit, vt rectè annotauit Riccius. Artis, inquit, similitudine delectari discipulatui Saluatoris libentiùs submisère colla. Ita ille. Videlicet, per familiaria exercitia faciliùs quis trahi potest. Et D. Chrysost. ad illa verba Matth. 4. ait didicisse Apostolos, dum capti sunt à Christo, alios quoque similiter capere; ex illis ipsis, quibus capti sunt verbis, facilè crediderunt alios quoque per eadem à se capiendos.

Imperf. autor.

*Artis similitudine delectati Christo subiecère.* Riccius. D. Chrys. *Experti quomodo à Christo sint capti, didicere capere alios.*

*Munus piscatoris multum habet artificij & laboris, similiter & prædicatoris.*

Præterea habet officium piscatoris multum in se artificij, multum & laboris: nam oportet multiformia præparare retia, hamos varios, variè coaptare, escas adinuenire, & scitè inserere ad illecebras piscium, promptè, & cautè iacere, quasi auscultando incumbere, manúque, & sensu præstò esse ad opportunam capturam, per diem sæpe integram, intentis oculis obseruare indices cortices. Deinde mirum quantum habet laboris exercitatio piscatoria? noctes integras vigilando transigunt, frigore obrigescunt, fame excruciantur, retia dum extrahunt, cum magnis sæpe piscibus non sine discrimine luctantur, vt interim omittamus exortas subitò procellas, & ventorum rabie iactatas cimbas, pleraque alia præsentem mortem minitantia: similiter autem prædicatoris munus artificiosum valde ac laboriosum est. Idcirco enim adnotauit autor Imperfecti operis in Matth. ad illa verba *Vidit duos fratres, Simonem, & Andream, mittentes retia*. Erant, inquit, futuræ dignitatis gratiam artificij sui opere prophetantes. Quasi diceret, illo suo artificioso opere, & operoso artificio designabant, piscationis spiritualis simile artificium atque opus: & ratio est, quoniam officium prædicatoris est, obseruare, & quasi expiscari hominum voluntates, & quò velit perducere; idque multam continet difficultatem. rectè enim D. Chrysostom. Magnā, inquit, sapientiam, ac ferreum animum exigit, & vt quis ad tuam adducatur voluntatem, & abiiciat suam, hoc opus, hic labor est. Sic ille. Igitur prædicator mille dicendi artes callere debet, locos communes habere in promptu, quos aptare, & concinnare nouerit iuxta varias hominum exigentias, & antequam aggrediatur nolentes, obseruare opus est ipsas volēdi opportunitates, vt in tempore orationem efficaciter accommodet: ad id ergo multam sapientiam habeat necesse est. Quin etiam opus est habeat animum quasi ferreum ad exantlandas molestias ac labores conuersionum; insudare etiam oportet, vocéque ac lateribus valere, vt exaltet, cùm opus fuerit, vocem suam aduersùs supinos ac desides auditores. Itaque exercitus quis integros latè vastabit, voluntates renuentes, vt sibi obtemperantes faciat, hoc opus, hic labor. Expressit ergo optimè D. Hieron. ad Psal. 144. qualis debeat esse prædicator comparatus ad piscatorem: piscator enim callosis manibus, prædicator Christianus.

Matth. 4. 18. *Futuram gratiam prædicandi artificij sui opere prophetabant. Prædicator expiscari debet hominum voluntates.* D. Chrys. *Magnam id sapientiam & laborem exigit.*

D. Hiero. *Piscator callosis manibus, prædicator Christianus.*

4. At quæ sunt retia prædicatorum? Autor quidem imperfecti operis Euangelium esse ait, quod quidem luculenter ita exprimit ex persona Christi ad Apostolos: Ecce do vobis, inquit, Euangelium in manibus nouum, rete diuersarum sententiarum, obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum, & multiformium doctrinarum, textum minis iudiciorum, promissionibus beatitudinum, quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, miraculis confirmatum, &c. sic ille. At D. Ambros. absolutiùs retia prædicatorum describit, super illa verba Domini ad Petrum Luc. 5. *Duc in altum, & laxate retia vestra.* Quæ sunt, inquit, Apostolorum, quæ laxare iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittunt, & bene Apostolica instrumenta piscandi, retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lucem extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt.

*Retia prædicatorum, sunt Euangelia. Describuntur.*

D. Ambrof. Luc. 5. 4. *Aliter describit Ambrosius retia prædicationis.*

Vltima autem hæc addidit Ambrosius, quoniam in illis verbis Domini ad Petrum, *Ex hoc iam eris homines capiens*, legit, *viuificans*. Est enim in Græco ζωγρῶν, à verbo ζωγρέω composito, quasi dicas, viuicapio, hoc est, viuum capio, seu, à cæde conseruatum habeo. Vnde aliqui vertunt: *Ex hoc iam eris homines viuos capiens.* Rectiùs Iustinus Martyr in quæstionibus Gentium, q. 40. vertit, *ad vitam capiens*: quam significationem innuit Ambros. vt sit quasi supplementum metaphoræ: nam pisces viui quidem capiuntur, sed re vera absolutè moriuntur; at homines capti verbo prædicationis primùm moriuntur vitæ turpiter anteactæ, iuxta illud Rom. 6. 11. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato*, in quo piscibus assimilantur: sed vlteriùs ita moriuntur, vt vitam æternam consequantur: *viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro.* Origen. tamen homil. 16. in Ieremiam, vtrumque in metaphora includi asserit; quasi dicatur: sicut pisces capti moriuntur vitæ propriæ, vt comedantur, & incorporentur hominibus, ac ita vitam nobiliorem sortiantur: sic homines capti Euangelica prædicatione moriuntur primùm peccato, in quo nati, & nutriti sunt, & incorporantur Christo, & in eo viuunt vitam spiritualem, quod totum Paulus inclusit loco illo integro ad Rom. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu.* ad Colossens. 3. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.*

*Capiens, id est, viuificans, quoniā viuos trahis homines.*

Iustinus. Mart.

D. Ambr.

Rom. 6. 11. *Homines capti moriūtur peccatis, viuūt Deo.*

Origen.

ad Rom. 6.

Coloss. 3. 3.

Illud etiam obseruare congruit, quòd illa versione innuitur, *eris homines viuos capiens.* Nam vel ob id maximè piscatoribus comparauit Christus suos prædicatores, quòd non sicut cæteræ feræ in venationibus ferro capiuntur, sic homines capi oporteat violentis cædibus, sed omnino dulciter trahi, viuósque, vt pisces, intra retia Euangelica. D. quidem Ambros. lib. 5. Examer. cap. 6. Duobus modis, ait, piscatos fuisse Apostolos, nempe reti, & hamo. Nam Matth. 17. 26. Petrus hamo traxit piscem, è cuius ore nummum eruit soluendum pro tributo: *Vade* (ait Dominus) *ad mare, & mitte hamum.* Et ea quidem re significari duo genera fidelium ad Ecclesiam vocatorum: quidam enim hamo tracti sunt, vt Martyres,

*Cur non cōparauit prædicatores venatoribus? Homines nō violenter, sed dulciter trahendi.*

D. Ambr. Matth. 17. 26. *Alij fideles reti trahuntur, alij hamo, & quomodo?*

res, exemplúmque ponit in Stephano; alij sunt, qui retibus vocati sunt ad Ecclesiam conseruata vita eo modo quo illa fruebantur in seculo, videlicet cum suis diuitiis, honoribus, aliísque bonis. Ita Ambrosius. Nec meritò displicet Toleto, quòd Martyres etiam retibus pacificis vocati sint: nam intelligendus est Ambrosius de plena & completa vocatione ad salutem, quæ in Martyribus etiam comprehendit cædem ipsam pro fide obitam: quamquam id quoque intelligi potest absolutè de iis, qui per purum martyrium, suo videlicet sanguine baptizati, ad Ecclesiam vocati sunt.

*Quo pacto intelligendus Ambrosius?*

*Spiritualis piscatio, vis dulcis.*

4. Est nihilominus spiritualis piscatio simpliciter loquendo, sola vis illa dulcis, qua homines trahuntur ad fidem: sic piscatio corporalis siue hamo, siue reti fiat, dulcis quædam violentia definiri potest: nam rete quidem pisces in medio comprehendens trahit sensim sine vllo penè sensu: hamus verò, etsi duritiem & acumen habet ad imprimendam vim, tamen dulci esca tectus euidentiùs dulcis quædam vis est. Primùm id ostendit Dominus, cùm Apostolos vocauit dicens: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Cur enim non satis habuit Dominus dicere, *Venite post me*? an eius illud imperium inefficax erat per se ad eos trahendos? cur addit promissionem, quòd venientes ad se facturus esset piscatores hominum? Pulcherrimè quidem respondit Chrysostomus. Quoniam piscabatur eos: sicut enim piscator non solet mittere nudum hamum in aquam, quantumuis sciat in eo vim esse ad attrahendum: sed insuper addit escam dulcem ad inuitandum piscem: ita prorsus imperium illud Christi, *Venite post me*, potens abundè erat ad trahendum, hamus erat chalybe durius ad prendendum quemlibet magnum piscem, quemlibet vel obstinatum in duritia peccatorem. Verùm quia Dominus piscabatur, addidit escam dulcem promissionem piscaturæ spiritualis, quo faciliùs, ac suauiùs traheret; cúmque sic attracti illico venerint relictis omnibus, in se ipsis liquidò ostenderunt huius piscaturæ quanta esset vis. Vnde est illud Chrysostomi: Perpende obedientiam vocatorum, & cognosces, quàm potens ac dulcis sit piscatio. Ita ille. Per hoc autem didicerunt alios capere, vt idem Chrysostomus annotat. Ex illis, inquit, ipsis quibus capti sunt verbis facilè crediderunt, alios quoque per eadem à se capiendos, videlicet diuina ad id ipsum cooperante gratia, quam præcipuè per indoctos ac debiles eminere volebat in opere conuersionis mundi. Idcirco enim illo Matth. loco dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Nihil enim ipsi per se faciebant, sed totum in eis à Deo fiebat. Rectè enim imperfecti Autor: Elegit eos, inquit, non quasi Apostolos, sed quia Apostoli fieri poterant. Sicut artifex, si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas, eligit illas, non quòd sint, sed quòd fieri possunt. Scientiam enim artis habens, bonum incompositum non contemnit. Sic ille. Bonam ergo indolem, licèt rudem, in Apostolis eligit Christus; sicut artifex bonam materiam, licèt incompositam: nec enim artifici materia datur composita, & dolata; in eo enim artificem se probare debet, vt ex rudi materia addito labore suo opus perfectum efficiat. quod Christus optimè præstitit: ex piscatoribus enim rudibus consummatos protulit prædicatores. Idcirco Propheta piscatores hic stantes tantùm super torrentem vidit, hoc est, paratam exhibentes indolem, vt per eam Dominus opus suum ostenderet.

*Addidit Dominus promissionē pro esca. D. Chrys.*

*Venite post me, hamus erat.*

*D. Chrys. Obedientia vocatorum ostendit quàm dulcis sit piscatio.*

*Elegit Dominus non iam Apostolos factos, sed faciendos.*

*Artifex materiam bonam incompositam non contemnit.*

*Piscatores, stantes, hoc est, paratam ostendentes indolem.*

5. Quod verò sequitur, *Ab Engaddi, vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit*, primùm ostendit terminos exsiccationis retium, Engaddi, & Engallim; quos D. Hieron. in ipso mari mortuo ponit. Engaddi scilicet ad partem Orientalem, Engallim ad Occidentalem. Videlicet, vt in ipso illo mari, quod futurum erat toto orbe, præmonstraret. Vel intelligi potest Engallim fuisse oppidum in extremis partibus Iudææ versùs Occasum, vt in Paraphrasi tactum. Præterea ostendit Vates, id quod facere piscatores solent finita piscatione: impactis enim in arenam perticis retia sua appendunt, & exsiccant ad solem. Deinde spiritualiter intelligendum, piscatores Euangelicos, postquam retibus suarum prædicationum, ac exhortationum plurimos pises, hoc est, peccatores, Domino lucrati fuerint, debere se ipsos, ac sua illa retia, siue illas à se per diuinam gratiam concinnatas sententias ad diuinos solis radios explicare, crebris, videlicet, meditationibus exercendo animum, & calore diuini Spiritus decoquendo ampliùs verba illa sua. Nam exercitatio piscatoria, vt corporaliter exhibita, tum piscatores, tum retia aspergit humore salso, & suapte natura corrosiuo; sic spiritualiter impensa, spirituales piscatores, & eorum verba amaritudine aliqua, & imperfectione quasi humectat ac deprimit, & ea oportet, cùm vacat, exsiccare ad diuinos radios. Idem erui potest ex eo, quod illo eodem cap. 4. Matth. narratur de duobus fratribus, Iacobo, & Ioanne, qui erant in naui reficientes retia sua. Quòd enim tunc vocati sint à Domino, ob id maximè fuit, quia placuit ei cura illa, & studium reficiendi retia: translata videlicet ad spiritualem curam reficiendi spiritualia retia, commendatúmque oppidò voluit omnibus prædicatoribus, retia vt sua studerent statis temporibus reficere.

*Engaddi & Engallim, quales termini.*

*Prædicatores post longam piscationem animarum, se ipsos, ac retia curent.*

*Quomodo exsiccatio spiritualis facienda.*

*Quare Iacobus & Ioannes vocati sint, quando reficiebant retia?*

6. Vltimò de piscibus additur, *Plurima species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimia.* D. quidem Hierony. ad hunc locum ait, eos qui de animalium scripsêre naturis, affirmare centum & quinquaginta esse genera piscium, citátque Oppianum poëtam. Plinius histor. natur. lib. 9. cap. 14. species piscium numerat centum. Longol. lib. 31. cap. vltimo centum septuaginta sex genera numerat. Cùm ergo Ioan. 21. 11. dicitur Simon Petrus, postquam tota nocte nihil prendidisset, misso reti ex Domini præcepto ad dexteram nauigij traxisse *centum quinquaginta tres pisces*, ait Hieron. fuisse veluti figuram, in qua illi monstratum est, quantam essent Apostoli hominum multitudinem, ac diuersitatem capturi. Omnia, inquit, capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne genus hominum de mari huius seculi extrahitur ad salutem. Ita D. Hieronym. Sed & D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 69. piscibus centum quinquagintatribus multitudinem credentium significatam ait, per centum quidem, numerositatem gentium conuersionem; per quinquaginta verò, Iudæorum, quæ minor fuit: per tres verò, fidem

*D. Hieron. Genera piscium centū & quinquaginta, alij pauciora, alij plura. Plin. Longol. Ioan. 21. 11. D. Hieron. In captura piscium, quam Petrus fecit, ostendit omnes homines capiendos, quomodo intelligendū? D. Cyril. Alex. Per centum quinquaginta tres pisces, multitudo fideliumꝗ qualiter sumēda?*

dem Trinitatis, quæ propria est Christianorum, quam & Gentes & Iudæi receperunt. Omnes enim intra vnum Ecclesiæ rete continentur. Quam expositionem probat Euthymius. Voluit nempe Dominus exemplo artis propriæ Discipulos suos, de captura hominum fortè desperantes, roborare, vt qui illa nocte nihil prehendissent, in dexteram rete explicarent, quo scilicet propriis viribus non fidendum ostenderet, sed diuinam opem spectandam potiùs: sic enim futurum, vt hominum multa genera sua prædicatione faciliùs, quàm suo reti pisces, ad fidem traherent. Lubet etiam Augustini locum in hanc ipsam Euangelicam historiam huc inserere. *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* ac si diceret: Ego hac vice non misi vos, in nocte venistis, sinistrorsum laborastis, nihil prendidistis; nunc ergo mittite in dexteram nauigij rete, ex meo præcepto laborate, meam doctrinam prædicate, nesciat sinistra vestra, quid facit dextera vestra, & inuenietis. In dexterâ igitur piscari, est veram & Catholicam doctrinam syncero affectu, & mundo corde prædicare. Piscatores enim Apostoli sunt, & cæteri Doctores; retia sunt Euangelia, & omnis sermo diuinus; pisces omnes fideles: tales enim pisces in Baptismi flumine natant, sales retibus Euangelij, & amore fidei expiantur. Ita August. Rectiùs fortè, ad dexteram piscari est, cùm diuino freti auxilio prædicamus, vt proximè annotauimus. Pisces ergo omnis generis, quales in mari magno, hoc est, Mediterraneo (quod respectu Terræ sanctæ dicebatur magnum) futuros prædicit Propheta per dictos torrentes, id est, in Ecclesia, multa genera hominum, qui ad fidem conuertendi sunt.

*Non esse propriis viribus fidendum, sed diuina gratia in capiendis animabus.*

*Piscari in dextera, est veram doctrinam syncero sensu prædicare.*

*Mare Mediterraneũ dicitur magnum respectu Terra sancta.*

## *Quid per littora, & palustria significetur?*

### SECTIO VI.

1. *Versio Septuaginta non differt à vulgata, explicante Hieronymo.*
2. *Quid significet, quòd in palustribus non sanentur aquæ? ex loco D. Hieronymi habetur sensus, & ex Theodoreto.*
3. *Quomodo malis bene vtatur Deus. ex loco Augustini.*
4. *Quid significet illud Apostoli:* Oportet hæreses esse? *Chrysostomus explicat.*

1. DE littoribus quoque & palustribus Propheta non siluit, quòd in eis non sanentur, ac dulcescant aquæ, sed in salinas reputentur. Vers. 11. *In littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salina dabuntur.* Pleræque versiones habent pro littoribus, & palustribus, cœnosa loca, quæ vocant æstuaria, vbi multum luti iacet. Quod verò Septuaginta aiunt, Et in exitus eius, & in conuersione eius, & in superelevatione eius, sensum habet similem, quem annotat D. Hieron. hoc modo: In his, autem, quæ egrediuntur ripas, & sunt palustria: nam eiusmodi æstuaria fiunt ex reciprocatione maris, qua æstu accedente, & recedente, loca eiusmodi vicina mari, cœno obducuntur.

*Varia lectio.*

*D. Hieron.*

2. Significatur, eos, qui, extra Ecclesiam sunt, non habere salutem, sed eo, vt plurimùm vtiles esse, quòd in salinas sint, hoc est, vt per eos boni sapiant. Ita D. Hieron. Illud, inquit, latenter ostenditur: quòd qui in Noe arca non fuerit, pereat regnante diluuio: & quos iste fluuius non attigerit, non suscipiant sanitatem, sed in salinas (inquit) dabuntur. Iuxta illud, quod scriptum est, *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Erudiunt enim bonos, exempla peiorum. siue *in salinas dabuntur*, iuxta illud, quod in Euangelio scriptum est, *Bonum est sal. Si autem sal infatuatum fuerit, in nihil est vtile;* vt in perpetuum frugibus careat, & virore: quod & vrbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Hæc à D. Hieronymo. qui etiam hoc historicè exponit de mari Sodomorum, & eius paludibus, vbi nullum animal nascitur, & alibi natum ibi viuere non potest. Vnde nomen illi mare mortuum.

*Qui extra Ecclesiam sunt, salutẽ non habent. In salinas sũt, vt videlicet per eos bonis sapiãt.* Prou. 19. 25. *Erudiunt bonos, exempla peiorum.* Matt. 9. 50.

Similia reperies apud Theodoretum. Qui, inquit, in multitudinem aucti, in segnitiem lapsi sumus, palustribus similes sumus, iuxta illud Domini Matth. 24. 12. *Cùm abundauerit,* inquit, *iniquitas, refrigescet charitas multum.* Eos igitur, qui in superficie versantur, & prædicatione dumtaxat induti sunt, quales nostrùm plurimi, lacunas vocat. Etenim lacunæ non profundam, sed in superficie aquam habent. Eos igitur, qui ita affecti sunt, asserit minimè consequi remedium. Quin etiam isti, inquit, reliquis non inutiles: castigati enim vtilitatis aliis causa erunt, quamobrem in sales dabuntur, dixit: instruere enim nos quodammodo, & vtilitatis implere consueuit, non solùm oratio docens, sed etiam illatum pro peccato supplicium. Ita Theodoret.

*In segnitiem lapsi, palustribus similes sunt.* Matth. 24. 12. *In superficie versantes, ac sola prædicatione induti, lacunæ sunt.* *Castigati reliquis vtiles sunt, & in sales dati.*

3. Itaque etsi mali homines, & hæretici non sanantur, tamen sales bonis sunt, quod sæpius asserit D. August. maximè epistola 141. super illud 1. Corint. 11. 19 *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Nam si nullus, inquit, malorum bonus vsus esset Deo ad vtilitatem electorum, poterat eos aut nasci non permittere, aut in ipso eorum initio malignitatis extinguere. Sed tantùm eos permittit esse, quantùm nouit expedire, atque sufficere admonendæ atque exercendæ sanctæ domui suæ. Ita ibi. Similiter in Enchiridio cap. 2. affirmat, Deum nullo modo permissurum, vt mala in mundo fierent, si iis non bene esset vsurus ad vtilitatem bonorum. Non enim autor naturæ permittit, vt aliquid frustra fiat in mundo. Nisi ergo spectaret ad vtilitatem bonorum, aut correctionem ipsorum malorum, illos vel non permitteret malè agere, vel simulatque agerent, extingueret. Itaque mali, vel bonis debent, quòd in mundo tolerantur, vt per eos boni exerceantur, vel Dei misericordiæ, qui eorum correctionem præstolatur, vt loquitur ad Ps. 54. idem Augustinus. Malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per eũ bonus exerceatur.

D. August. 1. Cor. 11. 19. *Permittit Deus malos & nasci & viuere, in quantum domui suæ vtiles sunt.* *Attendit Deus tum correctionẽ malorum, tum vtilitatem bonorum.* *Mali bonis debent, quòd sint, & viuant.*

4. Cùm ergo ait Apostolus, *Oportet hæreses esse*, aut significat necessitatem consequentiæ (vt loquuntur Theologi) aut necessitatem pronitatis, vt loquitur D. Chrysostom. ad prædictum locum

locum Pauli, qui videtur esse sensus literæ maximè congruus: nam sermo ibi est non de hæresi, quatenus significat discessionem à vera fide, sed vt significat sectas, seditiones. Corinthiis verò loquitur suapte natura procliuibus ad contentiones, & seditiones. Nam scitum illud est, quo Paulus eos seprehendit eadem epistola 1. ad Corint. cap. 1. 11. *Contentiones sunt inter vos, pro quo dicitis, Ego sum Apollo, ego Cephe,* &c. Ex hac igitur eorum pronitate necessitas quædam proueniebat, hoc est, difficultas maxima ad concordiam, & pacem. Vnde Chrysostom. Hoc, ait, est propter eorum, qui curari non possunt, voluntates. Quod noster Vates dixit, *In littoribus autem eius, & paludibus non sanabuntur*; sed dum illi non sanantur, eorum

1. Cor. 1. 11.

*Oportet hæreses esse, ex pronitate Corinthiorum ad seditiones.*

Chrysost.


*Oportet esse, id est, difficile est nō esse.*

A tamen maio sanantur & illustrantur alij. Vnde sequitur apud Paulum, *vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Explicat Chrysostomus, clariores fiant vestris seditionibus, & contentionibus. Nam gubernator tempestate ostenditur. Sic ille. In salinas ergo dabuntur, hoc est, ad remedium insipientium. Quemadmodum vxor Loth inobediens in statuam salis conuersa dicitur, Genes. 19.26. Quo loco egregiè Emmanuel Saa: Est quidem sal sapientiæ symbolum, & hîc positus ad insipientium admonitionem. Consentaneè ad D. Augustinum in Psalm. 83. Vt quid, inquit, statua salis effecta est, si non homines condit, vt sapiant? ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura.

*Gubernator tempestate ostenditur boni seditionibus malorum.*

*Vxor Loth in salē versa ad insipientiū admonitionē.*

Genes. 19. 26.



VISIO



# VISIO VIGESIMAPRIMA,

## DE STATVA NABVCHODONOSOR, QVAM EXPLICAVIT DANIEL.

### *Daniel. Cap. 2.*

## PRÆFATIO.

### *De Daniele Vidente.*

*Daniel de Tribu Iuda.*

CVM Daniel fuerit præcipuus Videns, de illo præfari potiùs visum est, quàm de Nabuchodonosor minùs vidente. Fuit ergo Daniel de Tribu Iuda, vt colligitur ex primo eius capite, vbi Asphenez princeps eunuchorum, iussus à Rege Nabuchodonosor introducere in Regiā pueros de genere Regum Iuda, Danielem, & tres alios pueros selegit, Ananiam, Azariam, & Misael. Ex quo loco apertè constat fuisse proculdubio Danielem ex regia stirpe. Et patet idem ex lib. 4. Regum cap. 20. vbi legimus Isaiam prædixisse Ezechiæ Regi fore, vt filij eius captiui ducerentur in Babylonem, & seruirent ibi in aula regia, quod in Daniele completum fuisse affirmant omnes. Et congruit Iosephus, qui decimo libro Antiquitatum scribit, Danielē fuisse ex cognatione Regis Sedeciæ. Accedit auctor Historiæ Scholasticæ ad cap. 39. libri 4. Regum, vbi refert Ioacim Regem Iuda, cùm captus à Rege Nabuchodonosor duceretur Babylonem, mutata Regis sententia dimissum esse imposito tributo, & acceptis Regiæ stirpis obsidibus, in quibus fuere Daniel, & tres illi pueri.

*4. Reg. 20.* — *Daniel ex stirpe Regū Iuda.* — *Iosephus.* — *Hug. Vict. Schol.*

*Danielis patria, secūdùm aliquos Betheron, & vbi sita.*

2. Natus superiori Betheron, vt Epiphanius memorat. Est id oppidum ædificatum à Sara filia Ephraim, vt narratur 1. Paral. 7. in ea parte sortis Ephraim (ait Benedictus præfatione in Danielem) quæ postea Leuitis assignata est. Congruere id potest opinioni Carthusiani, qui nescio qua autoritate fretus, Danielem ait genere paterno fuisse de Tribu Leui, materno autem de Tribu Iuda. Propinquum esse Betheron castello Emaus, & ab Hierosolymis distare nouem milliariis, affirmat idem Benedictus. Patrem Danielis Epiphanius hæresi 55. facit Sabaa. At verò 70. Interpretes, ini-

A tio historiæ Belis, Abda. Vir, inquiunt, erat Sacerdos, nomine Daniel filius Abda. Verùm nec de patria, nec de patre Danielis quicquam habemus ex Scriptura certum: & Septuaginta versionem eo loco Ecclesia (vt ait Hieronymus) meritò repudiat: vnde quod ex illo loco Septuaginta refertur, non extat apud vulgatam Septuaginta; maximè quia Daniel nec fuit, nec esse potuit Sacerdos, vtpote non de Tribu Leui, sed Iuda. Cur autem is, aut patriæ, aut parentum non meminerit, vt cæteri Prophe-

*Nec de patria, nec de patre Danielis quicquam certum.* — *Hieron.*

B tæ facere solent, quis causam, aut idoneam, aut probabilem inueniat? Noui à quibusdam quasdam res proferri parum firmas, ac adeò quas facilè quis refutare queat, cùm nec Scripturæ, nec Patrum, nec antiquæ, probatæque alicuius traditionis autoritate nitantur.

*Cur Daniel non meminerit patriæ, aut parentum, incertum est.*

3. Dictus est Daniel non temere, vt assolet, sed propè diuino consilio, quòd egregiè significationi nominis studium vitæ responderit. Daniel enim apud Hebræos iudicium Dei significat: fuit autem Da-

*Danielis nomen diuino consilio inditum.* — *Daniel, iudicium Dei.*

C niel in occultis Dei iudiciis explicandis singulariter admirabilis. Nomen illi in captiuitate mutatum, dictúsque Baltassar, siue à Nabuchodonosor (vt velle videtur Iosephus 10. Antiquit.) siue (vt ipse Daniel indicat cap. 1. 7.) ab Asphenez eunuchorum Principe. Epiphanius quidem de vita & interitu Prophetarum dictum sic ait à Nabuchodonosor, ob nomenclaturam vnigeniti filij sui Baltassaris. Verùm Baltassarem non fuisse filium Nabucho-

*Iosephus.* — *Indiciorum Dei eximius scrutator.* — *Epiphan.*

D donosor demonstrabimus in sequentibus. Iosephus, vt refert Maldonatus in præfatione ad Danielem, impositum id nominis ait per Nabuchodonosor, à Bel idolo apud Chaldæos celeberrimo, addita reliqua dictione, vt significaretur, aut Belis occultus thesau-

*Baltassar ab ethnico Rege dictus, quasi thesaurus Belis.*

thesaurus, aut sanè aliquid Belis, quo Rex Danielem innueret, ad Deos, vel maximè pertinere.

*Ductus puer in Babylonem.*

4. Ductus est in Babylonem Daniel, vt quidem ait Epiphanius, infans adhuc, atque pusio, iuxta Isidorum planè puer; placet verò Benedicto, fuisse tunc decem annorum: qui annus concurret cum tertio Regis Ioacim, vt ex primo capite colligitur. Vnde ex sententia Benedicti, natus Daniel circa Olympiadem vigesimamnonam, & annum ab Vrbe condita nonagesimumquintum, videlicet annis ante Domini Iesu ortum sexcentis, ac propè sexaginta. Cùm ergo septem Græciæ sapientes, à quibus primùm erudita est circa Olympiadem quinquagesimam floruerint, in aperto manet, quantò fuerit in populo Dei antiquior sapientia: cùm enim apud Græcos planè erat infans, apud Hebræos sub Daniele, qui proximus fuit nouissimis Hebræorum sapientibus, iam planè consenuerat. Narrat ergo Beatus Ignatius in epistola ad Magnesianos, & eum sequutus Sulpicius lib. 2. Historiæ sacræ, Danielem, cùm primùm prophetici Spiritus indicium edidit in liberatione Susannæ, duodecimum egisse annum. Interpretatus est autem, teste Benedicto, primum somniū Nabuchodonosor annum agens trigesimumquintum. Visiones septimi, & octaui capitis octogenarius habuit: scripturæ manus in pariete prope annum centesimum explicauit Baltassari. Anno sequenti, qui fuit primus Darij Regis Medorum, diuinitus ei patefactū est tempus septuaginta hebdomadarum, quo & aduentum, & mortem Messiæ apertè prædixit: quæ autem decimo, vndecimo, & duodecimo capite Visiones recensentur, iam centenario contigerunt, vt ex tertio Cyri Regis anno, quo habitæ memorantur, apertè colligitur. Num autem, & quandiu vltra centum annos vixerit, incōpertum est. Sanè per totum id temporis auctum à Deo fuisse insignibus sapientiæ diuinæ dotibus, inde, vel maximè liquebit, quòd Ezechielis cap 28. increpans Deus arrogantiam Principis Tyri de sua sapientia superbè gloriantis, dixerit: *Ecce sapientior tu es Daniele?* Quo satis declarauit Deus, Danielem fuisse eo tempore mortalium omnium sapientissimum.

*Chronologia Danielis.* — *Sapientia Hebræorum antiquior Græcorum sapientia.* — *Natus annos 12. Susanna iudicium edidit.* — *In quibus annis Visiones habuerit.* — *Ad 100. annos vixit, vlteriusne vixerit, incertum.* — *Daniel suo tempore omnium mortalium sapientissimus.*

*Daniel sua prophetia auctor. Matth. 24. 15.*

5. Danielis librum non alium quàm ipsum habuisse autorem certum esse videri debet: nam & Dominus, Matth. 24. 15. dixit: *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, qui legit, intelligat.* Vbi illud, *qui legit*; satis declarat, quod præcesserat de historia abominationis, ab eodem Daniele conscriptum. Et cap. 7. dicitur Daniel somnia, & Visiones suas breui sermone complexus. Cap. verò 12. Angelus Danieli imperat, vt claudat sermones, & obsignet librum suum, quæ certè Danielem autorem manifestè videntur ostendere: ita sentiunt communi mente Patres. Et tamen ausus est Porphyrius impius totum librum vnum, ex quindecim, quos aduersùs Christianos edidit, ea in re consumere, vt ostendat, librum Danielis non fuisse ab eo conscriptum, sed ab aliquo tempore Regis Antiochi Epiphanis, qui res iam præteritas commemorauerit, atque vt autoritatem scriptis suis daret, prophetiam Danielis appellauerit. Gratè admodum mihi dixisse videtur D. Hieronymus prologo in Danielem, Porphyrij impugnationem, veritatis huius libri testimoniū esse: malo fato natus homo, qui sic fuit veritatis inimicus, vt sufficiens sit argumentum, rem aliquam esse veram, si ab illo impugnetur vt falsa. Pessimi ergo autoris calumniam Methodius, Apollinaris, & Eusebius Cæsariensis, multis voluminibus doctissimè refutarunt, subtiliter & ipse Hieronymus, breuitérque satisfacit hominis insaniæ; sed illud validissimum est contra Porphyrium argumentum, quòd septuaginta Interpretes Antiochum Epiphanem centum propè annos antegressi, librum Danielis ex Hebræo in Græcum transtulerunt; quin & ante eundem Antiochum centum ac sexaginta annis, vt refert Iosephus lib. 11. Antiquit. Iaddus Hebræorum Pontifex Alexandro magno obtulit prophetiam Danielis de Rege quodam Græcorum, qui Regnum Persarum expugnaturus dicebatur. Falsum ergo est quod Porphyrius ait, æqualem aliquem Antiochi Epiphanis Danielis librum scripsisse.

*Porphyrij opinio de libro Danielis.* — *D. Hieron. Porphyrij impugnatio, veritatis testimonium est.* — *Refutatio valida Porphyrij.*

6. Nec obstat quòd Daniel non ponitur inter נביים id est, Prophetas, sed inter כתובים id est, Agiographos: nam cùm sic ponunt, Prophetam non negant, sicut nec Hieronymus negauit præfatione in Danielem: solùm enim retulit, quòd ab eis sic æstimaretur, vnde immeritò reprehenditur à Ruffino. Constituunt ergo Hebræi plures gradus Prophetarum, aiúntque Danielem non esse ex eo genere, qui verbum Domini ad se factum esse pronunciant, qualis Isaias fuit, Ieremias, Ezechiel, & minores alij, sed tamē pertinere ad gradum alium Prophetarum, qui ea nota non vtuntur; quales Dauid, Salomon, & plures alij, qui non ideo minores Prophetæ sunt, vt concors Hebræorum sententia tenet in libro מגלה נקראת apertéque videre est apud Rabbi Moysem Ægyptium libro 2. מורה cap. 45. cuius rei ignarus Theodoretus, longa oratione,

*Quare Daniel non referatur ab Hebræis inter Prophetas? D. Hieron.* — *Plures gradus Prophetarum, iuxta Hebræos.* — *Theodor.*

*Satis abũdè, quòd Dominus Danielẽ Prophetam nominat.*

*Matth. 24. 15.*

tione, sed gratis, inuehitur in Iudæos, quòd Danielem Prophetam negent. Quid autem interest, si Daniel à quoquam alio Propheta negetur, si Dominus expresse vocat Prophetam Matth. 24. 15. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta?* Sunt & alia quæ contra librum Danielis obiici solent, quæ non vacat percurrere, satis nobis ad Præfationem fuerit, librum ab eo scriptum, & verum Prophetam esse, breuiter demõstrasse. Cætera commendat materies ipsa prophetiæ, quæ hominis regij naturæ, & aulæ regiæ sectatori egregiè quadrat, multiplici varietate mirabilis, nunc summorum imperiorum conuersionibus, nunc regum in bestias metamorphosibus, nunc summi Regis Dei ad iudicium venientis horribilibus apparatibus: quæ omnia per Visiones omnis generis Vates Regius complexus, literis quoque prodidit ad vtilitatem aduenientium seculorum.

*Materia prophetiæ Danielis eius ingenio & studio conueniens.*

7. Atenim id præcipuè in eo suspicimus, quòd fuerit omnium virtutum genere condecoratus. Vnde vel maximè dictus est ab Angelo, cap. 9. 23. *vir desideriorum*, eo quòd (cõnotat Theodoretus) omnibus iucundus, amabilisque fuerit, ob præclaras virtutum prerogatiuas: vel quòd pro populo suo variis se exerceret desideriis, omnia illi bona optans. Virginitatem coluisse omnes affirmant. Imò Damascenus 4. de fid. orthod. 25. asserit propter excellentiam castitatis seruatum fuisse Danielem à sæuitia leonum. Ob hanc verò castitatis eminentiam, ait Epiphanius, creditum à multis Danielem eunuchum fuisse. Patet quidem Hebræorum ea in re sententia, fuisse videlicet Danielem verè eunuchum, nec ob aliud commendatum, cum tribus aliis pueris, eunuchorum Principi, vt postea seruirent in aula regia, quod soli eunuchi ex more gentis Chaldææ facere solebant, idcirco & Origenes hom. 4. in Ezech. eunuchum absolutè asserit, idémque sentit Metaphrastes in vita Danielis, Zonaras 1. tomo Annal. & D. Hieronymus 1. lib. aduersùs Iouin. Sed tamen argumentum desumptum ex nomine eunuchi, & ex eo quòd assumptus fuerit ad seruiẽdum in aula regia cum cæteris eunuchis, non conuincit: nam & Putiphar ille, de quo mentio fit Gen. 39. eunuchus dicitur, ac vnus à præcipuis Pharaonis seruis, & tamen constat ex loco citato habuisse vxorem ac filios. Illud planè credi par est, quia eunuchis credebantur intima palatij loca, & secretiora Regum consilia, sicut etiam non eunucho, eadem illa similiter credebantur, eunuchorum nomine censeri solitum, ac talem fuisse Danielem. Ob id autem inprimis, sed maximè ob virginitatis cultum appellatum fuisse eunuchum, nihil renuerim. Tales enim in Euangelio celebrantur eunuchi, videlicet *qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cælorum*, Matth. 19. 12. Etsi autem D. Hieronymus loco citato illud affirmauerit, tamen Dan. 1. dubitanter loquitur: nec obest quod Ezech. 14. nominans Deus Danielem cum Noe, & Iob, filiorum ipsorum fecerit mentionem: non enim de singulis intelligere id oportet, satis est si de duobus tantùm explicetur, & de Daniele etiam sub conditione, nempe si filios habuisset.

*Theodor. Cur Daniel vir desideriorum.*

*Damascen. Ob excellentiam castitatis seruatus à leonibus.* Epiph.

*Iuxta Hebræos, eunuchus Daniel fuit.* Orig.

Metaphra. Zonaras. D. Hieron.

*Probatur nõ fuisse eunuchum.*

*Daniel quomodo habitus pro eunucho?*

Matth. 19. 12. *D. Hieronymus non fuit apertè eius opinionis.* Ezech. 14. 14. *Explicatur locus Ezechielis.*

8. Mitto quòd ieiuniis Daniel, quòd orationibus, ac aliis plurimis virtutibus clarus fuerit: illud vnum satis habeatur pro commendatione; tantam fuisse in eo morum integritatem, vt vel hostes eius inuiti dixerint, Dan. 6. 5. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui.* quo loco egregiè Maldonatus. Nullũ, inquit, aduersùs eum crimen inueniemus, nisi fortè pro crimine virtutẽ, obseruationémque diuinę legis obiiciamus. Magnum sanctitatis testimonium! Sic ille. Sed & illud in Ezechiele cap. citato optimè declarat, quanta Daniel apud Deum sanctitatis prærogatiua valuerit, quòd iræ suæ irreuocabilem indignationem in Hebræos exprimere cùm vellet, ac nullius se precibus, etiam apud se sanctissimi, placatum iri dixit: *Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*, &c. Quasi diceret Deus: Sic stat altè defixa apud me vltionis sententia, vt nec viri isti tres ob eximiam sanctitatem mihi gratissimi obtinere à me possint, vt mitiùs agam.

*Danielis virtus vel hostibus cõmendabilis.* Dan. 6. 5.

*Danielis sanctitatis apud Deum autoritas.*

9. Fuit Daniel aspectu (vt ait Epiphanius) aridissimus, ac natiuo squalore obsitus, sed gratiæ pulchritudine perquàm speciosus. Denique plenus dierum Babylone decessit vir sanctus in pace, sepultúsque magno cum apparatu in monumento, quod ad suum vsque tempus extitisse testatur idem sanctus Epiphanius.

*Daniel aspectu arido, & squalenti.*

*Babylone moritur, & sepelitur.*

# ARGVMENTVM CAPITIS.

*IDET in somnis Nabuchodonosor statuam capite auream, pectore, & brachiis argenteam, ventre, & femoribus æneam, tibiis ferream, pedibus partim ferreis, partim fictilibus. Oblitus somnij sui Rex quærit à Magis Babyloniis quale fuerit, solus Daniel id edisserit, & interpretatur: quare summam sibi autoritatem apud Regem, & omnes Chaldæos conciliat.*

## CAPVT II. DANIEL.

1. IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

2. Præcepit autem Rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldæi: vt indicarent Regi somnia sua: qui cùm venissent, steterunt coram Rege.

3. Et dixit ad eos Rex: Vidi somnium, & mente confusus ignoro quid viderim.

4. Responderúntque Chaldæi Regi Syriacè: Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.

5. Et respondens Rex ait Chaldæis: Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ publicabuntur. Si autem somnium, & coniecturam eius narraueritis, præmia, & dona, & honorem multum accipietis à me.

7. Responderunt secundò, atque dixerunt: Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem eius indicabimus.

8. Respon

## PARAPHRASIS.

A 1. *ANno secundo cõditæ Monarchiæ Chaldaicæ à Rege Nabuchodonosor (postquã scilicet, Amonitas, Moabitas, Scythas, & Aegyptios subegit, qui fuit annus regni eius vigesimus tertius) oblatum illi inter dormiendum est terrificum somnium, quo penitus animus eius consternatus est, sed exciderat sibi è memoria quid somniasset, tantùm sciebat triste aliquid se volvisse animo.*

2. *Iussit ergo Nabuchodonosor accersiri ariolos, hoc est, genethliacos, item magos, somniorum scilicet coniectores, maleficos præterea, id*

B *est, præstigiatores, qui incantationibus suis res naturales in varias figuras vertere solent, quales apud Pharaonem, virgas in colubros mutarunt, æmulatione Moysis; denique Chaldæos, qui tunc habebantur rerum futurarum diuinatores: dediti enim erant illi parti astrologiæ, quæ in diuinatione versatur, & ob hoc exactum studium eorum, omnes diuinatores vocati sunt postea Chaldæi: iis ergo præsentibus præcepit Rex somnia vt sua diuinarent sibi; licèt enim vnum fuisset somnium, ob multiplicitatem tamen eius vocat somnia.*

C 3. *Tunc Rex ad ariolos: Somnium vidi, cuius nunc obliuiscor, sed vmbram tamen relictam animo verso terribilem, quæ nihil distinctum exhibet, sed solum horrorem, quo vehementer angor, quare declarate quid viderim, & quid significationis in se contineat.*

4. *At illi lingua Syriaca, quæ genuina erat, ad Regem loquuti, æternam illi primùm vitam de more precati, aiunt: Tuum est, ô Rex, somnium nobis proponere, nostrum interpretationem addere, somnium ergo primùm edisseras necesse est.*

D 5. *Tunc Rex: Somnium, quod ad rem attinet, mente excidit, nunciate ergo, quid somniauerim; alioqui de vobis, déque bonis vestris actum putate: nam manifestum erit, quòd in aliis rebus confingitis interpretationes falsas; idcirco, & omne genus coniectorum exscindam penitus tanquam perniciosum genus hominum. Si tamen indicaueritis somnium, præmiis, & honoribus à me donabimini.*

8. Cùm

8. Respondit Rex, & ait: Certè noui quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.

9. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quòd interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciã quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.

10. Respondentes ergo Chaldæi coram Rege, dixerunt: Non est homo super terram qui sermonem tuum, Rex, possit implere: sed neque Regum quisquam magnus, & potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

11. Sermo enim, quem tu quæris, Rex, grauis est; nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu Regis: exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.

12. Quo audito, Rex in furore, & in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.

13 Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebantúrque Daniel, & socij eius, vt perirent.

14. Tunc Daniel requisiuit de lege, atque sententia ab Arioch Principe militiæ Regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis.

15. Et interrogauit eum, qui à Rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie Regis esset egressa.

16. Cùm ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam Regi.

17. Et ingressus est domum suam, Ananiæque,



A 8. *Cùm eadem repeterent maledici, Protrahitis, inquit Rex, vestris his verbis vitæ iam damnatæ tempus, cùm sciatis non posse me somnium, quod oblitus sum, proponere.*

9. *Sed & confirmatis eam quam de vobis habeo opinionem, fallacem, scilicet, commentos esse interpretationem. Stat ergo mea illa sententia de vobis perdendis fixa.*

B 10. *Tum verò Chaldæi: Notum hoc Regi sit, non esse omnino humanarum viriũ, quod quisque somniauerit, diuinare: id solum in vsu hominum sapientum est, vt narrato somnio, interpretationem eius edisserant. Itaque non est in orbe Rex, qui aliter de somniis magos consulat: sed nec omnia somnia proposita facilè enodamus. Somnia quidem, vt vocant, naturalia, & moralia, quæ videlicet, aut ex complexione naturali, aut ex cuiusque moribus procedunt, solùm coniectamus: at quæ diuinitus immittuntur, quale erit hoc tuum, nulla firma interpretatione exponi*

C *possunt, nedum enarrari. Atque id est, quod extorquere volebat Deus, faterentur scilicet, non posse humana industria proponi, aut explicari hoc somnium, vt liquidò appareret, Danielem ope diuina illud & proponere, & interpretari.*

11. *Igitur quod Rex à seruis suis quærit grauius est, quàm vt possit à quoquam homine præstari: præstarent solùm Dij, si res humanas aut respicere, aut curare solerent.*

12. *Rex verò his auditis, furore succensus,*

D *& exaggerata quadam ira correptus, iussit omnes magos interfici.*

13. *Itaque iam cædes imperata exequutioni mandabatur. Etsi autem Rex Danielem, & socios eius lege à se lata non est visus comprehendisse, quoniam eos diuinationi deditos non existimabat, quòd lege eorum diuina id cautum non erat, & idcirco eos in consilium non vocauerat; tamen vulgus, vt in re perturbata fit, tum propter excellentem eorum doctrinam, tum quia à Chaldæis edoctos nouerat, cum cæteris damnatis inuoluere conabatur.*

E 14. *Quod cùm Daniel resciuisset, quæsiuit ab Arioch, cui Rex internecionem mandauerat,*

15. *Quare sic temere à Rege id præceptum fuisset, non consultis omnibus sapientibus.*

16. *Móxque ingressus ad Regem, explicaturum se somnium pollicitus est, si id sibi placeret, impetratóque ad id congruo tempore, cum sociis egit,*

17. *Vt à Deo omnes simul postularent secreti*

niæque, & Misaëli, & Azariæ sociis suis indicauit negotium.

A *creti somnij reuelationem, & explicationem misericorditer aperiret, ne immani illa cade inuoluti cum aliis perirent.*

19. Tunc Danieli mysterium per Visionem nocte reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli, & locutus ait:

*19. Tum Deus id quod à Daniele, & sociis indifferenter postulatum est, soli Danieli per Visionem demonstrauit, quo & autoritas Danielis exprimeretur, & quomodo ad Prophetiæ munus euectus fuisset, innotesceret. At qua ratione id Danieli sit reuelatum, non liquet, Visionéne, an per somnium? Verosimile videtur, dormienti indicatum, quoniam dicitur Visio facta per noctem:*
B *nec illud certum, somniaueritne id ipsum quod Nabuchodonosor, an reuelatione edoctus fuerit à Deo per somnium, quid Rex somniauerit, & quid per somnium significaretur: hoc secundum probabilius est.*

20. Sit nomen Domini benedictum à seculo, & vsque in seculum: quia sapientia, & fortitudo eius sunt.

*20. Tunc Daniel Deum laudare cœpit ob sapientiam, & fortitudinem: nam & sibi somnium Regis patefecit, & in significatione eius ostendit, quanta fortitudine in Reges polleret. Vtrumque autem sibi à Deo datum gratè excipit: nam & edoctus à Dei sapientia est, quod esset, & quid est somnium? & Dei quasi fortitudine indutus, vt cum Rege liberè ageret de ex-*
C *plicatione somnij, quod minas in Regem terribiles continebat.*

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad Regem, & dixit ei: Inueni hominem de transmigratione Iudæ, qui solutionem Regi annunciet.

*25. Arioch nesciens Danielem cum Rege priùs egisse, nunciauit hominem à se inuentum, qui Regem à cura somnij leuare posset; tribuens id videlicet industriæ suæ, quod vsu plerumque venit inter Regum aulicos, vt se Regibus gratos exhibeant. Itaque ingresso Daniele, quærit Rex, num somnium sibi, ac veram eius explicationem enarrare queat.*

27. Et respondens Daniel coram Rege, ait: Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi.

*27. Somnium tuum, ô Rex, omnino latet*
D *omnem hominum sapientiam: est enim diuinum penitus, & ideo mirum non est, si nec arioli, nec magi, nec Chaldæi illud explicare quiuerint.*

28. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi, Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.

*28. Sicut enim somnium à Deo tibi immissum est, ita idem ipse Deus indicauit tibi, quæ circa regnorum commutationes futura sunt vsque ad finem mundi.*

29. Tu Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

*29. Tu, ô Rex cogitare cœpisti (intellige, vel antequam dormiret, vel in ipso principio somni) quem exitum Chaldæorum regnum habiturum esset; tibi autem ista volvente animo ostendit Deus, qui secretorum mysteriorum reuelator est, varias regnorum conuersiones.*

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me, plus quàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

*30. Mihi quoque non propter sapientiam,*
E *qua cæteris mortalibus antecellam, sed ex gratuita Dei reuelatione nunciatum est, quid somniaueris, & quid somnium tuum significet.*

31. Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

32. Huius statuæ caput, &c.

*31. 32. Videbas statuam grandem, & longè, latéque splendentē: caput enim eius erat aureum; pectus, & brachia argentea; venter, & femora ænea; tibiæ ferreæ; pedes è luto, & ferro, seu è ferro non puro, sed mixto cum luto.*

34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte, sine manibus: & percussit statuam

*34. 35. Visúsque est tibi lapis è vicino monte, non quidem alicuius impulsu, sed per se cadere,*

statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.

A *cadere, ac percussis statuæ pedibus, deturbare illam, ac in fauillam quasi redigere, apparuítque lapis crescere nimiùm, & in montis altitudinem attolli, ac terram latè implere.*

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta sunt in fauillam, &c. lapis autem factus est mons, &c.

37. Tu Rex Regum es: & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi.

*37. Tu, ô Rex, caput es aureum: quoniam regnum tuum inter sequentes in mundo Monarchias primum est, sicut aurum inter omnia metalla primas habet: nam de præteritis regnis nihil in præsentibus, nec verò de plerisque, quæ tūc in mundo erant obscuriora, sed de maximis, quæ tantùm fuêre quatuor, Babylonicum, Persicum,*
B *Macedonicum, Romanum.*

39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.

*39. Post tuam verò Monarchiam alia minor, hoc est, Persarum, tua inferior, ac tempore ipso in finem, interitúmque vergente, deterior surget. Tertium deinde sequetur Græcorum regnum, quod maius erit Persico, non modò terrarum spatiis, sed etiam opinione hominum, qui totum orbem subegisse iactabunt.*

40. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.

*40. Quartum regnum Romanorum erit, quod quia ferro domabit omnia regna mundi, ferro comparatur.*

41. Porro quia vidisti pedum & digitorum partem testę figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto.

*41. Quòd verò vidisti pedes ex ferro, &*
C *luto conflatos, id significat regnum Romanorum tandem diuidendum in minora, ac adeò imbecilliora regna, quæ proinde faciliùs extingui debeant: tamen si quid validum, ac forte retinebit in ea permistione, id totum ad pristinam fortitudinem referendum erit.*

42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.

*42. Quòd verò digiti pedum partim ferrei, partim testacei visi sunt, hoc est, similiter ex ferro, lutóque permisti, innuit imperium partim validum, partim comminutum, quia Romanorum vires alicubi quidem stabiles, alicubi fragi-*
D *les erunt.*

43. Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebūtur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

*43. Sed & permistio ferri, & testæ repræsentat permistiones, & affinitatum vincula, quibus & regna inter se, & cum Romanis copulabūtur, sed omnino frustra: nam minimè adhærebunt sibi, sicut nec ferrum testæ commisceri rectè potest.*

44. In diebus autem regnorum illorū, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nō tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.

*44. Postquam ergo regna illa quatuor transierint, Deus ipse autor erit quinti regni, quod omnino diuinum erit, ac adeò æternum: nulla enim vi aut superari, aut dissipari poterit, nec vnquam transferetur in gentem alteram, sicut*
E *quatuor superiora regna, alterum in alterum transiit priori semper extincto. Regnum hoc diuinum ad Christum pertinebit: nam etsi desinat esse in aliquibus regionibus per introductas hæreses, aut superstitiones alias, non tamen ipsum extinguetur: eadem enim religio vsque ad finē mundi, si non vbique, tamen alicubi perseuerabit. Quin & hoc Christi regnum quintum comminuet priora quatuor, quia Romanum per se comminuet quod Macedonicum comminuerat,*

A *Macedonicum verò, Persicum, Persicum denique, Chaldæum. Comminuet autem Christus regnum Romanum, non quidem temporaliter, sed spiritualiter: nam Romanum Imperium non perducet Ecclesiam ad idololatriam, sed è conuerso, Ecclesia Romanum imperium ad Christianam religionem nouo potentiæ genere pertrahet. Plus enim valebit Martyrum sanguis, & patientia ad propagandum Christi regnum, quàm arma Romanorum, quàm tormenta infinita ad illud extinguendum.*

45. Secundum quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit Regi quæ vētura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.

45. *Quod verò vidisti lapidem de monte* B *sine manibus excisum, significat, Deum tibi, quæ extremis mundi temporibus futura sunt, ostendere: lapis enim Christus est, supra quem, quasi supra lapidem angularem, ædificandum est quintum regnum: is è monte, hoc est, Deipara Virgine Maria omni virtutum genere cōspicua, sine virili opera nascetur; natus verò in montem magnum crescet, quoniam à paruis initiis in summam amplitudinem exurget.*

46. Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.

46. *Tunc Nabuchodonosor vltrò in terram procubuit, & supplici vultu adorauit Danielem, iussitque afferri victimas, & incensum,* C *vt ei tanquam Deo exhiberetur sacrificium; quem honorem Propheta haud dubiè recusauit: nam quamuis id non dicatur in præsenti loco, probata aliàs viri sanctitas id cogit credere.*

47. Loquens ergo Rex, ait Danieli: Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

47. *Addidítque Rex: Verè Deus Deorum dicitur à vobis Deus vester, ego credo quidem, esse illum omnium Deorum maximum, & quasi Principem.*

48. Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum Principem super omnes prouincias Babylonis: & Præfectum Magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.

48. *Muneribus multis Rex Danielem cumulauit, & honoribus in sublime extulit. At cur* D *admisit dona Regia, cùm oblata à Baltassare recusauerit? Munera, inquit, tua tibi sint. Verùm postquam interpretatus est scripturam, legitur purpura indutus, & torque donatus. Itaque vtroque loco post interpretationes accepit munera, quasi gratitudinis signa; non antè, ne pretio id facere videretur, & vt suis laborantibus auxilio esse posset, ac sua apud Regem autoritate prodesse.*

49. Daniel autem postulauit à Rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus Regis.

49. *Impetrauit autem à Rege, vt Sidrach, Misach, & Abdenago Præfecti essent operum prouincialium: is autem in foribus Regis erat, hoc est, versabatur familiariter in aula regia.*

## COMMENTARIVS.

Breuiter præmittere oportet solutiones quarundam difficultatum: deinde ipsam Visionis rationem expendere; primùm literaliter, postmodum spiritualiter, & ad mores.

## *Soluuntur tres difficultates.*

### SECTIO I.

1. *Nabuchodonosor non vnum tantùm, sed duos fuisse, tripliciter probatur.*
2. *Nabuchodonosor, de quo hic Daniel, multò posteriorem fuisse [illegible] qui tempore Iudith regnauit; in quem Reges [illegible]*
3. *Nabu[illegible]m- nium[illegible]fu- tura [illegible]em postul[illegible]ho- minib[illegible]*
4. *Etsi [illegible]ent Chal[illegible]um erat. [illegible]*
5. *Anni[illegible]bo- donos[illegible]rius absolu[illegible]tin- ciuntur.*

*Duo Nabuchodonosores.*

1. [illegible]erit [illegible]sor? [illegible]rum [illegible], & [illegible]
4. Regu[illegible]em: alterum [illegible] di- uersos [illegible]no- sor, de q[illegible]t in Niniue, [illegible]no- donosor [illegible]ost euersam [illegible]iel. 4. & ex[illegible]m. Secundò [illegible] Iu- dith ref[illegible]ni- sit Hole[illegible]m primò si[illegible]Da- nielem. [illegible]le- cimumte[illegible]ter subegera[illegible]

*Vnus regnauit in Niniue, alter post Niniuen euersam, in Babylone. Dan. 4. Iosephus. Ille Iudaeos semel oppugnat: hic ter subegit.*

2. Sec[illegible]o- bus, de quo etiam est controuersia: nam Isidorus lib. 6. Etymol. putat Nabuchodonosor Iudith regnasse tempore captiuitatis Babylonicæ. D. Aug. 18. de Ciuit. facit eum regnantem tempore Cyri. Eusebius in Chronicis, & Beda de sex ætatibus mundi putant illum fuisse Cambysem Cyri filium, & secundum Persarum Regem. Sed enim hæc stare nequeunt cum iis quæ narrantur in lib. Iudith: ibi enim dicitur templum stetisse adhuc, quod durante captiuitate constat dirutum iacuisse: tempore verò Cyri, & Cambysis, nondum fuerat ædificatum. Denique tempore Nabuchodonosor Iudith, erat summus Sacerdos Eliacim, seu Ioachim: at verò tempore Cambysis, & Cyri, vsque ad Darium Hystaspis, apud Iudæos ex captiuitate reuersos Pontifex fuit Iesus filius Iosedec. Cùm ergo constet Danielis historiam contigisse in ipsa captiuitate Babylonica, liquet etiam Nabuchodonosor, qui eo tempore regnauit, & prædictum somnium habuit, fuisse illo multò posteriorem: historiam verò Iudith contigisse tempore Manasses, cùm est in captiuitatem ductus, quo etiam vixit Ioachim, seu Eliacim Sacerdos summus, qui propterea solùm nominatur in ea historia, nulla in-

*Isid. D. Aug. Eusebius.*

*Nabuchodonosor Danielis, Nabuchodonosor Iudith multò posterior.*

A teriin mentione facta de Rege, qui tunc aberat captiuus in Babylone.

3. Tertiò quæritur, num Rex Nabuchodonosor iniustè coëgerit sapientes illos, vt somnium suum sibi edicerent? Nam somnia per se occulta sunt, cùm sint interiores affectiones phantasiæ: quare nemo illa certò cognoscere potest, nisi à somniantibus postea proponantur? Respondetur tamen, Regem supposita scientia, quam illi iactabant, non coëgisse illos iniustè: nam Chaldæi, ad quos præcipuè Rex sermonem direxit, erant ex ipsa professione genethliaci, seu Iudiciarij, qui ex syderum obseruatione futuros rerum euentus, etiam liberos, se nosse prædicabant. Cur ergo iniustus habebitur, qui rem B professioni eorum congruentem exigebat? Re tamen ipsa postulatum Regis erat iniustum, quia nihilominus somnia per se occulta sunt saltem hominibus; nam Angelis nota esse possunt, cùm sint affectiones corporeæ, quæ subiacent naturali cognitioni Angelorum; homines verò, non nisi per obiecta sensuum externorum notitias rerum nanciscuntur.

*Non iniustè coëgit Rex sapientes, vt somnium ederent, siquidem ipsi se iactabant, quòd futura etiam libera cognoscerent.*

4. Quartò quæritur, vtrùm sapientes verè potuerint somnij, si à Rege proponeretur, interpretationem dare? Ad quod respondetur, hoc somnium, cùm prorsus fuerit diuinum, ex instituto scilicet Dei, futuros regnorum euentus prænuncians, nequaquam potuisse naturali cognitione per se attingi à sapientibus, solúmque ab C ipso Deo edoceri; iure autem arguuntur à Rege, quòd qui præteritum somnum expiscari nequeant, interpretationem eius ad futurum tempus spectantem multò minùs adhibere queant.

*Licèt somnia explicaret Rex, tamen sapientes interpretari non potuissent.*

5. Quintò quæritur, quomodo intelligatur, Visionem hanc contigisse anno secundo regni Nabuchodonosor, vt dicitur in ipso principio capitis? Theodoretus existimat id sumendum esse ab exordio regni Nabuchodonosor. Verùm id esse falsum conuincitur; primò, quia Daniel ductus est Babylonem primo anno Nabuchodonosor, totúmque deinceps triennium, antequam in conspectum Regis veniret, in addiscendis literis, ac disciplinis Chaldæorum cõsumpsisse con- D stat, ex primo huius Prophetiæ capite. Igitur Visio hæc, & interpretatio eius à Daniele facta coram Rege, non potuit contingere secundo regni eius anno. Deinde, quia Daniel primo anno regni Nabuchodonosor, fuit, autore Isidoro, planè puer, & vt ait Epiphanius, pusio, sine infans, quomodo ergo sequenti anno dicitur præfuisse omnibus sapientibus, & prouinciis Babylonis, & somniorum maximus Regis interpres? Igitur fit dictu verius, quod Iosephus tradit 10. Antiq. & Hieronym. hoc loco, secundum annum hîc memoratum computandum esse ab exordio Monarchiæ Nabuchodonosor, cùm scilicet Ammonitas, Moabitas, Scythas, Ægyptiósque subegit, quibus victoriis creuit regnum, E & omnino deductum est in rationem veræ Monarchiæ, fuitque annus regni vigesimustertius, quibus additi duo sequentes, de quibus hoc loco, efficiuntur anni vigintiquinque.

*Theod. Isid. Epiphan.*

*Annus secundus intelligendus ab exordio Monarchiæ, qui fuit vigesimusquintus regni eius.*

Sub

*Fluxus, & refluxus, ad sanctificandum, & à sanctificatione cessandum.*
*Act. 13. 46.*

sum intelligitur, aquam Baptismi, & fidei ablutionem in populo Iudæorum (qui per mare mortuum designatur) sanctificasse, quos diuina præordinatio statuerat, postea relicto eodem populo, quòd se indignum æterna salute faceret, aliò diuertisse, hoc est, ad Gentes. Iuxta illud Barnabæ, ac Pauli ad Iudæos Euangelium repellentes, Actor. 13. 46. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniã repellitis illud, & indignos vos iudicatis æterna vita, ecce conuertimur ad Gentes.* Ad eundẽ modum Matth. 10. 13. instruens Christus Discipulos, quos ad prædicandum mittebat, pacem vt omnibus largiantur præcipit. *Intrantes,* ait, *in domum, salutate eam dicentes: Pax huic domui, & si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra reuertetur ad vos.* Credo Euthymium omnium optimè interpretatum: quasi iubeat Christus, oblatam Apostolos pacem Euangelicam reuocare, quantum in ipsis est, & aliò pergere, videlicet, vt in alios refundant, qui digni sint. Intrabunt ergo aquæ in mare mortuum, & exibunt, ipso introitu, & exitu, electorum ac reproborum differentiam præmonstrantes, qua his subtrahitur, illis infunditur gratia Dei.

*Matth 10. 13.*

*Introitu & exitu, electorum & reproborum differentia notatur.*

5. Sequitur, *Et sanabuntur aquæ.* Repræsentat verò id quod veteres Patres in ore habent: Christũ tactu suæ mundissimæ carnis Baptismi aquas sanctificasse. Ita Ambros. lib. 2. in Luc. cap. vltimo. Baptizatus est Dominus, non mundari, sed mundare volens aquas; vt ablutæ per carnem Christi, quæ peccatum non cognouit, Baptismatis ius haberẽt; hoc est, quandam quasi autoritatem nanciscerentur ad eluendas peccatorum maculas. Idem argumentum tractat luculenter Augustinus serm. 36. de Tempore. Filium (inquit) genuit mater, & casta est: Christum vnda lauit, & sancta est: nam sicut post partum glorificata est Mariæ castificatio, ita post Baptismum, aquæ est purificatio comprobata, nisi quòd penè maiori munere, quàm Maria, vnda ditata est: illa enim sibi tantùm meruit castitatem, ista nobis contulit sanctificationem: illa meruit ne peccaret, ista vt peccata purgaret: illi est collata Virginitas, isti donata fœcunditas. Ita Aug. Similes sententias reperies apud Epiphanium in Anchorato, Bedam lib. 1. in Luc. cap. 10. Hieronym. ad caput Matth. 3. Rectissimè autem Propheta idipsum expressit per aquarum sanationem: nam vt sanatio non fit per impressionem alicuius nouæ qualitatis in corpus sanatum, sed tantùm per contemperationem & reductionem humorum ad proportionem debitam corpori: ita caro Christi contactu suo sanauit aquas, & sanctificauit, quatenus eas deputatione quadam reddidit aptas ad sanctificandum, applicata vera forma Baptismi.

*Christus tactu suæ carnis sanctificauit aquas Baptismi.*
*D. Ambros.*

*Baptismatis aqua ius & autoritatem sanctificandi habet.*

*Baptismalis aqua, & Virginis Deiparæ comparatio.*

*S. Epiphan. Beda. D. Hieron.*

*Quomodo sanatæ sint aquæ Baptismales.*

6. In eo autem quod sequitur, *Et omnis anima viuens quæ serpit quocunque venerit torrens, viuet. Et erunt pisces multi satis, postquã venerint illuc aquæ istæ, & sanabuntur, & viuent omnia, ad quæ venerit torrens.* Primùm notare oportet in Hebræo, אשר ישרוץ *aschèr iischrotz* significare, tum repere, tum natare, & cùm de aqua, & piscibus sermo sit, pro natatione sumendum. Significat autem Vates, viuificatricem vim in Baptismi aqua futuram post primam illam aquæ sanctificationem. Quod expressit August. tractat. 80. in Ioan. cùm ipsum principium vitæ cor, per aquam Baptismi principaliter ablui dicit. Corpus enim, inquit, tangit aqua, & cor abluit. Significatam hanc vim impartiendæ vitæ, ait Tertul. lib. de Baptismo, in eo, quòd omne viuens in principio mundi ex aqua factum est. Primus liquor, ait, quod viueret, edidit, ne mirum sit in Baptismo, si aquæ animare nouerunt. Et D. Hieron. in epistola ad Oceanum idem figuratum in Spiritu sancto, cùm initio mundi *ferebatur super aquas,* Genes. 1. 2. quia nascentẽ, inquit, mundum in figura Baptismi parturiebat. Sic Hieronym. Innuens eodem diuino Spiritu parturiente nasciturus in Baptismo Christianos, pisces multos satis, futuros ait, quia multi satis erunt fideles, postquam per aquam cœperit vigere Baptismus. Plinius quidem naturalis historiæ lib. 2. c. 1. in mari plura, & maiora animalia prouenire dicit, quàm in reliquis elementis; cuius rei causam assignat humoris luxuriam. Hinc est quod Exod. 1. 7. vbi noster; *Filij Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt,* iuxta Hebræum dicitur creuisse multitudo filiorum Israël ad instar piscium ebullientium. Nam est verbum, שרץ *scharath,* quod propriè de piscium fœtura dicitur, teste Vatablo loco Exod. citato. Iure ergo magnum hîc Christianorum prouentũ vt exprimat Vates, pisces vocat multos satis, quòd instar piscium ebullire vbiuis terrarum debeant. Quare autem Christiani dicantur pisces, explicauimus suprà.

*Vis Baptismi viuificatrix.*

*D. August.*

*A principio mundi aquæ animare nouerunt.*
*D. Hieron.*

*Gen. 1. 2. Nascentem mundum Spiritus sãctus in figura Baptismi parturiebat.*

*Plin. In mari plura & maiora animalia, & quare*

*Exod. 1. 7.*

*Per pisces exprimit Vates magnum prouentũ fidelium.*

---

## *De piscatoribus visis supra torrentem.*

### SECTIO V.

1. *Piscatores Apostoli sunt, Matth. 4. Luc. 5. Ecclesiæ typus.*
2. *Magna similitudo piscationis & prædicationis, ex Abulensi, Apostoli ex modo, quo capti sunt, didicerũt alios capere. Explicatur artificiũ, & labor artis prædicatoriæ, ex prædicta comparatione.*
3. *Retia prædicationis ex Autore operis imperfecti, item ex Ambrosio. Varia lectio in illo,* Ex hoc iã eris homines capiens, *componitur. Varius modus trahendi ad Ecclesiam.*
4. *Piscatio siue corporalis, siue spiritualis dulcis quedam vis. Cur Dominus Apostolos vocans addidit promissionem, quòd facturus esset piscatores hominum. Responsio Chrysostomi.*
5. *Engaddi, & Engallim qui termini exsiccationis retium? quid sit spiritualiter eiusmodi exsiccatio.*
6. *Quot genera piscium, per pisces centum quinquaginta tres, significantur omnes Christiani. ex Diuo Hieronymo, Cyrillo, Augustino.*

1. SEQVITVR Visio piscatorum plurium super torrentem. Is enim quocumque deductus est, ita fuit nauigabilis, atque piscationi aptus, vt mare ipsum est. Vers. 10. *Et stabunt super illas piscatores, ab Engaddi vsque ad Engallim. Siccatio sagenarum erit, plurima species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.* Piscatores eiusmodi à Propheta visi, Apostoli sunt, quibus à Domino dictum, Matth. 4. 19. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Et Petro Dominus dixit, Luc. 5. 10. *Ex hoc iam eris homines capiens.* Itaque iam inde Vates vtrumque flumen ad Orientem, Occidentémque diuisum, vidit piscatoribus

*Piscatores Apostoli sunt.*
*Mat. 4. 19. Luc. 5. 10.*

bus plenum, & Ecclesiam in eo rectè delineauit, in qua primùm Apostoli piscationi hominum operam Christo nauarrunt.

*Officiū piscatoris habet cognationem cū officio prædicatoris.*

2. At quare Christus piscatores vocauit? quoniam habet officium piscatoris magnam cum officio prædicatoris affinitatem, vt ostendit Abulens. quæst. 98. in Matth. quia sicut piscatores extrahunt pisces è mari iactis retibus, ita prædicatores educunt homines de amaritudinibus huius seculi, dum Verbi Dei retia tractant. Vnde Imperfecti autor ad illa verba Christi, *Faciam vos fieri piscatores hominum*, ait: id est, faciam vos Doctores, vt cum reti Verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, & fluctuabundo, &c. Sic ille. Et propter hanc similitudinem, quā piscandi ars habet cum arte prædicandi, facilè Christus Apostolos traxit, vt rectè annotauit Riccius. Artis, inquit, similitudine delectari discipulatui Saluatoris libentiùs submisère colla. Ita ille. Videlicet, per familiaria exercitia faciliùs quis trahi potest. Et D. Chrysost. ad illa verba Matth. 4. ait didicisse Apostolos, dum capti sunt à Christo, alios quoque similiter capere; ex illis ipsis, quibus capti sunt verbis, facilè crediderunt alios quoque per eadem à se capiendos.

Imperf. autor.

*Artis similitudine delectati Christo subiecere.*

Riccius.

D. Chrys.

*Experti quomodo à Christo sint capti, didicere capere alios.*

*Munus piscatoris multum habet artificij & laboris, similiter & prædicatoris.*

Præterea habet officium piscatoris multum in se artificij, multum & laboris: nam oportet multiformia præparare retia, hamos varios, variè coaptare, escas adinuenire, & scitè inserere ad illecebras piscium, promptè, & cautè iacere, quasi auscultando incumbere, manúque, & sensu præstò esse ad opportunam capturam, per diem sæpe integram, intentis oculis obseruare indices cortices. Deinde mirum quantum habet laboris exercitatio piscatoria? noctes integras vigilando transigunt, frigore obrigescunt, fame excruciantur, retia dum extrahunt, cum magnis sæpe piscibus non sine discrimine luctantur, vt interim omittamus exortas subitò procellas, & ventorum rabie iactatas cimbas, pleraque alia præsentem mortem minitantia: similiter autem prædicatoris munus artificiosum valde ac laboriosum est. Idcirco enim adnotauit autor Imperfecti operis in Matth. ad illa verba, *Vidit duos fratres, Simonem, & Andream, mittentes retia*. Erant, inquit, futuræ dignitatis gratiam artificij sui opere prophetantes. Quasi diceret, illo suo artificioso opere, & operoso artificio designabant, piscationis spiritualis simile artificium atque opus: & ratio est, quoniam officium prædicatoris est, obseruare, & quasi expiscari hominum voluntates, & quò velit perducere; idque multam continet difficultatem. rectè enim D. Chrysostom. Magnā, inquit, sapientiam, ac ferreum animum exigit, & vt quis ad tuam adducatur voluntatem, & abiiciat suam, hoc opus, hic labor est. Sic ille. Igitur prædicator mille dicendi artes callere debet, locos communes habere in promptu, quos aptare, & concinnare nouerit iuxta varias hominum exigentias, & antequam aggrediatur nolentes, obseruare opus est ipsas volēdi opportunitates, vt in tempore orationem efficaciter accommodet: ad id ergo multam sapientiam habeat necesse est. Quin etiam opus est habeat animum quasi ferreum ad exantlandas molestias ac labores conuersionum; insudare etiam oportet, vocéque ac lateribus valere, vt exaltet, cùm opus fuerit, vocem suam aduersùs supinos ac desides auditores. Itaque exercitus quis integros latè vastabit, voluntates renuentes, vt sibi obtemperantes fa-

Matth. 4. 18.

*Futuram gratiam prædicandi artificij sui opere prophetabant.*

*Prædicator expiscari debet hominum voluntates.*

D. Chrys.

*Magnam id sapientiam & laborem exigit.*

A ciat, hoc opus, hic labor. Expressit ergo optimè D. Hieron. ad Psal. 144. qualis debeat esse prædicator comparatus ad piscatorem: piscator enim callosis manibus, prædicator Christianus.

D. Hiero.

*Piscator callosis manibus, prædicator Christianus.*

4. At quæ sunt retia prædicatorum? Autor quidem imperfecti operis Euangelium esse ait, quod quidem luculenter ita exprimit ex persona Christi ad Apostolos: Ecce do vobis, inquit, Euangelium in manibus nouum, rete diuersarum sententiarum, obligatarum parabolarum, virtutum admirandarum, & multiformium doctrinarum, textum minis iudiciorum, promissionibus beatitudinum, quasi quibusdam nodis indissolubilibus colligatum, miraculis confirma-

*Retia prædicatorum, sunt Euangelia. Describuntur.*

B tum, &c. sic ille. At D. Ambros. absolutiùs retia prædicatorum describit, super illa verba Domini ad Petrum Luc. 5. *Duc in altum, & laxate retia vestra*. Quæ sunt, inquit, Apostolorum, quæ laxare iubentur retia, nisi verborum complexiones, & quasi quidam orationis sinus, & disputationum recessus, qui eos, quos ceperint, non amittunt, & bene Apostolica instrumenta piscandi, retia sunt, quæ non captos perimunt, sed reseruant, & de profundo ad lucem extrahunt, & fluctuantes de infernis ad superna perducunt.

D. Ambros.

Luc. 5. 4.

*Aliter describit Ambrosius retia prædicationis.*

Vltima autem hæc addidit Ambrosius, quoniam in illis verbis Domini ad Petrum, *Ex hoc iam eris homines capiens*, legit, *viuificans*. Est enim in Græco ζωγρῶν, à verbo ζωγρέω composito, quasi

C dicas, viuicapio, hoc est, viuum capio, seu, à cæde conseruatum habeo. Vnde aliqui vertunt: *Ex hoc iam eris homines viuos capiens*. Rectiùs Iustinus Martyr in quæstionibus Gentium, q. 40. vertit, *ad vitam capiens*: quam significationem innuit Ambros. vt sit quasi supplementum metaphoræ: nam pisces viui quidem capiuntur, sed re vera absolutè moriuntur; at homines capti verbo prædicationis primùm moriuntur vitæ turpiter anteactæ, iuxta illud Rom. 6. 11. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato*, in quo piscibus assimilantur: sed vlteriùs ita moriuntur, vt vitam æternam consequantur: *viuentes autem Deo in Christo Iesu Domino nostro*. Origen. tamen homil.

*Capiens, id est, viuificans, quoniā viuos trahit homines.*

Iustinus. Mart.

D. Ambr.

Rom. 6. 11.

*Homines capti moriūtur peccatis, viuūt Deo.*

D 16. in Ieremiam, vtrumque in metaphora includi asserit; quasi dicatur: sicut pisces capti moriuntur vitæ propriæ, vt comedantur, & incorporentur hominibus, ac ita vitam nobiliorem sortiantur: sic homines capti Euangelica prædicatione moriuntur primùm peccato, in quo nati, & nutriti sunt, & incorporantur Christo, & in eo viuunt vitam spiritualem, quod totum Paulus inclusit loco illo integro ad Rom. 6. *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viuentes autem Deo in Christo Iesu*. ad Colossens. 3. 3. *Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*.

Origen.

ad Rom. 6.

Coloss. 3. 3.

Illud etiam obseruare congruit, quòd illa versione innuitur, *eris homines viuos capiens*. Nam vel

E ob id maximè piscatoribus comparauit Christus suos prædicatores, quòd non sicut cæteræ feræ in venationibus ferro capiuntur, sic homines capi oporteat violentis cædibus, sed omnino dulciter trahi, viuósque, vt pisces, intra retia Euangelica. D. quidem Ambros. lib. 5. Examer. cap. 6. Duobus modis, ait, piscatos fuisse Apostolos, nempe reti, & hamo. Nam Matth. 17. 26. Petrus hamo traxit piscem, è cuius ore nummum eruit soluendum pro tributo: *Vade* (ait Dominus) *ad mare, & mitte hamum*. Et ea quidem re significari duo genera fidelium ad Ecclesiam vocatorum: quidam enim hamo tracti sunt, vt Martyres,

*Cur non cōparauit prædicatores venatoribus? Homines nō violenter, sed dulciter trahendi.*

D. Ambr. Matth. 17. 26.

*Alij fideles reti trahuntur, alij hamo, & quomodo?*

res, exemplúmque ponit in Stephano; alij sunt, qui retibus vocati sunt ad Ecclesiam conseruata vita eo modo quo illa fruebantur in seculo, videlicet cum suis diuitiis, honoribus, aliísque bonis. Ita Ambrosius. Nec meritò displicet Toleto, quòd Martyres etiam retibus pacificis vocati sint: nam intelligendus est Ambrosius de plena & completa vocatione ad salutem, quæ in Martyribus etiam comprehendit cædem ipsam pro fide obitam: quamquam id quoque intelligi potest absolutè de iis, qui per purum martyrium, suo videlicet sanguine baptizati, ad Ecclesiam vocati sunt.

*Quo pacto intelligendus Ambrosius?*

4. Est nihilominus spiritualis piscatio simpliciter loquendo, sola vis illa dulcis, qua homines trahuntur ad fidem: sic piscatio corporalis siue hamo, siue reti fiat, dulcis quædam violentia definiri potest: nam rete quidem pisces in medio comprehendens trahit sensim sine vllo penè sensu: hamus verò, etsi duritiem & acumen habet ad imprimendam vim, tamen dulci esca tectus euidentiùs dulcis quædam vis est. Primùm id ostendit Dominus, cùm Apostolos vocauit dicens: *Venite post me, & faciam vos fieri piscatores hominum.* Cur enim non satis habuit Dominus dicere, *Venite post me*? an eius illud imperium inefficax erat per se ad eos trahendos? cur addit promissionem, quòd venientes ad se facturus esset piscatores hominum? Pulcherrimè quidem respondit Chrysostomus. Quoniam piscabatur eos: sicut enim piscator non solet mittere nudum hamum in aquam, quantumuis sciat in eo vim esse ad attrahendum: sed insuper addit escam dulcem ad inuitandum piscem: ita prorsus imperium illud Christi, *Venite post me*, potens abundè erat ad trahendum, hamus erat chalybe durius ad prendendum quemlibet magnum piscem, quemlibet vel obstinatum in duritia peccatorem. Verùm quia Dominus piscabatur, addidit escam dulcem promissionem piscaturæ spiritualis, quo faciliùs, ac suauiùs traheret; cúmque sic attracti illico venerint relictis omnibus, in se ipsis liquidò ostenderunt huius piscaturæ quanta esset vis. Vnde est illud Chrysostomi: Perpende obedientiam vocatorum, & cognosces, quàm potens ac dulcis sit piscatio. Ita ille. Per hoc autem didicerunt alios capere, vt idem Chrysostomus annotat. Ex illis, inquit, ipsis quibus capti sunt verbis facilè crediderunt, alios quoque per eadem à se capiendos, videlicet diuina ad id ipsum cooperante gratia, quam præcipuè per indoctos ac debiles eminere volebat in opere conuersionis mundi. Idcirco enim illo Matth. loco dixit: *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Nihil enim ipsi per se faciebant, sed totum in eis à Deo fiebat. Rectè enim imperfecti Autor: Elegit eos, inquit, non quasi Apostolos, sed quia Apostoli fieri poterant. Sicut artifex, si viderit gemmas pretiosas, & non dolatas, eligit illas, nòn quòd sint, sed quòd fieri possunt. Scientiam enim artis habens, bonum incompositum non contemnit. Sic ille. Bonam ergo indolem, licèt rudem, in Apostolis eligit Christus; sicut artifex bonam materiam, licèt incompositam: nec enim artifici materia datur composita, & dolata; in eo enim artificem se probare debet, vt ex rudi materia addito labore suo opus perfectum efficiat. quod Christus optimè præstitit: ex piscatoribus enim rudibus consummatos protulit prædicatores. Idcirco Propheta piscatores hîc stantes tantùm super torrentem vidit, hoc est, paratam exhibentes indolem, vt per eam Dominus opus suum ostenderet.

*Spiritualis piscatio, vis dulcis.*

*Addidit Dominus promissionē pro esca. D. Chrys.*

*Venite post me, hamus erat.*

*D. Chrys. Obedientia vocatorum ostendit quàm dulcis sit piscatio.*

*Elegit Dominus non iam Apostolos factos, sed faciendos. Artifex materiam bonam incompositam non contemnit.*

*Piscatores, stantes, hoc est, paratam ostendentes indolem.*

5. Quod verò sequitur, *Ab Engaddi, vsque ad Engallim siccatio sagenarum erit*, primùm ostendit terminos exsiccationis retium, Engaddi, & Engallim; quos D. Hieron. in ipso mari mortuo ponit, Engaddi scilicet ad partem Orientalem, Engallim ad Occidentalem. Videlicet, vt in ipso illo mari, quod futurum erat toto orbe, præmonstraret. Vel intelligi potest Engallim fuisse oppidum in extremis partibus Iudææ versùs Occasum, vt in Paraphrasi tactum. Præterea ostendit Vates, id quod facere piscatores solent finita piscatione: impactis enim in arenam perticis retia sua appendunt, & exsiccant ad solem. Deinde spiritualiter intelligendum, piscatores Euangelicos, postquam retibus suarum prædicationum, ac exhortationum plurimos pises, hoc est, peccatores, Domino lucrati fuerint, debere se ipsos, ac sua illa retia, siue illas à se per diuinam gratiam concinnatas sententias ad diuinos solis radios explicare, crebris, videlicet, meditationibus exercendo animum, & calore diuini Spiritus decoquendo ampliùs verba illa sua. Nam exercitatio piscatoria, vt corporaliter exhibita, tum piscatores, tum retia aspergit humore salso, & suapte natura corrosiuo; sic spiritualiter impensa, spirituales piscatores, & eorum verba amaritudine aliqua, & imperfectione quasi humectat ac deprimit, & ea oportet, cùm vacat, exsiccare ad diuinos radios. Idem erui potest ex eo, quod illo eodem cap. 4. Matth. narratur de duobus fratribus, Iacobo, & Ioanne, qui erant in naui reficientes retia sua. Quòd enim tunc vocati sint à Domino, ob id maximè fuit, quia placuit ei cura illa, & studium reficiendi retia: translata videlicet ad spiritualem curam reficiendi spiritualia retia, commendatúmque oppidò voluit omnibus prædicatoribus, retia vt sua studerent statis temporibus reficere.

*Engaddi & Engallim, quales termini.*

*Prædicatores post longam piscationem animarum, se ipsos, ac retia curent.*

*Quomodo exsiccatio spiritualis facienda.*

*Quare Iacobus & Ioannes vocati sint, quando reficiebant retia?*

6. Vltimò de piscibus additur, *Plurimæ species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ.* D. quidem Hierony. ad hunc locum ait, eos qui de animalium scripsêre naturis, affirmare centum & quinquaginta esse genera piscium, citátque Oppianum poëtam. Plinius histor. natur. lib. 9. cap. 14. species piscium numerat centum. Longol. lib. 32. cap. vltimo centum septuaginta sex genera numerat. Cùm ergo Ioan. 21. 11. dicitur Simon Petrus, postquam tota nocte nihil prendidisset, misso reti ex Domini præcepto ad dexteram nauigij traxisse *centum quinquaginta tres pisces*, ait Hieron. fuisse veluti figuram, in qua illi monstratum est, quantam essent Apostoli hominum multitudinem, ac diuersitatem capturi. Omnia, inquit, capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles, & ignobiles, diuites, & pauperes, & omne genus hominum de mari huius seculi extrahitur ad salutem. Ita D. Hieronym. Sed & D. Cyrill. Alexand. lib. 12. in Ioan. cap. 69. piscibus centum quinquagintatribus multitudinem credentium significatam ait, per centum quidem, numerositatem gentium conuersionem; per quinquaginta verò, Iudæorum, quæ minor fuit: per tres verò, fidem

*D. Hieron. Genera piscium centū & quinquaginta, alij pauciora, alij plura. Plin. Longol. Ioan. 21. 11. D. Hieron. In captura piscium, quam Petrus fecit, ostendit omnes homines capiendos, quomodo intelligendū. D. Cyril. Alex. Per centum quinquaginta tres pisces, multitudo fideliumꝰ qualiter sumē da?*

dem Trinitatis, quæ propria est Christianorum, quam & Gentes & Iudæi receperunt. Omnes enim intra vnum Ecclesiæ rete continentur. Quam expositionem probat Euthymius. Voluit nempe Dominus exemplo artis propriæ Discipulos suos, de captura hominum fortè desperantes, roborare, vt qui illa nocte nihil prehendissent, in dexteram rete explicarent, quo scilicet propriis viribus non fidendum ostenderet, sed diuinam opem spectandam potiùs: sic enim futurum, vt hominum multa genera sua prædicatione faciliùs, quàm suo reti pisces, ad fidem traherent. Lubet etiam Augustini locum in hanc ipsam Euangelicam historiam huc inserere. *Mittite*, inquit, *in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* ac si diceret: Ego hac vice non misi vos, in nocte venistis, sinistrorsum laborastis, nihil prendidistis; nunc ergo mittite in dexteram nauigij rete,, ex meo præcepto laborate, meam doctrinam prædicate, nesciat sinistra vestra, quid facit dextera vestra, & inuenietis. In dexterâ igitur piscari, est veram & Catholicam doctrinam syncero affectu, & mundo corde prædicare. Piscatores enim Apostoli sunt, & cæteri Doctores; retia sunt Euangelia, & omnis sermo diuinus; pisces omnes fideles: tales enim pisces in Baptismi flumine natant, sales retibus Euangelij, & amore fidei expiantur. Ita August. Rectiùs fortè, ad dexteram piscari est, cùm diuino freti auxilio prædicamus, vt proximè annotauimus. Pisces ergo omnis generis, quales in mari magno, hoc est, Mediterraneo (quod respectu Terræ sanctæ dicebatur magnum) futuros prædicit Propheta per dictos torrentes, id est, in Ecclesia, multa genera hominum, qui ad fidem conuertendi sunt.

*Non esse propriis viribus fidendum, sed diuina gratia in capiendis animabus.*

*Piscari in dextera, est veram doctrinam syncero sensu prædicare.*

*Mare Mediterraneũ dicitur magnum respectu Terræ sanctæ.*

---

## *Quid per littora, & palustria significetur?*

### SECTIO VI.

1. *Versio Septuaginta non differt à vulgata, explicante Hieronymo.*
2. *Quid significet, quòd in palustribus non sanentur aquæ? ex loco D. Hieronymi habetur sensus, & ex Theodoreto.*
3. *Quomodo malis bene vtatur Deus. ex loco Augustini.*
4. *Quid significet illud Apostoli:* Oportet hæreses esse? *Chrysostomus explicat.*

1. DE littoribus quoque & palustribus Propheta non siluit, quòd in eis non sanentur, ac dulcescant aquæ, sed in salinas reputentur. Vers. 11. *In littoribus autem eius, & in palustribus non sanabuntur, quia in salina dabuntur.* Pleræque versiones habent pro littoribus, & palustribus, cœnosa loca, quæ vocant æstuaria, vbi multum luti iacet. Quod verò Septuaginta aiunt, Et in exitus eius, & in conuersione eius, & in superleuatione eius, sensum habet similem, quem annotat D. Hieron. hoc modo: In his, autem, quæ egrediuntur ripas, & sunt palu-

*Varia lectio.*

D. Hieron.

A stria: nam eiusmodi æstuaria fiunt ex reciprocatione maris, qua æstu accedente, & recedente, loca eiusmodi vicina mari, cœno obducuntur.

2. Significatur, eos, qui, extra Ecclesiam sunt, non habere salutem, sed eo, vtplurimùm vtiles esse, quòd in salinas sint, hoc est, vt per eos boni sapiant. Ita D. Hieron. Illud, inquit, latenter ostenditur: quòd qui in Noe arca non fuerit, pereat regnante diluuio: & quos iste fluuius non attigerit, non suscipiant sanitatem, sed in salinas (inquit) dabuntur. Iuxta illud, quod scriptum est, *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit.* Erudiunt enim bonos, exempla peiorum.

B siue *in salinas dabuntur*, iuxta illud, quod in Euangelio scriptum est, *Bonum est sal. Si autem sal infatuatum fuerit, in nihil est vtile;* vt in perpetuum frugibus careat, & virore: quod & vrbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Hæc à D. Hieronymo. qui etiam hoc historicè exponit de mari Sodomorum, & eius paludibus, vbi nullum animal nascitur, & alibi natum ibi viuere non potest. Vnde nomen illi mare mortuum.

*Qui extra Ecclesiam sunt, salutẽ non habent. In salinas sũt, vt videlicet per eos bonis sapiãt.* Prou. 19. 25. *Erudiunt bonos, exempla peiorum.* Marc. 9. 50.

Similia repeties apud Theodoretum. Qui, inquit, in multitudinem aucti, in segnitiem lapsi sumus, palustribus similes sumus, iuxta illud Domini Matth. 24. 12. *Cum abundauerit,* inquit, *iniquitas, refrigescet charitas multum.* Eos

C igitur, qui in superficie versantur, & prædicatione dumtaxat induti sunt, quales nostrûm plurimi, lacunas vocat. Etenim lacunæ non profundam, sed in superficie aquam habent. Eos igitur, qui ita affecti sunt, asserit minimè consequi remedium. Quin etiam isti, inquit, reliquis non inutiles: castigati enim vtilitatis aliis causa erunt, quamobrem in sales dabuntur, dixit: instruere enim nos quodammodo, & vtilitatis implere consueuit, non solùm oratio docens, sed etiam illatum pro peccato supplicium. Ita Theodoret.

*In segnitiem lapsi, palustribus similes sunt.* Matth. 24. 12.

*In superficie versantes, ac sola prædicatione induti, lacunæ sunt.*

*Castigati reliquis vtiles sunt, & in sales dati.*

3. Itaque etsi mali homines, & hæretici non sanantur, tamen sales bonis sunt, quod sæpius

D asserit D. August. maximè epistola 141. super illud 1. Corint. 11. 19 *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant.* Nam si nullus, inquit, malorum bonus vsus esset Deo ad vtilitatem electorum, poterat eos aut nasci non permittere, aut in ipso eorum initio malignitatis extinguere. Sed tantùm eos permittit esse, quantùm nouit expedire, atque sufficere admonendæ atque exercendæ sanctæ domui suæ. Ita ibi. Similiter in Enchiridio cap. 2. affirmat, Deum nullo modo permissurum, vt mala in mundo fierent, si iis non bene esset vsurus ad vtilitatem bonorum. Non enim autor naturæ permittit, vt aliquid frustra fiat in mundo. Ni-

E si ergo spectaret ad vtilitatem bonorum, aut correctionem ipsorum malorum, illos vel non permitteret malè agere, vel simulatque agerent, extingueret. Itaque mali, vel bonis debent, quòd in mundo tolerantur, vt per eos boni exerceantur, vel Dei misericordiæ, qui eorum correctionem præstolatur, vt loquitur ad Ps. 54. idem Augustinus. Malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per eũ bonus exerceatur.

D. August.

1. Cor. 11. 19.

*Permittit Deus malos & nasci & viuere, in quantum domui suæ vtiles sunt.*

*Attendit Deus tum correctionẽ malorum, tum vtilitatem bonorum.*

*Mali bonis debent, quòd sint, & viuant.*


4. Cùm ergo ait Apostolus, *Oportet hæreses esse*, aut significat necessitatem consequentiæ (vt loquuntur Theologi) aut necessitatem pronitatis, vt loquitur D. Chrysostom. ad prædictum locum

locum Pauli, qui videtur esse sensus literæ maximè congruus: nam sermo ibi est non de hæresi, quatenus significat discessionem à vera fide, sed vt significat sectas, seditiones. Corinthiis verò loquitur suapte natura procliuibus ad contentiones, & seditiones. Nam scitum illud est, quo Paulus eos reprehendit eadem epistola 1. ad Corint. cap. 1. 11. *Contentiones sunt inter vos, pro quo dicitis, Ego sum Apollo, ego Cephe*, &c. Ex hac igitur eorum pronitate necessitas quædam proueniebat, hoc est, difficultas maxima ad concordiam, & pacem. Vnde Chrysostom. Hoc, ait, est propter eorum, qui curari non possunt, voluntates. Quod noster Vates dixit, *In littoribus autem eius, & paludibus non sanabuntur*; sed dum illi non sanantur, eorum

1. Cor. 1. 11.
*Oportet hæreses esse, ex pronitate Corinthiorum ad seditiones.*
Chrysost.
*Oportet esse, id est, difficile est nō esse.*

A tamen malo sanantur & illustrantur alij. Vnde sequitur apud Paulum, *vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Explicat Chrysostomus, clariores fiant vestris seditionibus, & contentionibus. Nam gubernator tempestate ostenditur. Sic ille. In salinas ergo dabuntur, hoc est, ad remedium insipientium. Quemadmodum vxor Loth inobediens in statuam salis conuersa dicitur, Genes. 19. 26. Quo loco egregiè Emmanuel Saa: Est quidem sal sapientiæ symbolum, & hîc positus ad insipientium admonitionem. Consentaneè ad D. Augustinum in Psalm. 83. Vt quid, inquit, statua salis effecta est, si non homines condit, vt sapiant? ibi remansit, vnde respexit: ipsa in loco mansura, & transeuntes alios conditura.

*Gubernator tempestate ostenditur boni seditionibus malorum.*
*Vxor Loth in salē versa ad insipientiū admonitionē.*
Genes. 19. 26.



VISIO




# VISIO VIGESIMAPRIMA, DE STATVA NABVCHODONOSOR, QVAM EXPLICAVIT DANIEL.

## *Daniel. Cap.* 2.

## PRÆFATIO.

### *De Daniele Vidente.*



*Daniel de Tribu Iuda.*

CVM Daniel fuerit præcipuus Videns, de illo præfari potiùs visum est, quàm de Nabuchodonosor minùs vidente. Fuit ergo Daniel de Tribu Iuda, vt colligitur ex primo eius capite, vbi Asphenez princeps eunuchorum, iussus à Rege Nabuchodonosor introducere in Regiā pueros de genere Regum Iuda, Danielem, & tres alios pueros selegit, Ananiam, Azariam, & Misael. Ex quo loco apertè constat fuisse proculdubio Danielem ex regia stirpe. Et patet idem ex lib. 4. Regum cap. 20. vbi legimus Isaiam prædixisse Ezechiæ Regi fore, vt filij eius captiui ducerentur in Babylonem, & seruirent ibi in aula regia, quod in Daniele completum fuisse affirmant omnes. Et congruit Iosephus, qui decimo libro Antiquitatum scribit, Danielē fuisse ex cognatione Regis Sedeciæ. Accedit auctor Historiæ Scholasticæ ad cap. 39. libri 4. Regum, vbi refert Ioacim Regem Iuda, cùm captus à Rege Nabuchodonosor duceretur Babylonem, mutata Regis sententia dimissum esse imposito tributo, & acceptis Regiæ stirpis obsidibus, in quibus fuēre Daniel, & tres illi pueri.

*4. Reg. 20.*

*Daniel ex stirpe Regū Iuda.*

*Iosephus.*

*Hug. Vict. Schol.*

*Danielis patria, secūdùm aliquos Betheron, & vbi sita.*

2. Natus superiori Betheron, vt Epiphanius memorat. Est id oppidum ædificatum à Sara filia Ephraim, vt narratur 1. Paral. 7. in ea parte sortis Ephraim (ait Benedictus præfatione in Danielem) quæ postea Leuitis assignata est. Congruere id potest opinioni Carthusiani, qui nescio qua autoritate fretus, Danielem ait genere paterno fuisse de Tribu Leui, materno autem de Tribu Iuda. Propinquum esse Betheron castello Emaus, & ab Hierosolymis distare nouem milliariis, affirmat idem Benedictus. Patrem Danielis Epiphanius hæresi 55. facit Sabaa. At verò 70. Interpretes, initio historiæ Belis, Abda. Vir, inquiunt, erat Sacerdos, nomine Daniel filius Abda. Verùm nec de patria, nec de patre Danielis quicquam habemus ex Scriptura certum: & Septuaginta versionem eo loco Ecclesia (vt ait Hieronymus) meritò repudiat: vnde quod ex illo loco Septuaginta refertur, non extat apud vulgatam Septuaginta; maximè quia Daniel nec fuit, nec esse potuit Sacerdos, vtpote non de Tribu Leui, sed Iuda. Cur autem is, aut patriæ, aut parentum non meminerit, vt cæteri Prophetæ facere solent, quis causam, aut idoneam, aut probabilem inueniat? Noui à quibusdam quasdam res proferri parum firmas, ac adeò quas facilè quis refutare queat, cùm nec Scripturæ, nec Patrum, nec antiquæ, probatæque alicuius traditionis autoritate nitantur.

*Nec de patria, nec de patre Danielis quicquam certum.*

*Hieron.*

*Cur Daniel non meminerit patriæ, aut parentum, incertum est.*

3. Dictus est Daniel non temere, vt assolet, sed propè diuino consilio, quòd egregiè significationi nominis studium vitæ responderit. Daniel enim apud Hebræos iudicium Dei significat: fuit autem Daniel in occultis Dei iudiciis explicandis singulariter admirabilis. Nomen illi in captiuitate mutatum, dictúsque Baltassar, siue à Nabuchodonosor (vt velle videtur Iosephus 10. Antiquit.) siue (vt ipse Daniel indicat cap. 1. 7.) ab Asphenez eunuchorum Principe. Epiphanius quidem de vita & interitu Prophetarum dictum sic ait à Nabuchodonosor, ob nomenclaturam vnigeniti filij sui Baltassaris. Verùm Baltassarem non fuisse filium Nabuchodonosor demonstrabimus in sequentibus. Iosephus, vt refert Maldonatus in præfatione ad Danielem, impositum id nominis ait per Nabuchodonosor, à Bel idolo apud Chaldæos celeberrimo, addita reliqua dictione, vt significaretur, aut Belis occultus thesau-

*Danielis nomen diuino consilio inditum.*

*Daniel, iudicium Dei.*

*Iosephus.*

*Iudiciorum Dei eximius scrutator.*

*Epiphan.*

*Baltassar ab ethnico Rege dictus, quasi thesaurus Belis.*

thesaurus, aut sanè aliquid Belis, quo Rex Danielem innueret, ad Deos, vel maximè pertinere.

*Ductus puer in Babylonem.*

4. Ductus est in Babylonem Daniel, vt quidem ait Epiphanius, infans adhuc, atque pusio, iuxta Isidorum planè puer; placet verò Benedicto, fuisse tunc decem annorum: qui annus concurret cum tertio Regis Ioacim, vt ex primo capite colligitur. Vnde ex sententia Benedicti, natus Daniel circa Olympiadem vigesimamnonam, & annum ab Vrbe condita nonagesimumquintum, videlicet annis ante Domini Iesu ortum sexcentis, ac propè sexaginta. Cùm ergo septem Græciæ sapientes, à quibus primùm erudita est circa Olympiadem quinquagesimam floruerint, in aperto manet, quantò fuerit in populo Dei antiquior sapientia: cùm enim apud Græcos planè erat infans, apud Hebræos sub Daniele, qui proximus fuit nouissimis Hebræorum sapientibus, iam planè consenuerat. Narrat ergo Beatus Ignatius in epistola ad Magnesianos, & eum sequutus Sulpicius lib. 2. Historiæ sacræ, Danielem, cùm primùm prophetici Spiritus indicium edidit in liberatione Susannæ, duodecimum egisse annum. Interpretatus est autem, teste Benedicto, primum somniũ Nabuchodonosor annum agens trigesimumquintum. Visiones septimi, & octaui capitis octogenarius habuit: scripturæ manus in pariete prope annum centesimum explicauit Baltassari. Anno sequenti, qui fuit primus Darij Regis Medorum, diuinitus ei patefactũ est tempus septuaginta hebdomadarum, quo & aduentum, & mortem Messiæ apertè prædixit: quæ autem decimo, vndecimo, & duodecimo capite Visiones recensentur, iam centenario contigerunt, vt ex tertio Cyri Regis anno, quo habitę memorantur, apertè colligitur. Num autem, & quandiu vltra centum annos vixerit, incõpertum est. Sanè per totum id temporis auctum à Deo fuisse insignibus sapientiæ diuinæ dotibus, inde, vel maximè liquebit, quòd Ezechielis cap. 28. increpans Deus arrogantiam Principis Tyri de sua sapientia superbè gloriantis, dixerit: *Ecce sapientior tu es Daniele?* Quo satis declarauit Deus, Danielem fuisse eo tempore mortalium omnium sapientissimum.

*Chronologia Danielis.*

*Sapientia Hebræorum antiquior Græcorum sapientia.*

*Natus annos 12. Susannæ iudicium edidit.*

*In quibus annis Visiones habuerit.*

*An 100. annos vixit, vlteriùsne vixerit, incertum.*

*Daniel suo tempore omnium mortalium sapientissimus.*

5. Danielis librum non alium quàm ipsum habuisse autorem certum esse videri debet: nam & Dominus, Matth. 24. 15. dixit: *Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, qui legit, intelligat.* Vbi illud, *qui legit*; satis declarat, quod præcesserat de historia abominationis, ab eodem Daniele conscriptum. Et

*Daniel suæ prophetiæ auctor.* Matth. 24. 15.

A cap. 7. dicitur Daniel somnia, & Visiones suas breui sermone complexus. Cap. verò 12. Angelus Danieli imperat, vt claudat sermones, & obsignet librum suum, quæ certè Danielem autorem manifestè videntur ostendere: ita sentiunt communi mente Patres. Et tamen ausus est Porphyrius impius totum librum vnum, ex quindecim, quos aduersùs Christianos edidit, ea in re consumere, vt ostendat, librum Danielis non fuisse ab eo conscriptum, sed ab aliquo tempore Regis Antiochi Epiphanis, qui res iam præteritas commemorauerit, atque vt autoritatem scriptis suis daret, prophetiam Danielis appellauerit. Gratè admodum mihi dixisse videtur D. Hieronymus prologo in Danielem, Porphyrij impugnationem, veritatis huius libri testimoniũ esse: malo fato natus homo, qui sic fuit veritatis inimicus, vt sufficiens sit argumentum, rem aliquam esse veram, si ab illo impugnetur vt falsa. Pessimi ergo autoris calumniam Methodius, Apollinaris, & Eusebius Cæsariensis, multis voluminibus doctissimè refutarunt, subtiliter & ipse Hieronymus, breuitérque satisfacit hominis insaniæ; sed illud validissimum est contra Porphyrium argumentum, quòd septuaginta Interpretes Antiochum Epiphanem centum propè annos antegressi, librum Danielis ex Hebræo in Græcum transtulerunt; quin & ante eundem Antiochum centum ac sexaginta annis, vt refert Iosephus lib. 11. Antiquit. Iaddus Hebræorum Pontifex Alexandro magno obtulit prophetiam Danielis de Rege quodam Græcorum, qui Regnum Persarum expugnaturus dicebatur. Falsum ergo est quod Porphyrius ait, æqualem aliquem Antiochi Epiphanis Danielis librum scripsisse.

*Porphyrij opinio de libro Danielis.*

*D. Hieron. Porphyrij impugnatio, veritatis testimonium est.*

*Refutatio valida Porphyrij.*

6. Nec obstat quòd Daniel non ponitur inter נביים id est, Prophetas, sed inter כתובים id est, Agiographos: nam cùm sic ponunt, Prophetam non negant, sicut nec Hieronymus negauit pręfatione in Danielem: solùm enim retulit, quòd ab eis sic æstimaretur, vnde immeritò reprehenditur à Ruffino. Constituunt ergo Hebræi plures gradus Prophetarum, aiúntque Danielem non esse ex eo genere, qui verbum Domini ad se factum esse pronunciant, qualis Isaias fuit, Ieremias, Ezechiel, & minores alij, sed tamẽ pertinere ad gradum alium Prophetarum, qui ea nota non vtuntur; quales Dauid, Salomon, & plures alij, qui non ideo minores Prophetæ sunt, vt concors Hebræorum sententia tenet in libro מגלה נקראת apertéque videre est apud Rabbi Moysem Ægyptium libro 2. מורה cap. 45. cuius rei ignarus Theodoretus, longa oratione,

*Quare Daniel non refertur ab Hebræis inter Prophetas?*

*D. Hieron.*

*Plures gradus Prophetarum, iuxta Hebræos.*

*Theodor.*

*Satis abũdè, quòd Dominus Danielẽ Prophetam nominat.*

tione, sed gratis, inuehitur in Iudæos, quòd Danielem Prophetam negent. Quid autem interest, si Daniel à quoquam alio Propheta negetur, si Dominus expressè vocat Prophetam Matth. 24. 15. *Cum videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta?* Sunt & alia quæ contra librum Danielis obiici solent, quæ non vacat percurrere, satis nobis ad Præfationem fuerit, librum ab eo scriptum, & verum Prophetam esse, breuiter demõstrasse. Cætera commendat materies ipsa prophetiæ, quæ hominis regij naturæ, & aulæ regiæ sectatori egregiè quadrat, multiplici varietate mirabilis, nunc summorum imperiorum conuersionibus, nunc regum in bestias metamorphosibus, nunc summi Regis Dei ad iudicium venientis horribilibus apparatibus: quæ omnia per Visiones omnis generis Vates Regius complexus, literis quoque prodidit ad vtilitatem aduenientium seculorum.

Matth. 24. 15.

*Materia prophetia Danielis eius ingenio & studio conueniens.*

7. Atenim id præcipuè in eo suspicimus, quòd fuerit omnium virtutum genere condecoratus. Vnde vel maximè dictus est ab Angelo, cap. 9. 23. *vir desideriorum*, eo quòd (cõnotat Theodoretus) omnibus iucundus, amabilisque fuerit, ob præclaras virtutum prerogatiuas: vel quòd pro populo suo variis se exerceret desideriis, omnia illi bona optans. Virginitatem coluisse omnes affirmant. Imò Damascenus 4. de fid. orthod. 25. asserit propter excellentiam castitatis seruatum fuisse Danielem à sæuitia leonum. Ob hanc verò castitatis eminentiam, ait Epiphanius, creditum à multis Danielem eunuchum fuisse. Patet quidem Hebræorum ea in re sententia, fuisse videlicet Danielem verè eunuchum, nec ob aliud commendatum, cum tribus aliis pueris, eunuchorum Principi, vt postea seruirent in aula regia, quod soli eunuchi ex more gentis Chaldææ facere solebant, idcirco & Origenes hom. 4. in Ezech. eunuchum absolutè asserit, idémque sentit Metaphrastes in vita Danielis, Zonaras 1. tomo Annal. & D. Hieronymus 1. lib. aduersùs Iouin. Sed tamen argumentum desumptum ex nomine eunuchi, & ex eo quòd assumptus fuerit ad seruiẽdum in aula regia cum cæteris eunuchis, non conuincit: nam & Putiphar ille, de quo mentio fit Gen. 39. eunuchus dicitur, ac vnus à præcipuis Pharaonis seruis, & tamen constat ex loco citato habuisse vxorem ac filios. Illud planè credi par est, quia eunuchis credebantur intima palatij loca, & secretiora Regum consilia, sicut etiam non eunucho, eadem illa similiter credebantur, eunuchorum nomine censeri solitum, ac talem fuisse Danielem. Ob id autem inprimis, sed maximè ob virginitatis cultum appellatum fuisse eunuchum, nihil renuerim. Tales enim in Euangelio celebrantur eunuchi, videlicet *qui se ipsos castrauerunt propter Regnum cælorum*, Matth. 19. 12. Etsi autem D. Hieronymus loco citato illud affirmauerit, tamen Dan. 1. dubitanter loquitur: nec obest quod Ezech. 14. nominans Deus Danielem cum Noe, & Iob, filiorum ipsorum fecerit mentionem: non enim de singulis intelligere id oportet, satis est si de duobus tantùm explicetur, & de Daniele etiam sub conditione, nempe si filios habuisset.

Theodor. *Cur Daniel vir desideriorum.*

Damascen. *Ob excellentiam castitatis seruatus à leonibus.*

Epiph.

*Iuxta Hebræos, eunuchus Daniel fuit.*

Orig.

Metaphra. Zonaras. D. Hieron.

*Probatur nõ fuisse eunuchum.*

*Daniel quomodo habitus pro eunucho.*

Matth. 19. 12.

D. *Hieronymus non fuit apertè eius opinionis.*

Ezech. 14. 14.

*Explicatur locus Ezechielis.*

8. Mitto quòd ieiuniis Daniel, quòd orationibus, ac aliis plurimis virtutibus clarus fuerit: illud vnum satis habeatur pro commendatione; tantam fuisse in eo morum integritatem, vt vel hostes eius inuiti dixerint, Dan. 6. 5. *Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui.* quo loco egregiè Maldonatus. Nullũ, inquit, aduersùs eum crimen inueniemus, nisi fortè pro crimine virtutẽ, obseruationémque diuinę legis obiiciamus. Magnum sanctitatis testimonium! Sic ille. Sed & illud in Ezechiele cap. citato optimè declarat, quanta Daniel apud Deum sanctitatis prærogatiua valuerit, quòd iræ suæ irreuocabilem indignationem in Hebræos exprimere cùm vellet, ac nullius se precibus, etiam apud se sanctissimi, placatum iri dixit: *Etsi fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipsi iustitia sua liberabunt animas suas*, &c. Quasi diceret Deus: Sic stat altè defixa apud me vltionis sententia, vt nec viri isti tres ob eximiam sanctitatem mihi gratissimi obtinere à me possint, vt mitiùs agam.

*Danielis virtus vel hostibus cõmendabilis.*

Dan. 6. 5.

*Danielis sanctitatis apud Deum auctoritas.*

9. Fuit Daniel aspectu (vt ait Epiphanius) aridissimus, ac natiuo squalore obsitus, sed gratiæ pulchritudine perquàm speciosus. Denique plenus dierum Babylone decessit vir sanctus in pace, sepultúsque magno cum apparatu in monumento, quod ad suum vsque tempus extitisse testatur idem sanctus Epiphanius.

*Daniel aspectu arido, & squalenti.*

*Babylone moritur, & sepelitur.*

# ARGVMENTVM CAPITIS.



*IDET in somnis Nabuchodonosor statuam capite auream, pectore, & brachiis argenteam, ventre, & femoribus aeneam, tibiis ferream, pedibus partim ferreis, partim fictilibus. Oblitus somnij sui Rex quaerit à Magis Babyloniis quale fuerit, solus Daniel id edisserit, & interpretatur: quare summam sibi autoritatem apud Regem, & omnes Chaldaeos conciliat.*

CAPVT II. DANIEL.

1. IN anno secundo regni Nabuchodonosor, vidit Nabuchodonosor somnium, & conterritus est spiritus eius, & somnium eius fugit ab eo.

2. Praecepit autem Rex, vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, & Chaldaei: vt indicarent Regi somnia sua: qui cùm venissent, steterunt coram Rege.

3. Et dixit ad eos Rex: Vidi somnium, & mente confusus ignoro quid viderim.

4. Responderúntque Chaldaei Regi Syriacè: Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus.

5. Et respondens Rex ait Chaldaeis: Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium, & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestrae publicabuntur. Si autem somnium, & coniecturam eius narraueritis, praemia, & dona, & honorem multum accipietis à me.

7. Responderunt secundò, atque dixerunt: Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem eius indicabimus.

8. Respon

PARAPHRASIS.

A 1. *ANno secundo cõditae Monarchiae Chaldaicae à Rege Nabuchodonosor (postquã scilicet, Amonitas, Moabitas, Scythas, & Aegyptios subegit, qui fuit annus regni eius vigesimus tertius) oblatum illi inter dormiendum est terrificum somnium, quo penitus animus eius consternatus est, sed exciderat sibi è memoria quid somniasset, tantùm sciebat triste aliquid se volvisse animo.*

2. *Iussit ergo Nabuchodonosor accersiri ariolos, hoc est, genethliacos, item magos, somniorum scilicet coniectores, maleficos praeterea, id* B *est, praestigiatores, qui incantationibus suis res naturales in varias figuras vertere solent, quales apud Pharaonem, virgas in colubros mutarunt, aemulatione Moysis; denique Chaldaeos, qui tunc habebantur rerum futurarum diuinatores: dediti enim erant illi parti astrologiae, quae in diuinatione versatur, & ob hoc exactum studium eorum, omnes diuinatores vocati sunt postea Chaldaei: iis ergo praesentibus praecepit Rex somnia vt sua diuinarent sibi; licèt enim vnum fuisset somnium, ob multiplicitatem tamen eius vocat somnia.*

C 3. *Tunc Rex ad ariolos: Somnium vidi, cuius nunc obliuiscor, sed vmbram tamen relictam animo verso terribilem, quae nihil distinctum exhibet, sed solum horrorem, quo vehementer angor, quare declarate quid viderim, & quid significationis in se contineat.*

4. *At illi lingua Syriaca, quae genuina erat, ad Regem loquuti, aeternam illi primùm vitam de more precati, aiunt: Tuum est, ô Rex, somnium nobis proponere, nostrum interpretationem addere, somnium ergo primùm edisseras necesse est.*

5. *Tunc Rex: Somnium, quod ad rem atti-* D *net, mente excidit, nunciate ergo, quid somniauerim; alioqui de vobis, déque bonis vestris actum putate: nam manifestum erit, quòd in aliis rebus confingitis interpretationes falsas; idcirco, & omne genus coniectorum exscindam penitus tanquam perniciosum genus hominum. Si tamen indicaueritis somnium, praemiis, & honoribus à me donabimini.*

8. Cum

A 8. Respondit Rex, & ait: Certè noui quòd tempus redimitis, scientes quòd recesserit à me sermo.

9. Si ergo somnium non indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quòd interpretationem quoque fallacem, & deceptione plenam composueritis, vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaque dicite mihi, vt sciã quòd interpretationem quoque eius veram loquamini.

B 10. Respondentes ergo Chaldæi coram Rege, dixerunt: Non est homo super terram qui sermonem tuum, Rex, possit implere: sed neque Regum quisquam magnus, & potens verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo.

11. Sermo enim, quem tu quæris, Rex, grauis est: nec reperietur quisquam, qui indicet illum in conspectu Regis: exceptis Diis, quorum non est cum hominibus conuersatio.

D 12. Quo audito, Rex in furore, & in ira magna præcepit, vt perirent omnes sapientes Babylonis.

13. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur: quærebantúrque Daniel, & socij eius, vt perirent.

E 14. Tunc Daniel requisiuit de lege, atque sententia ab Arioch Principe militiæ Regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis

15. Et interrogauit eum, qui à Rege potestatem acceperat, quam ob causam tam crudelis sententia à facie Regis esset egressa.

16. Cùm ergo rem indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit Regem, vt tempus daret sibi ad solutionem indicandam Regi.

17. Et ingressus est domum suam, Ana-



*8. Cùm eadem repeterent maledici, Protrahitis, inquit Rex, vestris his verbis vitæ iam damnatæ tempus, cùm sciatis non posse me somnium, quod oblitus sum, proponere.*

*9. Sed & confirmatis eam quam de vobis habeo opinionem, fallacem, scilicet, commentios esse interpretationem. Stat ergo mea illa sententia de vobis perdendis fixa.*

*10. Tum verò Chaldæi: Notum hoc Regi sit, non esse omnino humanarum viriũ, quod quisque somniauerit, diuinare: id solum in vsu hominum sapientum est, vt narrato somnio, interpretationem eius edisserant. Itaque non est in orbe Rex, qui aliter de somniis magos consulat: sed nec omnia somnia proposita facilè enodamus. Somnia quidem, vt vocant, naturalia, & moralia, quæ videlicet, aut ex complexione naturali, aut ex cuiusque moribus procedunt, solùm coniectamus: at quæ diuinitus immittuntur, quale erit hoc tuum, nulla firma interpretatione exponi* C *possunt, nedum enarrari. Atque id est, quod extorquere volebat Deus, faterentur scilicet, non posse humana industria proponi, aut explicari hoc somnium, vt liquidò appareret, Danielem ope diuina illud & proponere, & interpretari.*

*11. Igitur quod Rex à seruis suis quærit grauius est, quàm vt possit à quoquam homine præstari: præstarent solùm Dij, si res humanas aut respicere, aut curare solerent.*

*12. Rex verò his auditis, furore succensus, & exaggerata quadam ira correptus, iussit omnes magos interfici.*

*13. Itaque iam cædes imperata exequutioni mandabatur. Etsi autem Rex Danielem, & socios eius lege à se lata non est visus comprehendisse, quoniam eos diuinationi deditos non existimabat, quòd lege eorum diuina id cautum non erat, & idcirco eos in consilium non vocauerat; tamen vulgus, vt in re perturbata fit, tum propter excellentem eorum doctrinam, tum quia à Chaldæis edoctos nouerat, cum cæteris damnatis inuoluere conabatur.*

*14. Quod cùm Daniel resciuisset, quæsiuit ab Arioch, cui Rex internecionem mandauerat,*

*15. Quare sic temere à Rege id præceptum fuisset, non consultis omnibus sapientibus.*

*16. Móxque ingressus ad Regem, explicaturum se somnium pollicitus est, si id sibi placeret, impetratóque ad id congruo tempore, cum sociis egit,*

*17. Vt à Deo omnes simul postularent se-*

niæque, & Misaëli, & Azariæ sociis suis indicauit negotium.

19. Tunc Danieli mysterium per Visionem noctè reuelatum est: & benedixit Daniel Deum cæli, & locutus ait:

20. Sit nomen Domini benedictum à seculo, & vsque in seculum: quia sapientia, & fortitudo eius sunt.

25. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad Regem, & dixit ei: Inueni hominem de transmigratione Iudæ, qui solutionem Regi annunciet.

27. Et respondens Daniel coram Rege, ait: Mysterium quod Rex interrogat, sapientes, magi, arioli, & aruspices nequeunt indicare Regi.

28. Sed est Deus in cælo reuelans mysteria, qui indicauit tibi, Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in nouissimis temporibus.

29. Tu Rex cogitare cœpisti in strato tuo, quid esset futurum post hæc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt.

30. Mihi quoque non in sapientia, quæ est in me, plus quàm in cunctis viuentibus, sacramentum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio Regi manifesta fieret, & cogitationes mentis tuæ scires.

31. Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.

32. Huius statuæ caput, &c.

34. Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte, sine manibus: & percussit statuam

A *creti somnij reuelationem, & explicationem misericorditer aperiret, ne immani illa cæde inuoluti cum aliis perirent.*

*19. Tum Deus id quod à Daniele, & sociis indifferenter postulatum est, soli Danieli per Visionem demonstrauit, quo & autoritas Danielis exprimeretur, & quomodo ad Prophetiæ munus euectus fuisset, innotesceret. At qua ratione id Danieli sit reuelatum, non liquet, Visionéne, an per somnium? Verosimile videtur, dormienti indicatum, quoniam dicitur Visio facta per noctem:*
B *nec illud certum, somniaueritne id ipsum quod Nabuchodonosor, an reuelatione edoctus fuerit à Deo per somnium, quid Rex somniauerit, & quid per somnium significaretur: hoc secundum probabilius est.*

*20. Tunc Daniel Deum laudare cœpit ob sapientiam, & fortitudinem: nam & sibi somnium Regis patefecit, & in significatione eius ostendit, quanta fortitudine in Reges polleret. Vtrumque autem sibi à Deo datum gratè excipit: nam & edoctus à Dei sapientia est, quod esset, & quid est somnium? & Dei quasi fortitudine indutus, vt cum Rege liberè ageret de ex-*
C *plicatione somnij, quod minas in Regem terribiles continebat.*

*25. Arioch nesciens Danielem cum Rege priùs egisse, nunciauit hominem à se inuentum, qui Regem à cura somnij leuare posset; tribuens id videlicet industriæ suæ, quod vsu plerumque venit inter Regum aulicos, vt se Regibus gratos exhibeant. Itaque ingresso Daniele, quærit Rex, num somnium sibi, ac veram eius explicationem enarrare queat.*

*27. Somnium tuum, ô Rex, omnino latet*
D *omnem hominum sapientiam: est enim diuinum penitus, & ideo mirum non est, si nec arioli, nec magi, nec Chaldæi illud explicare quiuerint.*

*28. Sicut enim somnium à Deo tibi immissum est, ita idem ipse Deus indicauit tibi, quæ circa regnorum commutationes futura sunt vsque ad finem mundi.*

*29. Tu, ô Rex cogitare cœpisti (intellige, vel antequam dormiret, vel in ipso principio somni) quem exitum Chaldæorum regnum habiturum esset; tibi autem ista volvente animo ostendit Deus, qui secretorum mysteriorum reuelator est, varias regnorum conuersiones.*

*30. Mihi quoque non propter sapientiam,*
E *qua cæteris mortalibus antecellam, sed ex gratuita Dei reuelatione nunciatum est, quid somniaueris, & quid somnium tuum significet.*

*31. 32. Videbas statuam grandem, & longè, latéque splendentē: caput enim eius erat aureum; pectus, & brachia argentea; venter, & femora ænea; tibiæ ferreæ; pedes è luto, & ferro, seu è ferro non puro, sed mixto cum luto.*

*34. 35. Visúsque est tibi lapis è vicino monte, non quidem alicuius impulsu, sed per se cadere,*

statuam in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.

35. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum, & aurum, & redacta sunt in fauillam, &c. lapis autem factus est mons, &c.

37. Tu Rex Regum es: & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi.

39. Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.

40. Et regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.

41. Porro quia vidisti pedum & digitorum partem testę figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundùm quod vidisti ferrum mixtum testæ ex luto.

42. Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum.

43. Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebũtur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.

44. In diebus autem regnorũ illorũ, suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo nõ tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit in æternum.

45. Secun

A *cadere, ac percussis statuæ pedibus, deturbare illam, ac in fauillam quasi redigere, apparuitque lapis crescere nimiùm, & in montis altitudinem attolli, ac terram latè implere.*

*37. Tu, ò Rex, caput es aureum: quoniam regnum tuum inter sequentes in mundo Monarchias primum est, sicut aurum inter omnia metalla primas habet: nam de præteritis regnis nihil in præsentibus, nec verò de plerisque, quæ tũc in mundo erant obscuriora, sed de maximis, quæ tantùm fuêre quatuor, Babylonicum, Persicum, Macedonicum, Romanum.*

B

*39. Post tuam verò Monarchiam alia minor, hoc est, Persarum, tua inferior, ac tempore ipso in finem, interitúmque vergente, deterior surget. Tertium deinde sequetur Græcorum regnum, quod maius erit Persico, non modò terrarum spatiis, sed etiam opinione hominum, qui totum orbem subegisse iactabunt.*

*40. Quartum regnum Romanorum erit, quod quia ferro domabit omnia regna mundi, ferro comparatur.*

C

*41. Quòd verò vidisti pedes ex ferro, & luto conflatos, id significat regnum Romanorum tandem diuidendum in minora, ac adeò imbecilliora regna, quæ proinde faciliùs extingui debeant: tamen si quid validum, ac forte retinebit in ea permistione, id totum ad pristinam fortitudinem referendum erit.*

*42. Quòd verò digiti pedum partim ferrei, partim testacei visi sunt, hoc est, similiter ex ferro, lutóque permisti, innuit imperium partim validum, partim comminutum, quia Romanorum vires alicubi quidem stabiles, alicubi fragiles erunt.*

D

*43. Sed & permistio ferri, & testæ repræsentat permistiones, & affinitatum vincula, quibus & regna inter se, & cum Romanis copulabũtur, sed omnino frustra: nam minimè adhærebunt sibi, sicut nec ferrum testæ commisceri rectè potest.*

*44. Postquam ergo regna illa quatuor transierint, Deus ipse autor erit quinti regni, quod omnino diuinum erit, ac adeò æternum: nulla enim vi aut superari, aut dissipari poterit, nec vnquam transferetur in gentem alteram, sicut quatuor superiora regna, alterum in alterum*

E

*transiit priori semper extincto. Regnum hoc diuinum ad Christum pertinebit: nam etsi desinat esse in aliquibus regionibus per introductas hæreses, aut superstitiones alias, non tamen ipsum extinguetur: eadem enim religio vsque ad finẽ mundi, si non vbique, tamen alicubi perseuerabit. Quin & hoc Christi regnum quintum comminuet priora quatuor, quia Romanum per se comminuet quod Macedonicum comminũerat,*

Z 4 Mace

A *Macedonicum verò, Persicum, Persicum denique, Chaldæum. Comminuet autem Christus regnum Romanum, non quidem temporaliter, sed spiritualiter: nam Romanum Imperium non perducet Ecclesiam ad idololatriam, sed è conuerso, Ecclesia Romanum imperium ad Christianam religionem nouo potentiæ genere pertrahet. Plus enim valebit Martyrum sanguis, & patientia ad propagandum Christi regnum, quàm arma Romanorum, quàm tormenta infinita ad illud extinguendum.*

45. Secundum quod vidisti, quòd de monte abscissus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum, Deus magnus ostendit Regi quæ ventura sunt postea, & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius.

45. *Quod verò vidisti lapidem de monte* B *sine manibus excisum, significat, Deum tibi, quæ extremis mundi temporibus futura sunt, ostendere: lapis enim Christus est, supra quem, quasi supra lapidem angularem, ædificandum est quintum regnum: is è monte, hoc est, Deipara Virgine Maria omni virtutum genere cõspicua, sine virili opera nascetur; natus verò in montem magnum crescet, quoniam à paruis initiis in summam amplitudinem exurget.*

46. Tunc Rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit, & hostias, & incensum præcepit, vt sacrificarent ei.

46. *Tunc Nabuchodonosor vltrò in terram procubuit, & supplici vultu adorauit Danielem, iussítque afferri victimas, & incensum,* C *vt ei tanquam Deo exhiberetur sacrificium; quem honorem Propheta haud dubiè recusauit: nam quamuis id non dicatur in præsenti loco, probata aliàs viri sanctitas id cogit credere.*

47. Loquens ergo Rex, ait Danieli: Verè Deus vester Deus Deorum est, & Dominus Regum, & reuelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc sacramentum.

47. *Addidítque Rex: Verè Deus Deorum dicitur à vobis Deus vester, ego credo quidem, esse illum omnium Deorum maximum, & quasi Principem.*

48. Tunc Rex Danielem in sublime extulit, & munera multa, & magna dedit ei: & constituit eum Principem super omnes prouincias Babylonis: & Præfectum Magistratuum super cunctos sapientes Babylonis.

48. *Muneribus multis Rex Danielem cumulauit, & honoribus in sublime extulit. At cur* D *admisit dona Regia, cùm oblata à Baltassare recusauerit? Munera, inquit, tua tibi sint. Verùm postquam interpretatus est scripturam, legitur purpura indutus, & torque donatus. Itaque vtroque loco post interpretationes accepit munera, quasi gratitudinis signa; non antè, ne pretio id facere videretur, & vt suis laborantibus auxilio esse posset, ac sua apud Regem autoritate prodesse.*

49. Daniel autem postulauit à Rege, & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abdenago: ipse autem Daniel erat in foribus Regis.

49. *Impetrauit autem à Rege, vt Sidrach, Misach, & Abdenago Præfecti essent operum prouincialium: is autem in foribus Regis erat, hoc est, versabatur familiariter in aula regia.*

## COMMENTARIVS.

Breuiter præmittere oportet solutiones quarundam difficultatum: deinde ipsam Visionis rationem expendere; primùm literaliter, postmodum spiritualiter, & ad mores.

Soluuntur

## *Soluuntur tres difficultates.*

### SECTIO I.

1. *Nabuchodonosor non vnum tantùm, sed duos fuisse, tripliciter probatur.*
2. *Nabuchodonosor, de quo hic Daniel, multò posteriorem fuisse eo, qui tempore Iudith regnauit; in quem Regem incideris ille prior Iudith ostenditur.*
3. *Nabuchodonosor non iniustè cogebat Chaldæos somnium occultum explicare, quoniam ipsi iactabãt, futura se posse edicere, absolutè tamen iniustam rem postulabat, quoniam somnia per se occulta sunt hominibus.*
4. *Etsi Rex somnij seriem exponeret, non potuissent Chaldæi illud interpretari, quoniam diuinum erat.*
5. *Annum, qui hic dicitur secundus regni Nabuchodonosor, non fuisse secundum à principio regni eius absolutè, sed vt postea cœpit esse Monarchia conuincitur.*

*Duo Nabuchodonosores.*

1. RIMO quæri potest, num fuerit tantùm vnus Nabuchodonosor? Respondetur, fuisse duos; alterum quidem, de quo hîc fit mentio, & 4. Regum, item apud Ieremiam, & Ezechielem: alterum autem in libro Iudith. Fuisse autem diuersos ex eo patet. Primò, quia Nabuchodonosor, de quo fit mentio in lib. Iudith, regnauit in Niniue, vt eodem in libro dicitur. At Nabuchodonosor, qui à Daniele ponitur, regnauit post euersam Niniuen in Babylone, vt constat Daniel. 4. & ex Iosepho priori lib. aduersùs Apionem. Secundò ille Nabuchodonosor, qui in libro Iudith refertur, imperij sui anno decimotertio misit Holofernem cum exercitu, qui Iudæos tum primò sibi subiugaret, vt ait Pererius 1. in Danielem. At iste Nabuchodonosor cùm annum decimumtertium imperij ageret, iam Hebræos ter subegerat.

*Vnus regnauit in Niniue, alter post Niniuen euersam, in Babylone, Dan. 4. Iosephus. Ille Iudæos semel oppugnat: hic ter subegit.*

2. Secundò quæritur, vter fuerit prior ex duobus, de quo etiam est controuersia: nam Isidorus lib. 6. Etymol. putat Nabuchodonosor Iudith regnasse tempore captiuitatis Babylonicæ. D. Aug. 18. de Ciuit. facit eum regnantem tempore Cyri. Eusebius in Chronicis, & Beda de sex ætatibus mundi putant illum fuisse Cambysem Cyri filium, & secundum Persarum Regem. Sed enim hæc stare nequeunt cum iis quæ narrantur in lib. Iudith: ibi enim dicitur templum stetisse adhuc, quod durante captiuitate constat dirutum iacuisse: tempore verò Cyri, & Cambysis, nondum fuerat ædificatum. Denique tempore Nabuchodonosor Iudith, erat summus Sacerdos Eliacim, seu Ioachim: at verò tempore Cambysis, & Cyri, vsque ad Darium Hystaspis, apud Iudæos ex captiuitate reuersos Pontifex fuit Iesus filius Iosedec. Cùm ergo constet Danielis historiam contigisse in ipsa captiuitate Babylonica, liquet etiam Nabuchodonosor, qui eo tempore regnauit, & prædictum somnium habuit, fuisse illo multò posteriorem: historiam verò Iudith contigisse tempore Manasses, cùm est in captiuitatem ductus, quo etiam vixit Ioachim, seu Eliacim Sacerdos summus, qui propterea solùm nominatur in ea historia, nulla in-

*Isid.*

*D. Aug. Eusebius.*

*Nabuchodonosor Danielis, Nabuchodonosor Iudith multò posterior.*

terim mentione facta de Rege, qui tunc aberat captiuus in Babylone.

3. Tertiò quæritur, num Rex Nabuchodonosor iniustè coëgerit sapientes illos, vt somnium suum sibi edicerent? Nam somnia per se occulta sunt, cùm sint interiores affectiones phantasiæ: quare nemo illa certò cognoscere potest, nisi à somniantibus postea proponantur? Respondetur tamen, Regem supposita scientia, quam illi iactabant, non coëgisse illos iniustè: nam Chaldæi, ad quos præcipuè Rex sermonem direxit, erant ex ipsa professione genethliaci, seu Iudiciarij, qui ex syderum obseruatione futuros rerum euentus, etiam liberos, se nosse prædicabant. Cur ergo iniustus habebitur, qui rem professioni eorum congruentem exigebat? Re tamen ipsa postulatum Regis erat iniustum, quia nihilominus somnia per se occulta sunt saltem hominibus; nam Angelis nota esse possunt, cùm sint affectiones corporeæ, quæ subiacent naturali cognitioni Angelorum; homines verò, non nisi per obiecta sensuum externorum notitias rerum nanciscuntur.

*Non iniustè coëgit Rex sapientes, vt somnium edicerent, siquidem ipsi se iactabant, quod futura etiam libera cognoscerent.*

4. Quartò quæritur, vtrùm sapientes verè potuerint somnij, si à Rege proponeretur, interpretationem dare? Ad quod respondetur, hoc somnium, cùm prorsus fuerit diuinum, ex instituto scilicet Dei, futuros regnorum euentus prænuncians, nequaquam potuisse naturali cognitione per se attingi à sapientibus, solùmque ab ipso Deo edoceri; iure autem arguuntur à Rege, quòd qui præteritum somnium expiscari nequeant, interpretationem eius ad futurum tempus spectantem multò minùs adhibere queant.

*Licèt somnium explicaret Rex, tamen sapientes interpretari non potuissent.*

5. Quintò quæritur, quomodo intelligatur, Visionem hanc contigisse anno secundo regni Nabuchodonosor, vt dicitur in ipso principio capitis? Theodoretus existimat id sumendum esse ab exordio regni Nabuchodonosor. Verùm id esse falsum conuincitur; primò, quia Daniel ductus est Babylonem primo anno Nabuchodonosor, totúmque deinceps triennium, antequam in conspectum Regis veniret, in addiscendis literis, ac disciplinis Chaldæorum cõsumpsisse constat, ex primo huius Prophetiæ capite. Igitur Visio hæc, & interpretatio eius à Daniele facta coram Rege, non potuit contingere secundo regni eius anno. Deinde, quia Daniel primo anno regni Nabuchodonosor, fuit, autore Isidoro, planè puer, & vt ait Epiphanius, pusio, sine infans, quomodo ergo sequenti anno dicitur præfuisse omnibus sapientibus, & prouinciis Babylonis, & somniorum maximus Regis interpres? Igitur fit dictu verius, quod Iosephus tradit 10. Antiq. & Hieronym. hoc loco, secundum annum hîc memoratum computandum esse ab exordio Monarchiæ Nabuchodonosor, cùm scilicet Amonitas, Moabitas, Scythas, Ægyptiósque subegit, quibus victoriis creuit regnum, & omninò deductum est in rationem veræ Monarchiæ; fuitque annus regni vigesimustertius, quibus additi duo sequentes, de quibus hoc loco, efficiuntur anni vigintiquinque.

*Theod.*

*Isid. Epiphan.*

*Annus secundus intelligendus ab exordio Monarchiæ, qui fuit vigesimusquintus regni eius.*

Sub

## *Sub specie humanæ statuæ è diuersis metallis compactæ monstratæ sunt variæ regnorum successiones.*

## SECTIO II.

*1. Cur per metalla quatuor, aurum, argentum, æs, ferrum, Monarchiæ quatuor significentur? Cætera imperia cur omissa?*

*2. Eas monarchias hic positas, quæ sibi inuicem succederent ordinatè vsque ad regnum Christi, quare reliquas iure omissas, vel vt disparatas, vel vt obscuras. Orosij, & Prosperi Aquitanici opinio reiicitur.*

*3. Cur per humanam statuam repræsententur imperia, non ideo est, quia per homines administrantur, & quare? Ratio moralis, ex Theodoreto.*

*4. Locus difficilis Isaiæ exponitur. Cur Reges dicantur scrutatores? quòd eorum excellentia in se nihil sit.*

*5. Hominis imagine repræsentata imperia ostendunt, ea esse vanissima, sicut homo est ipsa vanitas: illustratur loco Basilij.*

*6. Illustratur idem loco Philonis Iudæi, & confirmatur lepidè ex verbo, quo Tertullianus vtitur.*

*7. Omnia imperia vix vnum exprimunt hominem, quem virtus sola perficit. Ex loco Ecclesi. 12. & loco Ps. 33. Illustratur exemplo Pauli, autore Chrysostomo.*

*8. Regna quidem terrena sunt, sed cœlitus ordinantur; ostenditur id comparatione, & loco Prouerbiorum 21.*

1. DANIELI demonstrauit Deus, quæ viderit Rex Nabuchodonosor, idque speciatim retulit in hunc modum, Vers. 31. *Tu Rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis.* Vers. 32. *Huius statuæ caput ex auro optimo erat, pectus autem, & brachia de argento, porro venter, & femora ex ære.* Vers. 33. *Tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis.* Quatuor metallis, auro, argento, ære, ferro, exprimuntur imperia quatuor, scilicet Chaldæorum, Persarum, Græcorum, Romanorum; causa verò est, quoniam metalla proposita sunt celeberrima: nam si quæ sunt alia, aut vilia sunt, aut ad hæc ipsa aliquo modo referuntur, quale est cuprum, stannum, argentum viuum, & huiusmodi alia. At verò Deus significari voluit in hoc somnio illa mundi imperia, quatenus omnium celeberrima, cætera verò annecti, vel solùm vt appendices eorum, vel omitti tanquam obscura. Mirum ergo non est, si Assyriorum Monarchia hîc sileatur: nam dici potest Chaldææ annexam esse: illius enim pars quædam & quasi propago fuit; deinde noluit Deus præteritas Monarchias recësere, qualis fuit eadem ipsa Assyriorum, quam constat ducentis antè annis euersam. Idem videtur dicendum de Medorum imperio, quod tunc stabat, nimirum pertinuisse ad imperium Persicum, cuius conditor fuit Cyrus, maternum genus à Medis ferens, paternum à Persis, & idcirco ait Theodoret. imperium hoc figurari per pectus

*Quatuor metallis, quatuor maiora regna monstrantur.*

*Cætera regna silentur, vel ad hæc referenda sunt.*

A cum duobus brachiis, vel dic, ideo omissum Medorum imperium, quia etsi tunc vigebat, erat tamen valde angustum.

2. Similiter nec mirum, si alia regna prætermissa sunt, quale Sicyoniorum, Atheniensium, Lacedæmoniorum, Lydorum, quoniam ad quatuor illa comparata, omnino fuerunt obscura, & humilia. Nec verò omnia futura regna significare voluit Deus, sed ea tantùm, quæ vsque ad regnũ Christi ita pertingerent, vt à subsequente præcedens euerteretur ordinatè, qualia fuerunt dicta quatuor: sibi enim inuicem vi armorum succedentia, tandem per Monarchiam Romanorum Christi regno appropinquarunt. Quare non est habenda ratio regni Gothorum, nec Saracenorum, nec Turcarum, quæ postea pullularunt.
B Eandem ob causam non sunt curanda imperia Ægyptiorum, Carthaginensium, Scytharum, quoniam nec inter se, nec cum illis quatuor ordinatè ad Christi imperium contenderunt, sed vnum ad alterum disparatè se habuerunt. Elegit autem omnium potentissima imperia, illis tamen vicissitudinibus sibi vsque ad Christum succedẽtia, vt magis appareret Christi regni excellens stabilitas. Festinabant enim, non tam vt occiderent, quàm vt Christi regno suis occasibus quasi procumbendo deferrent siue reuerentiam, siue stabilitatem. Quare non rectè adhæsit Paulo Orosio Prosper Aquitanicus in libr. de promissionibus, & prædicationibus Dei, p. 2. cap. 35. cùm
C per ventrem, & femora ærea interpretatus est Carthaginense imperium.

*Sola ea regna recẽsentur, quæ vsque ad Christi regnum pertingunt sibi inuicem ordinatè succedentia.*

*Cætera regna disparatè se habuerunt.*

*Quatuor Monarchiæ suis occasibus quasi procubuerũt ante Christi regnum.* Prosper Aquitanicus.

3. Quæri ergo primùm potest, cur sub specie humanæ statuæ prædictæ Monarchiæ significentur? Et quidem cùm inferiùs eadem Monarchiarum varietas mõstretur per quatuor bestias ascẽdentes de mari, non videtur sufficienter respondere, qui nodum propositum soluit, ex eo quòd regna per homines administrentur; aliter ergo oportet enodare cum Theodoreto hoc loco. Theodor. Imago, inquit, figura rei est, non ipsa res. Ponderat ergo duo Theodoretus in prædicta apparitione humanæ imaginis, & quòd imago sit, & quòd humana. Primùm, omnes mundi Monar-
D chias in statuam per imaginationem compactas, hoc ipso non esse quid stabile, sed imaginarium; adeóque regalem in eis præeminentiam re vera non esse realem, sed verè fictitiam. Vnde Prouer. 14. dicitur: *In multitudine populi dignitas Regis*, quia videlicet nemo dicitur Rex per aliquid in se inuentum re ipsa, sed per æstimationem, qua illum sibi multitudo prælegit, quod totum referri debet ad beneplacitum populare.

*Regalis maiestas est quid fictitiũ.*

Prou. 14. *Nemo Rex, per aliquid in se inuentum.*

4. Iure ergo Isai. cap. 40. 23. præmittens aliqua de illa super omnes creaturas excellentia, quæ Deo insita est, addit de terrenis Regibus: Isai. 40. 23. *Qui dat secretorum scrutatores, quasi non sint, iudices terræ velut inane facit. Et quidem neque plantatus, ne-*
E *que satus, neque radicatus in terra truncus eorum.* רוזנים Septuaginta vertunt, *Principes*, & idem verbum Abac. 1. noster vertit *Tyrannos.* Prouerbior. 8. *legum latores*; similiter aliis in locis. Cur autẽ in Isaia reddiderit, *secretorum scrutatores*, meritò aliquis dubitet? Quadrabit hoc magis in Philosophos, quorum est secreta naturæ rimari, quæ est plurimorum interpretatio. Philosophos autem dat Deus, quasi non sint: quia stultam facit sapientiam huius mundi, 1. Corinth. 1. 20. Verùm quia *rosenim* non inuenitur vsquam in hac significatione redditum, oportet per eam vocem

*Cur Reges dicantur secretorum scrutatores?*

Abac. 1.

Prou. 8.

*Philosophos mundi dat Deus quasi nõ sint, quia stultã facit sapientiam mundi.*

1. Cor. 1. 20.

*Reges filium intelliguntur, qui in vitas aliorũ inquirunt. Quatenus Reges, non sunt, & qui sint alij, curiosè quærunt. Inanè facit, id est, mera nomina sine re. Dignitas Regum non habet in eis radices.*

cem solus Reges ac Principes intelligere, qui ideo dicantur *secretorum scrutatores*: quoniam eorum est, in hominibus vitas, ac mores inquirere, quos ideo Deus dat, id est, pronunciat, quasi non sint, veluti per irrisionem; vt, qui quatenus Reges re ipsa non sint, alios, qui sint, curiosè scrutétur, eodémque sensu id, quod sequitur: *Et Iudices terræ, velut inane facit*, id est, mera quasi nomina sine re: *& quidem nec plantatus, nec satus, nec radicatus in terra truncus eorum.* Quia dignitatem regiam non habent radicatam in se, sed in alio, videlicet, in ipsa opinione & beneplacito multitudinis, vt suprà dictum est. Itaque dignitatem eam non satiuam, nõ natiuam, aut naturalibus radicibus, sed alienis suffragiis inhærentem habent. Sit autem hoc primùm, quod Theodoretus voluit, cùm dixit: Imago, figura rei est, non ipsa res: monstratas ideò Monarchias in somniis, quia nihil ampliùs sunt, quàm phantasmata ludicra, nihil rei habentia, præter fictitiam pompam.

*Ps.38.6. Sub humana statua monstrãtur regna, vt ostendantur vanissima, quoniam homo ipse vanitas est. D.Basil. Adhuc vaniora ipso homine, vt vanitas est. Regna gigãtea, & prorsus chimærica.*

5. Secundum, quod in Theodoreti dicto inest, illud est: cùm homo, cuius imaginem fert statua, sit ipsa vanitas, Psal.38.6. ideo Monarchias sub specie hominis demonstrari, vt ostendatur, eo quoque ipso res esse vanissimas, quòd imago figura rei sit, non ipsa res, id est, minus adhuc soliditatis, & constantiæ habens. Nam cùm à D.Basilio verè dicatur: A veritate ad figuram magnum esse delapsum, apparet profectò, quomodo Monarchiæ sub hac hominis imagine decidentes à vanitate hominis, vaniores adhuc sint, quam ipse homo. Repræsentare autem hominem non quomodocumque, sed vt vanitas est, inde patet, quia exhibent speciem eius giganteam, & prorsus chimæricam; id est, quæ nullum in re fundamentum habet, sed ex mera est phantasiæ operatione conficta.

*Phil.Iudæ. Homo, somniorum, fabularumque ludus.*

6. Quapropter meritò Philo Iudæus in libro qui inscribitur, Quòd Deus sit immutabilis, hominem vocat somniorum ludum, vtpote in quo fabulosè inserta sint à veteribus, passimque inserantur, ex euentu somniantium, & libito cõmentantium, segmenta rerum vana, ex quibus varia monstrorum genera coalescant, quales olim Geryones, Minotauri, & alia similia, inter quæ meritò numerari potest præsens statua, ex variis metallorum generibus monstrosè conflata in somniis. Lepidè autem Tertullianus lib. contra Valentinianos, hanc ipsam rerum fabulosam, ac phantasticam compositionem expressit verbo, *consuendi*, quia alienissima quæque à natura hominis, ipsi homini, quasi assuta, efficiunt tandem non vnum verum hominem, sed vnum ex pluribus hominis centonibus, verum monstrum.

Tertul.

*Homo quomodo pluribus hominis centonibus [illegible]*

*Omnes Monarchiæ vix vnius exhibent figuram hominis.*

7. Mirum est autem, quòd omnes mundi Monarchiæ per tot metalla expressæ, vix vnius exhibeant lineamenta hominis: nam ex contextu habemus, deficientibus metallis, suppletam ex luto materiam ad perficiendos pedes. Qua in re considerare libet, quantùm sola virtus præponderet omnibus mundi principatibus: ea námque sola sufficit ad exhibendum hominem perfectum, ac suis omnibus numeris absolutum, Eccles.12.13. *Deum time, & mandata eius obserua: hoc est enim omnis homo*, id est, perfectus homo, quia omne, & perfectum idem sunt ex Aristotel.1. de cælo c.1. Per timorem autem, intelligendo filialem, qui est (vt Hieronym. ad locum citatum ait) in virtutibus consummatus, eo solo perficitur & consummatur homo, iuxta illud Psalm.

*Sola virtus sufficit ad exhibendum perfectum hominem.* Eccl.12.13. D.Hier. *Timore filiali consummatur homo.*

A 33.10. *Non est inopia*; propriè, non est defectus, *timentibus eum* Vnde in Rom. Psalterio: *Nihil deest timentibus eum* Est sensus: Homo timẽs Deum, expers est omnis defectus, & indigentiæ moralis; talis est, vt illi nihil addi ad perfectionem possit. Exemplo autem esse potest id, quod Chrysostomus de D. Paulo enunciat super cap. 9. 1. epistol. ad Corinth. nósque in rem aliam citauimus in 3. Visione. Omnem hominem, inquit Paulus, exhibebat Deo, id est, vnus solus Paulus erat omnis homo, perfectissimus, scilicet, consummatissimus, Deo autem dicit, id est, Iudice etiam Deo, cuius est exactissimum de perfectione iudicium. Omnis homo Paulus], vtpote qui in se vno exprimeret omnem perfectionem, quæ in B omnibus hominibus simul sumptis inueniri potest. Vide autem longè patens discrimen in re præsenti. Vnus Paulus exhibet omnem hominẽ coram Deo, cui nihil à quoquam fingi potest. Et omnes Monarchæ vnum vix hominem coagulare possunt homini somnianti, cui facillimum est disparatissima quæque somniando contexere, & alioqui impossibilia exhibere ad viuum, quasi verè sint.

Ps.33.10. D.Chrys. *Vnus Paulus erat omnis homo, id est, perfectissimus.*

8. Denique quòd Monarchiæ metallis significentur, quæ intra terræ viscera generantur virtute solis, idcirco est, quia terrena quidem sunt, sed à Deo ipso cælitus ordinata. Hinc est, quòd alibi in Scriptura significantur regna terrena per arbores, quæ ita è terra nascuntur, vt à cæli pen- C deant influentiis, Isai.11.1. Dan.4.19. Ostenditur autem, regna mundi ortum suum ab ipsa terra, ordinem verò, ac dispositionem sortiri à diuina prouidentia. Vnde illud Prou.21.1. *Sicut diuisiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini.* id est, sicut naturalis ortus fontium est ab ipsa terra: vbi autem, & quomodo, & quantum manare debeant iuxta incolarum indigentiam, est à diuina prouidentia, ita Rex ipse licèt conditione non differat à quouis alio terreno homine, cor tamen eius, id est, consilia, statuta, ordinationes, & tota administrandi ratio speciali prouidentiæ diuinæ fræno gubernantur. D

*Regna terrena sunt, sed à Deo ordinata.* Isai.11.1. Dan.4.19. Prou.21.1. *Regna terræ quomodo fontium origini comparentur.*

---

## *Caput aureum statuæ significare Chaldæorum imperium.*

### SECTIO III.

1. *In vno Nabuchodonosor, tanquam in capite, tota regni eius excellentia. Dictus Rex Regum ex variis locis Scripturæ.*
2. *Idem Rex apud profanos scriptores potentissimus omnium celebratur, vt vel ob id caput aureum iure dicatur. Illustratur Cant.5. & 1.Cor.11.* E
3. *Chaldæorum Monarchia quare caput aureum sit? Deducitur ex variis Scripturæ locis.*
4. *Expenditur dictum illud, Nabuchodonosor esse Regem Regum, & Dominum fuisse Hispaniæ.*
5. *Rex Regum per Synecdochen, vel per hyperbolen, vel iuxta vulgarem existimationem.*

1.  NTERPRETANS Daniel, & particulatim enucleans Visionem propositam dixit Regi Nabuchodonosor, Vers.37. *Tu Rex Regum es, & Deus cæli regnum, & fortitudinem, & imperium,*

rum, & gloriam dedit tibi Verſ. 38. *Et omnia, in quibus habitant filij hominum, & beſtiæ agri; volucres quoque cæli dedit in manu tua, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit, tu es ergo caput aureum.* Rectè excellentiam regni à Rege deducit, in quo eſt velut in capite totum regnum. Quòd verò Nabuchodonoſor dicatur Rex Regum, conſonat Prophetiæ Ierem. cap. 27. 7. vbi Dominus de hoc Rege ſic: *Seruient ei gentes multæ, & Reges magni: gens autem, & regnum, quod non ſeruierit Nabuchodonoſor Regi Babylonis, & non curuauerit collum ſuũ ſub iugo eius, ego Dominus in gladio, & in fame, & in peſte viſitabo ſuper gentem illam.* Similiter de eodem Rege vaticinatur Habacuc cap. 1. 10. *Ipſe*, inquit, *de Regibus triumphabit, & Tyranni ridiculi eius erunt*, id eſt, riſui, & contemptui illi erunt. Daniel verò cap. 4. 19. *Tu Rex*, inquit, *magnificatus es, & inualuiſti, & magnitudo tua peruenit vſque ad cælum, & poteſt.s tua ad terminos vniuerſæ terræ.* Denique ex Iſai. cap. 47. 5. conſtat Babylonem vocari ſolitam regnorum Dominam.

*In Rege, quaſi in capite, totum regnum.* — Ier. 27. 7. — *Nabuchodonoſor Rex maximus in Scriptura.* — Habac. 1. 10. — Daniel. 4. 19. — Iſai. 47. 5.

2. Quin & à profanis ſcriptoribus magnificè extollitur idem iſte Rex; nam Beroſus in hiſtoria de rebus Chaldaicis Nabuchodonoſor ait ſuperiores Reges Imperij, & rerum geſtarum gloria anteiſſe. Megaſthenes lib. 4. de rebus Indicis, hunc Regem ait, præter Orientis prouincias Ægyptum quoque, & Africam, Hiſpaniámque ſubiugaſſe: quin & Herculem ipſum virtute animi, & facinoribus longe ſuperaſſe. Cui Strabo concinit lib. 15. ſuæ Geographiæ, vbi ait, Regem iſtum omnium Regum potentiſſimum fuiſſe, & ipſo ſuperiorem Hercule. Cùm igitur ex prædictis locis, tam ſacræ, quàm profanæ paginæ conſtet, Nabuchodonoſor omnibus Regibus, ac nationibus imperaſſe, mirum non eſt, ſi ipſe ſeu regnum ipſius caput aureum appelletur; vt ſicut aurum princeps materia eſt (ait Tertul.) quia inter omnia metalla quaſi principatum habet, ſic fuerit iſte Rex, ipſo Daniele atteſtante, Rex Regum, & Deo ipſo ſatagente, conſtitutus princeps vniuerſalis in toto orbe. Eodem enim fundamento Sponſa in Cant. cap. 5. 11. Sponſum per ipſas corporis partes commendans, de capite ſic: *Caput eius aurum optimum.* Et D. Paul. 1. Corint. 11. 3. explicat quid per aurum in Chriſto, qui Sponſus eſt, ſignificetur, cùm ait: *Caput Chriſti Deus*, id eſt, princeps in Chriſto natura, & per quam ipſe omnium princeps efficitur, diuinitas eſt.

*A profanis ſcriptoribus celebratur.* — Beroſus. — Megaſth. — Strabo. — *Nabuchodonoſor caput aureũ, quia vt aurum metalla, ſic ipſe Reges exuperat.* — Tertull. — Cant. 5. 11. — 1. Cor. 11. 3.

3. Vnde iſta duo loca coniungens, & expendens D. Greg. lib. 34. Moral. cap. 8. ad illa verba Iob. 41. 21. *Sternet ſibi aurum, quaſi lutum.* Ideo caput Chriſti ait eſſe diuinitatem, quia humanitas, inquit, eius ex diuinitatis nobis claritate principatur. Cùm verò per aurum ſignificetur ſapientia, Apocal. 3. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum*, id eſt, ſapientiam charitate feruentem, quæ ſola, vtpote ſic probata, valorem habet, & ideo ſuadetur emi. Cùm item eodem auro diuitiæ abſolutè ſignificentur, Iſai. 2. 7. contra Hieroſolymitanos, *Repleta eſt terra eorum auro*, id eſt, locupletata eſt nimis. Et Matth. 10. 9. ad Diſcipulos, quos ad prædicandum mittebat: *Nolite poſſidere aurum*, id eſt, diuitias, quæ ſcilicet ſolicitudines generant, & prædicationis officio valde nocent. Iure Chaldæorum Monarchia, in qua præ cæteris omnibus regnis ſapientia viguit, & diuitiæ floruerunt, eorum caput aureum, & princeps, iudicari debet Nabuchodonoſor.

D. Greg. — Iob. 41. 21. — *Humanitas Chriſti ex diuinitate habet principatum.* — Apoc. 3. 18. — *Aurũ ignitũ, ſapientia charitate feruens, pretioſa.* — Iſai. 2. 7. — *Aurum, pro diuitiis.* — Matt. 10. 9.

4. Sed enim in promptu obiectio eſt contra prædicta. Quomodo ſit credibile quod Daniel ait, Nabuchodonoſor fuiſſe Regem Regum abſolutè, vt pro omnibus mundi Regibus ſumatur dictum: quemadmodum Apocal. 19. 16. pro ſingulari prærogatiua de Chriſto effertur: *Habet ſcriptum in veſtimento, & in femore ſuo, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Videtur autem fidẽ excedere, idem poſſe de Rege iſto pronunciari; ſicut illud, quòd Deus ſub ditione eius vniuerſa conſtituerit, vt ſubiicit idem Propheta. Nam quis dicat illum Europæ dominatum, qui nec Aſiam, in qua regiam ſedem habebat, imperio ſuo totam complexus eſt? Nam quòd Hiſpaniam ſubegerit (vt Megaſthenes affirmauit) fabuloſum omnino videtur. Teſtatur enim grauis Autor Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos, hunc Regem ſortitum imperij ſui terminos ab India vſque ad Æthiopiam. Probans enim ſolum Chriſti regnum carere limitibus per comparationem ad alios Reges, de hoc etiam ait ſic cap. 7. *Si Nabuchodonoſor cum ſuis Regulis ab India vſque ad Æthiopiam habuit regni ſui fines*, &c.

*Expenditur quomodo dictus ſit Nabuchodonoſor Rex Regum.* — Apoc. 19. 16. — *Nabuchodonoſor Hiſpaniam ſubegiſſe, fabuloſum videri.* — Tertul.

5. Quapropter dicendum eſt, Nabuchodonoſor, quia debellauerat magnam, & principalem partem orbis, tunc Chaldæis cogniti, & famoſi, ideo dictum vniuerſæ terræ dominatorem, & eodem ſenſu Regem Regum, idque per ſynecdochen in Scriptura ſacra frequenter vſitatam; veluti Luc. 2. 1. *Exiit edictũ à Cæſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis.* Cùm tamẽ vniuerſus orbis non fuerit deſcriptus, ſed Romanus, id eſt, Romanis armis ſubactus, qui quoniam magnitudine ſua latè fundebatur, orbis appellatione ſignificari conſueuerat. Similia verò exempla paſſim occurrunt. Eadem ergo ſynecdoche intelligendum Nabuchodonoſor Regem Regum eſſe, & à Deo conſtitutum Dominum vniuerſæ terræ. Alij per hyperbolen dictum putant, etiam in Scriptura vſitatam, Geneſ. 22. 17. & 2. Regum 1. 23. & 3. Reg. 10. 21. Alij ex communi exiſtimatione, & more loquendi apud Chaldæos, ſicut B. Ioſeph ſimpliciter dicebatur pater Chriſti, quia ſic vulgò exiſtimabatur.

Luc. 2. 1. — *Nabuchodonoſor Rex Regum, non quia omnes, ſed quia multos ſubegerat.* — *Romani orbẽ totum non ſubegerunt, eodem ſenſu dicti orbis Domini.* — Gen. 22. 17. — 2. Reg. 1. 23. — 3. Reg. 10. 21.

---

## *Pectore, & brachiis argenteis ſignificari Monarchiam Perſarum.*

### SECTIO IV.

1. *Inquiritur quare Perſarũ Monarchia dicatur minor Chaldaica. Oppoſitũ probatur ex loco Eſther 1.*
2. *Exaggeratur potentia regni Perſarum ex loco Iſaiæ 45. & confirmatur ex annotatione Hieronymi.*
3. *Probatur, regnum Perſarum fuiſſe opulentius regno Babyloniorum, ex variis hiſtoriis.*
4. *Regnum Perſarum dici, quia minus diuturnum, minus antiquum, & poſt regnum Chaldaicum extitit.*

1. PROSEQVITVR Vates interpretationem, vt cœperat. Verba igitur illa, *Pectora autem, & brachia de argento*, ſic exponit, Verſ. 39. *Et poſt te conſurget regnum aliud, minus te, argenteum.* Quod Doctores accipiunt communiter pro regno Perſarum. At cur dicitur minus? Amplitudinéne? an potentia? an diuitiis? In quouis autem ex iis fuiſſe maius Chaldaico, in comperto eſt. Nam quod attinet ad amplitudinem, Eſther 1. & 10.

*Per pectora & brachia argentea, Monarchia Perſarum. Expenditur, quomodo dicatur minus regnum.*

10. de Assuero Persarum Rege dicitur, quòd regnauerit ab India vsque ad Æthiopiam super centum viginti septem prouincias, cunctásque maris insulas. At Chaldæos angustius habuisse Imperium, manifestum est. Præterea Cyrus Persarum Rex Chaldæorum Imperium bello expugnatum adiunxit suo, ergo quod ex vtroque conflatum est euidenter remansit amplius.

*Regnum Persarum ex diuina potentia maximum.* Isa. 45. 1.

2. Quod attinet ad potentiam regni Persici, in eodem Cyro apparet quanta fuerit, vtpote cum diuina potentia miro modo coniuncta, ipso Deo apud Isaiam multò antè attestante cap. 45. 1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro, cuius apprehẽdi dexteram, vt subiciam ante faciẽ eius gentes, & dorsa Regum vertam, & aperiam coram eo ianuas, & portæ non claudẽtur. Ego ante te ibo, & gloriosos terræ humiliabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringã.* Vbi D. Hieronymus ad illa verba, *cuius apprehendi dexteram*, potentiam plusquam humanam insinuat; vt illi, inquit, nemo iam resistere possit. Solius enim diuinæ dexteræ, id est, potentiæ naturalis prærogatiua est, vt illi nemo resistere possit: ex priuilegio autem Dei, etiam eius hominis dextera, quam ipse speciali vi, & efficacia roborat (vt hîc de Cyro dicitur) & significatur egregiè verbo, *apprehẽdi*. (D. Hieron.)

*Persica Monarchia ingentes opes.*

3. Si verò agatur de opulentia, liquidò constat, Chaldaicum regnum Persico fuisse minus. Primò, quia Cyrus regni sui diuitiis adiunxit Chaldaicas victo Baltassare, & Lydias victo Crœso totius Asiæ locupletissimo. Nam iuxta Plinium lib. 33. cap. 3. deuicta Asia sustulit pondo auri triginta quatuor millia, præter vasa, & alia, quæ simul trecentos efficiebant milliones. Narrat verò Athenæus initio li. 12. Darium Regem Persarum ad caput sui cubiculi conclaue habuisse pariete vno interfitum, in quo semper erant talenta auri quinque millia, quod cõclaue ceruical Regis vocabatur: è regione verò huius, quasi ad pedes, alterum habuisse, in quo argenti tria millia talenta perpetuò seruabantur, quod scamnum Regis suppedaneum dicebatur. In ipso verò Regis cubiculo vitem auream obtentam, quæ racemos habebat pensiles è lapillis pretiosissimis cõcinnatos. Confirmantur autem hæc ex præda, quam dicitur Alexander Magnus è gaza Persica, & Babylonica abstulisse. Ait enim Strabo peruenisse ad centum, & octoginta millia talentorum, id est, millies, & octies centena millia aureorum; aliter, centum & octo milliones. Quin etiã Deus ipse apud Isaiam cap. 45. 3. citato, hanc ipsam opulentiam celebrem facit, promittendo se daturum Cyro *thesauros absconditos, & arcana secretorum*, id est, diuitias maximas. (Plinius. Athen. Strabo. Isai. 45. 3.)

*Monarchia Persica dicitur minor Chaldaica, diuturnitate, & antiquitate.*

4. His ergo omnibus, quæ certè vera sunt, vt satisfaciamus dicendum est, regnũ Persarum dici minus Chaldaico, non magnitudine, nec potẽtia, nec diuitiis, sed diuturnitate, & antiquitate: nam quod attinet ad diuturnitatem, illud certè constat, regnum Chaldæorum ab ortu suo sub primo Rege Nino, vsque ad interitum sub Baltassare vltimo Rege, stetisse totos ipsos quingentos ac mille annos; cùm tamen Persarum Monarchia intra ducentos, & quadraginta annos, & condita & euersa fuerit. Aptissimè verò ob idipsũ Monarchia Chaldæorum auri prærogatiuam habet super Monarchiam Persarum, quoniam aurũ diuturnitatis symbolum est, cùm nec vsu atteratur, nec igne depereat, nec ex se habeat, quod bonitatem cõsumat, imò ipsa temporis fiat longinquitate pretiosius, teste Plinio lib. 33. c. 3. Quod verò spectat ad antiquitatem, euidentiùs adhuc Chaldæorum imperium antestat Persico, cùm illud absolutè fuerit primum, hoc secundum; ac adeò illud maius, hoc verò minus: sicut enim qui nos tempore antecesserunt, solemus vocare maiores, ita qui subsequuti sunt minores, seu posteri apud Latinos dici consueuerunt. Vnde grauis Poëta Æneid. 1. (*Aurũ, diuturnitatis symbolum.* Plinius. Virgil.)

*Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,*
*Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ:*
*Oenotrij coluêre viri, nunc fama minores*
*Italiam dixisse ducis de nomine gentem.*


Quare vbi noster dixit: *Consurget aliud regnum minus te*, vertere posset, *Consurget aliud regnũ post te*, siue *posterum*; sed consultò vertit, *minus*, vt auri, & argenti differentiæ se accommodans, significaret subiectionem in regno Persarum, & eminentiam in regno Chaldæorum, quam scilicet, vel solùm ipsa antiquitatis ratione merebatur: consentaneũ quippe rationi est, vt quæ antiquiora sunt, præcedant. Vnde Daniel de extremo Iudicio vaticinãs cap. 7. ait: *Throni positi sunt, & Antiquus dierũ sedit.* Vbi per Antiquum dierum intelligit æternũ Patrem, qui paulò inferiùs inducitur committens Filio iudiciariam potestatẽ. Notatu verò dignissimum est, Deum Patrem, qui cum Filio eiusdem est omnino essentiæ, & potestatis, propter solam prioritatem originis, Antiquum dierum dici, & ob id solum prius sedere, quàm Filium: vt non sit mirum, si Chaldæorum imperium ob antiquitatem præcedat, ac prius dicatur Persico. (Dan. 7. 9.) (*Pater, propter solam prioritatem originis dicitur Antiquus dierũ.*)

---

## *Ventre, & femoribus æneis significari Monarchiam Græcorum.*

## SECTIO V.

1. *Amplitudo regni Græcorum sub Alexandro, quam habeat cum ventre similitudinem.*
2. *Cur regnum Græcorum æri comparetur? videlicet ob famæ celebritatem. Illustratur loco Plinij, & 1. Macha. 1. & loco Tertulliani.*
3. *Æneum etiam dictum ob eloquentiam, ex D. Hieronymo. Illustrat Cicero, & Tertullian.*
4. *Quid Plinius de Macedonia dicat pro exaggeratione Imperij Macedonici? Quid Lysippus ad hoc ipsum finxerit?*
5. *Nec Alexandrũ toti imperasse orbi, probatur ex Plinio, Curtio, & ex ipsius Alexãdri ingenua confessione.*

1.  E tertia Monarchia sic interpretatur Vates, Vers. 39. *Et regnũ tertiũ aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ.* Hoc regnum Doctores cõmuniter esse volunt regnum Græcorum, quod quidem Alexander Magnus ita longè, latéque amplificauit, vt meritò affirmauerit Daniel imperaturum illud vniuersæ terræ. Atque ob hoc ipsũ ventri, & stomacho assimilauit: solet enim stomachus ad se trahere omnẽ cibũ, idẽtidémque subigere, & cõficere, quem tamen non diu in se retinet, sed ad alia membra transmittit. Prorsus autẽ eo modo Alexander plurima quidem regna Imperio Græcorum adiunxit, quæ tamen in eo nõ diu perdurarũt, sed inter plures diuisa duces ab amplitudine illa Monarchiæ omnino defecerunt. idque Theodoretus significari vult per diuisionem femorum, in quam visus est scindi venter statuæ. (*Regnum æneũ, regnum Græcorum.*) (*Cur stomacho assimilatum?*)

2. Igitur quòd regnum Græcorum dicatur ex ære factum, quod est inter omnia metalla vocalissimum, referunt primùm Doctores cum D. Hieronymo ad famam rerum bellicarum, quæ quidem (*Cur æri cõparetur Græca Monarchia?* D. Hieron.)

quidem ex eo regno, ænei cymbali instar, magno cum applausu gentium toto orbe personuit. Habet enim fama per se istum applausum, & sonantem celebritatem, quam Abulensis alio nomine gloriam vocat, quæst. 21. super cap. 6. Matth. Vnde

Ouid. *Fama Alexandri.*

Ouid. 12. Metamorph. describens famæ domum, totam ait esse ex ære sonanti. Et quidem si de tẽpore Alexandri agatur, breui tempore fama eius omnes mundi partes ita perculit, vt victo Oriente, reuersus Babylonem, inuenerit in ea legatos

Clitarch.

omnium gentium etiam Romanorum, vt Clitarchus ait relatus a Plinio lib. 3. c. 5. scilicet, vniuersum orbem (ait Curtius) tantus nominis eius terror inuaserat, vt cunctæ gentes, velut iã destinato sibi Regi adularentur. In ipsa quoque Scriptura sacra huius famæ celebritas magna emphasi in-

1. Machab. 1. 3.

nuitur 1. Machab. cap. 1. 3. cum dicitur expugnãte Asiam Alexandro siluisse in conspectu eius vniuersam terram, perinde, scilicet, famæ eius stupefactam sonitu, ac si audiret fragorem ruentis mũdi: solent enim immensi, repentinique boatus prosternere, stupefacere, ac vocẽ in ipsis faucibus

Tertull.

intercludere. Quapropter nihil iam miru, si Tertullianus in Libro de Pallio breuiter quidem, sed magna cum exaggeratione, dixerit de fama Ale-

*Quomodo dicatur Alexander fama sua minor.*

xãdri, eo ipsum fama sua fuisse minorem. Quasi diceret: illis quidem in rebus vere fuisse magnum, sola sua fama fuisse minorem, quia non illum sic extulit, ac merebatur, maior scilicet in se, quam ipsa sui fama; nouo certe exaggerandi modo: nam fama nusquam auara laudandi, amplificat potius res gestas, quam minuit.

D. Hieron. *Regnum Græcorum propter sapientiam æreum.*

3. Deinde quòd regnum Græcorum dicatur æreum refert D. Hieron. & cũ eo cæteri ad Græcæ sapiẽtiæ, maximéque Eloquentiæ claritatem, quæ similiter magna cum eius gentis celebritate toto orbe personuit. Præcipue verò tangit hæc celebritas Atheniensium vrbem, de qua est illud à

Cicero.

Cicerone dictum 1. de Orat. Vt omittam, inquit, illas omnium doctrinarum inuentrices Athenas, in quibus summa dicendi vis, & inuenta est, & perfecta. Vt auté celebris hæc fama vigeret diu, multum profectò contulit natura ipsa regionis, ac soli, cælique Atheniensis, quæ omnia ad literarum studia per se composita videbantur. Tertul-

Tertull. *Athenæ sapientia aptissima.*

lianus quidem in lib. de anima, percurrens quid quibus in terris spõte proueniat, Athenis, inquit, sapiendi, dicendíque acutissimi, vbi penes colytũ pueri mense citiùs eloquuntur, præcoce lingua. siquidem & Plato in Timæo Mineruam asfirmat, cùm vrbem illam moliretur, nihil aliud, quam regionis naturã prospexisse talia ingenia pollicitã.

*Amplitudo imperij Græcorum.*

4. Quod verò prædicitur de imperio vniuersæ terræ, habet quidem in Autoribus plura testimonia. Nam Plinius ante omnes describens Macedoniam lib. 4 cap. 10. ita scribit: Hæc est Macedonia terrarum imperio potita quondam; hæc Asiam, Armeniam, Iberiam, Albaniam, Cappadociam, Syriã, Ægyptum, Taurum, Caucasum, transgressa est. Hęc in Bactris, Medis, Persis, dominata, toto Oriente possesso. Hæc etiã Indiæ victrix per vestigia Liberi patris, atque Herculis vagata. Ita Plinius. At verò Lysippus insignis statuarius Alexandro adulatus accõmodato inuento amplitudinem eius imperij repræsentauit. Namque Alexandrum ex ære finxit supina facie cælum suspicientem, subiectis eiusmodi versibus:

*Æreus in cælum suspectans fare quid aiat?*
*Iuppiter, asserui terram mihi, tu assere cælum.*

Hoc autem sui simulacro adeò est delectatus Alexander, vt se fingi ab alio, quàm ab vno Lysip-

A po, edicto publico vetuerit.

5. Sunt & alia in hanc sententiam iactata passim ab Autoribus, sed omnino hyperbolice intelligenda. Nam ipse ille Plinius cap. 17. lib. 6. ait, Hypasim clarum fluuium, Alexandri itinerũ fuisse terminum; item Sogdianos alia ex parte vsque ad flumen Laxartem in Scythia. Quare Curtius, cùm de felicitate Alexandri ad debellandas gẽtes disseruisset, addit: Nec dubiũ est, quin si vel paucos superuixisset annos, quemadmodum Orientẽ sibi subiecerat, ita totu Occidentẽ debellaturus fuisset, quod & ipse iã animo agitabat, & moliri cœperat; iusserat enim amplissimam parari classem, qua per Euphratem in mare rubru transgressus, Hispaniam, Africam, & Italiam bello adoriri,

*Hyperbolicè dictum fuisse Alexandrum totius orbis dominum.* Plin. Curtius.

B & subiugare posset. Ita ille. Ex quibus constat multum profectò superfuisse Alexandro ad debellandum. Quin & idem narratur hoc ingenuè aliquando fassus, cùm, Democrito de infinitate mundorum disputante, ingemuit, eo quòd ne vnum quidem a se adhuc debellatum cerneret.

---

*Per tibias ferreas, & pedes partim ferreos, partim fictiles significari Romanorum Imperium.*

C SECTIO VI.

1. *Regnum Romanorum per tibias ferreas, & pedes partim ferreos, partim luteos. Concinit locus eiusdem Prophetæ cap. 7.*
2. *Ne Romanos quidem totum subegisse orbem. Assignantur termini Romani Imperij. Ideo ab eis cultum Deum nomine Terminum. Exaggerant tamen Autores eius amplitudinem, August. Chrys. & alij.*
3. *Quomodò Imperium Romanum comminuerit cætera Imperia, ostenditur comparatione philosophica. 32. legiones per orbem sparsas habebant Romani ad comminuendas omnes gentes.*
4. *Imperium Romanum antea potentissimum, ad finem infirmum fuit, ideo pedes statuæ partim ferrei, partim fictiles. Capta Roma primum ab Alarico, & deinceps ab omnibus ferè gentibus afflictata. Locus Orosij ea de re, alter Baronij.* D
5. *Num pedum altera pars ferrea, altera fictilis, an ex vtroque mixtio fuerit? Mixtionem fuisse probabilius est, idque ostenditur.*
6. *Quomodo dicatur Imperium Romanum diuisum? Proponuntur variæ responsiones, & reiciuntur. Probabilius, diuidendum in plura regna: vnde sequetur debilitas, & totalis ruina.*
7. *Quid illud,* Commiscebuntur humano semine, sed non adhærebunt; *variè explicatur, vno modo probabilius.*

E

1. CÆTERA de Romano Império intelligenda sunt. Vers. 40. *Et regnum quartũ erit velut ferrum. Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic cõminuet, & conteret omnia hæc.* Vers. 41. *Porro, quia vidisti pedum, & digitorum partem testæ figuli, & partẽ ferream, regnum diuisum erit; quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistũ testæ ex luto.* Vers. 42. *Et digitos pedum ex parte ferreos, & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidũ, & ex parte contritũ.* Vers. 43. *Quod autem vidisti ferrum mistũ testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri nõ potest testæ.* D. Hieron. Theodoretus, & reliqui omnes affir

*Ferro designari Imperium Romanum, quod omnia domuerit.*

affirmant, hoc esse regnum Romanorum, quoniam inter omnia mundi regna, ipsum miro modo comminuit, & domuit vniuersas gentes, quapropter figuratur infrà cap. 7. per illam bestiam terribilem, quæ dentes magnos ferreos, & vngues similiter ferreos habens, omnia visa est commolere, & conculcare.

*Quòd omnia domuerit, sumendum hyperbolicè.*

2. Primum ergo, quòd regnum Romanorum omnia regna mundi comminuerit, pari modo ac de superioribus diximus, sumēdum est hyperbolicè. Nam certum est, & ex Appiano constat in proœmio historiæ Libycæ, suis etiā finibus terminatum, ita vt latissimè quidem, sed non vsquequaque patuerit: fuit enim terminus eius Occidentalis extremitas Hispaniæ; Oriētalis Euphrates, Taurus, Armenia; Septentrionalis Rhenus, & Danubius; Australis Æthiopia. vsque adeò, vt vel ob id Romani Terminum Deum coluerint, qui scilicet limitibus imperij præsideret, ne modo vllo retrocederent, sed immobiles eo protegente permanerent. Quod Tarquinius augurio firmatum volens finxit, Terminum Deum ne Ioui quidem voluisse loco cedere in Capitolio, refert Aug. lib. 4. de Ciuit. cap. 23. Certos igitur re ipsa habuit limites Monarchia Romanorum, verùm occasione sumpta ex ipsa eius amplitudine etiam intra limites assignatos ausi sunt scriptores immensam eam, & illimitatam pronunciare. Hinc ortæ illorum passim exaggerationes, vt orbem quidem Romanum dixerit Iurisconsultus, l. in orbe. ff. de hominum stat. & D. Chrys. in primum Isai. caput. Quatenus Sol, inquit, terram spectat, principatus Romanorum patet. & August. 18. de Ciuit. 22. Per eam, scilicet Romam, placuit Deo orbem debellare terrarum, & in vnam societatē Reipub. legúmque perductum longè, latéque pacare. Quæ verba valde amplificant potentiam Romanorum, vtpote, qui ex toto orbe vnam vrbem efficere armorum vi potuerit.

*Termini Imperij Romani.*

*Terminus Deus Rom. quòd termini imperij præesset.*

D. August.

Iurisconf. D. Chrys. *Amplitudo Romani imperij exaggeratur.* D. August.

3. Verba autem comminuendi, & domandi, quæ ferro inprimis propria dicuntur, rectè verò appropriata sunt Romanorum Imperio, communes bellorum effectus significant. Nam Tertullian. in Apologet. aduersùs gentes, Omne imperium, inquit, bellis quæritur, & victoriis propagatur; porro bella, & victoriæ, captis, & euersis vrbibus constant. Rectè id verò: non enim aliter in formam suæ reipublicæ conuertere posset vis Romana cæteras respublicas, nisi illas priùs in se ipsis euerteret. Nempe id ipsum in regnorum, quod in contrariorum naturalium mutua contentione accidit. Vt sicut ignis formam suam introducere nequit in materiam aquæ, nisi is ipse præcedente acri pugna, contrariatum inuicē qualitatum, tandem per eas, quas habet insitas, euicerit, euerteritque oppositas; ita prorsus vnius forma reipublicæ in alteram induci non potest, nisi vtrinque pugnetur acriter, & euersa, ac comminuta infirmiori, stet victoria penes fortiorem. Hoc autem modo Romani suis legibus subegēre orbem, & hoc eodem effecerunt, ne à se deficere, ac rebellare posset. Cæsar Baron. tom. 2. narrat, trigintaduas legiones habuisse Romam ad conseruationem Imperij, quas per omnes prouincias sparsas alebat. Itaque octo fuisse in Germania, alias in Hispania, Gallia, Parthia, Media, & aliis prouinciis, quarū legionum id solum opus erat, vt prædictas gentes pessundarent, conculcarent, comminuerent, sicque in officio continerent. Vnde Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos, cap. 7. Quid de Romanis dicam, qui de legionum suarum præsidiis imperium muniunt?

Tertull.

*Quomodo victoria cōstent ex similitudine contrariorū naturaliū.*

Cæsar Baron. *Trigintaduas legiones habuit Roma sparsas per orbē. Vt eam in officio continerent.* Tertull.

4. Quòd verò tibiæ in pedes partim ferreos, partim fictiles desinerent, D. Hieron. propterea factum interpretatur, quia Romanum imperium priùs robustissimum, denique imbecillimum euasit; vsque adeò, vt petiti bello à diuersis gentibus, externas copias in sui defensionē euocarent, qui nationibus antea vbicunque gentium laborantibus præsidio erant; quod idē Hieronymus variis in locis lamentatur, præcipuè hîc apud Danielē. Itaque Romanum Imperiū per annos ferè mille ducentos extitit ferreū, deinceps fictile, id est, fragile, ac in dies imbecillum magis: nam post prædictam annorum summam ab Alarico Gothorū rege capta est Roma, Imperatore Honorio, & summo Pōtifice Innocentio I. deinde verò multis cladibus afflicta per cōsequentes annos, vt ferè nulla fuerit gens Imperio Romano antea seruiens, quæ de illo postea non triumphauerit, vt latè ostendit Paulus Orosius lib. 7. cap. 40. Libet autem hæc referre breuiter ex cap. eius libri 22. Soluuntur, inquit, repentè vndique permissu Dei ad hoc circumpositæ, relictæque gentes, laxatísque habenis in omnes Romanos fines inuehuntur: Germani Alpibus, Rhetia, totáque Italia penetrata, Rauennam vsque perueniunt: Alemani Gallias peruagantes etiam in Italiam transeunt: Græcia, Macedonia, Pontus, Asia Gothorū inundatione deletur: Sarmatæ Panonias depopulātur: Germani vlteriores abrasa potiuntur Hispania: Parthi Mesopotamiam occupant: extántque solū per diuersas prouincias, in magnarum vrbiū ruinis paruæ ædes in signa miseriarū. Hæc Orosius. Huiusmodi verò clades ita abiecerat Romanorū nomen, vt Honorius Imperator pro illis captiuis supplices ad Theodorum Papam miserit literas, vt Christianorum fauore subleuarētur. Adeò viluisse videbatur (ait Baron. Ann. tom. 6.) nomen Romanorum, & Barbaricum inualuisse, vt pro illorum libertate asserenda oportuerit constituere vindices Christianos. Ex quibus latè patet mysterium plantarum, partim ferrearum, partim fictilium, quo Romani Imperij rectè prædicta est vilitas, & imbecillitas.

*D. Hieron. Rom. imperium prius robustum, postea infirmum.*

*Ab Alarico Gothorum rege capta Roma.*

Paul. Oros.

*Omnes ferè gentes de Roma triūpharunt.*

*Supplices Honorij litera ad Theodorum Papam, vt Christianorum auxilio Romanum imperium subleuaret.* Baron.

5. Cùm verò dicitur à Vate: *Porro quia vidisti pedum, & digitorum partē testeam, & partem ferreā, regnum diuisum erit*, etsi in dubio manet, fuerítne altera pedis pars ferrea, altera testea, tamē probabilius est pedes conflatos ex ferro & luto cōmistis. Primò, quia dicit, *de plantario ferri erit*, id est, ferrum quoddam, sed mistum erit. Secundò, quia hîc dicitur ferrum testæ fuisse permistū. Tertiò, quia Vers. 43. hæc permistio ferri cum luto significatur permistione seminis. Quartò, quia si altera pars pedum esset ferrea, altera lutea, diuersa potiùs regna, quàm diuersos eiusdem regni status significarent: nec enim minùs à ferro testa, quàm ab ære ferrum distat.

*Pedes ex ferro, & testa cōmistis.*

6. Maior dubitatio est in ipsa significatione diuisionis, id est, quomodo Imperium Romanorū sit diuisum? Misso igitur Hebræorum delirio, per pedes eiusmodi significari quintum regnū, quod nunc est penes Turcas: nam cùm dicit Propheta, *Regnum diuisum erit*, de regno per ferrū significato loquitur, quod quidem ferro expressit. Similiter Vers. 41. cùm ait, *Regnum partim erit solidum, & ex parte contritum*, manifestè non regnum nouū, sed eiusdē regni, de quo egerat, diuersos status significat. Sūt ergo alij, qui Monarchiæ Romanę varias factio

*Hebræorum deliramentum, quintū regnum esse Turcarum.*

*Non intelligi per diuisum regnum factiones Cæsaris & Pompeij.*

*Non intelligi regnum Iudæorũ & Romanorũ.*

*1. Machab. 8.*

factiones intelligant, qualis Cæsaris, & Pompeij temporibus fuerunt. Verùm eo tempore nõ erat infirmum Imperium, imò fortissimum, & Principes factionum validissimi. Hebræi quidam de Iudæorum, & Romanorum regnis fœdere copulatis interpretantur, vt constat ex 1. Machab. 8. & 12. Verùm hic agitur ex instituto, de regnis Iudæorum populo contrariis, non verò de fœderatis; idcirco enim ponitur quintum Christi regnum, quod omnia regna destruit. Alij diuisionem sumunt pro diuerso gubernandi modo, qui permistus fuit cum veteri Romanorum administratione; videlicet cùm Imperatoria vis introducta est, & permista Consulari; quæ tamen nunquam bene cohæsêre, licèt multis adhibitis affinitatum vinculis. Verùm in hac permistione administrationum perseuerauit multis seculis vis Romana; nec vllo modo permistio testæ, hoc est, fragilitatis, illi quadrat.

*Non sumenda diuisio pro diuerso gubernandi modo.*

*Vera sententia, significari diuisionẽ Romani imperij in plura regna.*

Significatur ergo, regnum Romanorum diuidendum esse in plura regna, quorum alia maiora, alia minora erunt, sicut digitorum non est æqua magnitudo. Concinit verò id, quod in Visione capitis septimi notari solet, in illis decem cornibus bestiæ, quæ Romanum Imperium repræsentát: communis enim interpretatio est, per decem cornua significari decẽ regna, in quæ Romanorum Monarchia diuidenda est prope finem mũdi, quæ quidem regna Antichristus facilè debellabit, vtpote à fortitudine illa Monarchica deficientia. Nam sicut ingentia flumina dum vnico alueo totam simul aquam deuoluunt, cursu citatissimo feruntur, diuisa verò in plures alueos lentiora fiunt: ita Romanorum Imperium pleno adhuc, & in vnum coacto principatu, potentissimè toto orbe ferebatur, vt nulla vis vnquam sese illi impunè obiecerit: ad finem verò mundi per plura, adeóque angustiora regnorum quasi ostia, in communem omnium rerum interitum, velut in mare flumina, exonerabitur.

*Similitudo imbecillitatis imperij Romani.*

*Diuisa illa regna, nec connubiorũ affinitatibus cohærebunt.*

7. Illud autem, *quòd vidisti ferrum mistum testæ, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi*, significat, regna prædicta, etiamsi connubiorum affinitate coniuncta sint, non permansura tamẽ in amicitia. Alij simpliciùs, *quia vidisti pedum & digitorum partem testeam, & partem ferreã, regnũ diuisum erit*, id est, multas in fine prouincias continebit, alias fortiores, alias imbecilliores. *Quod tamen de plantario ferri orietur*, id est, in quo adhuc erit forte, ac valens, referendum erit ad primam illam fortitudinem. *Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicut ferrum non potest misceri testæ*. id est, multa hominum genera continebit imperium (semina enim posuit pro diuersitate hominum) sed non adhærebunt sibi, nec sociabuntur diu, sicut nec testæ ferrum misceri potest, ac adeò totum tãdem Imperium dissoluetur. Verùm prior expositio videtur magis apta literæ; explicat enim diuisionem illam in fine ruentis Imperij Romani: nam posterior diuisionem prouinciarum explicat, quam etiam florente Imperio fuisse constat. At verò pedum ac digitorum extremitas, vti diximus, finem continet Imperij deficientis, ac veluti expirantis.

*Si quid remanserit fortitudinis, ad primariã illam referẽdum est.*

*Erunt multa semina, multa genera prouinciarum, non tamen sociabuntur.*

*Imperium Romanum deficiens.*

---

*Per lapidem è monte sine manibus labentem, ac statuam labefactantem significari Regem Christum.*

## SECTIO VII.

1. *Cùm dicitur,* in diebus regnorum illorum, *quomodo intelligendum, si non extabant? Quæ vaticinatur Daniel, de regno Christi intelligi nequeunt, in secundo eius aduentu, sed in primo; aliquo modo tamen, id est, perfectè, de secundo intelligi possunt.*
2. *Quàm gloriosum Christo, quòd in diebus, quibus illa regna florebant, ita florere cœperit. Ponderatur locus Luc. 2. & locus Psalm. 67. Christum veriùs fuisse augustum, quam ipsum Augustum.*
3. *Quid lapis abscissus sine manibus? Cur dicatur Deus cæli id fecisse? Locus Ambrosij.*
4. *Christum esse lapidem, pluribus Scripturæ locis probatur; Christus lapis regalis: ostenditur in eo, quòd dicitur lapis angularis.*
5. *Quomodo intelligatur hic lapis factus in caput anguli? Item quomodo habere septem oculos, & accepisse sculpturam à Deo? Locus Irenæi.*
6. *Lapis abscissus sine manibus, natus Christus è Virgine Maria; expenditur locus Isai. 51. Partus Isaac ex sterili matre præludium nascituri è Virgine Christi, ex Gregor. Nysseno.*
7. *Mons Virgo Maria. Locus Gregorij Magni, locus Augustini, item aliorum.*
8. *Aliæ opiniones reiiciuntur. D. Ambrosij existimatio cur non placeat?*

1. DIXERAT Vates in propositione somnij, Vers. 34. *Videbas ita, donec abscissus est lapis de mõte sine manibus: & percussit statuã in pedibus eius ferreis, & fictilibus, & comminuit eos.* Vers. 44. *In diebus autẽ regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.* Primum ergo quod Propheta ait: *In diebus regnorum illorum*, non est intelligendum, quòd vigentibus omnibus simul quatuor Monarchiis suscitandum sit regnũ hoc vltimum, sed quòd in diebus vnius è quatuor, scilicet, Romani Imperij; quod quia proximè cohæserat Macedonico, & per hoc aliis prioribus, & de omnibus illis proximè loquutus fuerat Vates, simul cum aliis significatum est. Hoc argumentum est contra eos qui putant Danielem agere de regno Christi, quod erit post secundum Christi aduentum: opinatus ita est Tertullianus extremo libro aduersùs Iudæos, item Theodoretus inductus eo argumento, quòd omnia regna terræ aduenienti tunc Christi regno destruenda dicantur, quod primo aduentu nõ est impletum; nam Romanum Imperium nascente Christo maximè florebat sub Augusto, & post eũ quadringẽtos adhuc annos similiter floruit. Verũ argumenti illius vis conuincit: nam in fine mũdi, vt patet, non erunt dies regnorum illorum, in quibus hîc dicitur venturũ Christi regnum; superiores namque Monarchiæ multò priùs, & ipsum Romanum Imperium paucos ante Iudiciũ annos extinguetur penitus ab Antichristo. Deinde quia ex Visione constat lapidem è monte auulsum sine manibus, principio quidem paruũ, ac postea veluti per incrementum factũ magnum ad instar prægrandis montis, quod quidem primo Christi aduẽtui optimè quadrat, in quo Dominus primò quidem paruulus natus est, postea profecit ætate, gratia, & gloria, Luc. 2. 52. At verò in secundo aduẽtu, ipse se prædixit venturũ magnũ, videlicet, *cũ potestate* magna

*In diebus regnorum illorum, intelligendũ per continuationem.*

*Non probatur existimatio Tertulliani & Theodoreti, de secundo aduentu Christi.*

*Tertull. Theodor.*

*In fine mũdi non erunt dies regnorũ illorum.*

*Lapis paruus meliùs quadrat Christo in primo aduentu.*

*Luc. 2. 52.*

Luc. 21. 27. *Vaticinium hoc de regno Christi in primo aduentu, complebitur perfectè in secundo.*

*magna & maiestate*, Luc. 21. 27. Verù quę hic Daniel vaticinatur de regno Christi, quòd scilicet omnia regnà côteret, quòd erit instar môtis, qui totam terram occupabit, quòd stabit in æternum, &c. perfecte impiebuntur in secundo eius aduêtu, cùm ponet Deus Pater omnes inimicos sub pedibus eius. Adeòque verum est, de regno Christi post secundum aduentum intelligi præsens vaticinium, videlicet perfectè & consummate, de primo auté inchoatè, & quasi in via ad secundù.

*Expressio maiestatis regni Christi etiam vigentibus regnis potentissimis.*

2. Notandum verò pro excellentia, & maiestate regni Christi, quòd dicitur suscitandum *in diebus regnorum illorum*: non enim expectauit tempus, in quo infirmiora aliqua regna in mundo essent, inter quæ eminere, ac extare, non ita foret gloriosum, sed illud elegit, in quo quatuor illa regna potentissima sibi inuicem succedentia, tandémque in Romanam Monarchiam omnium Monarchiarum maximam desinentia, sub Augusto Cæsare florem ipsum potentiæ suæ latè præferebant. id significat, *In diebus illorum regnorū*: diem enim alicuius dicimus eum, in quo ipse prosperè agit. Hoc omnino mysterium respiciens Spiritus sanctus per Lucam cap. 2. 1. narrat, quòd Augusto Cæsare describente vniuersum orbem, natus sit Christus Dominus in ciuitate Dauid. *Factū est*, inquit, *in diebus illis, exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis*, &c. *Ascēdit autem & Ioseph à Galilea de ciuitate Nazareth in Bethleem, &c. vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore pregnante*. Notatu enim dignum, quòd Augusto Cæsare in apicem gloriæ suæ feliciter elato ascendere adhuc dicatur Ioseph, & Virgo Maria prægnans, vt Augusto subiicerentur: nam illis simpliciter euntibus in Bethleem iuxta cômunem significationem verbi, *ascendere*, in Scriptura, Christus ipse miro quoque modo ex vtero Matris, iuxta reconditum sensum eiusdem verbi qui est, *ascendere in equum*, ascendebat in ipsū Augustum, quasi per illum frænans totam gentilitatem, ac sibi vero Domino feliciter subiiciens. Id fortè sibi vult Regius Vates quod alio loco attulimus, cùm Psal. 67. 5. ait: *Iter facite ei, qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi*: quasi enim alloquens Iosephum, ac Mariam Virginem, *Ite*, ait, *in Bethleem*, idque in gratiam Christi, qui hoc præcipuè tempore Occasum, siue Occidentale Imperium, quasi equum ascendit. *Nomen autem illi Dominus*, per Antonomasiam, cui bellè quadrat, quòd Augustus Cæsar Sibyllino oraculo de Natiuitate Christi edoctus, eodem tempore vetuerit edicto publico, ne quis se vocaret Dominum, néve toto reliquo imperio id sibi quispiam nomen asciscceret. Quamobrem Venerabilis Beda super illa verba Lucæ, *Exiit edictum à Cæsare Augusto*, Christū ait Augusti nomen, in natiuitate sua compleuisse, vtpote suos & augere desiderans, & augere sufficiens. Sugillans scilicet Imperatoris factum, quod contraria sui nominis significato faciens, verè excellentiam Augusti amitteret: nam per illam descriptionem tributa exigens, titulum minuentis potiùs, quàm augentis assequebatur; cùm tamen Christus & voto, & facto Augustus fuerit: voluit enim, quod ad se attinebat, omnes augere & glorificare, réque ipsa electos suos non alio, quàm se ipso glorificabit. Similiter autem prædicit Daniel, quòd solum Christi regnum efflorescet in diebus regnorum illorum.

*In diebus regnorum illorum, hoc est, prosperè agentibus.* Luc. 2. 1.

*Completum in natiuitate Christi.*

*Christus in Augustum quasi in equum ascendens.* Psal. 67. 5. *Ascendit super Occasū, hoc est, super Occidentale Imperium.*

*Augustus adscenti Domino, Dominum se vocari vetuit, ac quemlibet in toto Imperio.* Beda. *Christus verius Augustus, quàm Octauianus.*

3. Sequitur: *Suscitabit Deus cæli regnum, quod non dissipabitur*, &c. quod in Visione monstratum est per lapidem, qui è môte sine manibus abscindetur, &c. Hoc expressit Vates dicēs: *Suscitabit Deus cæli regnum*. Lapis enim abscissus è môte sine manibus, est opus Incarnationis, seu Christus Incarnatus, non interueniente aliquo coniugali opere: (nam, teste Hieronymo epistol. 22. de custod. Virginitatis, per manus significatur coniugale opus, iuxta illud Cant. 2. 6. *Laua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*) sed sola Dei cæli potentia in hunc mundum è Virgine Matre eductum. Cur enim dixit, *Deus cæli*, nisi, vt ostenderet, nullis viribus inferioribus, sed omnino cælestibus opus illud suscitari potuisse? Vnde D. Ambros. in lib. de institut. Virgin. carnem Christi inoperatam dixit, id est, non operatā, seu operis maritalis expertem. Hoc est ergo, lapis sine manibus abscissus, & regnum suscitatum à Deo cæli. Hæc generaliter.

*Lapis è mōte cadens sine manibus, Christus Incarnatus, absque opere coniugali.* D. Hieron. Cant. 2. 6.

*Caro Christi inoperata, quo sensu dixit Ambrosius.*

4. Specialiter autem oportet singula inspicere. Ac primùm lapis hic excissus de monte sine manibus, significat Christum Regem, siue regnū Christi, sicut superiùs regnum Chaldæorum per Nabuchodonosor Regē explicauit Vates, & scitum alioqui per regnum cælorum in Euangelio significari aliquando ipsum Regem Christum. Quòd ergo Christus Dominus lapis mysticus sit, ostendūt plura Scripturæ loca, Isai. 28. 16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum*. Psal. 117. 22. *Lapidē quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli*. Zachar. 3. 9. *Super lapidem vnum septem oculi sunt, ecce ego calabo sculpturam eius*. Quæ loca (vt omittam alia) ostendunt Christum esse non quemuis lapidem, sed omnino Regalem siue Imperialem. Nam inprimis lapis angularis apud Isaiam repræsentat nobis Christum, quatenus continentem, dirigentem, & firmantem suos in regno, quod fundauerat, ex officio lapidis angularis in ædificio; duabus namque sui partibus, quasi brachiis in angulo, vt in pectore vnitis, deindéque protensis, in vnum comprimit, & coarctat diuersitatem lapidum, ac parietum. Item ab ipso, in quo vniuntur, angulo certæ deducuntur lineæ ad directionem, ac adeò firmitatē ædificij. Hinc est quòd anguli populi in Scriptura significant Principes, & moderatores, 1. Reg. 14. 38. *Applicate huc vniuersos angulos populi*. Sophon. 3. 6. *Disperdidi gentes, & dissipati sunt anguli earū*. Lapis ergo angularis Christus, & lapis angulus siue Princeps, *qui fecit vtraque vnum*, Ephes. 2. id est, qui duos populos ex diuerso venientes (ait Aug.) in vnum regnum coniunxit.

*Rex Christus, siue regnum Christi.*

*Christus lapis mysticus ex Scriptura.* Isai. 28. 16. Ps. 117. 22. Zach. 3. 9.

*Lapis angularis Christus, continens, dirigens, firmans in regno.*

*Anguli populi, Principes.* 1. Reg. 14. 38. Sophon. 3. Ephes. 2. D. August.

5. Præterea quòd lapis hic angularis dicatur à Dauide *factus in caput anguli*, significat Christum caput esse omnium lapidum angulariū, siue omnium angulorum, id est, Principum, ac Gubernatorum Ecclesiæ. Vnde Septuaginta loco Isai. citato pro, *angularē*, posuêre, *summāgularēm*; videlicet summum angulum, summum Regem, ac Imperatorem in regno Dei. Similiter lapis ille septēpliciter oculatus apud Zachar. repræsentat Christū, vt prouidentissimum Principem regni sui. quod autem addit: *Ego calabo sculpturam eius*, explicatur ab Ireneo (vt alibi iam expendimus) 3. contra hęresi. 28. Hic enim, inquit, lapis è terra, ac virtute, & arte constat Dei, quasi dicat: cæteri lapides, non quidem virtute humana, sed à sola terra, & cælesti virtute gignuntur, artificiosam tamen figuram ab homine sculptore mutuātur: at hic lapis ita est diuinus, vt non modò à sola Virgine, &

*Christus caput omnium lapidum angularium.*

*Sculptura huius lapidis secūdum Irenaum.*

A & à superueniente Spiritu sancto genitus fuerit, in quo habet similitudinem ad communes lapides, sed conuenientem figuram ad continendum, & regendum, hoc est, angularem, cum pluribus insuper insignibus, quibus quasi sculptus est, sola Dei virtute, & arte assequutus est. Est ergo Christus quatenus homo formatus à Deo specialiter in Principem, ac Monarcham vniuersalem regni sui.

*Christus formatus à Deo in Monarchiam vniuersalē.*

*Lapis abscissus è monte, Christus è Virgine natus.*

Theodor.

*Per excisionem è petra, intelligi ortum mirabilem.*

Isai. 51. 2.

6. Hic lapis videtur abscindi è monte sine manibus, vt mirabilis Christi natiuitas è Virgine repræsentetur. Doctè enim annotauit Theodoret. generationem extraordinariam ac mirabilem vocari in Scriptura excisionem è petra, Isai. 51. 2. B *Attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci, ex qua præcisi estis.* Loquitur autem cum Iudæis à Sara, & Abrahamo descendentibus; nam statim addit: *Attendite ad patrem vestrum Abraham, & ad Saram, quæ peperit vos.* Significat autem Propheta, Isaac, ex quo progeniti sunt Hebræi ex parentibus infœcundis, & ad modum petræ sterilibus, mirabiliter esse generatum. Fuitque hoc ipsum figura, ac præludium natiuitatis Christi ex Virgine: ait enim Greg. Nyssen. in homil. de Christi generatione, præcessisse partus eiusmodi ex sterilibus, vt Deus in eis quasi proluderet ad partum è Virgine. Sterilis, inquit, ac decrepita filium parit, idque quasi præludium est, & principium miraculi, quòd Virgo C paritura esset: minoribus enim miraculis Deus exercendo fideles assuefecit ad credendum. Ita ille.

*Isaac mirabiliter generatus exprimitur.*

Greg. Nyss.

*Per partus mirabiles prolusit Deus ad partum Virginis.*

*Mons beata Virgo.*

D.Greg.

7. Mons ergo hoc loco significat B. Virginem, quòd altitudine gratiarum supereemineat, quam eius prærogatiuam celebrant vbique Doctores sacri. Notumque est illud D. Greg. in expositione in primum caput 1. Reg. Montis, inquit, nomine Beatissima Virgo designatur; mons quippe fuit, quæ omnium electæ creaturæ altitudinem electionis suæ dignitate transcendit. An non mons sublimis Maria, quæ vt ad conceptionem D æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes Angelorum choros, vsque ad solium Deitatis erexit? Huc spectat D. Aug. lib. 1. de symbolo ad Catechumenos: loquens enim de Natiuitate Christi, quòd simul sit humilis, & excelsa: Vnde humilis, inquit? quia homo natus est ex hominibus. Vnde excelsa? quia ex Virgine. Ab hoc ergo Virgineo monte conuenienter dicitur abscissus Regius lapis Christus sine manibus, id est, sine mortali opere, vt diximus. Vnde August. serm. 9. de Natiuitate, de Christo loquens? Quem non concupiscentia, inquit, carnis, sed obedientia genuit mentis. Et serm. 8. Christus, ait, sine patre de matre natus, vt vtraque esset natiuitate mirabilis, temporali, scilicet, æmulante diuinam, in qua scilicet, sine matre, de patre natus est. Itaque in conceptu, & in natiuitate E lapis Christus sponte sua, nullisque interuenientibus manibus in mundum descendit, eodem scilicet modo (ait Proclus Cizicenus homil. de Christi Natiuit.) in vterum Virginis illapsus, & ex eodem elapsus. Et D. Cyprianus alia comparatione non minùs apta, hoc idem declarat in sermone de Natiuitate Christi. Vltrò, inquit, maturus ex arbore, baiula fructus elapsus est, nec oportuit vellicari quod sponte prodibat.

*Omnem altitudinem altitudine dignitatis suæ transcēdit.*

*Meritorum verticem vsque ad solium Diuinitatis erexit.*

D.Aug.

*Natiuitas Christi excelsa, ab excelsa Virgine.*

D.August.

*Christum obedientia genuit.*

*Christus vt maturus fructus ex arbore vltrò natus est.*

8. Contra hæc, quæ de excisione lapidis à monte sine manibus interpretati sumus, videtur A esse inprimis D. Aug. tract. 9. vbi per montem explicat populum Iudaicum, de quo Christus secundùm carnem natus est. Verùm idem August. in concione ad Catechumenos, contra Iudæos, paganos & hæreticos, per montem Beatam Mariam intelligit. Item D. Ambros. ob diuersitatem lectionis, quam sequitur. Nam in sermone 70. legit pro lapide, montem, hoc modo. Mons abscissus est de monte sine manibus, quo probat æternam Filij generationem ab æterno Patre. Mons, inquit, de monte sine manibus, hoc est, Filius à Patre absque vllius creationis accessu. At lectio D. Ambrosij singularis est, & Hebræo non B quadrans. Præterea Hippolytus Martyr hanc lapidis præcisionem explicat de secundo aduentu; illud verò, *sine manibus*, significare aduentum Christi ad Iudicium fore improuisum, ac præter opinionem. Sed opinionem de secundo aduentu, si is solùm intelligatur, iam refutauimus; si simul cum primo, iam diximus non destruere cōmunem sententiam. Alij denique illud, *sine manibus*, explicant, sine meritis hominum descendisse de cælo Diuinum Verbum. Ad Titum cap. 3. 4. *Apparuit humanitas Saluatoris nostri Dei, nō ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum magnā misericordiam suam.* Verùm communis sententia est ea, quam explicauimus. Ita tenet D. Hierony. Theodoret. & Rupertus in hunc locum Danie- C lis, Iustinus Martyr, in Dialogo cum Tryphone, Epiphan. in sermon. de laudibus Virgin. Hesychius hom. de laudibus Virginis, & omnes ad vnum recentiores interpretes.

*D. Augustini, ac D. Ambrosij expositiones, quæ aliter se habent.*

D.August.

D.Ambr.

*Hippolyti Mart. interpretatio.*

Sine manibus, *hoc est, sine meritis.*

Tit. 3. 4.

---

## *Quomodo Christus destruxerit omnia mundi imperia?*

### SECTIO VIII.

1. *Ratio difficultatis proponitur, augetur ex duobus locis Pauli, & loco Tertulliani.*
2. *Regnum Christi destruxisse omnia regna, quoad idololatriam. Eius rei primum argumentum quale ex Baronio.*
3. *Indies auctum imperium Christi, maximè ex deuotione Constantini, & secessione eius Constantinopolim, ex loco Gregor. Magn. & ex Gratiano. Illustratur loco D. Hieronymi.*
4. *Falsò Hebræos de regno Iudæorum interpretari. Reiicitur etiam commentum Chiliastarum de regno Christi per mille annos a Resurrectione generali.*
5. *Quomodo Christi regno quadret, quòd occupare debeat totam terram. Proponitur locus Pauli 1. Corinth. 15.*
6. *Quid sit Filium Patri tradere regnum, & quomodo post diem Iudicij solus Deus dominabitur?*
7. *Quid sit illud*, Oportet illum, *scilicet Christum*, modò regnare, &c.

1. POST hæc ergo videre oportet, quomodo lapis mysticus, hoc est, Christus, destruxerit omnia regna terræ: visus enim est lapis percutere statuam in pedibus eius ferreis ac luteis, & comminuere illas, ac omnia pariter metalla statuæ, hoc est, Monarchias omnes in ruinam trahere. Quod quidem in Christo videtur habere magnam difficultatem: nam regna terræ stāt, & Romanum Imperium adhuc permanet, imò vsque ad

*Quomodo lapis Christus destruxerit omnia regna mundi.*

*Imperium Romanum, & cætera regna mūdi adhuc stant.*

ad finem mundi permanebit. Vnde illud Pauli 2. ad Thessalonicens. 2. 3. quo suadere vult non instare diem Iudicij, vt aliqui formidabant: *nisi venerit*, inquit, *discessio primum*, &c. significat, nisi priùs gentes defecerint à Romano Imperio, non futurum Iudicium. Et illud paulò infrà: *Donec qui tenet de medio fiat*, explicant Interpretes, Donec Romanus Imperator imperio penitus extincto de medio tollatur. Hinc est illud lepidè à Tertulliano dictum in Apologetico aduersùs gentes, quarum ea erat communis vox, Christianos in hoc vnum contendere, vt Romanum Imperium euerterent. Ait enim, tantum abesse, vt ita contenderent, vt perpetuas preces ad Deum funderent pro stabilitate Imperij, quoniam sciebant eo destructo finem vltimum orbi adfuturum. Quod vim, inquit, maximam vniuerso orbi imminentẽ, ipsámque clausulam seculi acerbitates horrendas comminantem Romani Imperij commeatum scimus retardari. sic ille. Cum ergo Romanum Imperium tandiu stare debeat, & cætera regna mundi hodie stent, & prosperè habeant, quomodo dicitur Christus euertisse omnia regna mundi?

*2. Thess. 2. 3.*

*Tertull.*

*Imperio Romano destructo ruet mundus.*

2. Respondetur, regnum Christi non esse vt regna terrena, quæ armis, & mole exercituum regna similia destruunt, sed esse regnum cæleste, ac spirituale, cuius potentia versatur circa animarũ conuersionẽ. Vnde illud Ps. 131. 11. in quo Regi Dauid promittitur regnum Christi: *De fructu ventris tui ponam super sedem*, id est, regnum tuum, explicat Bernard. super missus est, serm. 3. super regnum tuum, quia cæleste, & supra naturam erit regnum Christi. Vnde sequitur, destruxisse omnia regna mundi, non quoad temporalem eorum dominationẽ, sed quoad idololatriam, quæ in omnibus illis regnabat, quámque occulta, & superpotenti vi permeante animos paulatim comminuit. Eius verò rei argumentũ statim, vt à Petro Christiana fides Romæ plantata coalescere cœpit, deprehensum est. Nã, vt ex Dione lib. 6. notat Baron. tom. 1. Annal. per id tempus Claudius Imperator multa sacrificia, multásque Diis dicatas ferias abrogauit, quòd magna anni pars in eis cum detrimento publico insumeretur. Ponderat autẽ Baron. quòd hæc ipso Petro auspicante Euangelij prædicationem contigerint, diuino prorsus consilio tribuendum esse, cui ipse etiam Imperator, licèt nesciens, seruire cogebatur, vt cum prima simul germinatione fidei marcescere cœperit idololatria.

*Regnum Christi non armis, sed occulta vi destruxit omnia regna mũdi quoad idololatriã.*
*Ps. 131. 11.*
*Regnũ Christi super regnũ Dauid, quia supernum ac cæleste.*
*D. Bern.*

*Incipiente Prædicatione Petri edicto Imperatoris imminuti sunt dies festi idolis dicati.*
*Baron.*

3. Sub his porro auspiciis maior ac maior inclinatio idololatriæ facta est, itaque non simul, ac subitò sublata, sed paulatim, & per temporum interualla, nunc his, nunc illis regnis ad fidem Christi conuersis, qua generali, & continuata cõuersione regnũ Christi spirituale in dies auctũ, ac feliciter stabilitum est. Hinc factum, vt Magnus Constantinus ad fidem conuersus, se primũ, imperiúmque suum Christi imperio deuotè submiserit. De quo est illud Greg. Mag. epistol. 60. Constantinus, inquit, piissimus Imperator Rempubl. à peruersis idolorum cultibus reuocãs omnipotenti Domino Iesu Christo se subdidit, & cum subiectis populis tota ad Deum mente cõuertit. Ita Greg. Quin & Gratian. dist. 96. can. Constantinus. latissimum proponit edictum Cõstantini, quod, etsi controuersum est, tamen ostendit quomodo summum Christi Vicarium, vt Patrem ac Monarcham in his, quæ ad Deum

*Idololatria nõ simul, sed paulatim destructa.*

*Cõstantinus Imperator vltrò se primũ ac totũ Imperium Christo subdidit.*
*Greg. Mag.*
*Gratian.*
*Edictũ Cõstantini apud Gratianum, etsi controuersum, tamen pium.*

A pertinent, agnoscens vltrò Roma cesserit, Constantinopolímque se recipiens, summo Ecclesiæ capiti caput ipsum mundi in sedem perpetuam liberalissimè concesserit. Quoniam (vt in eo edicto dicitur) vbi Principatus Sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cælesti constitutum est, iustum non est, vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Quam concessionem plures alij consequentes Imperatores Constantini deuotionem æmulati, non modò ratam habuère, sed multis aliis obsequiorum significationibus cumulauerunt. Quadrant ergo bene in hunc locum, quæ Isai. cap. 49. 23. prædixit de regno Christi: *Erunt*, inquit, *Reges nutritij tui, & Reginæ nutrices tuæ; vultu in terrã demisso adorabunt te, & puluerem pedum tuorum lingent: gens, & regnũ, quod non seruiet tibi, peribit.* At D. Hieronym. ad Lætam de institutione filiæ, hæc iam completa ostendens, Deposuit, inquit, pharetras Armenius, Hunni discunt psalterium, Scythæ frigora feruent calore fidei, Getarum rutilus, & flauus exercitus Ecclesiarum circunfert tentoria, &c. Vide locum.

*Constantinopolim cessit, Romam summo Pontifici concessit.*

*Edictum cõcessionis cõfirmatũ per posteros Imperatores.*
*Isai. 49. 23.*
*Prophetiam Isaiæ de subiectione Regum Christo completam ostendit Hier.*
*D. Hier.*

4. Apparet ergo quomodo regnum Christi destruxerit omnia regna mundi, destruendo, scilicet, idola, quæ in mundo regnabant: ideo namque prædicta regna, sub specie immanis illius idoli, visus est comminuere præcisus è monte lapis. Quæ cùm ita sint, perperam commenti sunt aliqui, per lapidem destruentem intelligi regnum aliud; in quibus Hebræi (vt testatur Hieronym. hoc loco) regnum Iudæorum prædici à Vate stultè credunt, quod in fine mundi sperant potentissimum, ac solum, destructis aliis omnibus, super futurum. Idem videtur sensisse Iosephus lib. 10. Antiquit. Nam quia Romanos de se bene meritos omnino offenderet, si Romanum Imperium à regno Iudæorum destruendum prædiceret, cùm incidisset in huius loci explicationem, excusauit se, quòd de regno hoc nihil certò diceret, non enim futurorum diuinatorem se agere, sed interpretem præteritorum. Fuerunt & hæretici quidam appellati Chiliastæ, hoc est, millenarij, qui regnum istud interpretati quidem sunt regnum Christi, sed eo modo, quo ipsi falsò excogitarunt. Namque arbitrati sunt transactis ab exordio huius mundi sex annorum millibus, futuram iustorum hominum resurrectionẽ, à qua per mille annos Sancti omnes cum Christo magna cum felicitate, & gloria regnaturi sunt. Igitur Chiliastæ, de hoc millenario Christi regno interpretantur omnia, quæ Daniel vaticinatur. Verùm hæc commenta curanda non sunt, nedum refutanda, & omnino vaticiniũ præsens de Christi regno à nobis explicato, & Sanctorum testimoniis recepto, & comprobato intelligendum est. Cætera quæ supersunt iuxta hanc sententiam rectè procedunt.

*Idolũ illud magnũ statua destructionẽ idolorũ omnium destructionem repræsentauit.*
*D. Hier.*
*Stultè Iudæi lapidem destruentẽ, regnum suum asserunt.*
*Iosephus.*

*Chiliastæ hæretici de regno mille annorum cũ Christo, falsò interpretantur.*

5. *Lapis*, inquit, *qui percusserat statuam, factus est mons magnus, & impleuit vniuersam terram*; quod quidem Christi regno inprimis quadrat: nam Vates ipse interpretans, ait, regnum hoc in æternum non esse dissipandum, nec tradendum alteri regno, sed permansurum in æternum, & rectè quidem: nam cùm occupare debeat omnem terram, manifestum est, non futurum sub alterius regni potestate, & cùm sit factus mons magnus, benè colligitur, quòd non dissipabitur, & quòd in æternum stabit. Itaque significat vnicum, ac sempiternum imperium. Quæ perfectè implebuntur

*Lapis cõuersus in montẽ implentem terram, vniuersale Christi regnum est.*

*Item vnicũ & sempiternum.*

*1. Cor. 15. 24.*

buntur in fine mundi, *cùm tradiderit* Christus *regnum*( ait Apost. 1. Corint. 15. 24.) *Deo & Patri, cùm euacuauerit omnem principatum, & potestatē, & virtutem: oportet enim illū regnare, donec ponat inimicos sub pedibus eius. Nouissima autē inimica destruetur mors. Omnia enim subiecit sub pedibus eius. Cum autē dicat, omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit ei omnia; cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tūc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* Ita Apostolus, cuius singulæ perpendendæ sunt sententiæ.

*Tradet Christus regnum Patri, ab eo scilicet duntaxat gubernādū, quomodo intelligitur?*

6. Primùm, tradere Christum Deo, & Patri regnum, est, illud quoad omnia Deo, & Patri subiicere: nam ante Iudicium administratur genus humanum per Deum quidem, & per Christum, sed interuentu Principum cælestium, & Ecclesiasticorum, & Dominorum temporalium, ita quòd per Angelos custodes inuisibiliter, per Ecclesiasticos visibiliter diriguntur mortalium animæ, per temporales verò dominos ipsa eorum corpora; at verò in die Iudicij tradet Christus totum regnum, siue totalem administrationem Deo & Patri, id est, efficiet ex vi sui meriti, vt appareant membra regni sui, quoad omnia regi à solo Deo immediatè, quod est esse vnicum, & vnico Principi subiectum Imperium. ideo autem subiungit: *Cùm euacuauerit omnem Principatū, & potestatem, & virtutem*; quasi dicat, vt illud de traditione plena regni euidentius maneat, tollentur per Christum à mundo omnia instrumenta humani regiminis, quæ omnino tria sunt; Principatus, scilicet Angelici, qui sua custodia præsunt rebus humanis: Potestates nimirum Ecclesiasticæ, quarum ministerio res sacræ peraguntur: Virtutes, siue potentiæ, vt vocantur, politicæ, quibus regimen temporale incumbit; hæc verò omnia euacuabit eo die Christus, id est, vt superfluas de medio tollet, solúsq; ipse cū Deo, & Patre, pleno & vniuersali iure dominabitur.

*Ostēdet post finem mūdi, non iam per Angelos, &c. sed per solum Deū regi.*

*Instrumēta humani regiminis, quibus hodie vtitur Deus.*

*Oportet modò regnare Christum, id est, per principatus, & potestates, &c.*

7. Quæ cùm ita sint, oportet illum ante diem Iudicij regnare, modo scilicet prædicto, per principatus, potestates, & virtutes, in dies augendo, & amplificando suum imperium, donec ponat inimicos sub pedibus eius, id est, donec prædestinata hominum ad fidem conuersio, & subiectio compleatur. Destruetur autem mors nouissima hominum inimica, ac adeò regnum Christi deinceps immortale erit, ac omnino æternum, & indissipabile. Sic omnia omnino subiecta manebunt ei præter eum, qui subiecit illi omnia, id est, vno Deo excepto, reliqua, etiam Christi humanitas, subiicientur Deo, vt sit Deus omnia in omnibus, hoc est, vt vnus Deus, & Dominus noster Iesus Christus sit in regno Princeps sufficientissimus, & perfectè complens eminentiam vnici, & æterni in mundo Monarchæ, cuius scilicet vices non sit opus, vt alter Monarcha suppleat, aut quasi insufficientem loco amoueat, sitque verum quod ait Vates: *Suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem, & consumet omnia regna, & ipsum stabit in æternum.*

*Omnia, etiā Christi humanitas, subiicitur Deo, vt is vnicus omnium princeps sit.*

# VISIO VIGESIMASECVNDA,

## DE ARBORE MONSTRATA IN somnis Regi Nabuchodonosor.

### *Daniel. Cap. 4.*

## ARGVMENTVM VISIONIS.

*VIDET in somnis Nabuchodonosor arborem miræ magnitudinis. Mox vigilem è cælo descendentem, & clamantem fortiter, vt succidatur arbor, radice nihilominus in terra permanente, vtque ligetur vinculis, propellatur in agros, cum feris habitet, pascatur fœno, feræ instar, viuat per septem annos. Hæc visa, auditáque ab Angelo narrat Danieli Rex, interpretationem ab eo exigit, impetrat, audit omnia in sui perniciem vergere. Monetur à Vate, vt eleemosynis peccata redimat, fortè sibi ignoscendum à Deo.*

CAPVT IV. DANIEL.

1. EGo Nabuchodonosor quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo:

PARAPHRASIS.

1. *CVm in palatio meo quietus essem, ac prosperè in omnibus agerē, nullíque essent bellorum tumultus, sed pax in toto imperio longè, lat éque floreret:*

2. Som

2. *Som*

2. Somnium vidi, quod perterruit me: A
& cogitationes meæ in strato meo, & Visiones capitis mei conturbauerunt me.

3. Et per me propositum est decretum, vt introducerentur in conspectu meo cuncti sapientes Babylonis, & vt solutionem somnij indicarent mihi.

4. Tunc ingrediebantur arioli, magi, B
Chaldæi, & aruspices, & somnium narraui in conspectu eorum: & solutionem eius non indicauerunt mihi.

5. Donec collega ingressus est in conspectu meo Daniel, cui nomen Baltassar secundùm nomen Dei mei, qui habet spi- C
ritum deorum sanctorum in semetipso: & somnium coram ipso loquutus sum.

6. Baltassar Princeps ariolorum, quoniam ego scio quòd spiritum sanctorum deorum habeas in te, & omne sacramentum non est impossibile tibi: Visiones somniorum meorum, quas vidi, & solutionem D
eorum narra.

7. Visio capitis mei in cubili meo: Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.

8. Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ.

E

9. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli: & ex ea vescebatur omnis caro.

10. Videbam in Visione capitis mei super

2. *Somnium habui non vulgare, sed omnino diuinum; idcirco enim terrorem animo incussit non vulgarem; cùmque euigilarem, multa solicitè de portento somnij cogitari cœpi, quæ me anxium reddebant: recurrebant autem animo plura, quæ videram, & variè conturbabant mentem meam.*

3. *Hac verò cogitationum procella concussus, id primum statui, vt omnes, qui in regno meo sapientia præcellerent, vocarentur ad soluendum, ac explicandum somnium quod videram.*

4. *Itaque eo vel maximè compertum est somnium non vulgare fuisse, sed omnino extraordinarium, quòd cùm accersiti communes arioli, magi, Chaldæi, & aruspices, vnà iam conuenirent, seriémque somnij dilucidè proponerem, tamen solutionem ipsam attingere non potuerunt: erat videlicet horum communis quasi Academia, & præstò aderant Regi ad consilia literalia, in qua tamen Academia, vtpote superstitiosa, non censebatur Daniel, & ideo cum eis non venit.*

5. *Re igitur ad triarios, vt aiunt, compulsa, vocatus est Daniel, cui est impositum à Chaldæis nomen Baltassar, aut, vt Hebræi, Chaldæique pronunciant, Balsassar, à Bale nobilissimo Chaldæorum Deo (Deó meo) dixit, religionis causa (significat verò Baltassar Belis occultum thesaurum, aut quid simile) quem profectò supra communes homines extare, inquit Rex, ac diuino planè spiritu agi non dubito, diisque parem certis argumentis reputo. Ad me igitur cùm fuisset ingressus, narraui, vt videram, somnium.*

6. *Sic ergo ad eum aio: O Baltassar, quem ego non immeritò omnibus ariolis antè præfeci, rursúmque pronuncio inter omnes facilè Principem, quòd eos sapientia, ac mysteriorum certa obseruatione longè superas, somnium multiplex mihi hac nocte contigit, cuius mihi interpretationem opto edisseras.*

7. *Visio, quam in cubili meo habui, huiusmodi fuit: Videre mihi videbar arborem admirandæ magnitudinis in medio terræ, ipsa quasi specie, & situ loci principatum præferentem.*

8. *Erat igitur in arbore magnitudo visenda, & robur quale habet quercus, roboris quoque nomen habens, propria nota Imperij amplissimi, ac robustissimi. Videbatur autem arbor sic effigiata, vt & cælum contingeret, & ad vltimos terræ fines frondes suas æquè protraheret.*

9. *Folia quoque eius mira pulchritudine grata erant. Tam copiosus verò in ea fructus, vt omnibus animantibus alendis satis esse videretur. Idcirco accurrebant vndique animalia varia, tam terrestria, quàm volatilia, & sub arbore sibi parabant sedes, vtpote certum in ea commeatum habentia.*

10. *Inter ea igitur, quæ videbam, apparuit excubitor*

per stratum meum, & ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.

A *excubitor Angelus, vt videbatur, diuina prouidentia; ac, vt ita dicam, vigilantia administer, quòd ad excipiendum, ac exequendum diuinum imperium inuigilet.*

11. Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.

*11. Exclamauit autem fortiter: Succidite, inquiens, arborem illico, ramos amputate, deiicite folia, vellicate, & spargite fructus, facessant bestiæ, maneátque arbor planè solitaria, ac purus truncus.*

12. Veruntamen germen radicum eius in terra sinite, & alligetur vinculo ferreo & æreo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cum feris pars eius in herba terræ.

B *12. Veruntamen hæreat radicibus volo, alligetur porro, & in pratis vagetur sub dio, qualiter viuunt herbæ, quæ rore consperguntur. Portio autem eius sint herbæ, quibus feræ pascuntur.*

13. Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei: & septem tempora mutentur super eum.

*13. Similis ergo fiat iumentis insipientibus, & reputetur tanquam humani cordis expers, per totos septem annos.*

14. In sententia vigilum decretum est, & sermo sanctorum, & petitio: donec cognoscant viuentes, quoniam dominatur excelsus in regno hominum: & cuicunque voluerit, dabit illud, & humillimum hominem constituet super eum.

*14. Ita decretum est per vigiles Angelos, ac veluti Iudices exequutores diuinæ sententiæ: Ad hoc enim præcessit, vt apparebat, petitio sanctorum Angelorum, & subsequuta est responsio, vt in communibus iudiciis fieri solet.* C *Omnem enim legem ac decretum præcedit rogatio. Angeli ergo, qui Deo astant, quasi à Deo postularunt pro iustitia, vt videlicet deprimeretur quis, & Deus ipse iussit in eum per Angelos vigiles pronunciari sententiam prædictam: vt cognoscerent mortales, esse Deum, qui Regum superborum colla contundat, regnáque, prout libet, distribuat, sæpéque de stercore erigat, qui in superbos Reges dominetur.*

15. Hoc somnium vidi ego Nabuchodonosor Rex: tu ergo Baltassar interpretationem narra festinus: quia omnes sapientes regni mei non queunt solutionem edere mihi: tu autem potes, quia spiritus deorum sanctorum in te est.

*15. Hæc mihi in somnis monstrata tu, Daniel,* D *interpretare, quando cæteri regni mei sapientes id præstare nequeunt: tu enim diuino spiritu afflatus facilè id præstare potes.*

16. Tunc Daniel, cuius nomen Baltassar, cœpit intra semetipsum tacitus cogitare quasi vna hora: & cogitationes eius conturbabant eum. Respondens autem Rex ait: Baltassar, somnium, & interpretatio eius non conturbent te. Respondit Baltassar, & dixit: Domine mi, somnium his, qui te oderunt, & interpretatio eius hostibus tuis sit.

*16. Tum Daniel secum quasi mussitare cœpit cogitabundus, ac per vnam horam substitit attonito similis. Ita moratus, quòd Regi infaustum somniũ explicare renuebat. Quod subodoratus Rex, Ne timeas, inquit, somnium edicere, nec eius te conturbet interpretatio. Cui Daniel: Deus meliora, ô Rex: conuertat is malum omen* E *in hostes tuos, téque opto seruet. Omni ergo affectu postposito sic liberè interpretari cœpit.*

17. Arborem, quam vidisti sublimem, atque robustam, cuius altitudo pertingit ad cælum, & aspectus illius in omnem terram.

*17. Tu, ô Rex, magna illa arbore significaris: verè enim magnitudine præstas, qua & cælum ipsum contingere videris, & ad vltimos etiam orbis terræ fines peruenire.*

20. Quòd autem vidit Rex vigilem, & sanctum descendere de cælo, & dicere:

*20. Quod verò attinet ad vigilem, & ad pronunciatam sententiam hæc est illius interpretatio,*

re: Succidite arborem, & dissipate illam: attamen germen radicum eius in terra dimittite, & vinciatur ferro, & ære in herbis foris, & rore cæli conspergatur, & cum feris sit pabulum eius, donec septem tempora mutentur super eum.

A *pretatio, quæ olim contra te decreta, præsentique tempore infligenda seruabatur.*

21. Hæc est interpretatio sententiæ Altissimi, quæ peruenit super Dominum meum Regem.

*21. Sic interpretor sententiam altissimi Dei:*

22. Eiicient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua: & fœnum vt bos comedes, & rore cæli infunderis, septem quoque tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur excelsus super regnum hominum, & cuicumque voluerit, det illud.

*22. Quandoquidem in honore positus non intellexisti, à consortio hominum proiicieris,* B *& cum bestiis ac feris conuersaberis; pasceris, vt illæ, paleis agri, & sub dio iniuriis temporum patebis, idque per septem annos, donec scias esse in mundo vnicum Deum, qui dominetur in omne genus humanum, Regésque potentes coërcere, & regna eorum transferre possit.*

23. Quod autem præcepit, vt relinqueretur germen radicum eius, id est, arboris, regnum tuum tibi manebit, postquam cognoueris potestatem esse cælestem.

*23. Quod verò pronunciatum est à vigile, vt germẽ nihilominus radicibus hæreat, significat, regnum tibi post resipiscentiam restituendum.*

C

24. Quamobrem, Rex, consilium meum placeat tibi: & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet delictis tuis.

*24. Mea ergo in te beneuolentia suadet, mæstum animum tuum ob acerbitatem sententiæ proposito conuenienti remedio consolari. Eleemosynas ergo, si sapis, pauperibus distribue, quo nihil potentius ad consequendam peccatorum veniam, & ad mitigandam iram Dei: per eam enim quasi iustificatus homo Deum sibi facit esse placatum.*

25. Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor Regem.

*25. Omnia hæc ita contigerunt, & euentum sortita sunt in Nabuchodonosor, vt à Daniele* D *prænunciata sunt.*

26. Post finem mensium duodecim in aula Babylonis deambulabat,

*26. Nam vno tantùm euoluto anno, cùm aliquando deambularet supra solarium domus regiæ, vnde in totam Babylonem patebat aspectus,*

27. Respondítque Rex, & ait: Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ędificaui in domum regni in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?

*27. In eo quasi ebulliens arrogantia prorupit in hæc verba: Nónne hæc est Babylon, quam ego ædificaui? quoniam etsi à Nino, & à Semiramide prima fundamenta cepit, à me tamen ita est amplificata terno murorum ambitu, templo magnificentissimo in honorem Beli, & domo regia denuo erecta, vt omnino à me veriùs* E *ædificata fuisse censenda sit. Vt autem hæc ego præstarem, fecit robusta manus hæc, & splendor gloriæ qua præluceo.*

28. Cúmque sermo adhuc esset in ore Regis, vox de cælo ruit: Tibi dicitur, Nabuchodonosor Rex, regnum transibit à te.

*28. Adhuc loquebatur Rex, & quasi in delicto flagrante deprehensus, à Deo corripitur. Mirum autem, quòd nec admonitus à Propheta resipuit, nec spatio vnius anni ad pœnitentiam, & ad opera misericordiæ concesso bene vsus est; fortè aulicorum, vt assolet, adulationibus*

30. Eadem

A *tionibus delinitus; qui melius sperare iubebant, & latiora augurabantur, quibus potiùs credere voluit. Idcirco sententia in eum, sicut à Daniele prophetica voce pranunciata fuit, diuina voce, & quasi è diuino tribunali districta est.*

30. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium.

30. *Extemplò sententia Dei cœpit compleri in Nabuchodonosor. Nam in insaniam versus à suismet Principibus eiectus est, aut à filio Euilmerodach. Itaque cum bestiis agri habitans, sèque bestiam reputans, fœnum pro victu habuit instar bouis; sed & sub dio viuere cœpit, ac rore cæli conspergi, seruatáque humana figura, capilli* B *solùm toto corpore, aquilarum instar, vngues more volucrum excreuère.*

31. Igitur post finem dierum, ego Nabuchodonosor oculos meos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi: & Altissimo benedixi, & viuentem in sempiternum laudaui, & glorificaui, quia potestas eius potestas sempiterna, & regnum eius in generatione & generatione.

31. *Donec finito tempore, Dei voluntate præstituto, sustuli ego Nabuchodonosor in cælum oculos, quos bestiæ similis in terram demissos habebam, rursúsque mentis compos factus, laudes Deo cæli obtuli, cuius sola potestas æterna est, & regnum super omnia regna, nullo vel fine, vel corruptione deprauandum.*

33. In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perueni: & figura mea reuersa est ad me, & Optimates mei, & Magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi.

33. *Eius ergo beneficio mihi restituta est primùm figura pristina, cùm depressus in terram incederem.* C *Erectus ergo leuaui oculos, vt antea: deinde requisitus, & reductus sum à Principibus regni mei, & in solio meo collocatus longè maiori gloria quàm priùs.*

34. Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.

34. *Inde prædicare cœpi Dei laudes, & mortales omnes ad eum colendum excitare, &c.*

---


## COMMENTARIVS PRIOR.

IVxta duplicem statum Regis Nabuchodonosor, florentem videlicet, ac miserum, duplex erit Commentarius in hac Visione. In priori describitur felicitas Regis, in posteriori miseria, & miseriæ remedium, pœnitentia, & eleemosyna; denique ipsa Regi præstita venia.

### *Explanantur aliquæ difficultates circa hanc Visionem.*

### SECTIO I.

1. *Reiicitur opinio Theodoreti, contigisse hanc Visionem post miraculum trium puerorum decimooctauo anno regni Nabuchodonosor.*
2. *Probatur opinio Iosephi de anno Visionis, & explicatur. Nabuchodonosor post restitutionem egisse feliciter, ex loco Iob. 42.*
3. *Parabolam esse Luciferi, multi crediderunt. Augetur difficultas ex re incredibili, & quòd nullus veterum Scriptorum, qui res Chaldæas scripserunt, eius rei meminerit.*
4. D *Fuisse veram historiam probatur, & refutantur difficultates proposita.*

1.  RIMA difficultas est de tempore, quo Visio ista contigit, quoto scilicet anno regni Nabuchodonosor. Theodoretus quidē ait contigisse post miraculum trium puerorum in camino ignis, id est, post decimumoctauum annum regni Nabuchodonosor: nam secundùm opinionem Theodoreti, miraculum illud factum est anno decimooctauo regni Nabuchodonosor: caput enim tertium, in quo illud narratur, sic eo autore incipit: *Anno decimooctauo Rex Nabuchodonosor fecit statuā aureā.* Verùm nec lectio Theodoreti vera est, quia Græcis, Latinis, diuóq; Hieronymo lectio

*Quo anno cōtigerit hæc Visio.*

*Nō probatur opinio Theodoreti.*

lectionum variarum acerrimo inuestigatori prorsus incognita: nec verò dici potest eo anno decimooctauo contigisse miraculum trium puerorum: nam certum est euenisse post interpretationem Visionis præcedentis, vt ipse Theodoretus fatetur; quia post illam Daniele interueniente euecti sunt ad honores præfecturarũ, quod quidem illis repugnantibus adorare statuam aureã pro ingratitudinis nota obiiciebant coram Rege sapientes accusatores. At Visio illa præcedens, & interpretatio eius secundo anno Monarchiæ Regis contigit, hoc est, ab eo tempore, quo deuictis omnibus hostibus suis Monarchia Chaldæorum ab eo primùm stabilita est, qui fuit annus regni eius vigesimusquintus, vt præcedente Visione, sectione prima diximus.

*Ioseph. Confirmatur autoritate Iosephi.*

2. Et hanc fuisse opinionem Iosephi constat, ex lib. 10. Antiquitatum, vbi ait contigisse hanc Visionem nō multò post miraculum trium puerorum, quod intelligendum est, post annum vigesimumquintum, vt ex eius dictis colligere debemus. Nam victoriam illam, qua cœpit Monarchia Nabuchodonosor, putat Iosephus loco citato contigisse anno vigesimotertio regni eius: cúmque secundum annum regni, de quo agitur primo capite, ab hoc ipso anno vigesimotertio computandum ibidem putet, cùm ait Visionem hanc euenisse non multò post miraculum trium puerorum, profectò vult contigisse post annum illum vigesimumquintum: sed quia non declarat quãto tempore pòst euenerit, si credere dignius est Iudæo historiographo, quàm liberis externorum coniecturis, par etiam est, vt dicamus hanc Visionem vno, vel altero pòst anno euenisse, id est, anno Nabuchodonosor vigesimosexto, aut vigesimoseptimo: hanc enim temporis summã, illud non multò pòst à Iosepho positum, verius quàm nouem aut decem annorum ab aliis excogitatam capere potest. Computatis autẽ septem annis transformationis, & duodecim mensibus, qui antè decurrerant, cum vigintisex, aut vigintiseptem præcedentibus, efficiuntur trigintatres, aut trigintaquatuor anni: cæteros autem vsque ad quadragintatres, quos regnauit, vixit Rex in summa felicitate: nec enim credi potest restitutum fuisse à Deo, vt statim eum de medio tolleret. Solet namque Deus cùm restituit aliquem in gradum pristinum, diutius illum conseruare, vt fruatur bonis restitutis. Sicuti Iob nouimus indulsisse post restitutionem centum quadraginta annos, quibus vidit filios, & filios filiorũ suorum vsque ad quartam generationem, Iob. 42. 16. Ita credendum Nabuchodonosor vixisse saltem nouem annos postquam redditus est sibi, ac suis, quod tempus consumpsit in laudibus diuinis celebrandis, ac agendis gratiis, vt apertè colligitur ex vltimis verbis capitis. *Nunc igitur (ait) ego Nabuchodonosor laudo, & magnifico, & glorifico Deum cæli, &c.*

*Contigit Visio anno Nabuchodonosor vigesimosexto.*

*Solet Deus, cùm restituit aliquẽ in gradum pristinum, diutius illum conseruare.*

*Iob. 42. 16.*

*Sitne parabola, quod de transformatione Nabuchodonosor narratur? D. Hieron.*

3. Secunda difficultas, num quæ narrantur hîc de transformatione Nabuchodonosor sint historica, an parabolica? Nam esse parabolicè intelligenda, censuerunt aliqui ex secta Origenis (vt refert hoc loco Hieronymus) qui sub persona Nabuchodonosor deturbati à regia sede, intellexère Luciferum è cælo depulsum in tartaream regionem. Per restitutum autem in eandẽ sedem regiam, Luciferum sub fine mundi in cælum restituendum cum reliquis damnatis, qui



A fuit error Origenis. Eodem quippe modo casum Luciferi parabolicè aiunt indicari sub Rege Babylonis, Isai. 14. sub rege Tyri, Isai 28. sub Rege Assur, Isai. 31. Quare similiter hîc sub Rege Nabuchodonosor significari eundem Luciferum. Magis autem vrgebit qui hanc ipsam transformationem Regis opposuerit: nam omnino videtur incredibilis, ac infinitis difficultatibus implexa. Quomodo enim Rex in bestiam mutari potuit? Quomodo septem annos per agros vagatus est? Quomodo inter feras illæsus tandiu vixit? Quomodo victu ferino altus? &c. Profectò eiusmodi metamorphoses Poëtis potiùs mẽdacibus, quàm Prophetis conueniunt. Præterea illis septem annis, qui tenuit regnum Chaldæorum, & quomodo postea cessit Regi restituto? Si

*Origenes. Error Origenis de restituendis damnatis.*

*Exaggeratur difficultas veritatis historiæ.*

B autem nullus præfuit regno, quomodo id credibile est, totos scilicet septem annos fuisse sine moderatore? Accedit, nullum è veteribus scriptoribus maximè, qui res Chaldæas scripsère, qualis fuit Megasthenes, Berosus, Diocles, Philostratus, Alphæus, mentionem facere de hac transformatione, quod mirum profectò est in re tam noua, quæque non alicui de plebe homunculo, sed amplissimo Monarchæ publico exemplo cõtigerit. Expeditiùs ergo dicatur, hæc intelligi parabolicè, vt eludantur difficultates prædictæ, & à contextu sacro omnis species fabulæ amoueatur.

C 4. Verùm esse hæc planè historica, nulla autem ratione parabolica, autor est D. Hieron. Theodoret. hoc loco, & alij Doctores communiter. Rectè enim D. Hieronym. Si licuit antiquitati Scyllas biformes, Hydram tricipitem, Centauros, & alia id generis monstra sine causa confingere, quomodo non licuit Deo Regum in bestiam transformare, vt suæ iustitiæ in Reges superbos documenta daret? Præterea sequenti capite Baltassarem Regem reprehendit Vates, quòd nihilo melior factus sit patre suo Nabuchodonosor, quem Deus in bestiam commutauit, ergo hoc ipsum vera fuit historia. Deinde aliqua dicuntur de Nabuchodonosor in hoc capite, quæ diabolo nequaquam accom-

*D. Hieron. Theodor. Hæc non esse parabolica, sed historica.*

D modari possunt, videlicet, quòd somniauerit, & interpretationem somnij requisierit ab aliis, quòd Daniel cupiat pœnam Regis in hostes transferri, at hostes diaboli sunt boni, & sancti viri, quibus Daniel nequaquam id imprecaretur: denique quòd Nabuchodonosor pœnitentiam egerit, cuius incapax est diabolus, quicquid de hac re commentus sit Origenes. Quare dicendum est omnino, quæ hîc narrantur historica esse. Nec obiecta illa quicquam efficiunt. Nam quæ locis citatis Isaiæ de illis Regibus referuntur, historicè quidem illis conueniunt,

*Obiecta diluuntur.*

E allegoricè verò Lucifero accommodantur. Quæ autem hîc de Nabuchodonosor dicuntur, nec historicè, nec allegoricè, vt vidimus, in diabolum quadrant. Quod additur de victu ferino, & de illæso Rege inter feras, &c. dicendum, victum ferinum non ita esse alienum ab homine, quia plurimi Sancti radicibus herbarum diu vixerunt; deinde fortè immutata est complexio in Rege, ita vt conueniens sibi redderetur illud pabulum; aut fortè ob vehementem imaginationem, sicut cernimus in phreneticis, cibos illos sibi quasi cõuenientes appetiuisse. Ad alterum, quòd illæsus versatus sit inter feras,

dicendum id fuisse ex speciali prouidentia Dei seruante Regem in illa supplicij exequutione. At verò illud de difficultate transformationis inferiùs ostendetur, quomodo non sit incredibile. Quòd autem nullus secularis scriptor huius trãsformationis meminerit, maximè qui res Chaldaicas scripsêre, infirmũ est argumentum in rebus, quas sacra pagina refert: nam si quicquam valet, profectò multæ earum cùm sint certissimæ, vocari in dubium possunt, quia nihil de illis scriptores prædicti tradiderunt, quod quidem simul admissum, multùm detrahit de autoritate diuinæ Scripturæ. Præterea fortè aliqui Scriptores veteres hanc historiam literis mandarunt, quorum scripta non extant, aut omnino omiserunt, quia non existimarunt veram, aut Deo id permittente factum, ne Scriptores eiusmodi res sacras admistis suis fabulis contaminarent.

*Nihil obest, quòd profani Scriptores huius transformationis non meminerint.*

Vnde illud Seueri Sulpitij ad similem interrogationem de historia Iudith. Cæterùm illud, inquit, nemini mirum esse oportet, quòd scriptores secularium literarum, nihil ex iis, quæ sacris voluminibus scripta sunt, attigerunt, Dei spiritu præualente, vt incontaminata ab ore corrupto, & falsis vera miscente, intra sua tantùm mysteria diuina contineretur historia, quæ separata à mũdi negotiis, & sacris tantùm vocibus proferenda permisceri cum aliis, velut æquali sorte non debuit. Ita Sulpitius. Quin & Eusebius lib. 9. de præparatione Euang. Alphæum ait narrasse, Regem Nabuchodonosor in furorem raptum, prædixisse euersionem Chaldæorum, moxque euanuisse è consortio hominum. In quo quidem leue est vestigium nostræ historiæ. Ad illud vltimum, quis eo tempore Imperium rexerit, & quomodo postea restituto Regi cesserit? Respondetur, Euilmerodach filium regno præfuisse, quod si non erat per ætatem aptus tanto Imperio, Optimates ex consilio Danielis sibi asciuisse ad gubernandum, quousque restitueretur pater: eiusdem autem Danielis consilio, qui restituendum prædixerat, factum, vt restituto facilè cederetur, imò, vt cum gaudio requisitus in sede pristina collocaretur. Vnde ad finem capitis ipse Rex ait: *Optimates, & Magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior data est mihi, &c.*

*Seuer. Sulp. Sententia Seueri Sulpitij, quare profani autores hæc prætermiserint.*

*Eusebius. Alphæum meminisse eius historia.*

*Per Danielem actum vt facilè reciperetur à suis.*

---

## *Quid per arborem magnam, & fortem, & quid per altitudinem, ac latitudinem eius significetur?*

### SECTIO II.

1. *Homo ex veteri proloquio, arbor. Illustratur loco Alexandrini Clem. & loco Matth. 3. qui explicatur.*
2. *Explanatur locus Matthæi 7. de bona, & mala arbore. Quomodo intelligendũ, bonam arborem fructum malũ ferre non posse, & contrà, malam bonũ, ex Chrysostomo, loco primi Psalmi.*
3. *Expenditur in arbore magnitudo, ex Plinio & Virgilio.*
4. *Quomodo Nabuchodonosor fuerit arbor fortis, explicatur, & illustratur ex loco Oseæ.*
5. *Exaggeratur superbia Nabuchodonosor, ex loco Isaiæ 10. interprete Theodoreto.*

A 1. VISIONEM suam proposuit ipse Rex. Vers. 7. *Videbam, & ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia.* Vers. 8. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cælum: aspectus eius erat ad terminos vniuersæ terræ.* Vetus proloquium est, hominem esse arborẽ inuersam, quia, scilicet, caput in eo est veluti radix, vnde reguntur, & propagantur, instar ramorum, cætera membra. Vnde crediderim appellatum hominẽ ab Alexand. Clemente in adhorta. Plantam cælestem, vtpote, quæ cælum versùs radicẽ habeat, cùm terrestres arbores in terram detrudant. Quamobrem in sacris literis sæpe homines arboris vocabulo significantur. Matth. cap. 3. 10. *Iam securis ad radicẽ arborũ posita est.* Vbi D. Ioan. Baptista agit contra Pharisæos, qui se filios Abrahæ iactabant, & opera Abrahæ non imitabantur: attracto quidem ab eo sanguine propagati, ac latè frondescentes, velut arbores, sed in fructu, hoc est, operibus, omnino degenerantes. Monet ergo, ne opinione decipiantur sua, sperantes suam sibi radicem profuturam. Iam securis, inquit, ad radicem arborum posita est. id est, iam Verbi Euangelici acies exacuta vibratur in malos Iudæos, vt eos ab radice sua Abraham omnino præcidat. Non puto enim (vt obiter dicam) per securim hîc significari (vt quidam aiunt) sententiã vltimi Iudicij, *Ite maledicti?* quoniam illud, *Iam securis posita est*, ostendit iam iam pendere ad ictum; at sententia illa longè adhuc aberat. Ergo cum D. Irenæo lib. 5. cap. 17. & cum D. Hieronymo, super caput citatum Matthæi, securim existimo esse doctrinam Euangelicam; quoniam etiam iuxta illos, qui astruunt esse iudicium, tunc dicuntur Iudæi excindi à radice sua Abraham, quando declarantur non esse filij Abrahæ, quia opera Abrahæ non faciunt; at verò hoc ipsum declarat Euangelium; primum quidem Ioannes Baptista citato loco Matth. *Ne velitis, inquit, dicere intra vos, Patrẽ habemus Abraham: dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Et Ioan. 8. 39. Christus: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite.* Hæc igitur declaratio in doctrina Euangelica, est securis abscindens Iudæos non fructificantes à radice sua Abrahamo.

*Vetus proloquium, hominem esse arborem inuersam.* Clem. Alex.

B

*Matth. 3. 10. In Scriptura homines appellari arbores.*

C

*Irenæ. D. Hieron. Securis ad radicem arboris posita, doctrina Euangelica.*

*Ioan. 8. 39.*

D

Sic autem à sua radice excisi, quasi inutiles redditi, igni deputantur. *Omnis, inquit, arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignẽ mittetur.* Et hæc est propria damnatio arboris infructuosæ, aut alioqui præcisæ à radice. Quod D. Augustin. astruit in vite, tract. 81. in Ioannem, cùm de palmitibus ait: Præcisi nullis aut agricolarum vsibus, aut fabrilibus operibus seruiunt. Vnum de duobus palmiti congruit, aut vitis aut ignis. Cùm ergo Iudæi vites, & vinea sæpe vocentur in Scriptura, iure quidem declaratione illa quòd filij Abrahæ non sint, ab eo præcisi dãnantur igni, id est, inutiles ad omnia pronunciãtur. At quomodo dicitur securis ad radicem posita? Videtur enim districta in ipsam radicem, ipsique Abrahamo potiùs, quàm malis eius posteris ictum minari. Respondetur, significari per hoc exactam præcisionem, qua scilicet palmites, & posteri mali ita resecentur, vt eorum nihil radici Abrahamo inhæreat. Etsi autem ex tam propinqua excisione necessariò sequatur in radice conuulsio aliqua, non sequetur tamen læsio.

*Propria dãnatio arboris, vt in ignem mittatur.* D. August.

E

*Igne damnati, inutiles declarati.*

*Ad radicem vibrata securis, significat exactam excisionem.*

2. Est & alius locus celeber Matth. 7. 17. quo homines arboris vocabulo censentur, *Omnis arbor*

Matth. 7. 17.

*bor bona* (ait Christus) *fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere, &c.* Loquitur de falsis Prophetis, ostendénsque modum, quo dignoscantur à fructibus, ait; id est, *ab operibus eorum cognoscetis eos.* Ratio est, quia omnis arbor bona, omnis homo bonus, fructus bonos, opera bona, facit: mala autem malos, quia malus malè operatur. intellige vt plurimùm, nec potest aliter fieri, si loquamur de ordinario cursu rerum, ideo adiunxit: *Non potest arbor bona malos fructus facere, &c.* Alioqui, & malus homo aliquando bene operatur, & bonus malè. Hoc ergo solum manet discrimen, quòd bonus plerumque bene, malus plerumque malè operatur: nemo enim diu simulare se potest. Arctéque pro re præsenti D. Chrysostomus super locum Matth. citatum: Quandiu quis, inquit, malitiæ affixus est, nec in lege Domini radicatus, impossibile est, vitium radicis non apparere in fructibus. Et Psalm. 1. 3. iustus dicitur *lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, & folium eius non defluet, & fructū suum dabit in tempore suo.* Fructum suum, id est, non alienum, non degenerantem, tempore autem suo, id est, ordinariè, nam interdum fructum proferet imperfectum, & peccantem, vt aiunt, sed extraordinariè. Igitur Nabuchodonosor communem hanc cū cæteris hominibus arboris significationē adit, vt sit arbor, differt autem per ea, quæ sequuntur.

*Malus malè operatur vt plurimū.*

*D. Chryf. Dum quis malitia affixus haret, impossibile est, vitium radicis non apparere in fructibus.*

*Psal. 1. 3. Fructū suū dat iustus, id est, non degenerantem. Tēpore suo, hoc est, ordinariè.*

B

C

3. Magna arbor & fortis, proceritas eius contingens cælum, aspectus illius erat vsque ad terminos vniuersæ terræ. Declaratur primùm magnitudo; & fortitudo visæ arboris. Fortitudo quidem arboris in stipite, magnitudo in ramorum mole cernitur. Notatu dignissima ilex apud Plinium lib. 16 cap. 44. quæ triginta quinque pedes continebat ambitu caudicis, ac decem arbores ex eodem emittebat magnitudinis visendæ, syluam proinde sola faciens. Sic & Virgilius Æsculum celebrat 2. Georg.

*Plinius. Ilex notatu digna apud Plinium. Virgilius.*

*Æsculus inprimis, qua quantùm vertice ad auras*
*Æthereas, tantùm radice in tartara tendit:*
*Ergo non hyemes illam, non flabra, nec imbres*
*Conuellunt, immota manet, multósque per annos*
*Multa virûm voluens durando sæcula vincit.*
*Tum fortes latè ramos, & brachia tendens,*
*Huc, illuc, media ipsa ingentem sustinet vmbram.*

D

4. Ergo Nabuchodonosor fortitudine sua regia, quasi robustissimo caudice immobilis stabat aduersùs omnem vim: & mole ramorum, quasi syluam per se, & quasi vmbram toto orbe faciebat: ideoque Daniel interpretans ait: *Arbor, quā vidisti sublimē atque robustām, &c.* Tu es Rex, qui magnificatus es, & inualuisti. Magnificari dicitur aliquis in Scriptura, per opera magna, & publico cum splendore exhibita. Vnde magnificentia, Autore Gregorio Nazianzeno in lib. de cygneis carm. est quidam operum splendor. Quare illud Psalm. 138. 14. *Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Deum ostendit ob opera mirabilia sic mirabiliter magnificatum, vt habeat anima, quo in eiusmodi operibus considerandis in dies fiat sapientior, *Anima mea cognoscet nimis.* Similiter ergo Nabuchodonosor dicitur à Daniele magnificatus, quoniam & victoriis, & publicis Babylone extructis molibus clarus euasit, atque hinc superbiens dixit: *Nónne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni in robore*

*Nabuchodonosor, arbor maxima, & robustissima.*

*Magnificari quid sit in Scriptura?*

*Greg. Naz. Magnificentia, operum splendor. Pf. 138. 14.*

E

*Nabuchodonosor quo magnificatus?*

A

*fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* Iure ergo Daniel magnificatum dixit. Cum verò addidit: *Et inualuisti*, ostendit Nabuchodonosor singulari fortitudine, robore imperij super omnes excelluisse. Significatur enim per verbum, *inualesco*, in Scriptura, viribus superiorem euadere. Oseæ 12. 3. de Iacob: *In fortitudine sua directus est cum Angelo, & inualuit ad Angelum, & confortatus est.* Dirigi in Scriptura est, prosperè agere. Psalm. 139. *Vir linguosus non dirigetur in terra*; & alibi sæpe. *Directus est cum Angelo*, id est, prosperè egit, rectè & apud nos, rectè ei successit cum Angelo. Rectiùs forsan directus est cum Angelo, non succubuit Angelo, sed rectà aggressus est eum, latus lateri quasi commiscens, ac fortiter stringens. *Et inualuit*, id est, superior euasit, vicit. Ita vertit Chaldæus. Nam Angelus quasi victus dixit Genes. 32. 26. *Dimitte me.* Et Iacob arctiùs tenens respondit, *Non dimittam, &c.* Cùm igitur Nabuchodonosor dicitur inualuisse, intelligitur, quòd superior viribus sit, ac inuicti roboris.

*Inualescere, viribus superiorem euadere. Oseæ 12. 3. Dirigi, prosperè agere.*

5. Exaggerat deinde Vates proceritatem, & latitudinem arboris. *Proceritas*, inquit, *eius contingens cælum, & aspectus illius vsque ad terminos vniuersæ terræ.* Vtrumque dictum hyperbolicè vult D. Hieronymus, iuxta superbiam Nabuchodonosor, qui apud Isaiam capit. 10. 14. cælum se tenere gloriatur, & orbem terrarum, *quasi nidum, & oua volucrum.* Quo significat omnia præ se longè esse minora, qui & cælum vno quasi pugno, altero terram, vt nidum, & oua volucrum comprehendat. Theodoretus proceritatem arboris, sublimes, & superbas accipit cogitationes Regis, quibus maiora se fingebat animo, appetebátque. Quocirca Isaias dixit de ipso: *Inducet Deus super mentem magnam Regis Assyriorum, & super altitudinem gloriæ oculorum eius.* Mentem magnam ipsum appellauit Regem, vt magna sibi fingeret, & somniaret. Quæ fuerint autem illa magna, subiungit dicens: *Super astra ponam thronum meum, & ero similis Altissimo.* Idcirco proceritatem arboris vidit vsque ad cælum peruenisse. Et quia toto terrarum orbe, vt ita dixerim, Rex ille positus est, propterea vidit arboris cumulum, id est, latitudinis molem, vsque ad fines terræ propagari. Hæc à Theodoreto. Sequutus est autem versionem Septuaginta loco Isa. citato, vbi noster ita vertit: *Visitabo super fructum magnifici cordis Regis Assur, & super gloriam altitudinis oculorum eius.* Fructum magnifici cordis intelligit verba illa superbiæ plena, *Super astra Dei, &c.* iuxta illud Matth. 12. 34. *Ex fructu arbor cognoscitur. Quomodo potestis bona loqui, cùm sitis mali? Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Vbi apertè verba facit fructus cordis. Notari autem debet id quod ait, *aspectus eius vsque ad terminos vniuersæ terræ*: vbi nomine aspectus, intelligitur facultas, & efficacitas dominationis, vtpote quæ solo aspectu sibi subderet vniuersas gentes, qualem exprimit Habacuc in Christo cap. 3. 6. *Aspexit, & dissoluit gentes, & contriti sunt montes seculi, incuruati sunt colles mundi, &c.* hoc est, facilè sibi subdidit omnes mundi Principes, ac Monarchas: vnius oculi iactu dissoluit gentes, id est, gentilitatem, & idololatriam, quia Gentiles esse desierunt, & Christiani facti sunt. D. Hieronym. Stans Saluator, oculo suo vniuersitatem mundi metiens, gentium multitudinē dissipauit.

*Genes. 32. 26. Angelus quasi victus, dixit: Dimitte me. Superbia Nabuchodonosor.*

*Isai. 10. 14. Nabuchodonosor superbus, quare mens magna.*

*Aspectus, id est, facilitas, & efficacitas dominationis. Habac. 3. 6.*

*Vnius oculi iactu dissoluit gentes, & idololatriam.*

Ita ergo hic: *Aspectus eius vsque ad terminos vniuersæ terræ*, quia vel solo aspectu vicit, & in officio continuit gétes. Vnde & superioris illius statuæ, cuius caput aureum repræsentabat Regem Nabuchodonosor, aspectus dicitur terribilis, quasi solo aspectu perterrefaceret gentes sibi subditas.

---

## *Quæ sint folia huius arboris, & quis fructus.*

### SECTIO III.

1. *Foliis arboris significari ornatum regium, demonstratur locis variis.*
2. *Ornatus regius & pompa leuissima, ostenditur cōparatione foliorum, iuxta sensum mysticum, ex loco Iob. 13. qui explicatur.*
3. *Fructus arboris quomodo intelligantur tributa regia, ex Theodoreto, & Lyrano.*

1. DE foliis, & de fructu arboris ita Vates Vers. 9. *Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Per folia, iuxta Theodoretū, intelliguntur omnia, quæ pertinent ad ornatū, ac decorem regium, videlicet, sceptrū, corona, thronus, aulici, milites, stipatores corporis, palatia, equi phalerati, & huiusmodi alia, quæ perinde ac arborum folia regiam personam honorant. Virgilius honorem arboris dixit folia, 2. Georgic.

*Folia, omnia quæ pertinent ad ornatum regium.*

Virgil. *Folia, honor arboris sunt.*

*Et iam olim seras posuit cum vinea frondes.*
*Frigidus & syluis Aquilo decussit honorem.*

Vnde Sapientia diuina, hoc est, Verbum Dei, cōmendans Eccli. 24. 22. pulchritudinem gloriæ suæ, postquam pulcherrimis quibusque se arboribus comparauit, claudens epithalamium, ait: *Rami mei* (id est, potentiæ quasi in diuersa effusæ) *honoris, & gratiæ*, hoc est, tot comati sunt gratiis, ac honoribus, quot foliis rami in viridi qualibet, ac frōdosa arbore. Elegās est & illa descriptio Regis Assyriorū, quem alij volunt esse Sennacherib, alij Darium, Ezechiel. 31. 3. *Ecce Assur, quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, excelsúsque altitudine, & inter condensas frondes eleuatū est cacumen eius.* Et infra: *Speciosum feci illum multis condensisque frondibus, & æmulata sunt eum omnia ligna voluptatis, quæ erant in paradiso Dei, &c.* Monet eo loco Propheta Pharaonem Regem Ægypti, qui gloriæ amplitudine florebat, vt Regis Assyrij exemplo sapiat, qui cùm ob simile splendoré blandiretur sibi, deiectus est, & conculcatus miserè. Cedrus ergo Libani pulchra ramis, & frondibus nemorosa, typus gloriosi Regis. Ideo Deus significare volens Num. 17. 8. Principatum Sacerdotalem futurū in Tribu Leui semper florentem inter omnes Principum virgas, quas sibi aridas proponi iussit, germinare fecit virgam Aaron, foliisque amygdalarum comentem populo demonstrauit, ac in arca Testamēti seruari iussit, vt florens semper esset posteris symbolum sacri imperij in ea Tribu florentissimi.

Eccli. 24. 22.

Ezech. 31. 3. *Elegans descriptio Regis Assyriorum.*

*Cedrus Libani frondosa, typus gloriosi Regis.* Num. 17. 8.

2. Sedenim, cùm per folia in sensu arcano & mystico significetur inconstantia, liquidò constat, omnem illum ornatum regium sub specie foliorum repræsentari à Vate, vt omnino leuem, & euanidum. Quod in primo illo mundi Principe Adamo, qui magna omnium dotium amœnitate virebat, cernere est. Is enim (ait Gloss. minor ad illa verba Iob. 13. 25. *Contra folium, quod vento rapitur*) à prima illa arbore cadere didicit; amittens enim omnem illum apparatum regiarum virtutum, caduci folij leuitatem iniit, ac vniuersæ hominum naturæ quasi inseuit. Certè quidem Princeps ille ornatissimus Iob, quid momenti inesset in omni ornatu regio optimè callens, illud ex cap. 13. citatum dicebat Domino: *Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiā tuam?* Non est autem arrogantis interrogatio (vt perperam opinatus est Caietanus) sed hominis planè humilis, & de pompa sua regia, ac apparatu abiectissimè sentientis. *Contra foliū, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam?* Verbum Hebraicum ערץ maiorem vim habet, quàm Latinum, propriè roborare se, & quasi incutere vim potentiæ ad conterendum grauiùs. Igitur *contra folium, &c.* quasi dicat: Cur Domine exeris vim ipsam potentiæ tuæ contra me, qui etiamsi pompam præferam vitore gratam, & ad speciem validam, tamen re ipsa vana est, & vel ad leuem vēti flatum, id est, ad quoduis etiam leuissimum incommodum, facilè decidua? Si ergo quilibet ingruens ventus solo decutiet, cur tu adhuc vim ventis incutere pergis? Quare D. Gregor. rectè hic annotat, cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum agnoscis? Deum enim intelligit tota rectitudine impetere, cùm per potentiam suam ad omnem rigorem intentam, & nulla benignitatis ratione inflexam punit, quod quidem in homine suapte natura imbecillimo iure videtur mirari Iob loco citato. Hoc ipsum ergo in Rege superbissimo Nabuchodonosor, vtili quidem ad omnes consequentes Reges exemplo contigit, cuius amplitudo & magnificentia, qua mirum in modum florebat ipse, vno quasi momento dissipata & comminuta est.

*Folio inconstantia notatur. Vanus ornatus regius.*

Gloss. Minor. Iob. 13. 25. *Adam mūdi princeps amœnitate dotium florens. Caducas ostendit in se, ac cæteris leuitatem inseruit.*

Caiet.

*Iob vanam agnoscebat in se pompam regiā.*

D. Greg. M. *Tota rectitudine impetere, intelligit Gregor. tota vi potentiæ.*

3. Quod verò de fructu arboris ait Vates, *fructus eius nimius*, autore Theodoreto, intelligitur de tributis quæ vndique afferebantur Regi Nabuchodonosor. Sed hærebit aliquis: Nabuchodonosor tributa colligebat, & quasi vellicabat ex aliis, quomodo ergo dicitur ea tamquam fructus producere, & quoquouersùs à se ipso quasi ostētatore pendentia? Respondetur, ita ferè vsu venire in quibusdam arboribus, quarum truncis, per incisionem impacti alieni surculi, illis quasi coguntur fructificare, & propria sibi per naturā poma, propria facere arbori per artem incisoriam. Vnde est illud Virgil. 2. Georg.

Theodor. *Fructus nimius, intelliguntur tributa Regis.*

*Cogunt Reges alios sibi fructificare veluti per incisionem surculi.* Virgil.

*Et sæpe alterius ramos impunè videmus*
*Vertere in alterius, mutatámque insita mala*
*Ferre pyrum, & prunis lapidosa rubescere corna.*

Similiter ergo & Reges armorum vi adiunctos populos, ac imperij quasi trunco insertos, tributorum annuos fructus impendere sibi cogunt, eadémque ratione Nabuchodonosor sub figura multiformi per incisionem arboris, multos dicitur habere fructus, hoc est, tributa, vt optimè interpretatus est Theodoretus. Fortè autem & Lyrani interpretatio ad eadem verba hoc sibi vult, cùm per fructum nimium ait significari diuitias artificiosas, quas videlicet non ipsa præcisè natura mysticæ arboris, sed ars quædam modo inserendi & cogendi in vnum imperium populos, sibi pepererat. Rectè autem ponderat Theodoretus fructum non dici à Vate pulchrum,

*Diuitiæ artificiosæ quæ?*

*Excessus regum in exigendis tributis.*

chrum, quod de foliis enunciauerat, sed nimium, quoniam Reges in imperandis exigendísque tributis rarò se moderatè gerunt, exorbitant autem sæpius, & excedunt iustitiæ limites, nimiúque ac multi in hoc sunt.

---

## *De animalibus, quæ sub arbore degebant.*

### SECTIO IV.

1. *Explicatur locus Eccles. 10. de apparatu seruitiorũ Regis. Locus item 1. Regum, de iure regio.*
2. *Per bestias in domo Regis qui significentur? & qui per volucres? bestias in Scriptura intellige sæpe homines ferinis moribus præditos.*
3. *Speciatim explicãtur, quæ animalia cibo regio alantur. Explicatur locus Iob. 4. & alter Ezechielis 12.*

1. PRosequutus Vates magnificentiam arboris addit, Vers. 9. *Et esca vniuersorum in ea, subter eam habitabant animalia, & bestiæ, & in ramis eius conuersabantur volucres cæli, & ex ea vescebatur omnis caro.* Verissima est illa Ecclesiastæ sententia ex cap. 10. 5. *Vbi multæ sunt opes, multi & qui comedunt eas.* Ex minori porro Glossa germanus sensus eruitur ad hunc modum: Quj multas opes congregauit, nõ potest illis vti ad gloriam, & magnificentiam, solus sit, opus est conuocare plurimos, vt per eos dispersæ latiùs splendeant; videlicet seruos, ancillas, clientes, magnates, milites. Vt enim ait D. Ambros. epistol. 82. nemo nascitur diues, sed fit. Nec diuitem, aut pauperem esse ad naturam spectat, sed ad opinionem, qua scilicet vulgo ex amplitudine rei familiaris æstimantur opulenti, alioqui naturæ ipsi solitariè sumptæ perexigui sumptus sufficiunt, quare si velit eos ampliare ad gloriam, & fastum, oportet conuocare, qui participes fiant, & quò fuerint plures qui comedant, eò erit magnificentior apparatus familiæ. Quamobrem & Samuel agens cum populo de iure Regis, ex seruitiorum, quæ vndique sibi per fas, per nefas colligere deberet, varietate illud definiuit, vt cernere est in cap. 8. 1. Reg. 11. *Hoc erit,* inquit, *ius Regis, qui imperaturus est vobis: filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, faciétque sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum. Et constituet sibi tribunos, & centuriones, & aratores agrorũ suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruũ suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas, &c.* quæ omnia pompam regiam exprimunt, sed & vim immistam non silent. Ideo ait Caietan. dici eo loco ius Regis, quasi quæ sic ordinasset circa fastũ & cultum regiũ, non iuris essent, sed cum diminutione iuris Regis, quatenus Rex idipsum volet esse ius. Similiter & regina Saba ex multitudine seruorum, Principum, Magistratuum, item ex sumptibus aulæ regiæ, & aliis, quæ cap. 10. 3. Regum latè exaggerantur, amplitudinem imperij Salomonis emensa, non habebat vltra spiritum, vt in contextu dicitur. Veréque ab eodem Salomone pronunciatur Prouerb. 14. 28. *in multitudine populi dignitas Regis.*

Eccl. 10. 5. *Diuitiæ multæ necessariò exigunt multos qui comedant, si splendere debent.*

*Nemo nascitur diues, sed fit, quomodo intelligendum?*

*Apparatus regius ex seruitiorum numero:*

1. Reg. 8. 11. Caiet. *Ius Regis, quo pacto dicatur.*

*Varia animalia sub arbore, varia aulicorum genera.*

2. Speciatim verò demonstrat Vates hoc loco per egregias metaphoras, quæ hominum ge-
A nera ambitu suo complectatur arbor. *Subter eam,* inquit, *habitabant animalia, & bestiæ, & volucres cæli conuersabantur in ramis eius:* propriè notantur aulicorum genera; nec mirum si per bestias terræ, & volucres; quoniam plerique sunt ingenio partim barbaro, partim peracuto, eo solùm interueniẽte discrimine, quòd illi in terra sub expansis ramis, hi per ipsos spatiati ramos cõuersantur. Sũt enim in aula quidam hebetioris, tardiorísque malitiæ, quidam alij acutioris, vrbanioris, elegãtioris, qua regibus volucrum instar garriendo placent. Solet Scriptura agrestes, ferósque homines bestiarum cẽsere nominibus; Psal. 21. qui totus est de Christo patiente, sæpius id ostenditur, Vers. 13. *Circũ-*
B *dederunt me vituli multi, tauri pingues obsederunt me.* Intelligit Dominus Pharisæos, Scribas, & Sacerdotes istorũ animaliũ instar efferatos, & petulãtes circũcirca instare blasphemiis, calumniis, falsisq; testimoniis, vt se neci tradant: satis fuit autem appellare illos pingues, vt inde statim cõiici posset eorum belluina rebellio, iuxta illud Deuter. 32. 15. *Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.* quasi dicat, propterea bestialiter egit, quasi allidens cõtra me posteriores calces, iumẽto similis. Et fortè lectio Hebræa plus habet energiæ, qua pro dilecto est, directus, scilicet homo, qui ex ipsa conditione naturæ rectus est, & sublime ad cælum os habet, quasi per irrisionẽ. Ecce qui rectus corpore est, animo depressius ambulat, ac veluti be-
C stia recalcitrat. Vers. item 18. *Circundederunt me canes multi.* Ad literã Romani milites cùm Dominũ in horto comprehẽderunt. De quo est illud Chrysost. ad exaggerandam horum canum sæuitiam. Feram, inquit, diabolus ipse agebat choreã, quasi dicat, feram per se choream agebat, irritabat, stimulabat ampliùs dæmon ad ferociendum. Et Vers. 23. *Salua me ex ore leonis.* Aliqui intelligunt Caipham in eo scelere primatem, ac veluti leonem inter alias feras. Sunt & loca alia penè infinita, in quibus ob ferinos mores variis homines æquiparantur feris. Hinc natus communis ille Patrum consensus, pro moribus hominum assignandas esse illis varias animalium formas, &
D nomina. Sic expressè Hieronymus ad amicum ægrotum, de viro perfecto. Homo, inquit, ex virtutibus suis & vitiis, formas sibi sumit, & nomina, quoniam apud Dominum, non de statu corporis nostri, sed de vitę meritis iudicamur. Denique Propheta ait: *Nolite fieri sicut equus & mulus;* sunt ergo homines, qui apud Dominũ sunt equi, & muli, &c. Ita Hieronym. Et Clemens Alexand. initio orationis exhortatoriæ ad Gentes. Volucres, inquit, sunt leues homines, serpẽtes verò deceptores, leones hi, qui sunt ad irã concitati; sues voluptatibus dediti; lupi, qui sunt rapaces, &c. Ita ibi Clemens. Similiter & plerique Patres loquuntur in hanc materiam.

*Solet Scriptura interdum bestiarum nominibus censere homines.* Psal. 21.

Deuter. 32. 15. *Tauri pingues, ob belluinam tarditatem.* *Directus recalcitrauit, meliùs exprimit degenerationem.*

Chrysost. *Fera chorea militum cõprehendentium Dominum.* *Caiphas leo, quia princeps in persequẽdo Dominum.*

D. Hieron. *Pro moribus hominũ varia forma animalium illis assignanda.*

Clem. Alexand. *Homines cõparati bestiis, ex Clemen. Alex.*

E 3. Significatur ergo sub arbore, & per ramos eius vagari animalia diuersi generis, quoniã aula Regis Nabuchodonosor, vt cæterorũ Regum, plures habebat animalium moribus viuentes homines, ac proinde eorumdem animalium potiùs, quàm hominum nominibus dignos. Qua de re est illud Iob. 40. 15. *Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi.* D. Thom. & Caiet. interpretãtur de diabolo, cuius agricolatio est in montibus, hoc est, in Principibus malis: ibi enim seminat exẽpla pessima in populũ, quare omnes bestię agri ludẽt ibi, id est, adhærebũt ei improbi asseclę.

Iob. 40. 15. D. Thom. *Dæmonis agricolatio in montibus, id est, in principibus.*

*Per principes malos lucratur diabolus populum malum.* Per principes enim malos lucratur sibi diabolus populum malum. Ergo sub arbore aulica cernere erat luporum greges, hoc est rapaces ministros, quales describit Ezechiel in aula Ierusalem, cap. 22. 27. *Principes eius in medio illius, quasi lupi rapientes prædam, ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas.* Rectè prima conquerendi causa, quòd in medio Ierusalem rapinas agant, hoc est, impudenter, & aperta fronte in luce, & in facie totius populi. quod etsi magnum per se malum erat, tamen periculosius videri debet, quòd ministri Nabuchodonosor subter arborem eius, id est occultè, & sub specie regalis, vt aiunt, seruitij, rapacitati incumbant. Quod verò Ezechiel addit, *ad effundendum sanguinem, & ad perdendas animas*, est exaggeratio ex adiunctis: plerumque enim adiuncta est rapacitati crudelitas, sicut & extorsiones violentæ, quæ quidem rarò accidunt absque laniatu fero eius personæ, ex cuius manibus fit extorsio; proindéque animarum A vtrinque perditio sequitur, laniantis iniustè, laniati impatienter. Cerneres item leones sub eadem arbore, non gregatim, sed in diuersa progressos, superbos videlicet satrapas, qui solos se, id est, nulli prorsus mortalium reputant comparabiles, propria leonum superbia, de quibus illud à Basilio dictum homil. 9. in Exam. Incedunt solitarij, ne videlicet pares honores, congressionésque cum cæteris accepent. Quin, vt volucrum omne genus per ramos aulæ regiæ. Rapa- B ces scilicet accipitres,, id est, subtiliùs, ac sublimiùs furantes: peracutæ visu aquilæ, hoc est, alta mente præditi, & vrbanitate clari: multicolores paui, ornatu, scilicet, aulico præfulgentes: auiculæ cantatrices, intellige musicorum omne genus: cornices garrulæ, hoc est, ganeones, parisiti, histriones, &c. Horum omnium, ac plurium eiusmodi, esca erat in arbore, quoniam omnia prædicta hominum monstra, & infinita propemodum alia cibo regio aluntur.

*Ezech. 22. 27.*
*In medio Ierusalem, id est, impudenter.*
*Sub specie regalis seruitij rapinas agere.*
*Rapacitati adiũcta crudelitas.*
*Leones, superbi satrapæ, solos se reputant.*
*D. Basil.*
*Quare leones incedũt solitarij? Subtiliùs ac sublimiùs furantes.*

---

## COMMENTARIVS POSTERIOR.

Hinc iam incipit miser status Nabuchodonosor, lata per Deum sententia. Et de priori quidem sententiæ parte primùm agemus: deinde de posteriori: denique de remedio, per eleemosynas.

### De priori parte sententiæ in arborem latæ per vigilem Angelum.

### SECTIO I.

1. *Vigilem promulgatorem sententiæ in regem fuisse Angelum bonum: multa de vigilia bonorum Angelorum circa nos.*
2. *Quomodo apparatus regius subitò dissipetur ex loco Psalmi 36. qui expenditur. Locus mysticus Augustini de transitu à carnalibus.*
3. *Relicta radix Nabuchodonosor, nec omnino extinctus, quo longanimitas Dei monstrata est, sicut alibi sæpe: quod ostenditur exemplo Thare patris Abraham, & Esau, patris Iob, &c.*

1. Dvm species illa iucũdissimæ arboris reficeret somniantis mentẽ, Vers. 10. *Ecce vigil, & sanctus de cælo descendit.* Vers. 11. *Clamauit fortiter, & sic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius: excutite folia eius, & dispergite fructus eius: fugiant bestiæ, quæ subter eam sunt, & volucres de ramis eius.* Vers. 12. *Veruntamen germen radicum eius in terra sinite.* Hunc vigilem omnes Patres interpretantur bonum Angelum, quandoquidem & sanctus de cælo descendens pronunciatur in textu. Vigil porro absolutè (ait Theodor.) quia corporis expers: vbi enim moles corporis non grauat, præstans vigilia est, quia somno præstantior natura. Vúltque Theodoretus vigiliam, quæ est à natura indiga somni, præstare vigiliæ, quæ somno procuratur: hæc enim semper habet admistam grauedinem, ex conditione corporis aggrauantis animam; at illa, quam natura defæcata parit, non solùm iugis est, sed iugiter viuida. Idcirco à D. Bern. serm. 5. super Cant. inducuntur Angeli curantes huma- A nas res, in libertate spiritus: id est, vigilantissimè, expeditissimè, nullo scilicet præpediente corpore promptitudinem ministerij, atque hac in re hominibus etiam vigilantissimis longè præstant Angeli. Propterea namque Cant. 3. 3. dum sponsa tota nocte vigilans, per vicos & plateas quærit quem diligit anima sua, incidens in vigilias ciuitatis, de dilecto suo interrogat, *Inuenerunt*; inquit, *me vigiles, qui custodiunt ciuitatem: num quẽ diligit anima mea vidistis?* Vbi per vigiles intelligit Theodoret. Angelos, & alij cum Theodoreto Patres. Notandum ergo, quòd Sponsa, quantumuis ad inuestigandum visa sibi erat præuenisse omnes B vigiles, ipsi tamen eam vigilando præuenerunt: nam inuenerunt illam, non ipsa illos: *Inuenerunt me vigiles.* Itaque vigil, per antonomasiam, est Angelus, quoniam ex cõditione naturæ, & officij, nec dormit, nec dormitat. Moraliter autem D. Hieronym. ad hunc locum: Et nos, inquit, crebris pernoctationibus Angelorum imitemur officia; nempe diu pernoctando quis & vigilando efficitur Angelus. At cùm Psalm. 77. 49. asserat Regius Vates, *immissiones*, id est, calamitates, *per Angelos malos* expediri, quomodo hîc asseritur Angelus bonus euulgator esse terribilis sententiæ? Respondetur, etiam per bonos Angelos Deum punire solitum, quod videre est in Sodomitis, Genes. 19. & 4. Reg. 19. qua de re latiùs in C Visione quatuor animalium apud Ezechielem.

2. Porro autem sententiæ diuinæ in arborem, fera est districtio: *Succidite arborem, præcidite ramos, excutite folia, dispergite fructus: fugiant bestiæ, & volucre, &c.* Iubet primùm succidere arborem, id est, deiici Regem à statu suo, satrabas ac principes, quasi ramos ab ea separari, gloriam, & felicitatem pristinam, vt folia excuti, thesauros dispergi, ac redditus regios, & qui in aula regia degebant famulorum greges dissipari. Aptè in hanc sententiam Regius Vates Psal. 36. 35. *Vidi*, inquit, *impium*

*Theodoret. Angelus vigil, quia corporis expers.*
*Vigilia Angeli præstantior vigilia hominis.*
*D. Bern.*
*Vigilat Angelus in libertate spiritus, id est, expeditissimè.*
*Cant. 3. 3.*
*Theodor. Sponsa quãtumuis vigilans, præuenta ab Angelis.*
*Diu pernoctando Angelorum vigilias imitamur.*
*Psal. 77. 49.*
*Etiam per Angelos bonos supplicia inferuntur.*
*Genes. 19. 4. Reg. 19.*
*Succisio arboris regiæ.*
*Psal. 36. 35.*

*impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani, & transiui, & ecce non erat, & quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.* Iuxta Hebræum, *sicut lauros Libani.* Et cedrus quidem æterna habetur, & immunis à carie, teste Plin. 13. natur. histor. cap. 40. Laurus verò eodem autore, & lib. 1. c. 30. fulmine nō icitur. Vtrumque ergo superbi Reges se fingunt, & cedros æternas, & lauros impenetrabiles, quos nec caries vlla interiùs rodere, nec vlla exterior vis etiā cælestis, deiicere queat. In vtroque autem illos longè decipi, expertum se testatur Vates: *Vidi enim ego ipse*, inquit, *aliquando quempiam superexaltatum, & eleuatum*, nec eo adhuc sum offensus, quòd rectè quis, & ritè exaltari potest: id tamen scandalo mihi fuit, cùm sensi gloriari illum, se exaltatum sicut cedros, laurósve Libani, hoc est, velut expertem omnis corruptionis, & mortis, quo planè iudicaui impium, & iustam in eo vltionem illico sequi: nam viderам, vno quasi intuitu tantam gloriam, transiui autem, & ecce non erat, id est, ad meum vnicum transitum, vno quasi momento prorsus disparuit, sed & diligenter vestigās prioris status pompam, ne vestigium quidem vllum deprehendi. D. August. explicat transitum mentalem à carnalibus ad spiritualia: qui enim sic proficiendo transierit, vt spiritualia tantùm & æterna prospiciat, iudicabit omnem mundi gloriam, etiam dum persistit, non esse, nec locum eius inueniri. Carnalia enim, & caduca, cum spiritualibus & æternis comparata, potiùs æstimanda sunt non esse, quàm esse, ac adeò nec locum vnum, aut fundamentum habere.

*Plinius. Reges fingūt se æternas cedros, & lauros inuiolabiles.*

*Regum subita abolitio.*

*D. August.*

*Proficiens in via Dei, sentit illico omnia mundana non esse.*

3. Potuit autem Dauid exemplo esse hic idē, quo de agimus, Nabuchodonosor somnians, scilicet, se arborem ita sublimem culmine, ita pulchram foliis, ita fructu diuitem, & tamen vno quasi transitu, id est, in eodem somnio excisam, excussam, spoliatam, dissipatam, non tamen sine loco, & vestigio prioris status: nam subditur, *germen radicum eius sinite in terra.* Quo significatur, non omnino extinctum iri Regem, sed spem aliquam superfuturam, vt post casum suum resipiscens, restituatur iterum in antiquam gloriam. Id quod valde commendat longanimitatem Dei, qua peccatorem seruat in pœnitentiam. Versatur in hac eadem materia D. Chrysostom. homil. 5. de pœnitentia, & præclara accumulat in rem præsentem. Quamuis aliquis, inquit, culpa impœnitenti delinquat, parcit sæpenumero Deus, quo radicis fructus custodiatur. Sæpe & ipsam transfert radicem, veluti præueniens, vt diximus. Et tametsi actus ad vltimum malorū cadat, differt tamen Deus, vtiliter expectans pœnitentis salutem. Et quomodo, audi: Thare pater Abraham idolorum & cultor, & factor, impietatis tamen pœnam non dedit, & meritò: si enim præueniens Deus radicem amputasset, vnde tantus fidei fructus germinasset? Quid Esau nequius? Ipse quoque odibilis Deo, quemadmodum Scriptura testatur, *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Cur ergo non meritam suscepit animaduersionem? Pulchram causam libet edicere: si excisus fuisset, maximū iustitiæ fructum mundus amisisset, & qualem audi: Esau genuit Raguelem, Raguel Zaram, Zaram Iob. Cernis quātus elanguisset patientiæ flos, si præueniens Deus à radice exegisset pœnas? Ea quoque vsus est prouidentia super Ægyptios vltra fidem blasphemos: expectauit enim quousque ibi essent monasteria, in quibus florerent, qui Angelicam imitarentur vitam. Sed & humanæ leges matrē grauidam, etsi peccatricem, ad partum vsque seruant illæsam, ne fœtum innoxium tollant. Cur ergo Deus radicem non custodiat, vt in fructibus beneficium ostendat pœnitentiæ? Denique si velox fuisset ad pœnam Deus, Paulum Ecclesia non possedisset, distulit ergo blasphemantem, vt pœnitentem ostenderet Dei longanimitas. Hæc & plura alia Chrysostomus, quibus elucet præsentis quoque longanimitatis exemplum, quo germen radicum arboris in terra sinitur, vt pœnitentia Regis Nabuchodonosor pulchrior inde & illustrior efflorescat. Posterior pars inflictæ pœnæ continet quæstiones aliquas difficiles, quas sequenti sectione breuiter discutiemus.

*Nabuchodonosor nō omnino extinctus, sed resectus ad restitutionem. Deus longanimis in sperando pœnitentiam.*

*D. Chrys. Fructus radicis mala in ea seruata custoditur.*

*In Thare idololatra, Abraham filius.*

*In Esau, Iob.*

*Ægypto pepercit propter monasteria ibidē futura.*

*Si velox ad pœnā fuisset Deus, Paulum Ecclesia non haberet.*

---

## *De posteriori parte sententiæ.*

### SECTIO II.

1. *Regem Nabuchodonosor non fuisse alligatum ferro propriè sumpto, sed metaphorico; id est, Diuina potentia, probatur duobus exemplis Scripturæ sacræ.*
2. *Mutatum in bonum Nabuchodonosor aliqui perperam tribuunt Iosepho: certum est, non mutatū in bestiam, secundùm substantiam.*
3. *Improbatur opinio Medinæ, quòd supplicium verum in Rege non ponat, sed simulatum, contra textum.*
4. *Opinio Dorothei, & Epiphanij de biformi specie reiicitur, quouis modo explicetur.*
5. *Non est D. Thomæ sententia opinione tantùm sua mutatum Regem. Liber de regimine Principum non est ipsius.*
6. *Vera sententia, fuisse Regem in bestiam mutatum, primùm imaginatione vehementi, deinde ex ferino gressu quadrupedis in morē, itē ex ferino victu, &c.*
7. *Obiectiones contra veram sententiam eluduntur.*
8. *Improbatur eorum opinio, qui asserunt Deum precibus Danielis imminuisse tempus pœnitentiæ Nabuchodonosor.*
9. *Eorū quoque sensus reiicitur, qui tempora accipiunt duas anni partes; quòd non soleat Scriptura sic accipere nomen temporis.*
10. *Vera sententia, per tempora hoc loco intelligi annos, & ostenditur ex vsu Scripturæ.*
11. *Quis interim regnauerit, ostenditur. Item quomodo facilè redeunti Regi cesserit, quisque regnauerit.*
12. *Moralis locus pro pœnitentiæ commendatione ex duplici loco Tertulliani.*

1. PROSEQVITVR vigil latā sententiam, Vers. 12. *Alligetur in vinculo ferreo & æneo in herbis, quæ foris sunt, & rore cæli tingatur, & cū feris pars eius in herba terræ.* Vers. 13. *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, & septem tempora mutentur super eū.* Tres sunt in hac parte sententiæ, difficultates celebres. Prima est, verène fuerit Nabuchodonosor alligatus vinculo ferreo, & æneo? Fuisse enim sic ligatum affirmat D. Hieronymus. Primò, quia expressè id ponitur in textu; deinde, quia sic oportebat ligari efferatum, vt ligari solent furiosi, ne se præcipitent, aut aliis noceant. Similiter opinatur Theodoretus, quibus adhæret Carthusianus. Aliis hoc non placet, quoniam in textu asseritur futurum Regem per agros, & per syluas, vagámque ibi ducturum vitam; non ergo alligatus ferro, & ære tenebatur. Quocirca Lyranus

*Fueritne Rex alligatus ferreo vinculo? D. Hieron. Verè alligatum qui opinentur?*

*Metaphoricè, Lyranus putat.*

nus hanc alligationem accipit metaphoricè, pro firmitate diuinæ sententiæ, quæ dissolui non potest. Consueuit autem Scriptura eiusmodi adhibere metaphoras ad significandam diuinam vltionem contundentem & pessundantem superborum contumaciam. Isai. 37. 29. iratus Deus contra Sennacherib Regem Assyriorum, ita loquitur: *Cùm fureres aduersùm me, superbia tua ascendit in aures meas: ponã ergo circulũ in naribus tuis, & frænũ in maxillis tuis.* Quæ verba Prophetæ nõ sunt accipienda propriè (neque enim constat Deum fræno aliquo compressisse Sennacherib) sed metaphoricè pro potenti cõpressione furentis Regis. *Ponam circulum in naribus tuis*, potentia diuinitatis te refrænando, vt annotat Glossa minor, & D. Gregor. 33. Moral. 13. *Quã explere appetis, non valebis*, quia omnipotentiæ meæ circulum in naribus portas. Ostenditur idem ex Psal. illo 31. 9. *Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. In camo & fræno maxillas eorũ constringe, qui non approximant ad te.* Quo loco Theodor. Ne æmulemini defectũ rationis in equo & mulo, alioquin accipietis frænum, & camum illorum more; porro per hæc animaduersiones demonstrat. Sequitur enim, *multa flagella peccatoris, &c.* Certè quidem cùm non asserat Scriptura Regem hunc conuersum fuisse in bestiam aliquã furere solitam, nõ videtur cur ferro aut ære propriè loquẽdo dicatur compressus, sed solùm metaphoricè, vt Lyranus ait, per diuinæ omnipotentiæ vim, vt nos docent loca illa duo proximè citata ex vtroque Vate Regio.

D.Greg.
Psal. 31 9.
Theodor.
Ita Theod.
*Verior sententia, non fuisse ligatũ Regem propriè, sed metaphoricè.*

*Quomodo cor feræ datum sit Regi.*

2. Secunda difficultas, quomodo intelligenda sint illa verba, *Cor eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei?* Respondetur, cõmunem Autorum existimationem esse, Regem Nabuchodonosor iuxta prædicta verba textus conuersum fuisse in bestiam, nec esse qui hac de re dubitet; de modo tamẽ huius transformationis magnam esse inter omnes controuersiam. Lyranus & Carthusianus referunt opinionem Iosephi 10. Antiquitatum, Nabuchodonosor verè mutatum esse in bouem, quoniã in textu dicitur, *fœnum vt bos comedes.* Sed non videntur legisse Iosephum eo loco: neque enim id asserit, aut vllo modo innuit, nec verò si assereret, aut innueret, sustinendus esset. Quoniam hoc capite distinctè ponitur, Regi, in hac sua mutatione, prolixè excreuisse capillos, vnguésque ad similitudinem auium, quod minimè quadrat in bouem. Præterea, si verè, hoc est, secundùm substantiam, mutatus fuisset in bouem, oportebat animam eius rationalem in nihilum redigi, aut aliò transferri, & eius loco substitui irrationalem, & in restitutione Regis, aut creari aliam, aut eandem reuniri, quæ omnia incredibilia sunt, & vniuersaliter ostendunt non fuisse Regem mutatum secundùm substantiam in aliquam bestiam, nedum in bouem.

Lyranus.
Carthus.
*Mutatũ in bouem secundùm aliquos.*
*Oppositum probatur.*

Michaël de Medina.
*Ad speciem factam mutationem, iuxta Medinam.*

3. Aliter ergo Michaël de Medina 2. de recta in Deum fide, cap. 7. hanc Regis commutationem non verè, sed tantùm ad speciem factã, Deo scilicet, vel ita afficiente intuentium oculos, vt putarent se videre bestiam, vel circa Regis corpus efformante figuram bestiæ, vt omnino talis à circunstãtibus crederetur; & affertur in exemplum id, quod narrat D. Hieronymus in vita Hilarionis, cui oblatam ait fœminam, quæ reliquis putabatur iumentum, soli verò Hilarioni fœmina. Non placet Medinæ opinatio. Quoniam cùm Deus vellet hunc Regem acerrimè plectere, ve-

D.Hiero.
*Improbatur modus explicãdi Medinæ.*

A risimile non est factum id per simulatum, ac fictum supplicij genus, sed per verum, ac propriè sumptum, id quod verba ipsa textus propriè significant, videlicet, commutationem ab humano corde, herbarum esum, vagationem per agros, consuetudinem cum bestiis. Quæ omnia propriè, & iuxta communem vsum accipienda sunt.

Doroth.
D. Epiph.
*Opinio Dorothei & Epiphanij, reiicitur.*

4. Dorotheus in Synopsi, si eius liber est, & D. Epiphanius in vita Danielis, asserunt Regem secundùm interiorem habitum, ac sensus hominis non fuisse mutatum, sed secundùm externam figuram; ita vt anteriore sui parte referret bouem, posteriore leonem; quia priori ætate fuerat libidini deditus, posteriori immanitati, ac rapinis. Verùm hoc à Patribus istis liberè dictum B est, & credi minimè potest: nam vel credũt hanc commutationem factã fuisse secundùm substantiam, & incidunt in primam sententiam, quam refutauimus, vel secundùm speciem tantùm, & in Medinæ opinionem à nobis improbatam reuoluuntur.

D.Thom.
*Opinione sua tantùm mutatũ, non esse opinionem D.Tho.*

5. Vltimò citatur D.Thom. lib. 2. de regimine Principum, cap. vltimo, Regem mutatum in bestiam opinione sua, & secundùm vehementem imaginationem. Sed liber non est D. Thomæ, vt rectè ostendit Belarm. de scrip. Eccles. Deinde in eo solùm consistere commutationem negamus: nec enim ipse solus se bestiam imaginabatur, sed aliis aspicientibus videbatur.

*Vera sententia, secũdùm imaginationem, & secundùm bestia incessum immutatum in bestiam Regem.*

6. Quare existimamus cum D. Hieronymo, & C Maldonato, Regem commutatum in bestiam; primùm secũdùm vitiatam imaginationem, qua ipse se reputabat bestiã, phrenetico similis: quod significatur in eo: *Cor eius ab humano commutetur:* &, *Cor feræ detur ei.* Nam cordis nomine intelligitur interioris sensus immutatio, quo se ferã esse credebat: deinde conformiter ad hanc imaginationem, ex diuino placito in terram depressus est, vt pedibus pariter, ac manibus feræ instar graderetur, additis ad veritatem commutationis, ferinis indiciis; capilli namque prolixè crescentes ad terram vsque demittebantur; vngues in similitudinem auium excreuerant: victus ex communi gramine, vt cæteris bestiis; conuer-D satio, & cohabitatio cum eisdem; denique linguæ vsus non humanus, sed planè belluinus, ac adeò inconditus, & stridori similis.

*Alia bestiæ indicia addita.*

*Figura, quæ dicitur instituta Regi, intelligenda quoad modum.*

7. Nec dictis obstat id, quod ad finem capitis asserit ipse Nabuchodonosor: *Figura mea reuersa est ad me.* Quo videtur significari figuram humanam ab eo ablatam, ideoque restitutam. Id enim intelligendum de restitutione quoad modum: sic enim deformatus est ac depressus prædictis illis modis, vt planè amisisse figuram hominis videretur, sicut de Domino patiente concionatur Isai. cap. 53. 2. *Vidimus eum, & non erat aspectus, & quasi absconditus vultus eius*: id est, ita erat, ob inflictas plagas, deformatus, vt speciem ac figuram homi-E nis non haberet. *Et desiderauimus eum:* scilicet in figuram ac decorem pristinum restitui. Sic ergo hoc loco: *Figura mea, quæ septenni afflictione penitus videbatur abscondita, mihi reddita est, miserante Deo.* Vnde idem Rex infrà: *Sensus meus redditus est mihi.* & D. Hieronymus ibi: Quando dicit sensum sibi redditum, ostendit non formam se amisisse, sed mentem. Sed nec illud detinere nos debet, quomodo herbis solùm potuerit viuere? Nam is victus non est homini impossibilis, vti iam diximus: legimus enim in compluribus Patrum historiis, herbarum pastu multos sustinuisse vitam.

Isai. 53. 2.
*Iustus ob inflictas plagas, hominis figuram non habebat.*
Hieron.
*Quomodo herbis vescebatur.*

Et

*Plinius.* *Herbarum esus non est homini insolitus.*

Et Plinius autor est, lib. 6. cap. 30. quandam gentem apud Æthiopas solis herbis victitare, alias solùm locustis, alias obuiis quibusque rebus, ob idque appellatos Pastphagos, id est, omnia edentes. Addiderim, & deprauatam illam in Rege imaginationem ad hoc ipsum conduxisse, vt cibos ferinos sibi reputaret conuenientes, satisque id fuisse, vt eos expeteret, quod in amentibus quotidie experimur. Præterea, id quoque est probabile, diuina virtute immutatū aliquantò temperamentum corporis Nabuchodonosor, vt ferino esset similius, ac adeò alimentis ferarum aliquo modo coaptatum. Quin & diuino miraculo id tribui potest, vt Rex ita victitans sustentaretur illæsus, quo nouū, ac mirabile diuinæ iustitiæ in superbos reges diu perseueraret exemplum.

*Tēperamentum corporis in Rege aliquantò immutatum in ferinum.*

*Quanto tēpore durauerit supplicium?*

8. Tertia difficultas est de tēpore huius supplicij, dicitur enim in textu, *& septē tempora mutentur super eum.* Dorotheus in Synopsi, & Epiphan. in vita Danielis, & Author historiæ Scholasticæ super lib. Daniel. cap. 5. tradunt damnatum quidem Nabuchodonosor septenni illa plaga, sed Deum precibus Danielis redegisse pœnam in septem tantummodo menses, eisque finitis restitutum menti, vt antea, & reliquos sex annos, & quinque menses durissimam egisse pœnitentiam, qua omnino placatus Deus restituit illum in sedem regni. Redolet ista opinatio fabulas Hebræorum: solent enim liberè commētari quæ volunt, etiamsi ab ipsa diuini textus serie exorbitent: quare audiendi nō sunt prędicti Autores, eo vel maximè argumēto, quòd enumeratis plagis, quibus obnoxius factus est Rex, statim subditur, *septem quoque tempora mutabuntur super te*, quo apertè significatum est, totis septem temporibus eisdem vixisse obnoxium plagis. Item, cùm proposuisset Scriptura hunc temporum numerum, addidit: *Igitur post finem dierum* (vtpote designatorum per eadem septem tempora) *ego Nabuchodonosor oculos meos leuaui, &c.* Adde rem ita notatu dignam, quæque & Dei erga peccatores resipiscentes clementiam, & Danielis coram illo gratiam ita commendabat, non prætermittendam à Scriptura, si reuera contigisset.

*Deum precibus Danielis imminuisse tempus statutū, secundùm aliquos.*

*Totis septem annis vixit sub plaga Rex.*

9. Igitur Theodoretus refert, quorundam opinionem fuisse, per septem tempora significari hoc loco tres annos & dimidium: sensisse enim huiusmodi Autores annum diuidi in duo tempora principalia, æstatem, vt continet etiam ver, & hyemem, vt cōprehendit autumnum: septémque tempora hoc modo sumpta efficere tres annos, & dimidium, vt patet. Hæc opinatio non videtur displicuisse Theodoreto, sed ea tamen probabilis non est, quia nusquam in Scriptura sacra vocabulum temporis præcisè sumpti ponitur ad significandum dimidium illud anni, quod vel æstate, vel hyeme continetur.

*Aliquorum sententia, per 7. tempora intelligi tres annos & dimidium.*

*Per septem tempora significari 7. annos vulgares.*

10. Quamobrem communis sententia, in quā Hebræi pariter, & Christiani conueniunt, tenet per septem tempora significari hoc loco septem annos secundùm vulgarem vsum, continentes scilicet duodecim menses. Primùm, quòd annus ita sumptus complectitur omnes, ac præcipuas, vulgóque obseruabiles temporum varietates, veris, scilicet, æstatis, autumni, hiemis, serendi, metendi, solstitiorum, æquinoctiorum, &c. Deinde, quia apud hunc eundem Prophetam infrà cap. 7. dicitur persequutionem, vel Antiochi aduersùs Iudæos, vel Antichristi aduersùs omnes fideles duraturam per tempus, & tempora, & dimidium

A temporis, hoc est, per tres annos, & dimidium. Tanto enim tempore durasse sub Antiocho, patebit legenti primum & quartū caput primi libri Machab. Idem verò tempus, & confessione Patrum, & antiqua traditione determinatur persequutioni Antichristi. Præterea hoc idem istius persequutionis tempus declarat idem Propheta cap. 12. per mille ducentos & nonaginta dies, qui conficiunt tres eosdem annos, & dimidium. Conformiter autem ad hæc Apocal. 11. 12. & 13. summa persequutionis Antichristi numeratur, modò per quadraginta duos menses, modò per dies mille ducētos sexaginta, modò per tempus, & tempora, & dimidium temporis, quibus omnibus modis conficitur prædicta annorum summa.

B Ex quibus colligitur, vsum Scripturæ numerantis esse vt temporis vocabulo absolutè sumpti intelligatur annus, ac adeò septem hic tempora significare septem annos.

11. Quis autem hoc septem annorum spatio clauum regni tenuerit, & quomodo postea Nabuchodonosor reducem exceperit, multi dubitant: nec enim credibile est, regnum tandiu potuisse carere rectore aliquo summo: sed & difficile credetur, quomodo eiusmodi rector facilè postea cesserit venienti è syluis homini. Respondetur tamen, probabile esse filium Nabuchodonosor Euilmerodach pro patre gessisse imperiū; constat enim ex vltimo capite lib. 4. Reg. & ex

*Qui interim regnauerit, & quomodo facilè cesserit Regi venienti.*

*Euilmerodach filium regnasse pro patre.*

C Ierem. cap. 5. hunc Euilmerodach, mortuo Nabuchodonosor, fuisse regni successorem: quòd si tempore paternæ calamitatis, nō erat adhuc imperio maturus, dici potest, imperium fuisse sub optimatibus regni eo tempore, quo finito, vt facilè Regem admitterent à pœna reducem, effecisse id maximè Danielem autoritate sua, qua etiam toto illo supplicij tempore eorum animos emolliebat ad præstandam suo tempore hanc restituto Regi facilitatem. Vnde natum, vt finita pœna, Regem ipsi requisierint, vt is testatur infrà. *Optimates, inquit, & Magistratus mei requisierunt me, & in regno meo restitutus sum, & magnificentia amplior addita est mihi.*

*Danielem autoritate sua effecisse, vt reducem filius reciperet.*

D 12. Ecce autem quanta fuit, vel in Rege barbaro, pœnitentiæ vis, vt Dominum sibi non solùm propitium fecerit, sed remuneratorem munificentissimum? Audire libet Tertullianum exhortantem acriter ad exomologesin, hoc est, confessionem peccatorum, quæ vna est è pœnitentiæ partibus: Peccator, inquit, restituendo sibi institutam à Domino exomologesin sciens, præteribit illam, quæ Babyloniorum Regem in regna restituit? Diu enim pœnitentiam Domino immolarat septenni squalore exomologesi inoperatus, vnguium, leoninum in modum efferatione, & capilli incuria, horrorem aquilinum

*Pœnitentia vis.*

*Tertull.*

*Confessio restituit de homini seruit.*

E præferente. Proh malæ tractationis! quem homines horrebant, Deus recipiebat. Ita ibi Tertul. Similiter & in lib. de patientia: Rex Babylonius, inquit, offenso Domino, cùm squalore, & pedore septenni ab humana forma exulasset, immolata patientia corporis sui, & regnum recuperauit, &, quod optabilius homini est, satis Deo fecit. Sic ille.

---

*De remedio quod Daniel Regi proposuit ad placandum Deum.*

SECT.

## SECTIO III.

1. *Eleemosynæ vis ostenditur ex triplici Scripturæ loco.*
2. *Idem ex Patrum testimoniis deducitur, nuncupatim Augustini, Ambrosij, Chrysostomi.*
3. *Quæstio vulgaris, quomodo eleemosyna purget à peccatis, & gloriam tribuat? & ostenditur ratio dubitandi.*
4. *Prima explicatio Augustini non satisfacit: secunda eiusdem explicatur, & toleratur, sed sumpta tantùm pro peccatis futuris.*
5. *Vera sententia, eleemosynas iustificare, & saluare dispositiuè, ex Beda, & Bonauentura.*
6. *Tractatur dubitatio de particula, fortè, & quomodo intelligenda sit ostenditur, siue illam Deus, siue homo proferat.*

1. DANIEL, pro sua in regem Nabuchodonosor beneuolentia, remedium singulare obtulit ad redimenda peccata sua, Deúmque sibi placandum. Vers. 24. *Quamobrem, Rex, consilium meũ placeat tibi, & peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis.* Hebr. *Peccata tua iustitia redime. Si fortè sit prolongatio paci tuæ* Septuag. *Fortasse erit lõganimis delictis tuis Deus.* Sunt quidem in Scriptura, & Patribus mirabiles de virtute eleemosynæ sententiæ. Inprimis Ecclesi. 3. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis.* Tob. 12. 9. *Quoniam eleemosyna à morte liberat, & ipsa est, quæ purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam æternam* Et Christus Luc. 11. 24. *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.*

*Varia lectio.* Eccl. 3. 33. Tob. 12. 9. Luc. 11. 24.

2. Inter Patres D. August. in lib. 50. homil. homil. 29. Sacrificium, ait, Christianorum eleemosyna in pauperes: hinc enim fit Deus peccatis propitius. A peccatis enim, & delictis, sine quibus præsens vita non ducitur, mundantur homines per eleemosynas, quæ fiunt erogando, & remittendo: erogando quod habes bonum, remittendo quod pateris malum. Sermone autem 33. ponderat quod Dominus eis, quos vel damnaturus, vel coronaturus est, solas eleemosynas imputat, Matth. 25. 35. 42.

D. August. *Eleemosyna, sacrificium Christianorum.* Matth. 25. 35. 42.

D. Ambros. serm. 15. Magna est, inquit, eleemosyna, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ suæ fonte refrigerat, & quodam irriguo largitatis, obruit incendia delictorum; vt quamuis offensus Deus, quáuis criminibus prouocatus, cogatur liberare eleemosynis, quem disposuerat punire peccatis. Ait enim sanctus Propheta, *Sicut aqua extinguit ignem, ita eleemosyna extinguit peccatum.* Inter hæc autem Ambrosij verba notari debet illud, *cogatur Deus liberare eleemosynis, &c.* quasi in manu Dei non sit, non liberare peccatorem, si eleemosynas eroget.

D. Ambros. *Eleemosyna restinguit incendia delictorum.* *Cogitur Deus liberare propter eleemosynas.*

D. Chrysost. homil. 36. ad populum: Eleemosyna multa fiducia suos in cælum introducit alumnos. Est enim cæli nota ianitoribus, qui sponsalis thalami fores obseruant: quin & venerabilis est, & quos sui cultores agnouerit, cum multa introducit libertate, & contradicet nemo, sed omnes cedent. Nam si Deum in terram deduxit, & hominem fieri persuasit; multò magis hominem in cælum poterit reducere. Idem homil. 33. Eleemosyna Christi adstat tribunali, non tantùm patrocinãs, verùm & ipsi persuadens Iudici, vt reo patrocinium præstet, & pro eo sententiam ferat, & licèt millies peccauerit, coro-

D. Chrys. *Eleemosyna suos in cælũ introducit. Ianitoribus cæli nota.* *Eleemosyna iuniso adstat tribunali pro suis.*

A nat, & victorem promulgat. Ita Chrysostomus. Nec est opus plurium testimoniis vti: nam ferè omnium hæc vna est vox Scripturæ diuinæ, vt vidimus, consona.

3. Vulgaris est hîc, sed nunquam satis explicata, quæstio, quomodo eleemosyna redimat, purgétque peccata, ac vitam æternã largiatur? Nam qui eleemosynas dat, aut iustus est, & sic peccata non habet, quæ purgentur, nisi venialia, quæ tamen non impediunt salutem: vel est iniustus, & peccator, sicque licèt eleemosynas impendat, ob eas in statu peccati distributas, non consequetur purgationem animæ, aut gloriã. Nam ideo Paulus dixit 1. Corinth. 13. 3. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem nõ habeam, nihil mihi prodest,* scilicet, ad vitã æternã

*Vulgaris quæstio, quomodo eleemosyna purges peccata?* 1. Cor. 13. 3.

B consequendam. Nam (vt ait D. Ambros. explicãs prædicta verba Pauli) apertum est, quia si omnis substantia impendatur, nihil proficit charitate neglecta, quia caput religionis charitas est, & qui caput non habet, vitam non habet.

D. Ambros.

4. D. August. in Enchirid. cap. 75. 76. 77. & eũ sequuti Beda, & Strab. sic exponunt, eleemosynã opus esse misericordiæ. In libro autem Ecclesiastici cap. 30. 24. scriptum esse, *Miserere animæ tuæ placens Deo:* hanc autem esse præcipuam eleemosynam, quæ mundat hominem, videlicet ex qua vim habent cæteræ eleemosynæ. Hæc explicatio liberè de rebus diuinis concionanti quadrat magis, quàm exacto literæ interpreti. Quæ enim de

D. August. *Explicatio Augustini.* Eccli. 30. 24.

C eleemosyna ex Scriptura citauimus, simpliciùs sumenda sunt, sicut simpliciter dicta, nimirum de largitione in cõmunes pauperes, de qua etiã Patres intelligunt, cùm de eleemosyna asserunt ea, quæ superiùs attigimus.

Quare D. Augustinus aliam innuit explicationem lib. 21. de ciuit. cap. 27. ait enim genus quoddam esse vitæ, quæ bona quidẽ est, sed non ita bona, vt per eam perueniri ad beatitudinem possit, absque eleemosynis pauperum, & de his eleemosynis intelligenda esse, quæ Scriptura, & Patres asserunt. Verùm hoc adhuc perplexum apparet: aut enim ea vita est ita bona, vt secum patiatur adesse peccata mortalia, aut ita bona, vt

D. August. *Alia explicatio D. Augustini.*

D mortalia quidem non habeat, sed solùm venialia; si detur prius, nec per quascunque eleemosynas regnum cælorũ obtinebit talis vita; si posterius, etiam sine eleemosynis continget salus. Sed tamen Augustini sententia ita videtur posse declarari, esse aliquos homines iustos quidem, sed ita negligenter, & inconsideratè viuentes, vt & venialia plurima admittant, & parum sibi caueant ab occasionibus peccandi, ac adeò qui in procliui quasi sint ad lapsum: hoc genus hominum videtur Augustinus intelligere, eleemosynarũ ope iuuari, & redimi à peccatis, non quidem præteritis, sed futuris; Deo scilicet eos ob pauperum preces protegente, & occasiones peccatorum remouente, ne tandem mortiferè labantur.

*Iuxta mentem Augustini, sunt iusti, qui nõ nisi eleemosynis saluentur.*

E 5. Beda & Bonauentura volũt, quæ dicta sunt de eleemosyna intelligẽda esse dispositiuè, quòd scilicet disponat hominem ad remissionem peccatorum, id quod Theologi dicunt, & Scriptura non semel innuit. Actor. 10. 4. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et Ecclesi. 29. 15. *Conclude eleemosynam in sinu pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Quare & D. Chrysostom. homil. 7. de pœnit. Eleemosyna, inquit, pennata est, & leuis, aureas habẽs alas, ipsos supra modum delectans Angelos, apud ipsum

Beda. D. Bonau. *Beda explicatio, dispositiuè delere peccata.* Actor. 10. 4. Eccl. 29. 15. D. Chrys. *Eleemosyna pennata est.*

ipsum regalem thronũ persistit, cùm iudicamur imminet, tormentisque nos eripit, suis complectens & protegens alis. Ita Chrysostom. Et sunt plura in hanc sententiam passim à Patribus inculcata. Videtur autem hic vltimus modus facilior, & simplicior. Et in hunc modum intelligendus est hic Daniel persuasisse Regi, vt peccata sua eleemosynis redimeret, id est, per eas ex diuina motione factas se disponeret ad remissionem peccatorum.

*Cur adhibita particula dubitantis, forsitan?*

6. Quod verò addit, *Forsitan ignoscet Deus delictis tuis*, continet dubitationem aliam communem, quare Propheta vsus fuerit particula illa, *forsitan*, quæ dubitationem præfert, cùm ex superioribus pateat, quantam vim elemosynæ habeant ad placandum Deum. Videbitur autem ob id Propheta sibi esse contrarius, qui exhortans Regem ad redimenda eleemosynis peccata sua, statim dubitet de effectu earundem eleemosynarum. Hæc dubitatio pari modo procedit in aliis Scripturæ locis, vbi similes particulæ adhibentur. Ionæ 3. 9. *Quis scit si conuertatur & ignoscat Deus?* Et 2. Reg. 12. 22. *Quis scit si fortè donet eũ mihi Dominus, & viuat infans?* Et Ierem. 26. 3. *Noli subtrahere verbum, forsitan audient, & auertẽtur.* Actor. 8. 22. Petrus de Simone Mago: *Pœnitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deũ, si fortè remittatur tibi hac cogitatio cordis tui.* Primùm ergo generaliter dicendum: Cùm Deus est, qui de hominibus loquens particula dubitantis vtitur, vt in illo Ieremiæ citato: *Noli subtrahere verbũ, forsitan audient, &c.* non ideo poni, vt significetur, Deum dubitare, sed vt innuatur, hominem liberi esse arbitrij, nec Deum præscientia, aut voluntate sua illi necessitatẽ imponere. Vnde D. Chrysostom. homil. 69. super Matth. 21. 37. ad illa verba Dei

*Ion. 3. 9. 2. Reg. 12. 22. Ierem. 26. 3. Act. 8. 22.*

*Similes particulæ adhibentur, vt ostendatur, hominem liberi esse arbitrij.*

*Cryſoſt. Matth. 21. 37.*

A mittentis post Prophetas Filium suum: *Verebuntur fortasse Filium meum.* Nõ quia ignoret, inquit, hæc ait, sed ne quidam ex amentia dicerent, prædictione Dei coactos obtemperare non potuisse. Præterea vtitur Deus prædictis particulis aliquando, ad significandam difficultatem rei, quam pronunciat Matth. 24. 24. *Dabunt signa magna, ita vt in errorẽ inducantur, si fieri potest, etiã electi.* Sciebat Christus, non casuros electos in errorem, sed quia præuidebat ad magnam tribulationem nutaturos, citra vllum tamen casum, idcirco se quasi dubitantem exhibuit. Quòd si is, qui per eas particulas loquitur, homo est, putà Apostolus, aut Propheta, prudens lector consideret, an res sit eiusmodi, vt turpe sit eum, qui scribit, dubitare; quod si fuerit, intelligat non loqui dubitanter, sed affirmanter, vt in illo Petri Actor. 8. de Simone: *Pœnitentiã itaque age, si fortè remittatur tibi, &c.* Dubitare non potuit Petrus, an per pœnitentiam peccata remitterentur, sed potuit dubitare, an vera futura esset hominis pœnitentia, & an remissa culpa per eam: &, si vera esset, remitteretúrne etiam & pœna tali peccato debita. Et eodem prorsus modo hîc intelligendus Daniel loqui ad Nabuchodonosor: *Si fortè ignoscet Deus delictis tuis:* nec enim de remissione absolutè dubitat, sed dubitare potest de qualitate pœnitẽtiæ Regis, & an valitura sit ad condonandam etiam pœnam temporalem peccato annexam. Aut verò nullam habet turpitudinem, & tunc venit intelligẽda particula, *fortè*, vt sit ignorantis euentum: cuiusmodi est illud Marc. 14. 2. de Scribis: *Ne fortè tumultus fieret in populo.* & Matthæi 25. 9. *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis.* & Actorum 17. 27. *Quærere Deum, si fortè attrectent eum.*

*His particulis prætendi necessitatem operandi.* *Matth. 24. 24.* *Eisdem aliquando significari solam difficultatem.*

*Si homo est, qui dubitantis particulis vtitur, quomodo expendenda.*

B

C

# VISIO VIGESIMA TERTIA,

## DE SCRIPTVRA MONSRATA

### Baltassari Regi in conuiuio.

*Daniel. Cap. 5.*

## ARGVMENTVM VISIONIS.

B*ALTASSAR Rex conuiuium magnum regio apparatu exhibet. Impiè abutitur vasis sacris quæ asportauerat Nabuchodonosor è templo Hierosolymitano. Videt in pariete scribentis digitis. Scripturam solus Daniel interpretatur, Regem videlicet regno, ac vita priuandum, quam interpretationem repentinus euentus comprobat.*

### CAPVT V. DANIEL.

1. BAltassar Rex fecit grãde cõuiuium optimatibus suis mille: & vnusquisque secundùm suam bibebat ætatem.

2. Præ

### PARAPHRASIS.

1. B*Altassar Rex conuiuium exhibuit magnitudine regia dignum mille Principibus aulæ suæ: & vnusquisque ad bibendum*

*accum*

2. Præcepit ergo iam temulentes, vt afferrentur vasa aurea, & argentea, quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo, quod fuit in Ierusalem, vt biberent in eis Rex, & optimates eius, vxorésque eius, & concubinæ.

4. Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneósque, & lapideos.

5. In eadem hora apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ, & Rex aspiciebat articulos manus scribentis.

6. Tunc facies Regis mutata est, & cogitationes eius conturbabant eum; & compages renum eius soluebantur, & genua eius ad se inuicem collidebantur.

7. Exclamauit itaque Rex fortiter, vt introducerent magos, Chaldæos, & aruspices. Et proloquens Rex ait sapientibus Babylonis: Quicumque legerit scripturã hãc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquẽ auream habebit in collo, & tertius in regno meo erit.

8. Tunc ingressi omnes sapientes Regis non potuerunt nec Scripturam legere, nec interpretationem indicare Regi.

10. Regina autẽ pro re, quæ acciderat Regi, & optimatibus eius, domũ conuiuij ingressa est, & proloquens ait: Rex in æternum viue: non te conturbent cogitationes tuæ, neque facies tua immutetur.

11. Est vir in regno tuo, qui spiritum Deorum sanctorum habet in se: & in diebus patris tui scientia, & sapientia inuentæ sunt in eo: nam & Rex Nabuchodonosor pater tuus, Principem magorum, incantatorum, Chaldæorum, & aruspicum constituit eum: pater, inquam, tuus, ô Rex.

13. Igitur introductus est Daniel coram Rege. Ad quem præfatus Rex ait: Tu es Daniel de filiis captiuitatis Iudæ, quem adduxit pater meus Rex de Iudæa?

17 Ad

A *accumbebat pro ætatis excellentia, id est, qui maximus natu erat, primo loco accubuit, & gradatim se ætatis prærogatiua præcedebant.*

*2. Rex igitur temulentus, vino videlicet id consilij suggerente, vasa aurea, & argentea, quæ vnus è maioribus eius Nabuchodonosor è templo Hierosolymitano extulerat, & religionis causa in thesauris Bel Dei sui condiderat, educi imperauit, adhibuítque mensæ profanæ, vt non solùm aulici illi Principes, sed & concubinæ Regis eis abuterentur.*

*4. Deósque suos interim aureos, argenteos,*
B *lapideos, ligneos, magna vnius Dei contumelia collaudabant.*

*5. In ipso igitur delicti articulo comprehensus est à Deo Rex, & ecce visa illi, ac cæteris qui aderant, similitudo humanæ manus digitos extendentis ad scribendum in pariete, qua parte appensum erat candelabrum, vt lucem adhiberet aspicientibus. Visa est autem Regi scriptura potiùs, quàm quippiam aliud mente per somnium, sicut Nabuchodonosor, vt impietas ipsius magis conuelleretur, quem Deus sua sententia, manu videlicet ipsius scripta, condemnaret.*

*6. Tunc Regis ora pallor occupauit, cœpítque*
C *cogitationum æstibus interiùs concuti, renibus solui, tremere artubus, labare genibus, vt in graui metu euenire solet.*

*7. Partim ergo specie ipsa terribilis Visionis concussus, partim à Deo intrinsecus agitatus in medio conuiuio regiæ dignitatis oblitus vociferari cœpit, ac sapientes Babylonis accersiri iussit, quibus præsentibus ait: Qui scripturam hanc ritè exposuerit regiis ornamentis à me donabitur, purpurea, scilicet, chlamyde, ac torque aurea, tertióque loco, post me, videlicet, ac Reginam, sedebit in regno meo.*

*8. Sapientes verò introgressi, scripturã alioqui*
D *Chaldaicam legere non potuerunt, vel quia impediti à Deo sunt, vel quia capita tantùm dictionum continebat, quo factum, vt Rex vultus ampliùs conturbaretur, ac Principes formidine acti tumultuarentur inuicem.*

*10. Eius rei certior facta Regina, mater videlicet Baltassaris, magnæ prudentiæ fœmina, ingressa est in locum conuiuij, ac Rege de more salutato, Ne turbere Rex, inquit, placatior & animo, & vultu esto.*

E *11. Habes in regno tuo virum nomine Danielem Diuino spiritu plenum, qui apud Nabuchodonosor vnum è superioribus patribus tuis sapientia praecellebat, ac ideo Principem magorum constituerat, & nomen ei Baltassaris imposuerat: diu autem est, quòd ab aula recessit. Præcipe igitur vocari hunc ad te, & rem totam explicabit tibi.*

*13. Introductus est itaque Daniel. Cui Rex: Tune Daniel, is quem Nabuchodonosor pater meus inter captiuos adduxit de Ierusalem? Audiui de te, quòd spiritu Diuino afflatus possis*

*enodare*

A *enodare res omnes difficiles, & obscura interpretari: scripturam ergo hanc à nullo Chaldæorum explicatam si congruè interpreteris, donis præcipuis afficieris, regia purpura, torque aurea, quæ etiam regale est insigne, erísque tertius in regno meo post me, & Reginam.*

17. Ad quæ respondens Daniel ait coram Rege: Munera tua sint tibi, & dona domus tuæ alteri da: scripturam autem legam tibi, Rex, & interpretationem eius ostendam tibi.

*17. Daniel nolens vendere prophetiam, sed gratis donare quod gratis acceperat, ait: Dona tua hæc, ô Rex, tibi, ac tuis sint; scripturam autem & legam priùs, & lectam lubens interpretabor tibi.*

18. O Rex, Deus altissimus regnum, & magnificentiam, gloriam, & honorem dedit Nabuchodonosor patri tuo.

*18. O Rex, Altissimus Deus gloriosum regnum largitus est* B *auo tuo Nabuchodonosor, ita vt latè dominatus omnia suo imperio coërceret: cùm autem & superbia elatus est, & in Deum obfirmauit cor suum, deturbatus est è solio regni, & eiectus in syluas cum bestiis egit, ac sub dio viuens, fœno pastus est, donec malo suo didicit obedire Deo, qui Rex Regum est.*

22. Tu quoque filius eius Baltassar non humiliasti cor tuum, cùm scires hæc omnia.

*22. Tu autem Baltassar succedens in regnum paternū paterno exemplo non cauisti, sed sciens, & prudens deliquisti contra Deum, ac superbè in eum elatus, vasa sacra in conuiuium profanū* C *inuexisti, nec eo tantùm, sed & Deorum tuorum intermissis laudibus verum Deum irritasti, quem tamen nosse debueras dominatorem vitæ tuæ, ac tuarum rerum.*

24. Idcirco ab eo missus est articulus manus, qui scripsit hoc quod exaratum est.

*24. Cùm ergo Deus patientèr huc vsque expectauerit emendationem tuam, nec spem iam superesse sciret, tunc eduxit manum, vt digitis exararet in pariete scripturam hanc,*

25. Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: Mane, Thecel, Phares.

*25. Quæ sic habet: Mane, Thecel, Phares.*

26. Et hæc est interpretatio sermonis: Mane, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.

*26. Quæ verba hoc habent interpretamentum: Mane, numerando numerauit Deus, & quasi ad calculos minimos, hoc est, exactissimè* D *excussit dies regni tui, iámque liquido ostendit finitos esse.*

27. Thecel, appensus es in statera, & inuentus es minus habens.

*27. Thecel, id est, quasi in statera appensus ei, inuentúsque es minus habens, vel annorum, scilicet, quàm ætas, naturáque tua postulabat (violento enim mortis genere finies vitam) vel minus meritorum, quàm vt regno dignus sis: vel minus probitatis quàm par est.*

28. Phares, diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.

*28. Phares, diuisum est regnum tuum in Persas, & Medos: nam etsi Darij Medorum Regis nomine bellum geratur, per nepotem eius Cyrum Regem Persarum res bellica administra-* E *tur, & ideo captum regnum Babylonicum inter eos diuidetur.*

29. Tunc iubente Rege indutus est Daniel purpura, & circundata est torques aurea collo eius: & prædicatum est de eo, quòd haberet potestatem tertius in regno suo.

*29. Tunc Baltassar, etsi infaustum nuncium receperat, tamen fidem regiam exoluens, iussit Danielem purpura vestiri, & torque aurea ornari, & præconis voce prædicari tertius à Rege. Quæ munera Daniel, recusata antea, ne tunc videretur ambire, recipit modò in Dei gloriam, vt sententiæ eius euidentius esset testimonium.*

30. Eadem nocte interfectus est Baltassar Rex Chaldæorum.

*30. Eadem nocte Rex Chaldæorum Baltassar occisus est, Baltassarísque, & regni Chaldæorum vnus finis fuit. Et Darius Medorum Rex in regnum successit, cùm esset sexaginta annorum.*

## COMMENTARIVS.

Breuiter expediemus hanc Visionem. Primò explicabimus aliquas difficultates, quæ circa historiam occurrunt. Deinde ipsam scripturam propositam Regi cum Daniele interpretabimur, ac expendemus.

### *Explicantur aliquæ difficultates circa præsentem historiam.*

### SECTIO I.

1. *Baltassarem non fuisse filium, sed nepotem Nabuchodonosor. Nepotes etiam appellat Scriptura filios.*
2. *Demonstratur ex computatione temporum intercessisse duos saltem Reges inter Euilmerodach, & Baltassarem.*
3. *Quòd Baltassar tempore obsidionis conuiuium instruxerit, probabilius est, ac Scripturæ conformius, ex vecordia actum, vt in ipsa ebrietate interciperetur ab hostibus.*
4. *Reiicitur opinio Lyrani de manu, quæ apparuit. Probatur verè apparuisse manum seu manus articulos. Theodoreti peracuta notatio ad mores.*
5. *Quare Chaldæi sapientes non potuerunt scripturam legere, discutitur: probabilius, exaratam Chaldaicis literis capitalibus, ideoque sapientibus ignotam; ope verò diuina Danieli apertam.*

*Num Baltassar fuerit filius Nabuchodonosor?*

1. RIMA hîc quæstio difficilis, vtrùm Baltassar fuerit filius Nabuchodonosor? quòd enim fuerit, videbitur indubitatũ; quoniam hoc capite Regina cum Baltassare loquens nominat Nabuchodonosor patrem eius. Quòd verò non fuerit filius, videtur conuinci ex cap. 27. 7. Ierem. (Ierem. 27. 7.) siquidem ibi pollicetur Deus, daturum se Nabuchodonosor imperium magnum, & post ipsum filio eius, & filio filij, post quem euersum iri pronunciat Babylonicum imperium. Fit ergo Baltassarem, sub quo cœptum est imperium, fuisse non filium, sed nepotem Nabuchodonosor, filium verò Euilmerodach, quem patri Nabuchodonosor proximè successisse omnes consentiunt. Nec obstat, quòd vocetur filius: nam & nepotes Scriptura vocat filios.

*Baltassar nõ filius sed nepos Nabuchodonosor. Euilmerodach, filius fuit.*

*Num inter Baltassarem & Euilmerodach fuerint alij Reges.*

2. Num autem inter Euilmerodach, & Baltassarem, alij Reges intercesserint, magna est dubitatio. Nam quòd non intercesserint, videtur ostendere locus ille proximè citatus ex Ieremia; quòd verò intercesserint, necessariò demonstratur ex ratione temporum; quoniam ex Ierem. 25. 11. & 29. & vltimis verbis 2. Paralip. à principio captiuitatis Babylonicæ vsque ad finem intercurrerunt septuaginta anni: & initium quidem captiuitatis incidit in annum decimumnonum Nabuchodonosor, 4. Regum 25. 11. qui regnauit annos quadragintatres, ac adeò post captiuitatem vigintiqninque annos regnum tenuit: supersunt ergo post mortem Regis ad explendum tempus captiuitatis, anni quadragintaquinque, qui ex regno Euilmerodach, & Baltassaris colligi ne- A queunt: nam Euilmerodach secundùm Alexandrum, Megasthenem, & Alphæum, duos tantùm regnauit annos; vel secundùm Seuerum Sulpitium duodecim; secundùm Iosephum decem & octo, quem modò sequemur: Baltassar verò concessu omnium, decem & septem, qui cum illis decem & octo Euilmerodach efficiunt non plus quàm trigintaquinque, qui simul cum vigintiquinque Nabuchodonosor, quos à cœpta captiuitate vixit, faciunt annos sexaginta, desunt autem decem anni ad explendos septuaginta captiuitatis, quos necessariò transegisse fatendum est vnum, aut duos aliquos intermedios Reges, non tamen de posteris Nabuchodonosor, atque hos B volunt aliqui fuisse Niglesar, & Lebosardach: cur autem regnauerint ante Baltassarem filium Euilmerodach, ratio esse potest, quia fortè puellus adhuc erat, nec Imperio habilis. Atque vt ad hanc partem potiùs inclinemur facit, præter rationem statutam temporis, autoritas grauissimorum Autorum, qui illos duos nominatos Reges interponunt inter Euilmerodach, & Baltassarem, nempe Berosi, Alexandri, Megasthenis; Alphæi, Iosephi, Eusebij Hieronymi, Bedæ.

*Ierem. 25. 11. 29. 10. Demonstratur ex ratione temporũ intercessisse. 2. Paral. 36. 21. 4. Reg. 25. 11.*

*Nominãtur duo, Niglesar, & Lebosardach, sed non de genere Nabuchodonosor.*

*Quomodo obsidionis tempore conuiuium extruxerit? Prima causa, in contemptum obsidentium.*

3. Alia quæstio est, quomodo Baltassar importuno obsidionis tempore conuiuium celebrauerit? Et quamquam Autores aliqui laborent in reddenda causa, ego nec possum, nec soleo diuinare. Sunt qui velint Baltassarem id fecisse, in C contemptum obsidentium, & ad ostendendam securitatem: id quod præclaros etiam duces obsidionis tempore fecisse, non semel proditum est memoriæ; nimirum, vt eo strategemate animos hostium frangerent, cogerentque obsidionem soluere. Nam Diodorus Siculus narrat lib. 12. antiquarum rerum, Epaminondam egregium ducem obsessum ab hostibus, cùm milites, eos sibi insultantes, ac obstrepentes ægrè ferrent, iussisse, vt epulis, ac amœnitati indulgerent, quo ostenderent strepitus se illos pro nihilo ducere. Idem fecisse Viriatum Lusitanum à Romanis obsessum, Lucius Florus autor est. Verosimilius crediderim Baltassarem ex animi vecordia, & incogitantia conuiuium premente obsidione cele- D brasse, idque Dei permissu, vt ebrius, ac supinus cum suis interceptus ab hostibus, miserè periret: eadémque via, qua suas voluptates sequebatur, imprudentem prouidentia Dei ad perniciem ductum. Quod quidem indicat Isai. cap. 21. 4. cùm sic de Babylone prophetat: *Emarcuit cor meum, tenebræ stupefecerunt me: Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculum. Pone mensam, contemplare in specula comedentes, & bibentes, surgite Principes, arripite clypeum.*

*Secunda causa, ex animi vecordia fecisse.*

*Isai. 21. 4. Completa in eo prophetia Isaiæ.*

4. Præterea, qualis fuerit species manus scribentis, videndum est. Quamquam Lyranus existimet re vera non apparuisse manum aliquam in pariete, sed Dei potentia in phanta

*Qualis fuerit species manus scribentis.*

phantasia Regis positam speciem quandam manus, ob quam sibi videbatur Rex videre illam in pariete expressam, aliis interim non videntibus; tamen non videtur probabile sic rem habuisse; sed simpliciter apparuisse manum in pariete: Scriptura enim simpliciter dicit, apparuisse quasi manum hominis, quæ quidem formata dici potest ex aliquo corpore solido, factaque omnibus, qui aderant, aperte conspicua: neque enim Scriptura ait, soli Regi visam manum, visam tamen ipsi memorat, quoniam ad ipsum specialiter pertinebat. Vnde colligi non debet, cæteros non vidisse: imò etsi non vidissent, colligi verè non posset, non fuisse efformatam extra sensus Regis, sed intra ipsum: nam eiusmodi Visiones diuinitus factæ, pro Dei voluntate his vel illis manifestantur, aut occultantur. Exemplum in exercitu illo curruum igneorum, qui monstratus est Elisæo, & subtractus oculis pueri Giezi. 4. Reg. 6. 17. Visi sunt autem digiti scribentis, *quasi manus hominis*, cætera quidem non apparentis, solis autem articulis exarantis scripturam: dicitur enim in texto, *ab eo*, scilicet, Deo, *missus est articulus*, & iuxta translationem aliam: *A facie Domini missus est articulus manus*, &c. Non dixit (ait Theodoretus) ipse Deus scripsit, sed, missus est à facie eius articulus manus, hoc est, scribi iussit: neque enim totum, qui scripsit, ostendit tibi, ô Rex: verùm cùm tuum coarguere factum vellet, solis te digitis perculsit, & tanto metu compleuit. Ita peracute Theodoretus, ostendens videlicet Deum per contemptum se opponentem superbo Baltassari, nimirum eum, quem spernimus, vnius digiti vibratione percutimus, ita quasi vibrat Deus articulos manus in Regem barbarum, ac vinolentum.

*Non in sola phantasia Regis, sed reuera in pariete visam manum.*

2. Reg. 6. 17.

Theodor.

*Superbum Regē Deus vno digiti vibratione perculsit.*

5. Illud quoque admirationem hic parit, quomodo sapientes Babylonis scripturam neque legere, neque interpretari potuerint (sic enim expressè in textu) cùm & videantur Chaldaice scripta verba; & licèt fuerint scripta Hebraice (vt Chrysostomus putat super Psalm. 95.) facile tamen, præsertim à viris sapientibus, legi poterat, tum propter affinitatem literarum, tum propter diutinam Chaldæorum cum Hebræis consuetudinem. Sunt ergo qui asserant scripturam hanc fuisse exaratam literis peregrinis, quarum sapientes illi notitiam non habebant; Danieli autem diuinitùs infusam talem notitiam, ac mentem desuper illuminatam à Deo, vt non solùm verba ipsa, sed & reconditum verborum sensum, iuxta diuinæ voluntatis propositum, Regi manifestaret. Idcirco enim in textu dicitur, spiritum ampliorem esse in Daniele; & iuxta aliam translationem, spiritum excellentem, vt cæteris sapientibus, quoad diuinorum secretorum interpretationes, ostendatur superior.

*Cur Chaldei non potuerint legere scripturam.*

D. Chryf.

*Secundùm aliquos, quia scripta erat literis peregrinis.*

Probabilius est, scripturam exaratam fuisse literis Chaldaicis, Hebræorúmque more non integras dictiones expressas, sed tantùm per literas capitales singulares hoc modo מ ת פ. Repetitur מ ad exprimendum Hebraismum *numerando numerauit*, vel ad significandam celeritatem, quæ per repetitionem sæpe exprimitur, *numerauit, numerauit*. quæ literæ sigillatim nihil significabant; at si integræ ponerentur dictiones, essent nimirum quæ hic ponuntur, *Mane, thecel, phares.* sicut Iudas Machabæus in vexillo militari scripsisse fertur מכבי quæ coniunctæ nihil significant. Estque meros fontes Machabæi, sed noua sumpta significatio ad cognomentum Machabæorum; at si per suas dictiones scribatur hoc modo מי כמך באלהים יהוה est idem ac, *Quis similis tibi in Diis Domine?* ex Psal. 85. vers. 8. Simile ergo vero est, ex communi literarum Chaldaicarum, & non peregrinarum vsu scripturarum propositam fuisse, sed quia modo illo, quem diximus, propterea sapientes Chaldæos non potuisse exponere, quod tamen Daniel diuino adiutus auxilio facilè præstitit: nec enim id certò præstitisset naturæ viribus duntaxat fretus.

*Probabilius scriptam literis Chaldaicis capitalibus.*

D. Fern. in Vis. vet. Test.

Rectè ergo annotat Theodoretus: Daniel diuini spiritus vas effectus sapienter omnia consulit, & prudenter omnia loquitur, & somniorum ænigmata declarat, & veluti subligacula quædam, & sigilla, & quasi in penu obserata soluit, aperit, & ad ipsa eos, qui velint, introducit, &c. Ita Theodoretus. Quæ omnia Danielem non ex dono aliquo naturæ, sed diuinitus assequutum intelligit, cùm ante omnia vas eum, id est, instrumentum, diuini Spiritus pronunciat. Id ipsum autem vult D. Chrysostom. loco citato, cùm ait: Ingressus est Daniel sanctorum verborum Propheta, spiritualis scripturarum liber, magni Regis interpres. Sic ille. Eximiè quidem Danielem laudans, spiritualem scripturarum librum eum vocat, vtpote qui ad interpretamenta rerum ac verborum difficilium, non opus haberet libros euoluere, cùm esset ipse Dei ope omnium librorum instar.

*Danielis sapientia in soluendis rebus obscuris.* Theodor.

D. Chryf.

*Daniel omnium librorum instar.*

## *De ipsa scriptura à Rege visa.*

### SECTIO II.

1. *Proponuntur verba sententiæ diuinæ, & explicantur.*
2. *Quomodo Deus numerauit regnum Chaldæorum. Deum esse ipsam mensuram, numerum, pondus, ex loco Sapient. 11. interprete Aug.*
3. *Numerare regnum Baltassaris est, breue ostendere. Explicatur locus Ps. 38.*
4. *Quid sit ponderare in Deo, ex loco Prouerb. 16. qui explicatur. Ponderatio iustitia apud Deum qualis.*
5. *Deus quomodo commensuret pœnas inferendas, ex variis locis Scripturæ.*

1. DANIEL postquam magna libertate coarguit factum Baltassaris, de profanatione vasorum Dei, ita legit, ac interpretatus est scripturā in pariete exaratam, Versic. 25. *Hæc est autem scriptura, quæ digesta est: MANE, THECEL, PHARES.* Vers. 26. *Et hæc est interpretatio sermonis: MANE, numerauit Deus regnum tuum, & compleuit illud.* Vers. 27. *THECEL, appensus es in statera, & inuentus es minus habens.* Vers. 28. *PHARES, Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Hebr. *Mene, Mene*, & pro, *inuentus es minus habens*; *inuentus es deficiens.* Fusiùs autem sic explicatur locus: Dicitur Deus numerasse regnum Baltassaris, & compleuisse illud, quia tempus, quo duraturum erat imperiū Chaldæorum, multò antè constituerat, ac præfinierat, Ieremiæ 25. & 29. Videlicet post septuaginta annos, sub finem, scilicet, captiuitatis Babylonicæ. Quo tempore autem hæc

*Varia lect.*

*Numerauit, statuit certum tempus regno Baltassaris.* Ierem. 25. & 29.

scriptura visa est à Baltassare, aderat; proximè terminus claudens & complens totam illam annorum summam. Quod autem ait, appensum Regem, & inuentum minus habere, significat ad exactissimam iustitiæ diuinæ librã examinata omnia eius opera, si quæ bona habuit, & quasi collata cũ sceleribus, visa hęc illis longè præponderare. Denique illud, *Diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis,* significat, mox periturum regnum Chaldæorum, & ab illis transferendum ad Medos, ac Persas. Prædixerat hoc ipsum Isaias ante ducentos annos cap. 47. 1. *Non est solium vltra filiæ Chaldæorum.* & cap. 13. 17. *Ecce ego super eos suscitabo Medos,* &c.

*Minus habere, id est, præponderare in eo mala.*

*Prædictum id ab Isaia, ante ducentos annos.* Isai. 47 1. Isai. 13 17.

2. Quòd ergo Deus numerauerit, ac appẽderit in statera Baltassarem, ostendit primùm id, quod Salomon generaliter de Deo pronunciat, Sapient. 11. 21. *Omnia in mensura, numero, & pondere disposuisti;* hoc est, tua ipsa iustitia sapiẽter distribuente ordinasti omnia. D. Aug. 4. de Genes. ad literam cap. 3. & 4. vbi hanc sententiam fusè explicat, in numero, pondere, & mensura, interpretatur, in se ipso, ductus hoc argumento: Nam si numerus, pondus, & mensura est aliud à Deo, cùm etiam subire debeat dispositionem Dei, alio numero, pondere, & mensura opus esset ad ea ipsa disponenda, ac adeò esset irreuocabilis, & infinita progressio. Secundùm id ergo, ait, quòd mensura omni rei modum præfigit, & numerus omni rei speciem præbet, & pondus omnem rem ad quietem, & stabilitatem trahit, Deus primitus, & veraciter, & singulariter illa est, qui terminat omnia, format omnia, ordinat omnia secundùm proprias exigentias. Sic Augustinus. Deus ergo, qui omnia generaliter in mensura, numero, & pondere disposuit, ipse quoque speciali modo ordinauit, quæ ad vltionem Baltassaris pertinebant.

*Explicatur locus Sap. 11.* Sap. 11. 21.

D. August.

*In numero, pondere, & mensura, hoc est, in se ipso.*

3. Deinde numerare regnum & complere illud, est ostendere illud breue, & citò finiendum: fortè enim ob id repetitur verbum, *Mane, Mane.* vt significetur accelerata pernicies. Idcirco Vates Regius agnoscens breuitatem vitæ suæ Psal. 38. 5. 6. *Notum,* inquit, *fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, vt sciam quid desit mihi. Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea,* &c. hoc est, ostende mihi Domine, quando sit futurus finis vitæ meæ, & incamus, si placet, numerum dierum, quos mihi ad viuendum concessisti; quasi dicat, æquè mihi ignotum est, quando sim discessurus è vita, ac quis numerus sit dierum meorum. Nusquam enim inuenio dies, quos numerem, sicut nec finem vitæ meæ, quem certò teneam: nam vel is est tempus illud, quo animam agam, vel momentum, quo esse desinã. Si illud prius, cùm adhuc viuam, non erit finis vitæ: si posterius, cùm iam non viuam, non finiet vitam, cùm ad illam non pertineat vllo modo. Similiter & de diebus vitæ philosophari licet: Da enim mihi dies, quos numerem in vita mea: præteriti iam non sunt, præsentem non habeo, nisi vno momento, qui dies non est. Qui ergo sunt dies mei? Nihil omnino. *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te;* quasi dicat: Ecce de diebus meis ita loqui soleo, vt certa mensura, ac numero comprehendi posse videantur; & tamen re vera cùm ad mensuram, & numerum exiguntur, nihil sunt; opinione videlicet aliquid, re & substantia ipsa nihil; quia tamen Deus bene nouit numerare dies

Mane *repetitur, vt significetur accelerata pernicies.* Ps. 38. 5. 6.

*Expressio breuitatis vitæ.*

A nostros: præsentia enim, præterita, & futura illi adsunt, & vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt; idcirco Propheta ab eo petit, vt indicet sibi numerum, & mensuram dierum suorum. Verùm, quoniam ea, quibus latè abundamus, non solemus numerare, sed temere in penum proiicere, habere autem in numerato, quorum copia non suppetit: idcirco cùm dicitur Deus hoc loco numerasse regnum Baltassaris, iure accipitur, vt indicans breuitatem, ac finem proximum eiusdem regni: & hoc sibi vult verbum illud primum repetitum in pariete expressum, *Mane, Mane,* numerauit, numerauit Deus regnum tuum. Vel repetitio significat Deum exa-

*Numerare dies, est ostẽdere breues esse.*

B cte numerasse dies; vt solent Hebræi diligenter actam rem repetitione simili exprimere.

*Rem diligẽter actam Hebræi repetitione exprimunt.*

4. Cùm verò dicitur, Deum appendisse Baltassarem, & inuenisse eum minus habere, significat pari modo generaliter, habere Deum stateram iudicij exactissimam, in cuius alteram lancem imponit bona opera hominum, in alteram scelera, quæ commiserunt, vt iuxta præponderationem ferat iudicium certum, siue condemnationis, siue salutis. Notum illud est ex Prouerbiis cap. 16. 11. *Pondus, & statera iudicium Domini, & opera eius omnes lapides sacculi.* Est sensus: Deum iustissimè, & rectissimè iudicare, vtpote qui ad iudicandum adhibeat stateram purissimam, videlicet non attendens, nec respiciens aliquid aliud,

*Statera iudicij exacta penes Deũ.*

C quàm stateram, & pondus, id est, oculos solùm intendat in examen libræ, & in inclinationem ponderis, & iuxta id præcisè ferat sententiam; proindéque omnia eius opera sunt lapides sacculi, id est, iustissima; lapides enim sacculi, sunt pondera ipsa, ex communi vsu sæpe lapidea, & in sacculo seruari solita: sunt ergo eius opera ita iusta, vt pro ponderibus mensura publica iustificatis haberi possint, nec opus sit ea ad examen vocare, imò omnium rerum in eis examinare iustitiam.

*Opera Dei ita iusta, vt pro certissimis ponderibus haberi possint.*

Huius stateræ iudicium optat Iob cap. 31. 6. cùm ait: *Appendat me in statera iusta, & sciat Deus simplicitatem meam.* Vbi primò aduerti debet, non

Iob. 31. 6. *Appendat Deus, vt sciat, hoc est, scire faciat.* &c.

D optare Iob, vt Deus adhibito iudicio sciat tandem simplicitatem eius, quasi verò antè non sciuerit; sed hoc vult, vt Deus publico iudicio se examinet, quo sic omnes scire faciat simplicitatem suam: id enim sibi vult statera iusta. Hebraicè, *iustitiæ,* cuius in commune omnia, ait D. Ambros. vel statera iustitiæ dicitur, id est, virtutum, ac bonorum operum: neque enim Deus ponderat aurum, argentum, dignitates, quæ apud homines plurimum, apud Deum autem nihil habent ponderis, sed solùm ponderat virtutem generali iustitiæ significatam vocabulo, quoniam hæc etsi leuis apparet hominibus, Deo tamen æternum gloriæ pondus operatur: est enim Deus, vt dicitur Prouerb. loco citato,

*Deus solùm ponderat virtutes.*

E spirituum ponderator; quare ei si appendas bona corporalia; imò Regem integrum si appendas, cum omni pompa sua, & diuitiis, inueniet tamen, si iustitia, & pietas absint, minus habere, ac prorsus leuem, ac vanum deprehendet, quod attinet ad salutem, & æternam beatitudinem consequendam, qualis hic Baltassar, qui appensus in statera, *inuentus est minus habens,* iuxta propriam significationem nominis *Thecel.*

5. Quare & iustam illico pœnam expulsionis à regno

D.Chryf. *Cum punit Deus, trutinat vltionē, vt sit congruens.* à regno, iusto pondere adtrutinat: *Phares; diuisum est regnum tuum, & datum Medis, ac Persis.* Chrysostomus explicans hunc locum Danielis super Psal. 95. Cùm punit, inquit, trutinat vltionem, vt congruens sit commissis. 4. Reg. 21. 13. ait Deus: *Extendam in Ierusalem mensuram Samariæ*; id est,
4. Reg. 21. 13. *Ierusalem punita, vt Samaria.* puniam illam eo modo, quo Samariam, quoniam similiter, ac illa, deliquit coram me. Vt ergo Samaritis intuli supplicium commensuratum sceleri, nimirum diuisionem à patria sua in exilium, siquidem ipsi per scelus idololatriæ se à me diuiserant, similiter faciam Ierusalem, quæ per idololatriam se à meo cultu semouit, semouebo habitatores eius, & ablegabo in exteras nationes, & tradam illam hostibus in possessionem. Vt similis sit etiam præsens vindicta diuina in Baltassarem: nam quia se à Deo per impietatē diuiserat, ideo definitur super eum sententia diuisionis à paterno regno, & translationis ad Medos, ac Persas. *Diuisum est regnum tuum*, &c.
*Sententia diuisionis à regno, quia per impietatem se à Deo diuiserat.* Matth. 21. 43. Similis est sententia Domini cōtra Pharisæos, Matth. 21. 43. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Proposuerat sub parabola vineæ, & malorum cultorum, incuriam Sacerdotum in colendo populo sibi commisso, & reddendo fructum debitum animarum Domino Deo: sibi enim potiùs fructificare cogebant populū, quàm

A Deo: in pœnam autem, auferendam ab ipsis ait vineam, id est, Ecclesiam, quæ regnum Dei est, & dandam genti facienti fructus eius, id est, quæ non in suam, sed in vineæ vtilitatem laborabit. Ideo notat Origenes, Iudæis quidem (vt dicitur in textu) locatam vineam; Gentibus verò datam: quia nouerat Dominus ingenium Iudæorum, à quibus ob ingratitudinem citò erat auferenda vinea, idcirco locat eam, ac tradit ad tempus sub communi obligatione bene colendi, quasi male fidens eorum industriæ; at Gentibus liberaliter, & absque vlla conditione dat, & quasi dominium à se transfert, nunquam videlicet repetiturus, quia certò scit exactè perennem, & perenniter exactam fore culturam. Orig. *Iudæis vinea locata, vt infidelibus: Gentibus data, vt fidelibus.*

B Similiter hic quasi malum cultorem regni amouet Baltassarem, & sedere pro eo facit Darium Medum, hominem natura mitem, quia, vt dicitur Ecclesiastici 10. 17. *Sedes Regum superborum destruxit Deus, & sedere fecit mites pro eis.* Et Iob. 12. 18. *Baltheum Regum dissoluit, & præcingit fune renes eorum*; id est, insignibus regiis spoliat, & belluinis constringit funibus superbientes, sicut fecit Nabuchodonosor; cuius exemplo, quia non bene sapuit Baltassar, idcirco non ad tempus, sed penitus a regno amotus, & contrucidatus est. Eccles. 10. 17. Iob. 12. 18. *Superbientes Reges fræno constringit Deus.*

# VISIO VIGESIMAQVARTA, DE QVATVOR BESTIIS ASCENDENTIBVS E MARI.

## *Daniel. Cap. 7.*

## ARGVMENTVM VISIONIS.

*DANIELI dormienti monstratur huiusmodi Visio. Primùm confligentes inter se quatuor cæli venti in mari magno. Deinde quatuor regna mundi, per quatuor bestias emergentes è mari; mox Deus sedens in throno ad iudicandum, quatuórque bestiis interfectis Filius hominis Deo præsentatur, cui data est iudiciaria, & regalis potestas in omnes gentes. Denique Danielem edocet vnus ex iis, qui assistunt Domino, interpretationem totius Visionis.*

CAPVT VII. DANIEL.

1. ANno primo Baltassar Regis Babylonis, Daniel somnium vidit: Visio autem capitis eius in cubili suo, & somnium scribens, breui sermone comprehendit: summatímque perstringens, ait:

2. Videbam in Visione mea nocte, & ecce

PARAPHRASIS.

C 1. *ANnus primus agebatur Regis Baltassaris, cùm Daniel somnium habuit diuinitus iniectum: quæ autem eo somnio hausit, breuiter complectens, ita literis mandauit:*

2. *Somniani ego Daniel videre me quatuor princi*

D. Fern. in Vis. vet. Test.

ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.

A *principales ventos, Eurum, Zephyrum, Boream, Austrum, in magno mari Mediterraneo confligentes, non simul, sed ad exortum quatuor bestiarum, ex quatuor mundi partibus, singulos quasi praire, ac mare ipsum immissa tempestate concutere: videlicet, Monarchiæ per bestias significata non nisi præmissis bellorum tumultibus orta sunt.*

3. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.

*3. Post ventorum singulas perturbationes, vidi singulas è mari emergere bestias diuersa forma.*

4. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.

B *4. Prima bestia speciem referebat leænæ, & alas insuper aquilæ extendebat ad volatum, Chaldæorum Monarchiam, & fortitudine, & celeritate repræsentans. Sed videbar mihi videre alas ab ea per vim auulsas, superbiam, & elationem contusam in Nabuchodonosor, & è terra patria expulsam, in eodem Rege, in syluas; postea non iam volatum aquilinum exprimere, sed incessum communem hominum, cùm iam hominem se agnoscens restitutus est in communem sensum.*

5. Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.

*5. Postea miro modo extitit è mari bestia alia, similis vrso, ob crudelitatem Persarum* C *gentem exprimens: hæc in parte stetit, primùmque excisa Babylone cœpit florere: porro visi sunt in ore vrsi tres ordines dentium; tria nempe regna præcipua, quæ primùm & maximè continebat Monarchia Persica, scilicet regnum Persicum, Chaldaicum, Medicum. Et quasi audiui dictum huic bestiæ, seu Monarchiæ: Surge, comede carnes plurimas, tuis videlicet regnis illis tribus debella plura alia.*

6. Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

*6. Post hanc secundam bestiam apparuit tertia similis pardo, quatuor habens alas, &* D *quatuor capita: nempe Monarchia Græcorum, quæ sub Alexandro velocitate præstitit, & in quatuor Reges post mortem Alexandri distributa fuit.*

7. Post hæc aspiciebam in Visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.

*7. Quartam bestiam postea vidi aspectu horribilem, Romanam Monarchiam, quæ me in stuporem traxit: nam & fortitudinem indicabat maximam, & dentes ferreos, hoc est, potentiam maximam præferebat, prædásque multas seu regna, partim comedebat, partim semesas deuastabat, ac post clades superstites calcabat pedibus, hoc est, præsidiis suis. Cum cæteris autem, quas antè videram, nec figura, nec habitudine conueniebat, quia cæteris Monarchiis* E *nullo modo præ magnitudine, comparari poterat. Decem verò cornua in fronte præferebat, iam tunc portendens decem futuros Reges in Romano Imperio prope finem mundi.*

8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

*8. Cùm verò considerarem decem cornua, ac Reges illos, è mediis cornibus succreuit paruum cornu Antichristus, qui humili loco natus paulatim inualescet, ac tria cornua euellet, tria regna, Regésque eorum vastabit: videbam aut in oculis humanis præditum esse cornu paruulum,*

9. Aspi

quòd

A *quòd homo futurus sit, & non diabolus, superbissimus autē, & verbis insolentissimis sese erigēs.*

9. Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: vestimentū eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus.

9. *Me autem adhuc aspiciente, throni positi sunt, singularis tamen vnus inter reliquos, flammæ splendore, ac ardore coruscabat super rotas igneas impositus, in quo Diuina maiestas sedet, forma referens prouectæ ætatis grauem senem, veste niuea indutum, cæsarie per humeros effluente, quæ lanæ candidissimæ similis erat.*

10. Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.

10. *E Deo, quasi è quodam ignis fonte, fluuius igneus manare videbatur, quo non modò gloria, sed pœnæ celeritas, ac impetus in malos significabatur. Innumerabilis verò* B *Angelorum multitudo astabat Iudici, ac ministerium suum intentis oculis exhibebant: mox Iudices suis thronis sedere vidi, & libros ad indicandum allatos, hoc est, conscientias hominum, è quibus desumenda erat iudicandi materia.*

11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & petisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni:

11. *Spectabam animo, quem tandem exitum verba illa superbiæ, & contumeliæ in Deum plena, quæ quarta bestia loquebatur, habitura essent, & vidi eam paulò pòst interfectam, corpúsque eius igne absumptum, & in cineres redactū, penitus videlicet perisse Romanum imperium.*

12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus, & tempus.

12. *Similiter & aliæ bestiæ, alia regna penitus* C *deleta sunt: præfinitum enim habebant ex Diuino decreto tempus, quo florerent, quod & completum est, & omnis earum potestas, & apparatus non eodem tempore successiuè desiit.*

13. Aspiciebam ergo in Visione noctis: & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum.

13. *Igitur nocturna alia Visione videbam quasi filium hominis, hoc est, Christū, tanta maiestate circundatum, vt penè Deum tātùm me videre putarem, verè autem hominis aliquam similitudinem habentem; ad Patrem verò magno Angelorum quasi deducētium comitatu septum accessisse, vt iudicaturus, à Patre iudiciariam potestatem, quam habebat antea, solenni ritu confirmatam acciperet.*

14. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.

D 14. *Tunc Pater visus est dare Filio regnum, honorem, potestatem, cùm plenam ei, & pacificam possessionem tribuit, debellatis scilicet, ac pedibus eius suppositis omnibus hostibus, quod antea non videbatur habere, cùm scilicet repugnarent imperanti, ac sæpius rebellarent.*

15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & Visiones capitis mei conturbauerunt me.

15. *At mihi hæc stupenda miracula spectanti, spiritus excisus est in medio vaginæ suæ, in ipso corporis medio defecit.*

16. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me.

17. Hæ quatuor bestiæ magnæ: quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.

16. 17. *Tum verò vnum ex astantibus Angelum rogaui ego Daniel Visionis interpretationem ediceret, ísque mihi quatuor bestias, quatuor regna interpretatus est deinceps oritura maiori ex parte: nam Babylonicum iam exciderat.* E

18. Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum vsque in seculum, & seculum seculorum.

18. *Capessent autem Sancti Altissimorum, scilicet, habitatores sedium supernarum, plenam possessionem regni Christi, cùm scilicet nō solùm animis sed & corporibus beatificabūtur: quin & commorantes quoque in terra, Sancti tamen iam Altissimorū, quia hæredes sunt cælestis patriæ, & expectāt beatam spē, & aduentum gloriæ magni*

A *Dei, spe etiam possidebunt Christi regnum, re autem in cælo possessionem beatam adibunt in omnem æternitatem duraturam.*

21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersùs Sanctos, & præualebat eis,

21. *Et cornu quidem illud paruulum, Antichristus præualens, Deo id ad tempus permittente, Sanctos vincebat,*

22. Donec venit Antiquus dierum, & iudicium dedit Sanctis Excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt Sancti.

22. *Donec Antiquus dierum Deus Pater, tribunal conscendit, & potentiæ autoritate præsentem se exhibuit in Filio iudicante, & Sanctis, qui cum eo iudicaturi sunt, potestatem dedit in Bestiam, Monarchiam scilicet Romanam,* B *& cornu paruulum, Antichristum; ac denique Sanctis adiudicauit causam, pulsis ac victis eorum hostibus.*

25. Et sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit, quòd possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

25. *Putabit cornu illud Antichristus, quòd ipse possit præfixos à Deo regnorum terminos, & decreta Dei super idipsum peruertere, Deóque vero permittente Sanctos per tres annos, & dimidium vexabit.*

26. Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conferatur, & dispereat vsque in finem.

26. *Itaque sedebunt Iudices, & iudicabunt quartum regnum, peribítque omnino, vt non ampliùs reparari queat.*

27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo Sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient.

C 27. *Regnúmque quod est subter omne cælum, Ecclesia in terris agens, possidebitur pacificè à Sanctis Altissimorum, quia debellatis omnibus inimicis Christi, vnum erit ouile, & vnus pastor, & totus mundus Christum adorabit.*

## COMMENTARIVS PRIOR.

DVplex erit Commentarius. In priori de exortu quatuor bestiarum; in posteriori de vltimo regno Dei. Quod ad prius attinet, dicemus primò de ventorum conflictu ante exortas quatuor bestias, postea generaliter de earundem exortu è mari magno. Denique de singulis speciatim.

### *Quid significent quatuor venti confligentes in mari magno?*

### SECTIO I.

1. *Quatuor venti intelliguntur à Vate, qui è quatuor principalibus mundi partibus flant, & in illis ceteri, denique omnes mundi partes ex vsu Scripturæ.*
2. *Hieronymi opinio, per ventos intelligi Angelos custodes regnorum; per mare magnum, seculum hoc: pugnare autem per contraria optata pro suis regnis. Explicat Hieronymus locum Deuter. 32. de distributione Angelorum pro variis regnis.*
3. *Opinio Hieronymi multis displicet, & locus Deuter. aliter explicatur à literalibus.*
4. *Quare aliter sit explicandus locus. Versio 70. iuxta numerum Angelorum Dei difficilis est: fortè Israëlitas Angelos vocat, quia soli cultores Dei erant.*
5. *Alberti opinio, de malis Angelis intelligendum, qui regnis singulis obsunt, vt boni fauent, etsi supponat rem non improbabilem, tamen non placet ex eo, quia non declarat speciale id, quare in exortu Monarchiarum pugnent.*
6. *Sententia Theodoreti probatur, ventorum conflictus* D *significare tumultus illos, qui in exortu singularum Monarchiarum exciti sunt.*
7. *Moralis digressio de violentia ac tyrannide regnorum.*

1. VATES ita Visionis apparatum proponit, Vers. 2. *Videbam in Visione mea nocte, & ecce quatuor venti celi pugnabant in mari magno.* Cur ante exortũ bestiarum e mari præmittatur ventorum in eodem mari pugna, & quid per ventos significetur, controuersum est. Primùm ergo constat, per quatuor ventos indicari quatuor illos principales, qui ex quatuor præcipuis cæli partibus per- E flare solent, nempe ex Oriente, Eurum; ex Occidente, Zephyrum; ex Septentrione, Boream; ex Meridie, Austrum. Has sedes ab initio statim mundi sortitos esse testatur Ouidius Metamorphos. 1. *Quid per ventos præcipuos significetur. Quatuor venti principales è quatuor orbis partibus flant.*

*Eurus ad Auroram, Nabathæáque regna recessit,*
*Persidáque, & radiis iuga subdita matutinis:*
*Vesper, & Occiduo, quæ littora sole tepescunt,*
*Proxima sunt Zephyro: & Scythiam, Septémque-triones*
*Horrifer inuasit Boreas, contraria tellus*
*Nubibus assiduis, pluuióque madescit ab Austro.*

*Hos*

*Matt.24.31.* Hos ventos intellexit Dominus Matth.24. 31. cùm de extremo Iudicio loquens dixit: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Et Isai.43. 5. expressè eosdem nominans ait: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere. Affer filios meos à longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Per hos autem quatuor principales ventos intelliguntur cæteri omnes intermedij, & vniuersaliter intelliguntur omnes mundi partes, vt prædictis locis sumunt omnes interpretes.

*Isai.43.5.*

2. Quid verò significetur quatuor ventorum nomine, & quomodo intelligantur pugnare in medio mari, controuersum est. D. Hieronymus opinatur significari quatuor Angelos custodes quatuor Monarchiarum. Est enim cōmunis sententia, singulis regnis præfici à Deo singulos Angelos, qui res eorū curent, gubernationémque tū spiritualem, tum corporalem promoueant. Probat id Hieronymus ex illo Deut.32. 8. iuxta versionem Septuaginta. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorū Dei.* Quod noster habet, *iuxta numerum filiorum Israël.* Dicuntur autem pugnare Angeli custodes regnorum, non quidem affectu, sed effectu, quia videlicet, eorum optata, & postulata apud Deum pro regnis sibi commissis, sunt inter se aliquando contraria; atque hoc modo intelligendum quod ait Angelus custos Hebræorum ad Danielem cap.10. 13. *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.* Sumi namque debet de resistentia per contraria postulata coram Deo. Nam custos Persiæ orabat Deum, ne captiuitas Hebræorum solueretur, quoniam ob eorum præsentiam, multi trahebantur ad notitiam veri Dei. At custos Hebræorum rogabat enixè vt demitteretur populus, qui consuetudine Persarum infidelium, magnum patiebatur detrimentum in religione, ac moribus. Mare autem magnum accipit Hieronymus hunc mundum turbulentis laborum fluctibus intumescentem. Hæc ferè ex Hieronymo.

*Per quatuor ventos quatuor Angelos custodes quatuor Monarchiarum significari.*
D.Hier.
*Singulis regnis præfici à Deo singulos Angelos.*
Deut.32. 8.
*Pugna Angelorū, affectu, non effectu, quia quæ optant suis regnis, sunt aliquādo cōtraria.*
Dan.10. 13.

3. Hæc opinio in multis displicere potest. Primùm, quia non apparet, quare ante exortum Monarchiarum videantur eiusmodi Angeli pugnantes inter se: neque enim hæ Monarchiæ simul fuêre, vt de rebus earum potuerit esse pugna inter earum Angelos. Præterea, licèt certum sit singulis quibusque regnis præpositos esse singulos Angelos, probatio tamen per locum ex Deuter. citatum, meo quidem iudicio, etsi multum habet probabilitatis ex eo, quòd sit Hieronymi, & aliorum veterum Basilij, Nazianz. duorum Clementium, Roma. & Alex. Dionysij, Isidori, Cyrilli Alexan. Epiphanij, Anastasij, spectata nihilominus serie contextus, aliud sibi Moyses velle videtur eo loco: nimirùm Deo peculiarem fuisse curam circa populum Israël, in diuisione illa generali terrarum in omnes gentes: nam tunc, cùm diuidebat, seu, iuxta Hebraicum, hæreditare faciebat gentes orbem terrarum, designata tunc est terra Chanaan septem gentibus, non tam vt eam possiderent, quàm vt colerent, cultámque traderent filiis Israël, cùm ascenderent de Ægypto. Horum ergo septem populorum designauit terminos iuxta numerum filiorum Israël, id est, respiciendo non ad prædictos populos, sed ad populum suum Israël, cuius eos voluit esse colonos tantùm, adhibitis terminis pro mensura populi Israëlitici, cùm ad eos inhabitandos sufficeret. Quod quidem indicium est amoris Dei erga populum indulgentissimi, qui cùm cæteris gentibus terras incultas distribueret, populo tamen suo cultas optimè, & subactas ab aliis elargitus fuerit. Et sequitur aptè: *Pars autem Domini populus eius*; id est, cùm varias aliis gentibus terras dederit in hæreditatem, tamen ipse sibi reseruauit in hæreditatem populum Israël. Ita communiter literales loco citato.

*Mare magnum, hic mundus.*
*Non probatur hæc opinio.*
*Locum Deuteronomij aliter explicandum.*
*Cura Dei specialis circa populum in diuisione terrarum.*
*Chananæis permissa terra, ut eā colerent, interim dū filij Israël eā nō possidebant.*
*Pro numero filiorum Israël designauit terram cultam ab aliis.*

B 4. Moneor vt ita sentiam, quia Deus non designauit regiones iuxta numerum, id est, respiciendo ad numerum Angelorum, quasi diuisiones regnorum tot fuerint, quot Angeli Dei: id enim incredibile est, & aliorum fert opinio, designatas tunc fuisse regiones septuaginta toto orbe iuxta numerum filiorum Israel, id est, iuxta septuaginta animas, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Ægyptum. Quare illud, *iuxta numerum filiorum Dei*, expositum habemus Exod. 23. 29. Deum nostro modo intelligendi priùs spectasse populum suum iuxta eum numerum, ad quem eum excrescere volebat, & iuxta eum præcisè, quasi metatum fuisse tantum terræ Chanaan, quantum satis erat capiendo populo sub ea quantitate præuisa; tradidisse autem colendam septem illis gentibus, vt illis posteà amotis, filios Israel in possessionem introduceret, sicut & introduxit posteà duce Iosue. Audi ipsum Deum loco citato: *Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.* Quod autem Septuaginta verterint, *iuxta numerum Angelorum Dei*, non est explicatu facile. Fortè ita Israëlitas honoris causa appellare libuit, quia vt in cælo Deus ministros habet Angelos, sic habebat in terra pro Angelis ac ministris suis Israëlitas. Nam & ministros noui Testamenti Angelos appellat Paulus 1. Corint. 11. 10. vbi iubentur mulieres velare capita propter Angelos, id est, propter Sacerdotes, ac viros iustos, ne illis scandalo sint. Cùm ergo sint loca alia, quibus efficaciter probatur, Angelos esse præpositos prouinciarum, non oportuit vti loco Deuter. citato, & credo, D. Hieronymum citasse illum ex communi Autorum consuetudine, non verò vt exactam probationem adhiberet, qualis potuit esse illa ex Daniel. 10. citato de Principe regni Persarum, qui restitit Angelo custodi populi Hebræorum in captiuitate, & aliæ plures.

*Tot fuisse diuisiones regnorum, quot Angeli, incredibile est.*
*Iuxta septuaginta, animas, 70. regiones.*
*Nomine Angelorum fortè intellexerunt 70. Israëlitas.*
1.Cor.11. 10.
*Hieronymus fortè loquutus est ex aliorum sententia.*

E 5. Albertus Magnus nomine ventorum accipit malos Angelos, qui prædictis Monarchiis ad malum præerant, & quoniam ad bella, & seditiones perpetuò impellebant, idcirco videri pugnantes in mari magno. Probat hæc opinio id, quod assumit, nimirùm, quatuor malos Angelos præesse quatuor Monarchiis: nam sicut à Deo Monarchiis singulis singuli boni Angeli in salutem præpositi sunt; ita singulos quoque malos Angelos à Principe dæmoniorum appositos ad perniciem populorum, probabile est. Primùm ex illo Apocal. 7. 1. Vidi

*Per ventos intelligit Albertus M. malos Angelos Monarchiarum.*
*Vt regnis boni Angeli à Deo, sic mali à dæmone præficiuntur.*
Apoc.7.1.

*Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram*, &c. Angulos enim terræ quatuor rectè interpretatur Rupertus, & alij, omnia regna mundi generaliter: nam sicut angulos populi Scripturæ nominat principes viros, quibus tota respublica, vt angulis suis domus continetur, ita angulos mundi, Monarchas, ac Reges sumi oportet, qui scilicet suis legibus mundum constringunt; super hos ergo quatuor angulos, hoc est, super Reges mundi, quatuor Angeli stant, quasi illis imperitando, & in id incumbunt præcipuè, vt quatuor ventos terræ, id est, Prædicatores verbi Dei auertant, ne spirent salutis æternæ flatus, opus quidem proprium malorum Angelorum, qui salutis humanæ communes hostes sunt. Deinde idipsum fit probabile ex eo, quòd antiquissima traditio est, singulis hominibus, statim vt nascuntur, assistere singulos malos Angelos, à quibus in vita oppugnentur, sicut refert Origen. homil. 10. in Luc. & collation. 8. cap. 12. Cassianus, Beda in cap. 12. Act. Apost. & Nyssen. Gregor. in vita Moysis, cuius indicium latere videtur in illo Christi Matth. 18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; quasi sint alij eorum Angeli, qui non videant faciem Patris. Cùm ergo ex his constet, singulis hominibus singulos adhærere malos Angelos, constare etiam par est, singulis regnis singulos malos Angelos incumbere, vt in eis opera tenebrarum exerceant.

*Anguli mundi, Monarchæ.*

*Venti terræ quatuor, Prædicatores verbi Dei.*

*Opus dæmonu, Prædicatoribus se opponere.*

*Singulis hominibus singulos malos Angelos destinari.*

Orig. Cassian. Beda. Nys. Greg. Matt. 18. 10.

Vera nos hæc, aut certè similia vero esse non negamus, sed non placet opinio ex eo, quòd eiusmodi malos Angelos asserat, hîc exhiberi pugnantes inter se in mari magno, quòd in quatuor Monarchiis bella, & seditiones absolutè moueant: nam patere omnino debet, per ventos eiusmodi confligentes, aliquid speciale indicari circa exortum Monarchiarum; quòd verò dæmones bella, & tumultus excitent, id commune malum est, & omni tempore, quo Monarchiæ durarunt, continenter exhibitum. Præterea Monarchiæ quatuor nunquam simul extiterunt, ergo nec inter se ipsæ à malis Angelis excitæ pugnarunt, nec ipsi mali Angeli propter eas bella vlla contra se ipsos susceperunt, aut suscipere potuerunt, quandoquidem ad vnum idem malum idololatriæ, & infidelitatis commouebant.

*Vt vera sint quæ dicta sunt, opinio de pugna ventorum non est vera.*

*Per bella ventorum, speciale aliquid significari.*

*Monarchiæ nunquam simul extiterunt, ideo nec motæ simul.*

6. Theodoret. interpretatur quatuor ventos, quatuor insignes bellorum tumultus, qui in singulis exortibus Monarchiarum excitati sunt, iuxta Scriptorum ea de re communem fidem. Narrat enim inprimis Iustinus initio suæ historiæ, & Diodorus lib. 3. Ninum Monarchiæ Assyriorum primum conditorem, maximam orbi terrarum attulisse perturbationem. Deinde Autor est Herodotus lib. 1. Monarchiam Persarum sub Cyro exorientem totam Asiam tremefecisse. Sed & de exortu Monarchiæ Græcorum sub Alexandro scriptum est 1. libro Machab. totum terrarum exagitatum & conuulsum. Vltimò, Romanorum Imperium, aliorum mundi regnorum labefactatione, & interitu ortum, omnium ferè Scriptorum monumento testantur. Hæc interpretatio ad veritatem propiùs accedere videtur, quatenus speciales illas perturbationes ante exortum singularum Monarchiarum asserit, probátque Autorum illis testimoniis. Itaque si rem ita sumamus, vt non simul, sed quasi successiuè viderit Vates primum ex Oriente insurgere Eurum, ac primam excitare in mari magno tempestatem, qua præmissa statim emergat prima bestia ex eodem mari, & sic de cæteris ventis, ac bestiis suauiter fluet sensus literæ. At, quod est mare magnum in hoc sensu? Commune est in Scriptura, nomine maris magni sumi Mediterraneum; quod quidem magnum dicebatur comparatum ad peculiaria quædam maria, lacúsve in eadem Scriptura celebres. Namque Oceani, qui solus maris magni appellatione dignus esse videtur, vix vlla reperitur in Scriptura sacra facta mentio. Aptè tamen loquuturus Vates de magnis ventorum tumultibus, maris magni potiùs, quàm terræ, aut lacus alicuius meminit, quoniam ventorum rabies in mari magno potiùs, quàm in angusto aliquo lacu, aut in terra sæuire solet.

Theodoret.

*Quatuor vētos, quatuor insignes bellorum tumultus in singulis exortibus Monarchiarū.*

Iustinus. Diodor. Herodotus.

*Est interpretatio veriùs accedens ad verum, si successiuè intelligatur.*

*Mare magnū, Mediterraneum.*

*Oceani vix vlla in Scriptura mētio.*

*Mare magnum notari ad expressionem magnæ tempestatis.*

7. Ex dictis autem collige, hanc vim, quæ regna & Monarchias parit, naturali gentium contraire iuri, quo paci tantùm populorum tuendæ per regna consultum voluere, ac adeò quatenus hinc exorbitat, in tyrannidem euadere. Vix autem sine vi Monarchia. Vnde & Monarchæ per antonomasiam violenti domini apud Iob. cap. 27. 13. *Hæc est hæreditas violentorum ab omnipotente*; quasi dicat: Reges, ac Monarchas, qui per violentiam omnia agunt, manet tanquam hæreditaria violentia ab omnipotente Deo, qua exigit ab eis pœnas debitas. Vnde Elias in commentario super Apologetico Nazianze. Orat. 1. Commune, ait, Monarchiæ vitium, tyrannis. Quare rectè Iustinus sic historiam suam auspicatur: Principiò rerum, gentium Imperia penes Reges erant, quos ad fastigia maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Fines Imperij tueri magis, quàm proferre mos erat. Primus Ninus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos Libyam vsque perdomuit. Hæc Iustinus. Quibus addit Augustin. 4. Ciuit. 6. Inferre, inquit, bella finitimis, & inde in cætera progredi, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud est, quàm grande latrocinium? Addi potest, & qui hæc facit, quid aliud, quàm grandis latro? Quod quidem in vno illo ex quatuor Monarchis Alexandro vrbaniter admodum, ac planè liberè exprobrauit quidem comprehensus pirata; vt eodem illo libro refert Augustin. cap. 4. Illum namque reprehendens Alexander, Quid tu, inquit, nauigio tuo hoc, mare infestum habes? Et tu, inquit, cur orbem terrarum hac tua classe? quasi diceret, hoc solum differimus, quòd ego nauigio paruo, tu grandi classe piraticam exerceamus, ac adeò paruus ego sim, tu grandis latro. Itaque remota iustitia, concludit Augustinus, Quid aliud sunt regna nisi magna latrocinia, & quid latrocinia, nisi parua regna? Atenim vbi bella vigent, plurimum quoque iniustitiæ interueniat necesse est. Rectè enim Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos, ponderans, quomodo Christus, tamquam nouus omnino bellator, armatur gratia, mansuetudine, ac iustitia, Psalm. 44. 5. Quis ensem, inquit, accingitur, & non contraria lenitati, & iustitiæ exercet,

*Hæc vis in principiis regnorum, naturali iuri contraria.*

*Monarchæ per antonomasiā, violenti.*

Iob. 27. 13.

*Commune vitium Monarchiæ, tyrannis.*

Iustin.

*Primus Ninus intulit bella finitimis.*

D. Aug.

*Expugnatio iniusta vicinarū gentium, latrocinium est.*

*Liberè dictū contra Alexandrum.*

*Remota iustitia, regna nihil aliud quàm latrocinia.*

Tertull.

Ps. 45. 5.

*Propria negotia etiam iniustorũ bellorum dolus, asperitas, iniustitia.*

cet, id est, dolum, asperitatem, ac iniustitiam, propria scilicet negotia prælioruni? Ita ille. Si ergo bella absolutè sumpta hæc secum necessariò afferunt, quantò magis iniusta, in quibus sola cupiditas regnat, & libido dominandi? Fuisse autem quatuor Monarchias hoc genere bellorum orta, amplificata, confirmata, veterum Scriptorum monumenta declarant. Aptè ergo ante earum exortus præmittitur ventorum principalium in mari magno pugna, tanquam certum, in singulis futuræ tyrannidis, præiudicium.

---

## *De exortu quatuor bestiarum generaliter.*

### SECTIO II.

1. *Monarchias appellari bestias ob molem, quod variè illustratur.*
2. *Vel dictas bestias ob ferocitatem, ostenditur ex Psal. 73. & aliis locis Scripturæ.*
3. *Quòd de mari sensim ascendant, ostendit Monarchias à paruis initiis cœpisse, late id ostenditur in singulis.*

1. POSTQVAM explicauit ventorum conflictum in mari magno, addit bestiarum ex eodem mari emergentium ortus. Vers.3. *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.* Quatuor Monarchias per quatuor bestias significari didicit Daniel ipse, ex vno eorum, qui assistebant Domino, vt habetur in contextu. Verùm iure miraberis, quare per bestias significentur, cùm fuerint eiusmodi quatuor Monarchiæ, quatuor quasi miracula rerum humanarum. Vnde suprà conuenienter admodum monstratæ sunt in statua illa ex principibus metallis compacta. Nunc, agè, quænam bestiarum cum potentissimis imperiis conuentio? Fortè comparatio est ad exprimendam magnitudinem, sicut ad caput 4. per bestias illas sub arbore regia degentes interpretati sumus magnates in republica, atque in Aula regia principes viros, quos terræ Monarchas dicere solemus. & Iob. 5.22. *Bestias terræ non formidabis*, id est, magnos, ac potentes in terra, qui soli eminent, extántque super cæteros, tanquam elephanti super alia animalia; congruit origo vocis, חיה quod est viuere, quasi eiusmodi magnates soli habeant vitam, soli viuant, regnéntque; magnitudine ergo, & vasta quadam mole præualens, bestia dici potest. Nam & nomen duci videtur ex eo quod vastum est. Ad quem sensum Æschines Atheniensis, æmulus Demosthenis, cùm apud Rhodios legisset accusationem suam aduersùs eum, ac defensionem Demosthenis, quam Athenis perorauit, cáque non obstante missus est in exilium, mirantibus omnibus Maximi Oratoris recitatam defensionem, dixit: Quid si audissetis illam bestiam? Non credo autem id dixisse, vt vellicaret inimicum, imò vt in maximo inimico victo se magis extolleret, nec verò aliter raræ eloquentiæ, ac in dicendo potentiæ magnitudinem exprimere se posse credidit, quam vocabulo bestiæ. Similiter & Maro lib. 5. Æneid. nauem ingentis magnitudinis extulit apposito bestiæ vocabulo:

*Per quatuor bestias, quatuor Monarchiæ, & quare*

*Fortè vt exprimatur earum magnitudo.*

*Magnos viros, Monarchas dicere solemus.* Iob.5.22.

*Bestia, ab eo quod vastũ.*

*Demosthenes dictus bestia, ob magnitudinẽ oratoriæ facultatis.*

*Ingentémque Gyas ingenti mole chimæram,*
*Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana versu,*
*Impellunt, terno consurgunt ordine remi.*

Fundamentum fuerit, quòd bestias absolutè accipimus, non quæuis animalia, sed illa tantùm, quæ mole, ac enormitate corporis præstant, qualis Elephantus, Rhinoceros, Camelus, & eiusmodi alia; ideo Vates hanc astruens magnitudinem, non contentus bestias appellare, addidit grandes.

*Bestia propriè, quæ mole præstan.*

2. Sed enim in Scriptura frequentiùs bestias dicimus, quæ ferocitate præualent, quasi à vastando, Psalm.73.19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* id est, hostibus ferocibus, ac vastatoribus. *Animam* singulari numero *vnicam*, seu *vnicè dilectam.* Hebraicè, *animam turturis tuæ*, quæ scilicet te colit in timore, & voce supplici, ac inter suspiria querula. Quod verò sequitur: *Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem*, Hebraicè habet, *& animas animalculorum tuorum*, vt sit antithesis ad præualidas bestias, ad hostes praeferoces, ac impotentes, qui omnia vastare pergunt. Ierem.12.9. *Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.* Prouocat, ait Hieronymus, Principes gentium, qualis Nabuchodonosor, & alij Iudæorum hostes, vt properent, ac bestiarum more hiantes deuorent Ierusalem. Similiter illud Pauli 1.Corinth. 15.32. *Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi*, explicat Chrysost. Anselm. Theophyl. Oecumen. D.Thom. Tertul. de pugna & contentione Apostoli cum hominibus bestialiter viuentibus. Quòd enim Paulus propriè cum bestiis pugnauerit, nullibi legitur, & similius vero est, fuisse pugnam metaphoricam, eo modo quo diximus, sicut illud eiusdem Pauli 2. Timot.4. 17. *Liberatus sum ex ore leonis*, explicatur de liberatione Apostoli à potestate Neronis. Sicut ergo nemo hinc colligit Paulum obiectum fuisse alicui leoni; ita nec prædicto loco pugna eius cum bestiis accipienda est in proprio sensu, sed in translatitio. Eodem sensu & D.Ignatius ad Romanos scribens: Syria, inquit, Romam vsque terra, marique cum bestiis depugno, noctu diéque alligatus decem leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt. Ita ibi B.Ignatius.

*Bestia in Scriptura, quæ ferocitate præstãt, à vastando.* Ps.73.19.

*Anima in timore & voce supplici colens Deum.*

*Pauperes, seu animalcula, ob innocuos mores.* Ier.12.9. D.Hier. 1.Cor.15. 32.

*Ad bestias pugnauit Paulus, id est, cum hominibus bestialiter viuentibus.* 2.Timot. 4.17. *Liberatus Paulus de ore leonis, id est, Neronis.* D.Ignat. *Ignatius milites se custodient[e]s bestiarum nominibus expressit.*

3. Fuisse autem vtrumque, hoc est, magnitudinem, & ferocitatem in quatuor Monarchiis, tum ex iis, quæ iam diximus in Visionibus præcedentibus, constat, tum in Scriptorum monumentis passim est obuium. Illud porro notandum, bestias dici ascendere de mari, conuenienti metaphora, ex eo, quòd cùm humili loco priùs lateret, postea in lucem paulatim datum cœpit ascendere, ac summum tenere locum. Eodem autem modo quatuor mundi Monarchiæ à paruis obscurísque principiis ad magnam quasi per gradus excreuere claritatem, & amplitudinem. Quo sensu similiter accipiendum est illud Apocal.13. 1. *Vidi ascendentem de mari bestiam, habentem capita septem, & cornua decem.* Est enim ad literam de Antichristo, qui

*Monarchiæ ascendũt de mari, quia à paruis initiis cœperunt.*

*Antichristus eodem modo paulatim ad summum ascendet.*

qui quidem ab initiis obscurissimis ad summum ascendet imperij fastigium. Ascendet autem illico bestia, quia ex ipso ortu suo naturam sortietur ad omne malum compositam, & eam per deprauatos mores ad summum educet malitiæ apicem. Similiter hîc, per quatuor bestias, quatuor visæ sunt ascendere Monarchiæ, vt non solùm intelligeremus, eas bestias nasci, sed ex bestialibus earum initiis, de cætero bestialitatis ascensu, ac profectu toto imperij tempore coniecturam faceremus. Obscura autem initia in singulis Monarchiis non obscura sunt: videre id est primùm in regno Chaldæorum, quod antea vna tantùm censebatur pars regni Assyriorum: deinde in Persarum Monarchia, quam suis initiis constat obscurissimam sub Medis egisse seruitutem; propterea namque inferiùs comparatur vrso, qui recens natus nihil est aliud, quàm informis massa absque vlla membrorum, aut functionum vitæ distinctione. Postea Macedonum gens multis seculis in contemptu habita, nullum nec foris, nec domi splendorem habuit: denique id maximè apparet in Romanorum Monarchia, cuius sanè origo non obscura modò, sed pudenda fuit, à pastoribus videlicet, quorum primum studium, rapto viuere, vires autem ita debiles habuit, vt per ducentos, & quadraginta annos non potuerint propagare regnum vltra decem, & octo milliaria. Dicuntur autem bestiæ diuersæ inter se, quoniam eorum regnorum ingenia, mores, instituta admodum fuere inter se dissimilia. Denique per mare, vnde visæ sunt ascendere eiusmodi bestiæ, intelligitur hoc seculum, vel status rerum humanarum, in quo plurimæ fluctuum instar amaritudines, acerbitatésque exundant.

*Bestia ascêdunt, vt ipso ortu bestiali ostendant vitã bestialem.*

*Ostenditur obscurum singularũ Monarchiarum ortum.*

*Diuersæ bestia, ob diuersos mores regnorum.*

*Mare, hoc seculum.*

## De prima bestia.

### SECTIO III.

1. *Cur Monarchia Chaldæorum leænæ habenti alas aquilæ comparetur? De leonis regia generositate, ex loco Plinij, & ex Prouerbiorum 30.*
2. *Loco Prouerbiorum citato etiam Monarchias quatuor intelligi. Cur leænam genere fœmineo posuerit Vates.*
3. *Cur Monarchia Chaldæorum leoni, & aquilæ alis comparetur. De altitudine huius Monarchiæ ex comparatione alarum aquilæ.*
4. *Alis aquilæ celeritas ostenditur, qua Chaldæorum Monarchia propagata est. Item superbia Nabuchodonosor; quid, quòd alæ auulsæ sunt, &c.*

1. SINGVLARVM bestiarum Vates declaraturus exordia, de prima sic, Vers. 4. *Prima, quasi leæna, & alas habens aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Monarchiam Chaldæorum leænæ assimi-

A lat, quæ alas habet aquilæ. Vtrumque animal regiæ maiestatis symbolum est, leo, & aquila. Leo ob generositatem, aquila ob altissimum volatum. Et de leone quidem Plinius ait lib. 8. cap. 16. Leoni præcipua generositas, cùm colla, & armos vestiunt iubæ. Præcipuum, pro principali, seu principe Latinè ponitur, vt æquè dicere potuerit: Leoni princeps, siue principalis generositas. Atque ob eam principalem prærogatiuam solet ab Autoribus pro symbolo Regis accipi, maximè cùm colla, & armos vestiunt iubæ: cùm enim in collo, & humeris incedentis leonis insit nescio quid animositatis, ac ponderis, si iubarum insuper quasi effusis radiis collustrentur,

*Leo, & aquila regiã maiestatem repræsentãt.*

*Descriptio leonis, ex Plinio.*

*Leo symbolũ Regis, ob generositatem.*

B Regiam maiestatem illustriùs ostentabit.

2. Hinc est, quòd Prouerbiorum 30. 29. enumeratis tribus leone, gallo, ariete, quæ bene gradiuntur, quartum ponitur, nempe Rex, quod feliciter incedit. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum, gallus succinctus lumbos, & aries, nec est Rex, qui resistat ei.* Est autem in incessu nescio quid latentis energiæ, vt per eum statim deprehendatur incedens; in regio autem, plus adhuc vigoris latens, Regem illico prodit, vt Deam Venerem suus apud Virg. lib. 1. Æneid.

*Prou. 30. 29.*

*In incessu est nescio quid latẽtis energiæ: eo deprehenditur Rex.*

*Virgil.*

*Et vera incessu patuit Dea.*

C In quolibet ergo illorum trium animalium cùm gradiuntur generosum quid, ac planè regium eminet: nam vbi dicitur, *Bene gradiuntur*, in Hebræo maior est emphasis, vt idem sit ac, *magnificè gradiuntur*, quæ incessus magnificentia, ac apparatus, magis adhuc elucet in leone, & idcirco primo loco ponitur, cúmque fortissimus bestiarum, ac ad nullius occursum pauens asseratur, facilè intelligitur super omnes extare. Tantò autem faciliùs Rex, quantò feliciùs quasi parta victoria de singulorum generositate triumphans: & quartum, quod feliciter incedit.

D 3. Mirum tamen quòd quarto loco adhibens Regem, eius prædictam felicitatem non asserat, imò neget. *Nec est Rex, qui resistat ei.* Ob hoc ergo credit Iansenius lectionem esse vitiatam, & legendum: *Leo, gallus, aries, & Rex, nec est qui resistat ei*; vt intelligatur Rex, vel ob id maximè feliciter incedere, quòd omnia sibi cedant, quasi inuicto, & insuperabili. Sic autem legisse nostrum interpretem, apertè ait ex Hebræo, Græcóque deduci: vbi affirmatiuè legitur. Ita sentit Lyran. Dionys. Carthus. Emanuel à Saa: retinenda tamen vulgata lectio, licèt dictiones sint transpositæ. Quadrat porro mentio huius quaternarij in præsentem locum, quoniam sunt, qui illum explicent de quatuor nostris Monarchiis, vt

*Expenditur lectio.*

*Iansen.*

*Lectio vulgata retinẽda.*

E Leo quidem, Chaldaicam; Gallus, Persicam; Aries, Macedonicam; Rex inuictus, Romanam repræsentet. Nec obest, quòd Vates hîc leænam ponat: nam in Hebræo non est hæc differentia, imò est אריה quo significatur leo. Noster adhibuit fœmininum, vel propter adiectiuum fœminini generis, vel ad exaggerandam ferocitatem Chaldaicæ Monarchiæ, quæ in leæna magis cernitur, præcipuè cùm nutrit, vt naturæ inspectores asseuerant.

*Leone, gallo, ariete, Rege, exprimi quatuor Monarchias.*

4. De

*Monarchia Chaldæorũ per leænam, cum alis aquilæ. Dupliciter regia.* Theodor. *Fuit prima omnium, & valde diuturna.*

4. De aquilæ pari modo Autores censent, esse symbolum regiæ excellentiæ. Cùm ergo hic leæna visitur alas habens aquilæ, Monarchia Chaldæorum indicatur, leonina pariter, & aquilina, quasi duplici excellens titulo, & dupliciter, hoc est, omni modo regia. Ideo Theodoretus regnum hoc duplici nomine præstantissimum vocat, & quia fuit omnium primum, & quia maximè diuturnum, vtpote, quod mille ducentis annis perdurauit, autore Ctesia Gnidio. Porro cùm ex aquila solæ appingantur alæ, quibus constat inter omnes aues altissimè ferri, id regium ex ea asciscitur, quod propriè dicitur, altitudo, & excellentia, Regis siue regni, propria nota. Ieremiæ 7.12. *Solium gloriæ altitudinis, locus sanctificationis nostræ.* Hoc est, gloriosus thronus altitudinis, nempe Dei, quatenus Hebrææ genti præsidet, templum est nostræ sanctificationi dedicatum. Ad hunc sensum explicat D. Gregorius Magnus illud Iob. 39.27. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi?* In sacra, inquit, Scriptura vocabulo aquilæ aliquando præsentis seculi potestates designantur. Vnde per Ezechielem dicitur, Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & summitatem frondium eius euulsit. Quis alius, inquit, per aquilam, quàm Nabuchodonosor designatur; qui pro immensitate exercitus, magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, magno membrorum ductu: pro multis verò diuitiis, & innumera terrenæ gloriæ compositione, plumis, & varietate plenus dicitur: qui venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & summitatem frõdium eius euulsit: quia Iudææ altitudinem petens, nobilitatem regni eius, quasi medullam Cedri abstulit, & dùm tenerrimam Regum prolem à regni sui culmine captiuando tulit, quasi summitatem frondium euulsit. Ita D. Gregorius. Hinc factum, vt aquila fuerit semper certum insigne, ac prognosticum imperij. Narrat enim Baron. tomo quinto Annalium. Cùm Gensericus Romanos captiuos in atrium aulæ cogeret, vt in singulis consideraret, an aliquid inesset regiæ indolis signum, subitò aquilam supra caput Marciani, qui Theodosio successit, pressis astitisse alis: quo portento haud dubiè eum imperio destinatum credidit Gensericus, & ob id fœdere sibi amicitiæ copulandum curauit.

*Altitudo, per alas aquilæ, ea Regis propria nota.* Ierem. 7.12. Greg. M. Iob. 39.27. *Potestates seculi per aquilas. Nabuchodonosor describitur aquila.* Baron. *Aquila volitans supra aliquẽ, prognosticũ regiæ dignitatis.*

4. Aliter alij interpretantur alas aquilæ in leæna, magna nimirum Chaldaicæ Monarchiç breuissimo tempore incrementa, maximè verò sub Nabuchodonosor. Qua de re est illud Habacuc 1.6. *Ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua; horribilis, & terribilis est, leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, equi eius volabunt, quasi aquila festinans ad comedendum.* Chaldæa gens amara, & velox; expressa explanatio leænæ alatæ, fortis, videlicet, ac celeris in agendo. Quæ duo necessaria sunt, & abundè sufficiunt ad imperium breui amplificandum. Cæteræ comparationes huc similiter tendunt, vt fortitudinem cum velocitate coniunctam declarent. Quod verò de lupis vespertinis dicitur, scitum est eos vespertino tempore, ob diurnam inediam velociores surgere ad agendas prædas. Ierem. 6.6. Aliter, sicut aquila contumaci obtutu

*Alæ aquilæ magna Monarchiæ Chaldaicæ, & breuia incrementa.* Habac. 1.6. *Fortitudo & celeritas in agendo, regnum breui amplificant. Lupi vespertini ob inediam diurnã velociores ad prædas.* Ierem. 6.6.

A solem intuetur, ita insertæ alæ aquilinæ, significare possunt Nabuchodonosor temeritatem illam, qua se Deo æquare voluit. Isai. 14.13. *In cælum conscendam super astra Dei, exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Congruenter autem dicuntur ei auulsæ alæ, quoniam ob prædictam superbiam quasi detractis pennis contusus, & compressus à Deo est, & in bestiam mutatus, vt superiùs dictũ. Consequenter dicitur postea leæna stetisse super pedes, vt homo, & cor hominis datum ei; quoniã Dei miseratione à belluino illo cultu in humanam formam restitutus est, vt latè explicauimus in superioribus.

*Alæ aquilæ temeritas Nabuchodonosor ad diuinitatem.* Isai. 14.13. *Auulsæ alæ, quia cõpressus à Deo.*

---

B

## *De secunda bestia.*

### SECTIO IV.

1. *Vrsi natura describitur ex Plinio, Aristotele. Vrsus iræ symbolum.*
2. *Vrso significari Monarchiam Persarum, ob crudelitatem, quæ multis exemplis ostenditur. Quid comedere hoc loco.*
3. *Persas continentissimos fuisse, & inediæ tolerantissimos, & capite parum valuisse, hoc est, prudentia militari.*
4. *Quid sit*, In parte stetit. *Reiicitur explicatio Hebræorũ, & Theodoreti. Probatur sensus Hieronymi.*
5. *Quid per tres ordines dentium intelligatur? Proponit Hieronymus opinionem quorundam, de tribus Satrapis consiliariis, quæ reiicitur.*

C

6. *Tres ordines dentium, tria regna, Medorũ, Persarũ, & Chaldæorum significare. Ex opinione D. Hieronymi locus Iob. 40 explicatur.*
7. *Per comestionem intelligitur eadem Persarũ crudelitas: & ex opinione Hebræorum ea, quæ Assuero cõtra Hebræos placuit suggerente Aman.*

1. SEQVITVR de secunda bestia, de qua sic Vates, Vers. 5. *Et ecce bestia alia similis vrso, in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Hebr. *Et tria latera in ore eius.* Septuaginta, *Et tres costæ in ore eius inter dentes eius.* Vt interpretatio bene constet, opus est inspicere, quæ sit natura vrsi. Plinius lib. 8. cap. 36. vrsum ait cùm nascitur esse carnem quandam informem, quam parens lambendo figurat. Somno ita grauari interdum, vt ne vulneribus conscissus excitetur, mirè autem eo veterno pinguescere. Oculos in vrsis sæpe hebetari, & ideo aluearia expetere, vt conuulneratum os ab apibus leuet sanguine grauedinem. Inualidissimum habere caput, ideo, si vrgente vi præcipitare se ex rupe contingat, eo manibus cooperto, se iacere, sæpe autem in arena colapho impacto exanimatos proditum est memoriæ. Denique bipedes ingredi, cùm lubet. Aristot. lib. 7. de historia animalium, præter ea, quæ Plinius ponit, vrsum ait, cibi parcissimum, vtpote, qui totam hyemem transigat, ex solo suctu priorum pedum viuens. Idem ab vrsa fieri, quoties plus nimio pinguescit, tradit Ælianus, quo pinguedine concocta fiat agilior. Vnde illa, autore Eustathio, in Athenienses emissa fames ab irata Diana, quòd vrsam, quæ in Munichio eius sacello nata fuerat, interfecissent, vt ita per

D E

*Varia lectio.* Plinius. *Vrsi descriptio, ex Plinio.* Aristot. *Ex Aristotele, & aliis* Ælianus. Eustath.

per inediam affligerentur, qui animal inediæ patientissimum sustulissent. Præferocem vrsum aliqui faciunt, & ob id iræ symbolum, quare apud Claudianum legas Rhadamãtum solere vrsis ingerere truculentos.

Claudian. *Per vrsum, Rex Persarum intelligitur ob crudelitatẽ, ex Theodoreto.* D. Hieron. Theodor. Benedictus. *Benedicto immeritò displicet opinio Theodoreti.*

2. Est ergo communis sententia, per vrsum intelligi regnum Persarum. D. Hieronymus, & Theodoretus aiunt, id quidem esse ob nimiam crudelitatem, quòd exquisitissimis, & acerbissimis vtebantur supplicijs in delinquentes, aliósve communes hostes: etenim vel ipsa coria hominibus detrahebant; & membratim corpora secãdo, lenta, & peracerba morte necabant. Benedicto nostro non placet in hoc Theodoretus, quòd nec Persarum illam immanitatem vlquam se legisse, asserat, quasi verò non satis esset legere apud Theodoretum ipsum, patúmve autoritatis res narrata haberet ex tam graui scriptore, desíntque alij, qui similia referant, inter quos Nicephorus lib. 14. cap. 19. 20. 21. & alij relati à Baronio tom.... Enimuero præferoces Persarum animos abundè ostendit dira persecutio in Christianos à Sapore iuniore Rege excitata, anno septimo Cõstantij, & Constantis Imperatorum, vt testatur D. Hieronymus in Chronico: & refert Bar. tom. 5. Itẽ alia persecutio sub Batarane, autore Socrate lib. 7. cap. 18. vel iuxta Theodoretum lib. 5. cap. 18. sub Isdegerde. Refert autem Socrates varia tormenta, Persarum more, vt ipse ait, Christianis inflicta. Theodoretus autem hanc procellam ait, triginta annos continuos, à Magis, velut à quibusdam turbinibus agitatam durasse. Addunt præterea aliquot exempla Martyrum, in quibus Persarum ferocia crudeliter admodum desæuiit. Quæ omnia latè descripta reperies apud Baronium tomo citato; & confirmari credi par est, eo quòd iubetur hîc Monarchia præsens comedere carnes plurimas: nimirum ob prædictas in reos, aut hostes suos patratas atrocitates. Significat autem verbum, *comedo*, immitem quãdam auiditatem ad dilaniandos insuper, & extinguendos homines; quòd ea quæ comeduntur, non modò auidè conteruntur, sed per deglutionem de medio penitus tolluntur: quod significatum est illo Psalm. 78. 7. *Comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Non solùm enim Iacobæos, quasi deductis rictibus dissipatos ab hostibus significat, sed omnino extinctos: desolare enim est, vel ab ipso solo radicitus euellere, vt nec omnino sit, nec inueniatur locus eius. Nam vel de vno Cyro Rege, qui Monarchiam istam condidit, narrat lib. 1. Iustinus Martyr id, per quod certa potest de immunitate eius fieri coniectura: Tomyrim nempe Reginam Scytharum, quam Cyrus bello petierat, cæsis ducentis millibus Persarum, Cyri amputatum caput iussisse in vtrem humano sanguine repletum cõiici, cum hac exprobratione crudelitatis, BIBE SANGVINEM, QVEM SITIVISTI.

Niceph. *Persarũ crudelitas probatur ex dira persecutione in Christianos.* D. Hieron. Baron. Socrat. Theodor. *Verbum, comedo, significat immitẽ crudelitatẽ, & abolitionem.* Psal. 78. 7. Iustinus Martyr. *Cyri Regis crudelitas vnde colligatur.*

*Vrsi parcitas in edendo, repræsentat Persas, eodem modo parcissimos.*

3. Præter crudelitatem ergo, qua bene per vrsum indicatur Monarchia Persarum, sunt alia duo, quibus vrso maximè affinis est: primùm illa cibi parcitas, ac tolerantia, qua diu impastus manet. Persas enim continentissimos fuisse, simplicissimóque, ac vilissimo victu vsos tradit Xenophon. Et D. Hieronymus rigidam fuisse gentem, & parcioris victus, in morem Lacædemoniorum, ita vt in pulmento sale vterentur, & cardamo. Præterea illud, quod de vrso proditur, esse nimirum inualidissim o capite, quo figuratur, Persas in bellis non tam solertia ingenij, aut prudentia disciplinæ militaris, aut corporum robore, quàm innumerabili hominũ turba, aut eorum, quibuscum belligerabãt, ignauia præualuisse.

*Vrsus infirmo capite, Persas exhibet minus prudentia valentes.*

Hebræi. *Hebræorum opinio de eo, quod dicitur vrsus in parte stetisse, improbatur.*

4. Quod verò sequitur, *In parte stetit*, Hebræi sic interpretantur: Persas in alias quidem gentes sæuos, & crudeles fuisse, erga Hebræos tamen stetisse, id est, cohibuisse crudelitatem, imò humanissimè eos tractasse quatuor Persarum Reges, Cyrum, Darium, Hystaspis, Longimanum, Mnemonem. Non placet interpretatio, quia cùm sermo sit de harum Monarchiarum exortu, & incremento, impertinens est, de priuato amore, ac humanitate Regum Persarum in Hebræos mentionem facere. Theodoretus, *In parte stetit*, sic explicat; quoniam etsi ab Alexandro victa, ac prostrata diu iacuit, tamen postea tempore Romanorum Imperatorum rursus erexit caput, ac stetit, non quidem in omnibus partibus, sed in sola Perside. Veruntamen ob idem nõ videtur rem attingere, quoniam non de restitutione Monarchiarum, sed de emersione, ac exordio illarum, sermo est. D. ergo Hieronymus aptiùs interpretatur, *In parte, stetit*, hoc est, cùm quasi iaceret antè gens Persarum, nec vllam adhuc Monarchiæ assequuta esset claritudinem, capta primùm Babylone, & ab ea pulsis Chaldæis, hac primùm in parte stetit, seu erexit se, & inde in plures alias propagauit imperium. Simili forma loquendi vsus est Isai. cap. 10. 32. *Confortamini*, inquit, *adhuc dies est, vt in Nobe stetur.* Multa præmiserat de aduentu Sennacherib contra Ierusalem, & de trepidatione ciuitatum, per quas ducebat exercitum; nunc prædicit fore, vt in Nobe vicino oppido, quo loco Rex castrametatus fuerat, post vnum diem, qui oppressi fuerant, ac pessundati per Assyrios, tandem capita erigant, & in pedes suos statui respirent.

Theodor. *Explicatio Theodoreti similiter nõ placet.* D. Hieron. *Vera sententia, In parte, stetit, id est, in Babylone cœpit attollere se.* Isa. 10 32. *Similis loquendi modus in Isaia.*

D. Hier. *Varia lectiones.*

5. Quod verò additur, *Et tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius*, etiam est obscurum. Primum enim variant lectiones. D. Hieronymus legit, *Tres versus erant in ore eius*, Græcus, *Tria latera*; Theodoretus, *etiam tres alas.* Quidam ex Chaldaico vertunt, *tres bolos*, siue *frusta*. Expeditior lectio, *tres ordines*, seu *versus dentium.* D. Hieronymus quendam ait existimasse per hos tres ordines, seu versus dentium significari tres Principes, qui tempore Darij, vt narratur Daniel. 6. 1. centum viginti Satrapis præerant, è quibus vnus erat Daniel. Nam quæ illi viginti centum Satrapæ primò decernebant, & quasi concoquendo præparabant, ad illos tres postea deferebantur, qui maturioribus adhuc consiliis, quasi dentibus comminuta, & commolita proponebant Regi, vt faciliùs digesta statueret. Potest pro hac sententia explicari illud Amos 4. 6. *Unde & ego dedi vobis stuporem dentium in omnibus vrbibus vestris.* Vbi sermo est contra vaccas pingues, hoc est, contra imbelles Optimates Samariæ, qui suis sibi consiliis, & non communi bono apud Regem seruiebant: omnem, scilicet, administrandi rationem in propria commoda referentes; in cuius pœnam minatur stuporem, ac propriè loquẽdo generalem infatuationem dentium, hoc est, consiliariorum in omnibus vrbibus eorum, vt

Dan. 6. 1. *Tres principes consiliarij per tres ordines dentium.* Amos 4. 6. *Probatur ex loco Amos.*

*Stupor dentium, infatuatio consiliariorum.* 2. Reg. 15. 31.

vt quæ facienda, vel non facienda sint, aptè digerere, ac Regem per id conuenienter dirigere nequeant. quod illustrari potest illo Dauid 2. Regum 15. 31. vbi cùm sciret Achitophel virum consilio pollentem, esse cum Absalom, sic Dominum orauit: *Infatua, quaso Domine, consilium Achitophel.* hoc est, obtunde acumen eius ad consilia ferenda, vt prorsus vana, & inutilia persuadeat Absalom. Sedenim, vt hæc quidem per se rectè stare videantur, tamen huic loco non rectè quadrant: vbi generaliùs accipiendum videtur, quod tres illi ordines præferunt: non enim quod vnius, vel duorum Regum placito in Monarchiam inductum est, sed quod toti Monarchiæ latiùs, ac vniuersaliùs conuenit, spectare debemus.

*Non placet interpretatio, vtpote minùs generalis.*

D. Hieron. *Vera sententia Hieron. per tres ordines dentiū tria regna, è quibus primò coaluit Monarchia.*

6. Vlteriùs ergo D. Hieronymus redarguens Hebræos, qui hos tres ordines dentium, tres Reges accipiebant, qui post Cyrum in Perside regnarunt, quod Persarum Reges quatuordecim numerentur, statuit, significari per dictos tres ordines tria regna, ex quibus primò coaluit, & conualuit Persarum Monarchia; nimirum regnum Medorum, Persarum, Chaldæorum. At verò Theodoretus Orientem, Septentrionem, & Meridiem accipit: quoniam in his tribus mundi partibus viguit Monarchia Persarū. Cyrus enim subegit Orientem vsque ad Hellespōtum; Cambyses in Meridie obtinuit Ægyptum, & Æthiopas; Darius Hystaspis in Septentrione Scythas atque Nomades. Cùm tamen hæc Monarchia non fuerit complexa tres mundi partes absolutè (nec enim toti Orienti, totive Septentrioni, aut Austro imperauerit) verè autem, ac propriè tria illa regna, Medorum, Persarum, Chaldæorum, sua ditione comprehenderit: veriùs, ac propriùs, pro eisdem tribus regnis tres ordines dentium sumi debere existimemus cum D. Hieronymo. Cur autem tria illa regna per tres ordines dentium in ore vrsi significentur, ambiguum est. Nobis quidem videtur indicari per hoc, quasi ter maximam in ea Monarchia potentiam, ex prædictis tribus regnis in vnum coalescentem, egregiè in vrso conueniente metaphora: sunt enim in bestiis dentes pro armis, atque in eis præcipuum inest earum robur. Vnde Iob. 40. 13. de bestia illa immani Behemoth dicitur: *Ossa eius fistulaæris.* Per ossa enim, est, qui intelligit dentes; quasi velit Deus cum Iob disputans, huic immani belluæ dentes ipsos esse pro fistulis, ac bombardis æneis, id est, quod hominibus præstant eiusmodi tormenta bellica, id illi præstare dentes. Et cap. 41. 5. sequenti, de eadem bestia, *Per gyrum dentium eius, formido.* Quasi dicat, dentes eius quasi in gyrum, & in ordinem bellicum dispositi formidinem ingerunt, vel aspicientibus. Similiter ergo vrsus præsens triplici dentium ordine quasi armatus Monarchiam Persarum exhibet ex coniunctione illorum trium regnorum potentissimam.

*Interpretatio Theodoreti de tribus partibus mundi minùs probatur.*

D. Hieron. *Tres ordines dentium, ter maxima potentia.* Iob. 40. 13.

*Dentibus significatur potentia.*

Iob. 41. 5.

*Crudelitas Persarum.* D. Hieron.

7. Quod verò huic bestiæ dicitur: *Surge, comede carnes plurimas,* crudelitatem Persarum, maximè sub Cyro, vti diximus, repræsentat, quamquam D. Hieronymus, & plerique alij id referunt ad Regem Assuerum, cui Aman suaserat, vt omnem Iudæorum gentem vna die necaret: idcirco enim hoc loco exprimitur sola suasio, *Surge, comede, &c.* quam tamen Rex opere non compleuit, sed quòd vnius hominis sæua admodum



A suggestio Regi statim placuerit, declarat optimè innatam ex vitio nationis belluinam crudelitatem: rem enim, per se grauem ad rationis trutinam non expendit, sed in eam vno verbo propositum pro libidine sua bestialiter consentiens dixit ad Aman hostem Iudæorum: *De populo age quod tibi placet.*

---

## *De tertia bestia.*

### SECTIO V.

B

1. *Pardi natura describitur ex Plinio. Locus Ierem. 13. exponitur, & locus Habacuc.*
2. *Pardo significari Monarchiam Macedonum sub Alexandro, primùm ob celeritatem, qua totum orbem subegit, deinde ob ambitionem diuinitatis. Quatuor alas quatuor eius virtutes accipi placuit aliis.*
3. *Pardus maculosus repræsentat Alexandri, & Græcorum varium ingenium, ex Curtio, & Tertulliano, vel colorum varietate varia regna subdita significantur.*
4. *Quatuor capitibus, quatuor successores intelligi. Locus Curtij, Iosephi alter de promissione diuina facta Alexandro, quod esset subacturus Asiam: tantum virum à Deo prouisum orbi, Autor idem Iosephus.*

C

1. DE tertia bestia sic Vates, Vers. 6. Post hæc aspiciebam; & ecce alia quasi pardus, & alas habebat, quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. Pardus, autore Plinio lib. 8. cap. 75. masculus pantheræ, maculosus, & velocissimus, præceps fertur, & saltu ruit in prædam. Maculorum varietatem etiam Scriptura testatur, Ierem. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere. cùm didiceritis malum.* Loquitur de hominibus longo studio malis, quasi tam sit impossibile eos corrigi, quàm Æthiopem dealbari, aut pardum esse vnicolorem, cùm & nigredo, & varietas insint eis à natura; omnia autem, inquit Theodoretus, quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus. Similiter, & velocitatem pardorum celebrat Habacuc cap. 1. 8. *Leuiores pardis equi eius.* Sermo est de Chaldæis, quos armaturus est Deus contra Ierusalem; ne autem Hierosolymitani equos suos equis Chaldæorum opponerent, rectè exaggerans ait, *Leuiores pardis equi eius,* id est, Chaldæorum equi velocitate sunt incomprehensibiles: non enim communibus equis solùm, sed & pardis pernicissimis velocitate antestant. Ad exaggerationem autem velocitatis adduntur hoc loco quatuor alæ pardo, vt non modò natura, sed studio, & exercitatione velox exprimatur.

*Describitur pardus à Plinio.* Plinius.

D

Ierem. 13. 23. *Homines lōgo studio male difficilè corrigūtur.*

Theodor. *Solita diu, quasi naturalia.* Habac. 1. 8.

*Chaldæorū equi velocissimi.*

E

2. Igitur tertia Monarchia Græcorum sub Alexandro meritò designatur pardo alato, & quadricipiti: primùm enim incredibili velocitate, hoc est, sex annis, totum orbem subegit, quasi non tantùm pedibus, sed pennis insuper ad hanc vniuersalem expugnationem vsus fuerit. Quare Theodoretus ob id ipsum alas pardo affictas ait: Quoniam Alexander, inquit, voluceris instar

*Alexander sex annis debellauit orbem.*

Theodoret. *Voluceris instar totum orbem armis peragrauit.*

quatuor orbis partes in suam potestatē redegit. Qua de re etsi diximus supra ad Visionem de statua Nabuchodonosor, specialem tamen alarum notam explicare lubet. Sunt ergo qui per quatuor alas hîc intelligant quatuor virtutes Imperatorias, quibus Alexander Monarchiam suam tam breuiter coëgit, ac amplificauit. Prima fuit eximia laborum, atque (vt Curtius loquitur) propemodum nimia laborum tolerantia. Secunda, fortitudo animi, qua (vt idem Autor ait) non inter Reges modò, sed inter illos quoque excelluit, quorum hæc sola virtus fuit. Tertia, vigor & ingenium, quasi igni volucre, quod Iulio Cæsari tribuit Plinius lib. 7. cap. 25. Quarta, liberalitas sæpe maiora tribuens, quàm à Diis (ait Curtius) postulare quis posset. Sunt etiam, qui per quatuor alas interpretentur insanam diuinitatis cupiditatem, qua flagrabat Alexander, non contentus videlicet terreno imperio, nisi etiam cæleste adiret, iure quasi hæreditario, Iouis nempe, vti prædicabat, Ammonis filius, quod quidem non dici modò, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis (ait Curtius) imperare posset, ac linguis. Inde verò eam opinionem hausit Alexander, quòd in sinum matris Olympiadis visum aliquando serpere draconem Ioui sacrum fama esset. Ideo narrat Curtius, relicto illum Macedonum habitu, quòd leuiorem magnitudine sua duceret, Persicæ Regiæ, par Deorum potentiæ fastigium æmulatum, ac iacere humi homines venerabundos passum, quòd propior adorationi diuinæ, quam appetebat, esset habitus.

*Quatuor alæ, quatuor in eo virtutes Imperatoriæ.* Curtius. *Ingenium Alexandri quasi igni volucre.* *Secundum alios, quatuor alæ, insana in eo diuinitatis cupiditas.* *Credi volebat filius Iouis.*

3. Deinde pardo assimilatur multicolori, & vario. Primùm, quoniam Alexandri magni ingenium, & cæterorum Græcorum varium fuit ac multiplex. Id verò maximè apparuit in eo, quòd mores deuictarum gentium, habitúmque facilè æmulatus est, magnæ profectò mutabilitatis, & inconstantiæ signum, valdéque probrosum, vt non soli Camæleonti, sed insuper iam homini datum sit de corio suo ludere, vt est in prouerbio. Ergo Alexander Camæleontis instar, vt quid accesserat, inde suffundebatur: purpureum enim diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestémque Persicam sumpsit. Et ille quidem (ait Curtius) spolia se Persarum gestare dicebat. Sed cum illis mores quoque Persarum induerat, superbiámque habitus, animi insolentia sequebatur. Qua de re Tertullianus in libro de Pallio. Vicerat Alexander Medicam gentem, & victus est Medica veste: Triumphalem cataphractem amolitus in captiua sarabara processit. Pectus squamatum signaculis desculptum, textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior delectasset. Ita Tertullianus. Deinde pardus ita variè distinctus maculis significat Alexandrum, quatenus varia regna suo imperio cōplexus est, sicut Rex Regum Deus figuratur per summum Pontificem vestitum diuersicoloribus tunicis, quæ mundi varia elementa repræsentant, & malogranatis, & tunica hyacinthina circumquaque pendentibus, quæ diuersa regna mundi ostentant, vt omnia Dei nutu agi, ac veluti portari significentur. Ad cuius similitudinem Reges mundi describens dixit Iob: *Sub eo Deo curuantur, qui portant orbem.*

*Alexandri ingenium varium.* *Alexandri Camæleontis instar.* Tertull. *Victus Medica veste.* *Varius ad instar pardi, ob varia regna victa.* *Vestes Sacerdotales mūdum repræsentabant.*

4. Quatuor verò capita pardi, quatuor Alexandri successores sunt, inter quos tota Monarchia diuisa est post mortem Alexandri. Primus Philippus Aridæus, seu Antipater, qui regnauit in Macedonia: Antigonus, qui in Asia: Seleucus, qui in Syria: Ptolomæus Lagi, qui in Ægypto. Non fuerunt autem hi nominati ab Alexandro. Nam vicinus morti, rogatus à Perdica, quem vellet sibi in regnū succedere, Optimum, indefinitè respondit. Eo igitur mortuo Perdicas regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema, vestísque Alexandri cum armis erant, annulóque sibi pridie à Rege tradito, in eadem sede proposito, inter alia, quæ coram multitudine perorauit, hoc addidit: Capite opus, hócne vno, an pluribus, in vestra potestate est. Denique non sine tumultu variantium opinionum diuisum est imperium in prędictos illos quatuor, in magnam profectò commendationem Alexandri, cuius capitis defectum vix quatuor supplere potuerint. Vnde præclarè dictum à Curtio lib. 10. Huic Regi, Ducique successor quærebatur, sed maior moles erat, quàm vt vnus subire eam posset: clarissimíque sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt. Rectè autem ad hæc Vates: *Et potestas*, inquit, *data est ei*; quibus verbis declaratur, tantum virum à Deo prouisum, ac viribus ab eo instructum, vt tanto oneri par esse posset. Quod ipsius quoque Alexandri confessione testatum habemus. Narrat enim Iosephus lib. 11. antiquitat. cap. 8. Alexandrum, cùm venisset Hierosolymam, obuiúmque haberet Ioiadem summum Sacerdotem, Pontificali habitu ornatum, ad pedes eius accidisse venerabundum, rogatum verò à sociis, cur præter morem suum id fecisset, respondisse, honorasse se non hominem, sed in homine Deum, qui eodem illo habitu, & ornatu visus sibi esset dormienti in Macedonia, ac certam sibi de Persis victoriam promisisset. Non absimile quid à Perdica dictum apud Curtium lib. 10. etsi more gentilium Deorum vsurpato nomine: Magnitudinem, inquit, rerum quas egit Alexander, intuentibus credere licet, tantum virum Deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, citò repeterent eum suæ stirpi.

*Quatuor capita pardi, quatuor successores eius in regnum.* *Rogatus de successore, respondit, optimum se velle.* *Caput Alexandri vix quatuor supplere potuerunt.* Curtius. Iosephus. *In summo Sacerdote honorasse se dixit Deum Alexander.* Curtius.

## *De quarta bestia.*

### SECTIO VI.

1. *Quarta bestia innominata falsò creditur à Porphyrio esse idem Imperium Græcorum; conuincitur ex textu sacro.*
2. *Hebræorum falsa opinio, quartam bestiam esse aprum, & significare Vespasianum, conuincitur ex eodem textu.*
3. *Quartam bestiam esse Romanum Imperium: quare non nominetur, opinio Theodoreti, Hieronymi, & aliorum.*
4. *Per dentes ferreos, quibus deuorat prædas, significari ferocem cupiditatem Romanorum in subigendis gentibus. Quod verò conculcet bestia reliquias prædarum, explicandum de potestate, qua prouincias per præsidia continebat. Proponitur exemplum Pilati ex Iosepho.*
5. *Decem cornibus decem Reges significari. Reiicitur opinio Porphyrij. Augustini quoque singularis est sententia, sumenda esse decem cornua, id est, Reges, pro*

*pro omnibus more Scripturæ. Decem tamen omnino futuros affirmandum est.*

6. *Cornu significari potentiam regiam, & quare: ex 4. Zachar. & ex Psal. 131. & 1. Reg. 2. &c.*

1. QVARTAM bestiam non nominat, sed sola periphrasi descriptam proponit Vates, Versic. 7. *Post hæc aspiciebam in Visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, & comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.* Primò quæritur, cur hæc bestia quarta non fuerit peculiari nomine indicata per Vatem, vt tres præcedentes. Occurrit hic primùm Porphyrius, homo, vel ad mentiendum, vel ad errandum penè factus; in quo ita cum fide etiã natura defecit, vt in rebus diuinis vix pium aliquid, certùmve aliquando afferat. Ait ergo, ideo non fuisse nominatam quartam bestiam, quoniam tertia, & quarta bestia non significant duo regna diuersa, sed vnum tantùm Græcorum, quod quidem, prout fuit sub Alexandro, comparatur pardo: prout autem fuit sub successoribus eius, comparatur bestiæ innominatæ, quòd à pluribus non potuerit vnum nomen accipere. Hæc interpretatio conuincitur falsa, primùm ex contextu, in quo Angelus Visionem explicans Danieli: *Hæ quatuor bestiæ*, inquit, *quatuor sunt regna.* Et paulò pòst: *Bestia quarta, regnum quartum erit, quod maius erit omnibus regnis.* Deinde Scriptura hic asserit, quartam bestiam fuisse ferociorem, & potentiorem prioribus tribus, at regnum Græcorum nõ fuit potẽtius, & terribilius penes Alexandri successores, imò longè infirmius, & obscurius. Manet ergo contra Porphyrium, certum esse per quartam bestiam significari quartum distinctum Imperium.

*Porphyrius qualis homo.* Porphyr.

*Quid accipiat per quartã bestiam innominatam.*

*Conuincitur falsa interpretatio.*

2. Igitur Hebræi, vt solent, etiam hîc nugantur: asserunt enim, vel potiùs diuinant hanc quartam bestiam esse appellandam aprum, illum videlicet, de quo Psal. 79. 14. dicitur: *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Quo loco vaticinari aiunt regium Vatem de excidio Ierusalem per Romanos, sub Vespasiano, vt is ipse sit aper: de sylua autem, hoc est, Romana vrbe, quam rectè D. Leo in sermone de beato Petro, syluam vocat frementium bestiarum. Sed malè prorsus Hebræi hanc quartam bestiam esse aprum volunt; quoniam aper non est robustior, neque ferocior leæna, vrso, & pardo, quod tamen Daniel affirmat de quarta bestia. Nec verò Dauid nominando aprum, seu porcum syluestrem, crudelitatem exprimere voluit, sed abominationem, seu execrationem, vt ait ad eum Psalm. Augustinus. Iudæi namque mirè execrantur porcum; vt ergo Vespasianum hominem execrabilem, & abominandum significaret Vates, aprum, siue porcum dixit. Præterea, ait idem Augustinus, quia sermo erat de Ierusalem, siue Iudæa, sub nomine vineæ, vineis autem inprimis nocet porcus, ideo porcum, siue aprum exterminatorem vocari in eo Psalmo. Quòd si Hebræos nugantes, iure reiecimus, maiori sanè iure reiiceremus Iacobum Regem Britanniæ blasphemantem in libello nuper edito, quartam bestiam esse summi Pontificis Monarchiam; nisi nos eo onere liberaret Soarius noster libro primo de Antichristo, cap. 22.

*Reiicitur opinio Hebræorum.* Psal. 79. 14.

*Roma sylua frementium bestiarum dum erat Gentilis.*

D. August.



3. Igitur vera sententia est, significari per quartam bestiam Monarchiam Romanorum. Ita sentit D. Hieronymus, Theodoretus, & communiter omnes. Cur autem non nominatur? Theodoretus idcirco ait non nominari, quoniam apud Romanos varia fuit administrandi ratio; modò sub Regibus, modò sub Consulibus, modò sub Imperatoribus, & quia Roma erat non vnum regnum, sed omnia simul regna mundi, & quasi compendio mundus, vt ait Cyprianus epist. 45. quæ moles vnius nominis bellua significari non poterat. Rectè quidem Theodoretus: rectiùs, vt videtur, D. Hieronymus, nomen reticuit, vt ferociorem exprimeret. Satis miror, inquit, quòd cum supra leænam, vrsum, pardum in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli designatæ bestiæ compararit? Nisi fortè, vt formidolosam faceret, vocabulum tacuit, vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus. Confirmatur eo quod additur ad prædictum locum Psal. 79. *Et singularis ferus depastus est eam.* Similiter enim intelligitur Romanum Imperium, quod quidem non nominatur, sed ferus absolutè dicitur, vt exaggeretur illius in vastatione Vrbis ferocitas. Singularis enim ferus, idem est, ac vnicus in ferocitate, cui videlicet nullus alius comparari queat. Et quidem in Hebræo est, *commotio agri.* Quod D. Hieronymus vertit, *omnes bestiæ agri:* quasi tumultuarie sumptæ, vt vna quidem significetur ferocissima bestia, in qua scilicet omnium bestiarum ferocitas quasi collecta sit, quod noster satis se exprimere visus est, appellando singularem ferum. Similiter ergo hic, dum Vates quartam bestiam non nominat, magis amplificat eius ferocitatem.

*Vera sententia, significari Imperium Romanum.* D. Hieron. Theodor.

Cyprian.

D. Hieron. *Nomen siluit, vt ferociorem exprimeret.*

*Singularis ferus, id est, vnicus in feritate.*

*In quo sit omnium bestiarum ferocitas.*

4. Constituto ergo, quòd bestia quarta sit Monarchia Romanorum, describit eam hoc modo Vates: *Bestia quarta terribilis, mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans.* De his penè iam, quæ satis erant, diximus ad Visionem de statua, cuius tibias ferreas, ac pedes partim ferreos, partim luteos, Romanam Monarchiam significare diximus. Quod verò modò ferreos dentes ponat, quibus comedit, ac comminuit, ac cætera, scilicet, ciborum detrimenta pedibus conculcet, ostendit primùm in bestia voracem ingluuiem, qua prædarum quædam dentibus mandit, quædam semesa calcat. Et in Monarchia prædicta innuit, quòd multa regna partim deuorauerit per clades impositas, partim præsidiis militum, & tributis conculcauerit, ne se iterum in rebellionem erigerent. Hinc Romanorum Præturæ, & Proconsulatus, quorum id erat muneris, vt tributa in Vrbem transmittenda exigerent, & per milites præsidiarios continerent in officio Prouincias. Vnde Marcus Tullius scribens ad Quintum Fratrem de Præfectura Asiana, duo commendat, & Publicanorum curam ad exigenda tributa, & militum præsidia ad confirmandos Prouinciales. Quod re ipsa cernere est in vno Pilato Præside. Statuerat is adire thesaurum sacrũ, quod Hebraicè dicitur *Corban*, specie quidem, vt aquam in Vrbem induceret, re autem vera vt comederet, comminueretque; cùm autem commotus populus tribunal cum clamore circumdaret, immisit Præses armatos milites priuato habitu, qui fustibus præparatis signo dato populum egregiè pulsarunt. Qua de re ita Iosephus de bello Iudaico, lib. 2.

*Quòd partim comedat, partim conculcet, est, quia quædã regna deuorat, quædam præsidiis premit.*

Marc. Tul.

*Pilati factum de cæso populo.*

cap.8. Eorum,inquit,multi quidem plagis,multi verò se inuicem conculcantes in fuga misera protritione perierunt. Ecce quomodo hæc Romana bestia dentibus suis ferreis comedebat, comminuebàtque, & reliqua pedibus conculcabat,ac proterebat.

*Reiicitur Porphyrius in eo quod asserit de decem cornibus.*

5. Sic autem de cornibus sequitur: *Habebat cornua decẽ.* Primùm reiiciendus est Porphyrius, qui per decem cornua decem Reges accipit sæuissimos, ac ferocissimos, qui non ex vno aliquo regno tantùm, sed ex tribus regnis Græcorum, hoc est,Macedoniæ,Ægypti, & Syriæ colligendi sunt. Est enim concors omniũ Ecclesiasticorum sententia, per decem cornua intelligi oportere decem Reges, qui prope seculi consummationem, orbem Romanum inter se diuidere debent. Nam quòd ex vno eodémque regno, non verò ex pluribus decem Reges colligendi sint, apertè asserit infrà Antiquus dierum, explicans Danieli Visioné:*Porro,*inquit, *cornua decem* ipsius regni *decem Reges erunt.* Est tamen D.Augustini hac in re specialis opinatio, per denarium Regum, non significari certum aliquem eorum numerum, sed vniuersaliter omnes Reges in Romano Imperio vsque ad finem seculi futuros. Solet enim Scriptura, vt septenario, centenario, & millenario, ita denario vti ad exprimendam vniuersitatem. Verba Augustini sunt: Vereri me fateor,ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus esse Antichristus, fortè fallamur, & ille inopinatus adueniat, non existentibus tot Regibus in orbe Romano. Quid enim si numero isto denario vniuersitas Regum significata est, post quos ille venturus est? Sedenim cùm hoc loco dicatur, ex decem Regibus debellandos, & occidendos esse tres à Rege illo expresso per cornu paruulum, planè efficitur, Vatem loquutum de decem numero Regibus,non autem de vniuersitate Regum.

*Communis sententia, significari decẽ Reges.*

D.August. *Augustinus per decẽ Reges significari vniuersaliter omnes Reges.*

*Probatur oppositum ex ipso textu.*

6. Quæres, cur per cornua significentur Reges? Solent Hebræi hoc nomine vti, ad significandam regiam potestatem,& gloriam; aut quia (vt Beda, Theophyl. Euthym. aiunt ad primum Luc.cap.) oleo in cornu seruato Reges inungebantur; aut quia (vt verosimilius est) præcipua regni gloria in Rege eminet. Quæ autem animalia cornua habent, ea solent cæteris eminentiùs ingredi. Hinc est quod Zachar.1.19. dicitur:*Et ecce quatuor cornua,quæ ventilauerunt Iudam,*significantur autem quatuor Reges, regnáve potentissima,quæ Iudæos bellis vexarunt, vt ad eum locum explicabimus.Celebre est illud Psal.131.17. *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.* Est enim promissio de regno Messiæ. *Illuc producam*, quasi non tempore Dauid,sed in consequentia secula reseruabo exaltationem regni Dauidici per Christum Regem. Producam videlicet absconditum antea, faciam conspicuum, quod Maldonatus completum agnouit in eo, quod Zachar. Luc.1.69. dixit: *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid*: latebat enim ignotum, ac sine luce regnũ Dauidicum paulò ante Christi natiuitatem: eo autem nato erectum est, & illustre factum. Quod sequentia in Psalmo volunt: *Paraui lucernam Christo meo.* Lucernam, ex Scripturæ phrasi, hoc est,illustre regnum. Rectè autem Augustinus hoc loco annotat, significari per cornu altitudinem spiritualem regni Christi: non enim temporali apparatu,ac luxu splenduit, sed omnino spirituali. Nam cornu,inquit, è cætera carne eleuatum carnis omnino expers est: ita regnum Christi, non carnali, sed spirituali celsitudine eminet. De eodem regno Christi sunt alia similia 1.Reg.2.10. *Sublimabit* Pater *cornu* regnum *Christi sui*; vt ex amoris affectu,quo suum Christum vocat, æstimetur sublimatio regni eius: vbi enim amor machina est, quanta sperari potest eleuatio ponderum etiam maximorum? Vnde illud Habacuc 3.4. *Cornua in manibus eius*,iuxta interpretationem D.Hieronymi, Exaltatio regni Christi est in manu, & potentia Patris;quasi dicat: Bene credita est illi eiusmodi exaltatio, qui & Pater est,& omnipotens, qui & potest, & amat. Vnde sequitur: *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Et iuxta Septuaginta:*Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*; vt sit sensus, iuxta mensuram immensi amoris admensus est potentiæ suæ vim, quam ad exaltationem Filij sui adhiberet.

*Per cornua Hebræi significant regiã potentiam, & gloriam.*

Zach.1.19.

Psal.131.17.

*Exaltatio regni Dauid tempore Messiæ.*

Luc.1.69.

*Lucerna, illustre regnũ.* D.August. *Altitudo spiritualis regni Christi.*

1.Reg.2.10.

*Vbi amor machina, maxima ponderum eleuatio est.* Habac.3.4. D.Hieron.

*Iuxta mensuram amoris applicuit potẽtiam ad exaltandum Christum.*

---

## *De cornu paruulo.*

### SECTIO VII.

1. *Reiicitur Porphyrius, cornu paruum asserens esse Antiochum Epiphanem. Conuincitur falsitatis, quod attinet ad Euergetis necem illatam per Antiochum.*
2. *Iudæorum cæca opinio de Christo, quòd paruulum cornu fuerit,reiicitur.*
3. *Refutantur blasphemia Iudæorum circa hoc ipsum cornu paruulum,id est,Christum.*
4. *Reiicitur opinio Viterbiensis de Mahumete,& falsa conuincitur duobus argumentis.*
5. *Probatur sententia Hieronymi de Antichristo, quæ etiam est omnium Ecclesiasticorum,& explicatur ab eodem Hieronymo.*
6. *Quomodo paruulum cornu Antichristus fuerit,ostenditur. Vnde ortus? quare homo peccati? quomodo prosperabitur?*
7. *Quomodo cornu habuerit oculos,& os hominis, explicatur?*
8. *Quomodo accipiendum,quòd Sanctos Altissimi conteret, ex simili loquendi modo Lucæ 11. Item quid sit mutare tempora,exponitur.*

1. DE cornu paruulo sic Vates, Vers.7. *Considerabã cornua,& ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum,& tria de cornibus primis euulsa sũt à facie eius. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto,& os loquens ingentia.* Magna est hîc opinionum varietas. Occurrit primùm,semper reiiciendus Porphyrius,qui hunc paruulũ cornu Antiochum Epiphanem interpretatur, & decem cornua,decem Reges,non ex vno tantùm regno,sed è pluribus;Macedoniæ scilicet, Ægypti,& Syriæ colligẽdos:euulsa autem ab eo tria cornua, quia tres Reges vicit, duos Ægypti Ptolomæos, Philometorem & Euergetem, ac tertium Regem Armeniæ Atayiam. Verùm,quod Porphyrius ait de decem Regibus, planè confictum est,& à nobis suprà refutatum. Præterea non est verum, subiugasse Antiochum tres illos Reges. Nam etsi magnis cladibus afflixit Philometora, regnũ tamen non ademit, Romanorum metu,Ægypto discedere coactus.Et simile quid ei contigit contra

*Reiicitur Porphyrius, cornu paruulum esse Antiochum.*

tra

A tra Artaxiam Armenorum Regem. Quòd verò ad Euergetem attinet, omnino falsum est ab Antiocho fuisse victum: nam cùm duo fuerint eius nominis Reges, prior quidem tertius Ægypti Rex, quinque, & quadraginta annis, antequam Antiochus regnum caperet, mortuus est: posterior septimus Rex Ægypti post magnum Alexandrum, viginti annis ab Antiochi obitu regnum adiit, vt mirari iure quis possit Porphyrium vel tam apertè mentientem, vel tam pueriliter ignorātem Ægyptiorum regum Chronologias.

*Iudæi cæci, cornu paruū faciunt Iesum Christū Dominum nostrum.*

2. Iudæi cæci, vt gloriam regni Christi obscurent, multis contendunt, hoc paruum cornu significare Christum, qui quidem initio fuit humilis, obscurus, contemptus: loquens ingentia, quia magnifica de se, ac gloriosa prædicabat, iactabat enim se sine peccato esse, descendisse de B cælo, ac antiquiorem Abrahamo, Filium Dei, Saluatorem mundi: sermones etiam contra Deū loquebatur. Primus enim affirmauit Deum genuisse Filium sibi consubstantialem, séque esse eiusmodi Filium: deinde putauit, posse se mutare tempora, quoniam legem Moysis, & ceremonias tollere tentauit: item festiuitates inuertere, & Sabbatha violare non dubitauit. Deinde & tempus regni eius conuenit: tribus enim annis, ac dimidio docuit: sectatores habuit: quadrat tandem, quòd eiusmodi cornu paruulum, id est, Christus, contritus est à populo Dei, id est, à Iudæis, qui illum crucifixerunt. Hæc impij Iudæi.

C 3. Etsi autem canum latratus curare non oportet, ne tamen illi ob latratus suos sibi placeant, molas eorum vno, vel altero pugno contundamos: ostendant ergo in primis cæci quomodo mortuo Domino prçualuerint, ac deinceps prosperati sint, vt Daniel ait de populo Sanctorum: nam ipsimet suo malo experti sunt, post mortem Domini multis cladibus se afflictos, hodiéque miserrimum toto orbe exilium pati, nec vllo loco consistere, ac à tantis malis, vel punctum temporis respirare. Quod aiunt de violatione legis, ac rituum, negandum omnino est: nec enim Dominus legem soluit, sed adimpleuit, vt in Euangelio ait: nimirum figuræ Christi erāt ritus illi, ac ipsa lex; Christo antē adueniente compleuêre officium suum, ac adeò desiêre vim habere D pristinam. Quæ latiùs ostendere non est huius loci. Quod loquuntur de generatione Patris, & de Filio Dei consubstantiali, non primus inuexit Christus, sed multò antè in veteri Testamento scriptum est. Psal. 2. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vbi non de liberatione Dauid, vt Rabbini delirant, sed de æterna generatione Filij sermonem esse grauissimi Autores asserunt. Quod aiunt Christum se iactare solitum, quòd sine peccato esset, quòd Filius Dei, quòd de cælo descenderet, &c. falsa tunc esse, & inania dicerent, si ipse Dominus non comprobasset operibus ac miraculis, quæ ipse per se ac per suos toto orbe patrauit. Paruulum autem fatemur, hoc est, humilem, non necessitate, sed voluntate. Prælegit enim in primo aduentu humilitatem, quoniam bene nouerat ita se iacenti mundo congruere. Cœpit autem tunc regnare, si non temporaliter, certè spiritualiter; cùm per se, ac per suos, idololatriam toto orbe, maximéque in Romano Imperio destruxit, plenè autem, hoc est, spiritualiter, ac temporaliter regnabit in fine mundi, vt latè ostendit Propheta in sequentibus.

*Refellitur declinamentū Iudæorū.*

Psal. 2. 7.

*Annius Viterbiens.*

*Viterbiensis opinio falsa ostenditur, cornu scilicet paruulū non esse Mahumetem.*

4. Annius ergo Viterbiensis in eo libro, quem de quæstionibus in Apocalyps. scripsit ad Sixtum quartum, vbi declarat, quæ sit illa bestia Apocalyps. 17. primus eam opinionem inuexit, vt per hoc paruulum cornu intelligeretur regnum Mahumetis, quod hodie præcipue est penes Turcas. Paruulum ergo cornu asserit, quia Mahumetes loco planè obscuro, & tenuissimo fuit, nulla prorsus doctrina, religione verò planè chimærica, mixta scilicet ex Paganismo, Iudaismo, Christianismo, ascitis præterea nonnullorum hæreticorū erroribus. Quod verò dicitur paruulum cornu euulsisse tria alia, adnotat Annius referendum esse ad tria regna Arabiæ, Syriæ, Ægypti, quæ per se, & per suos sectatores occupauit. Sed & oculos hominis in eodem cornu repræsentare ait in Mahumete insignem solertiam, & astutiam ad fallendum. Os denique loquens ingentia, iactantiam eiusdem, ac superbiam, qua se Prophetam maximum, legémque suam Mosaica, ac Christiana meliorem esse gloriabatur. Nec dubitat Annius affirmare, regnum Mahumetanum perseueraturum vsque ad finem mundi. Tunc autem per secundum Christi aduentum omnino extinguendum. Hanc opinionem sequutus est postea Vatablus, & Hector Pintus ad hunc locum, sed immeritò: nam esse illam omnino falsam, conuincitur duobus argumentis. Primum, quoniam cornu paruulum tunc exoriturum dicitur, cùm Imperium Romanum diuisum fuerit in decem Reges, & tamē cùm Mahumetes in lucem prodiit, Imperium Romanum stabat florens sub Heraclio, & Honorio. Secundum, quoniam hîc dicitur paruulum cornu insectaturum populum Dei per tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est, per tres annos ac dimidium, cùm tamen constet hodie etiam sæuire in Christianos Mahumetanam gentem.

5. Omissis ergo eiusmodi fabulis, veram sententiam sic affert D. Hier. ad hunc locum. Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum, inter se diuidant: tum vndecimum Regem paruulum Antichristum surrecturum, qui tres Reges de illis decem superaturus sit, id est, Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ Reges, quibus interfectis, etiam septem alij Reges victori colla submittent. Dicitur autem Rex ille habiturus oculos hominis, ne eū putemus, iuxta quorundam opinionem, diabolum esse, sed vnum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter. Habebit etiam os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. Hactenus D. Hieronymus. Similia scribit hoc loco Theodoretus.

D. Hier.

*Vera sententia, cornu paruulum, esse Antichristum.*

*Os hominis habebit, ne putetur esse diabolus.*

Theod.

*Paruulum cornu Antichristus, quoniam obscura initia habebit.*

6. Paruulum ergo cornu Antichristus, quoniam obscuro nascetur loco, & vitam aliquando similiter obscuram ducet, iuxta illud Daniel. 11. 21. *Stabit in loco eius despectus.* Genere autem Iudæus erit, ex Tribu Dan, vt est communis Patrum sententia, damnata scilicet Tribu, & ideo prætermissa à Ioanne, Apocal. 7. à numero signatorum, siue prædestinatorum, vt existimat D. Irenæus 5. aduersùs hæreses 30. vt vel ob id ipsum dicatur à Paulo 2. Thessalon. 2. 3. *Homo peccati,* quia peccato quasi Domino seruiet, omnium, scilicet, turpissima seruitute. Homo peccati, quasi

Dan. 11. 21.

*Dan exclusus à numero signatorū, seu prædestinatorū.*

Apocal. 7.

D. Irenæ.

2. Thessal. 2. 3.

*Homo peccati, quia seruiet peccato.*

 à pec

ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.

3. Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.

4. Prima quasi leæna, & alas habebat aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.

5. Et ecce bestia alia similis vrso in parte stetit: & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.

6. Post hæc aspiciebam, & ecce alia quasi pardus, & alas habebat quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei.

7. Post hæc aspiciebam in Visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens, & reliqua pedibus suis conculcans: dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.

8. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum: & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius: & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.

9. Aspi

A *principales ventos, Eurum, Zephyrum, Boream, Austrum, in magno mari Mediterraneo confligentes, non simul, sed ad exortum quatuor bestiarum, ex quatuor mundi partibus, singulos quasi præire, ac mare ipsum immissa tempestate concutere: videlicet, Monarchia per bestias significatæ non nisi præmissis bellorum tumultibus ortæ sunt.*

3. *Post ventorum singulas perturbationes, vidi singulas è mari emergere bestias diuersa forma.*

B 4. *Prima bestia speciem referebat leænæ, & alas insuper aquilæ extendebat ad volatum, Chaldæorum Monarchiam, & fortitudine, & celeritate repræsentans. Sed videbar mihi videre alas ab ea per vim auulsas, superbiam, & elationem contusam in Nabuchodonosor, & è terra patria expulsam, in eodem Rege, in syluas; postea non iam volatum aquilinum exprimere, sed incessum communem hominum, cùm iam hominem se agnoscens restitutus est in communem sensum.*

5. *Postea miro modo extitit è mari bestia alia, similis vrso, ob crudelitatem Persarum gentem exprimens: hac in parte stetit, primùmque excisa Babylone cœpit florere: porro visi*
C *sunt in ore vrsi tres ordines dentium; tria nempe regna præcipua, quæ primùm & maximè continebat Monarchia Persica, scilicet regnum Persicum, Chaldaicum, Medicum. Et quasi audiui dictum huic bestiæ, seu Monarchiæ: Surge, comede carnes plurimas, tuis videlicet regnis illis tribus debella plura alia.*

6. *Post hanc secundam bestiam apparuit tertia similis pardo, quatuor habens alas, &*
D *quatuor capita: nempe Monarchia Græcorum, quæ sub Alexandro velocitate præstitit, & in quatuor Reges post mortem Alexandri distributa fuit.*

7. *Quartam bestiam postea vidi aspectu horribilem, Romanam Monarchiam, quæ me in stuporem traxit: nam & fortitudinem indicabat maximam, & dentes ferreos, hoc est, potentiam maximam præferebat, prædásque multas seu regna, partim comedebat, partim semesas deuastabat, ac post clades superstites calcabat pedibus, hoc est, præsidiis suis. Cum cæteris autem, quas antè videram, nec figura, nec habitudine conueniebat, quia cæteris Monarchiis*
E *nullo modo præ magnitudine, comparari poterat. Decem verò cornua in fronte præferebat, iam tunc portendens decem futuros Reges in Romano Imperio prope finem mundi.*

8. *Cùm verò considerarem decem cornua, ac Reges illos, è mediis cornibus succreuit paruum cornu Antichristus, qui humili loco natus paulatim inualescet, ac tria cornua euellet, tria regna, Regésque eorum vastabit: videbam aut in oculis humanis præditum esse cornu paruulum,*

quòd

9. Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit: vestimentū eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius quasi lana munda, thronus eius flammæ ignis: rotæ eius ignis accensus.

10. Fluuius igneus, rapidúsque egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei: iudicium sedit, & libri aperti sunt.

11. Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur: & vidi quoniam interfecta esset bestia, & periisset corpus eius, & traditum esset ad comburendum igni:

12. Aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas, & tempora vitæ constituta essent eis vsque ad tempus, & tempus.

13. Aspiciebam ergo in Visione noctis: & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquum dierum peruenit: & in conspectu eius obtulerunt eum.

14. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur: & regnum eius, quod non corrumpetur.

15. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum in his, & Visiones capitis mei conturbauerunt me.

16. Accessi ad vnum de assistentibus, & veritatem quærebam ab eo de omnibus his. Qui dixit mihi interpretationem sermonum, & docuit me.

17. Hæ quatuor bestiæ magnæ: quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra.

18. Suscipient autem regnum Sancti Dei altissimi: & obtinebunt regnum vsque in seculum, & seculum seculorum.

21. Aspi

A *quòd homo futurus sit, & non diabolus, superbissimus autē, & verbis insolentissimis sese erigēs.*

*9. Me autem adhuc aspiciente, throni positi sunt, singularis tamen vnus inter reliquos, flammæ splendore, ac ardore coruscabat super rotas igneas impositus, in quo Diuina maiestas sedet, forma referens prouecta ætatis grauem senem, veste niuea indutum, cæsarie per humeros effluente, quæ lanæ candidissimæ similis erat.*

*10. E Deo, quasi è quodam ignis fonte, fluuius igneus manare videbatur, quo non modò gloria, sed pœnæ celeritas, ac impetus in malos significabatur. Innumerabilis verò Angelorum*
B *multitudo astabat Iudici, ac ministerium suum intentis oculis exhibebant: mox Iudices suis thronis sedere vidi, & libros ad indicandum allatos, hoc est, conscientias hominum, è quibus desumenda erat iudicandi materia.*

*11. Spectabam animo, quem tandem exitum verba illa superbiæ, & contumeliæ in Deum plena, quæ quarta bestia loquebatur, habitura essent, & vidi eam paulò pòst interfectam, corpúsque eius igne absumptum, & in cineres redactū, penitus videlicet periisse Romanum imperium.*

*12. Similiter & aliæ bestiæ, alia regna peni-*
C *tus deleta sunt: præfinitum enim habebant ex Diuino decreto tempus, quo florerent, quod & completum est, & omnis earum potestas, & apparatus non eodem tempore successiuè desiit.*

*13. Igitur nocturna alia Visione videbam quasi filium hominis, hoc est, Christū, tanta maiestate circundatum, vt penè Deum tātùm me videre putarem, verè autem hominis aliquam similitudinem habentem; ad Patrem verò magno Angelorum quasi deducētium comitatu septum accessisse, vt iudicaturus, à Patre iudiciariam potestatem, quam habebat antea, solenni ritu confirmatam acciperet.*

D *14. Tunc Pater visus est dare Filio regnum, honorem, potestatem, cùm plenam ei, & pacificam possessionem tribuit, debellatis scilicet, ac pedibus eius suppositis omnibus hostibus, quod antea non videbatur habere, cùm scilicet repugnarent imperanti, ac sæpius rebellarent.*

*15. At mihi hæc stupenda miracula spectanti, spiritus excisus est in medio vaginæ suæ, in ipso corporis medio defecit.*

*16. 17. Tum verò vnum ex astantibus Angelum rogaui ego Daniel Visionis interpretationem ediceret, isque mihi quatuor bestias, quatuor regna interpretatus est deinceps oritura ma-*
E *iori ex parte: nam Babylonicum iam exciderat.*

*18. Capessent autem Sancti Altissimorum, scilicet, habitatores sedium supernarum, plenam possessionem regni Christi, cùm scilicet nō solùm animis, sed & corporibus beatificabūtur: quin & commorantes quoque in terra, Sancti tamen iam Altissimorū, quia hæredes sunt cælestis patriæ, & expectāt beatam spē, & aduentum gloriæ magni*

 *Dei*

A *Dei, spe etiam possidebunt Christi regnum, re autem in cælo possessionem beatam adibunt in omnem æternitatem duraturam.*

21. Aspiciebam, & ecce cornu illud faciebat bellum aduersùs Sanctos, & præualebat eis,

*21. Et cornu quidem illud paruulum, Antichristus præualens, Deo id ad tempus permittente, Sanctos vincebat,*

22. Donec venit Antiquus dierum, & iudicium dedit Sanctis Excelsi, & tempus aduenit, & regnum obtinuerunt Sancti.

*22. Donec Antiquus dierum Deus Pater, tribunal conscendit, & potentiæ autoritate præsentem se exhibuit in Filio iudicante, & Sanctis, qui cum eo iudicaturi sunt, potestatem dedit in Bestiam, Monarchiam scilicet Romanam,* B *& cornu paruulum, Antichristum; ac denique Sanctis adiudicauit causam, pulsis ac victis eorum hostibus.*

25. Et sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit, quòd possit mutare tempora, & leges, & tradentur in manu eius vsque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis.

*25. Putabit cornu illud Antichristus, quòd ipse possit præfixos à Deo regnorum terminos, & decreta Dei super idipsum peruertere, Deóque vero permittente Sanctos per tres annos, & dimidium vexabit.*

26. Et iudicium sedebit, vt auferatur potentia, & conferatur, & dispereat vsque in finem.

*26. Itaque sedebunt Iudices, & iudicabunt quartum regnum, peribitque omnino, vt non ampliùs reparari queat.*

27. Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ est subter omne cęlum, detur populo Sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, & omnes Reges seruient ei, & obedient.

C *27. Regnúmque quod est subter omne cælum, Ecclesia in terris agens, possidebitur pacificè à Sanctis Altissimorum, quia debellatis omnibus inimicis Christi, vnum erit ouile, & vnus pastor, & totus mundus Christum adorabit.*

---

## COMMENTARIVS PRIOR.

DVplex erit Commentarius. In priori de exortu quatuor bestiarum; in posteriori de vltimo regno Dei. Quod ad prius attinet, dicemus primò de ventorum conflictu ante exortas quatuor bestias, postea generaliter de earundem exortu è mari magno. Denique de singulis speciatim.

### *Quid significent quatuor venti confligentes in mari magno?*

### SECTIO I.

1. *Quatuor venti intelliguntur à Vate, qui è quatuor principalibus mundi partibus flant, & in illis cæteri, denique omnes mundi partes ex vsu Scripturæ.*
2. *Hieronymi opinio per ventos intelligi Angelos custodes regnorum; per mare magnum, seculum hoc: pugnare autem per contraria optata pro suis regnis. Explicat Hieronymus locum Deuter. 32. de distributione Angelorum pro variis regnis.*
3. *Opinio Hieronymi multis displicet, & locus Deuter. aliter explicatur à literalibus.*
4. *Quare aliter sit explicandus locus. Versio 70. iuxta numerum Angelorum Dei difficilis est: fortè Israëlitas Angelos vocat, quia soli cultores Dei erant.*
5. *Alberti opinio, de malis Angelis intelligendum, qui regnis singulis obsistunt, vt boni fauent, etsi supponat rem non improbabilem, tamen non placet ex eo, quia non declarat speciale id, quare in exortu Monarchiarum pugnent.*
6. *Sententia Theodoreti probatur, ventorum conflictus* D *significare tumultus illos, qui in exortu singularum Monarchiarum exciti sunt.*
7. *Moralis digressio de violentia ac tyrannide regnorum.*

1. VATES ita Visionis apparatum proponit, Vers. 2. *Videbam in Visione mea nocte, & ecce quatuor venti cæli pugnabant in mari magno.* Cur ante exortũ bestiarum è mari præmittatur ventorum in eodem mari pugna, & quid per ventos significetur, controuersum est. Primùm ergo constat, per quatuor ventos indicari quatuor illos principales, qui ex quatuor præcipuis cæli partibus perflare solent, nempe ex Oriente, Eurum; ex Occidente, Zephyrum; ex Septentrione, Boream; ex Meridie, Austrum. Has sedes ab initio statim mundi sortitos esse testatur Ouidius Metamorphos. 1. *Quid per ventos præliãtes significetur. Quatuor venti principales è quatuor orbis partibus flant.*

E

*Æurus ad Auroram, Nabathæáque regna recessit,*
*Persidáque, & radiis iuga subdita matutinis:*
*Vesper, & Occiduo, quæ littora sole tepescunt,*
*Proxima sunt Zephyro: & Scythiam, Septémque-triones*
*Horrifer inuasit Boreas, contraria tellus*
*Nubibus assiduis, pluuióque madescit ab Austro.*

*Hos*

Matt.24.31.

Hos ventos intellexit Dominus Matth.24. 31. cùm de extremo Iudicio loquens dixit: *Mittet Angelos suos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius à quatuor ventis.* Et Isai.43. 5. expressè eosdem nominans ait: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da; & Austro, noli prohibere. Affer filios meos à longinquo, & filias meas ab extremis terræ.* Per hos autem quatuor principales ventos intelliguntur cæteri omnes intermedij, & vniuersaliter intelliguntur omnes mundi partes, vt prædictis locis sumunt omnes interpretes.

Isai.43.5.

*Per quatuor ventos quatuor Angelos custodes quatuor Monarchiarum significari,* D.Hier.

*Singulis regnis præfici à Deo singulos Angelos.* Deut.32. 8.

2. Quid verò significetur quatuor ventorum nomine, & quomodo intelligantur pugnare in medio mari, controuersum est. D. Hieronymus B opinatur significari quatuor Angelos custodes quatuor Monarchiarum. Est enim cõmunis sententia, singulis regnis præfici à Deo singulos Angelos, qui res eorũ curent, gubernationémque tũ spiritualem, tum corporalem promoueant. Probat id Hieronymus ex illo Deut.32. 8. iuxta versionem Septuaginta. *Quando diuidebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum Angelorũ Dei.* Quod noster habet, *iuxta numerum filiorum Israël.* Dicuntur autem pugnare Angeli custodes regnorum, non quidem affectu, sed effectu, quia videlicet, eorum optata, & postulata apud Deum pro regnis sibi commissis, sunt inter se aliquando C contraria; atque hoc modo intelligendum, quod ait Angelus custos Hebræorum ad Danielem cap.10. 13. *Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus.* Sumi namque debet de resistentia per contraria postulata coram Deo. Nam custos Persiæ orabat Deum, ne captiuitas Hebræorum solueretur, quoniam ob eorum præsentiam, multi trahebantur ad notitiam veri Dei. At custos Hebræorum rogabat enixè vt demitteretur populus, qui consuetudine Persarum infidelium, magnum patiebatur detrimentum in religione, ac moribus. Mare autem magnum accipit Hieronymus hunc mundum D turbulentis laborum fluctibus intumescentem. Hæc ferè ex Hieronymo.

*Pugna Angelorũ, affectu, non effectu, quia quæ optant suis regnis, sunt aliquãdo cõtraria.* Dan.10. 13.

*Mare magnum, hic mundus.*

*Non probatur hæc opinio.*

3. Hæc opinio in multis displicere potest. Primùm, quia non apparet, quare ante exortum Monarchiarum videantur eiusmodi Angeli pugnantes inter se: neque enim hæ Monarchiæ simul fuêre, vt de rebus earum potuerit esse pugna inter earum Angelos. Præterea, licèt certum sit singulis quibusque regnis præpositos esse singulos Angelos, probatio tamen per locum ex Deuter. citatum, meo quidem iudicio, etsi multum habet probabilitatis ex eo, quòd sit Hieronymi, & aliorum veterum Basilij, Nazianz. duorum Clementium, Roma. & Alex. E Dionysij, Isidori, Cyrilli Alexan. Epiphanij, Anastasij, spectata nihilominus serie contextus, aliud sibi Moyses velle videtur eo loco: nimirum Deo peculiarem fuisse curam circa populum Israël, in diuisione illa generali terrarum in omnes gentes: nam tunc, cùm diuidebat, seu, iuxta Hebraicum, hæreditare faciebat gentes orbem terrarum, designata tunc est terra Chanaan septem gentibus, non tam vt eam possiderent, quàm vt colerent, cultámque traderent filiis Israël, cùm ascenderent de Ægypto. Horum ergo septem populorum designauit termi-

*Locum Deuteronomij aliter explicandum.*

*Cura Dei specialis circa populum in diuisione terrarum.*

A nos iuxta numerum filiorum Israël, id est, respiciendo non ad prædictos populos, sed ad populum suum Israël, cuius eos voluit esse colonos tantùm, adhibitis terminis pro mensura populi Israëlitici, cùm ad eos inhabitandos sufficeret. Quod quidem indicium est amoris Dei erga populum indulgentissimi, qui cùm cæteris gentibus terras incultas distribueret, populo tamen suo cultas optimè, & subactas ab aliis elargitus fuerit. Et sequitur aptè: *Pars autem Domini populus eius*; id est, cùm varias aliis gentibus terras dederit in hæreditatem, tamen ipse sibi reseruauit in hæreditatem populum Israël. Ita communiter literales loco citato.

*Chananæis permissa terra, vt eã colerent, interim dũ filij Israël eã nõ possidebant.*

*Pro numero filiorum Israël designauit terram cultam ab aliis.*

4. Moneor vt ita sentiam, quia Deus non designauit regiones iuxta numerum, id est, respiciendo ad numerum Angelorum, quasi diuisiones regnorum tot fuerint, quot Angeli Dei: id enim incredibile est, & aliorum fert opinio, designatas tunc fuisse regiones septuaginta toto orbe iuxta numerum filiorum Israel, id est, iuxta septuaginta animas, quæ cum Iacob ingressæ sunt in Ægyptum. Quare illud, *iuxta numerum filiorum Dei*, expositum habemus Exod. 23. 29. Deum nostro modo intelligendi priùs spectasse populum suum iuxta eum numerum, ad quem eum excrescere volebat, & iuxta eum præcisè, quasi metatum fuisse tantum terræ Chanaan, quantum satis erat capiendo populo sub ea quantitate præuisa; tradidisse autem colendam septem illis gentibus, vt illis posteà amotis, filios Israel in possessionem introduceret, sicut & introduxit posteà duce Iosue. Audi ipsum Deum loco citato: *Non eiiciam eos à facie tua anno vno, ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim expellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram.* Quod autem Septuaginta verterint, *iuxta numerum Angelorum Dei*, non est explicatu facile. Fortè ita Israëlitas honoris causa appellare libuit, quia vt in cælo Deus ministros habet Angelos, sic habebat in terra pro Angelis ac ministris suis Israëlitas. Nam & ministros noui Testamenti Angelos appellat Paulus 1. Corint. 11. 10. vbi iubentur mulieres velare capita propter Angelos, id est, propter Sacerdotes, ac viros iustos, ne illis scandalo sint. Cùm ergo sint loca alia, quibus efficaciter probatur, Angelos esse præpositos prouinciarum, non oportuit vti loco Deuter. citato, & credo, D. Hieronymum citasse illum ex communi Autorum consuetudine, non verò vt exactam probationem adhiberet, qualis potuit esse illa ex Daniel. 10. citato de Principe regni Persarum, qui restitit Angelo custodi populi Hebræorum in captiuitate, & aliæ plures.

*Tot fuisse diuisiones regnorum, quot Angeli, incredibile est.*

*Iuxta septuaginta, animas, 70. regiones.*

*Nomine Angelorum fortè intellexerunt 70. Israelitas.*

1.Cor.11. 10.

*Hieronymus fortè loquutus est ex aliorum sententia.*

5. Albertus Magnus nomine ventorum accipit malos Angelos, qui prædictis Monarchiis ad malum præerant, & quoniam ad bella, & seditiones perpetuò impellebant, idcirco videri pugnantes in mari magno. Probat hæc opinio id, quod assumit, nimirum, quatuor malos Angelos præesse quatuor Monarchiis: nam sicut à Deo Monarchiis singulis singuli boni Angeli in salutem præpositi sunt; ita singulos quoque malos Angelos à Principe dæmoniorum appositos ad perniciem populorum, probabile est. Primùm ex illo Apocal. 7. 1.

*Per ventos intelligit Albertus M. malos Angelos Monarchiarum.*

*Vt regnis boni Angeli à Deo, sic mali à dæmone præficiuntur.*

Apoc.7.1.

*Vidi*

*Vidi quatuor Angelos stantes super quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne flarent super terram*, &c. Angulos enim terræ quatuor rectè interpretatur Rupertus, & alij, omnia regna mundi generaliter: nam sicut angulos populi Scriptura nominat principes viros, quibus tota respublica, vt angulis suis domus continetur, ita angulos mundi, Monarchas, ac Reges sumi oportet, qui scilicet suis legibus mundum constringunt; super hos ergo quatuor angulos, hoc est, super Reges mundi, quatuor Angeli stant, quasi illis imperitando, & in id incumbunt præcipuè, vt quatuor ventos terræ, id est, Prædicatores verbi Dei auertant, ne spirent salutis æternæ flatus, opus quidem proprium malorum Angelorum, qui salutis humanæ communes hostes sunt. Deinde idipsum fit probabile ex eo, quòd antiquissima traditio est, singulis hominibus, statim vt nascuntur, assistere singulos malos Angelos, à quibus in vita oppugnentur, sicut refert Origen. homil. 20. in Luc. & collation. 8. cap. 12. Cassianus, Beda in cap. 12. Act. Apost. & Nyssen. Gregor. in vita Moysis, cuius indicium latere videtur in illo Christi Matth. 18, 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*; quasi sint alij eorum Angeli, qui non videant faciem Patris. Cùm ergo ex his constet, singulis hominibus singulos adhærere malos Angelos, constare etiam par est, singulis regnis singulos malos Angelos incumbere, vt in eis opera tenebrarum exerceant.

*Anguli mũdi, Monarchæ.*

*Venti terræ quatuor, Prædicatores verbi Dei.*

*Opus dæmonis, Prædicatoribus se opponere.*

*Singulis hominibus singulos malos Angelos destinari.*

Orig. Cassian. Beda. Nyss. Greg. Matt. 18. 10.

Vera nos hæc, aut certè similia vero esse non negamus, sed non placet opinio ex eo, quòd eiusmodi malos Angelos asserat, hîc exhiberi pugnantes inter se in mari magno, quòd in quatuor Monarchiis bella, & seditiones absolutè moueant: nam patere omnino debet, per ventos eiusmodi confligentes, aliquid speciale indicari circa exortum Monarchiarum; quòd verò dæmones bella, & tumultus excitent, id commune malum est, & omni tempore, quo Monarchiæ durarunt, continenter exhibitum. Præterea Monarchiæ quatuor nunquam simul extiterunt, ergo nec inter se ipsæ à malis Angelis excitæ pugnarunt, nec ipsi mali Angeli propter eas bella vlla contra se ipsos susceperunt, aut suscipere potuerunt, quandoquidem ad vnum idem malum idololatriæ, & infidelitatis commouebant.

*Vt vera sint quæ dicta sunt, opinio de pugna ventorum non est vera.*

*Per bella ventorum, speciale aliquid significari.*

*Monarchiæ nunquam simul extiterunt, ideo nec motæ simul.*

6. Theodoret. interpretatur quatuor ventos, quatuor insignes bellorum tumultus, qui in singulis exortibus Monarchiarum excitati sunt, iuxta Scriptorum ea de re communem fidem. Narrat enim inprimis Iustinus initio suæ historiæ, & Diodorus lib. 3. Ninum Monarchiæ Assyriorum primum conditorem, maximam orbi terrarum attulisse perturbationem. Deinde Autor est Herodotus lib. 1. Monarchiam Persarum sub Cyro exorientem totam Asiam tremefecisse. Sed & de exortu Monarchiæ Græcorum sub Alexandro scriptum est 1. libro Machab. totum terrarum exagitatum & conuulsum. Vltimò, Romanorum Imperium, aliorum mundi regnorum labefactatione, & interitu ortum, omnium ferè Scriptorum monumento testantur. Hæc interpretatio ad veritatem propius accedere videtur, quatenus speciales illas perturbationes ante exortum singularum Monarchiarum asserit, probátque Auto-

Theodoret.

*Quatuor vẽtos, quatuor insignes bellorum tumultus in singulis exortibus Monarchiarũ.*

Iustinus. Diodor. Herodotus.

*Est interpretatio veriùs accedens ad verum, si successiuè intelligatur.*

A rum illis testimoniis. Itaque si rem ita sumamus, vt non simul, sed quasi successiuè viderit Vates primum ex Oriente insurgere Eurum, ac primam excitare in mari magno tempestatem, qua præmissa statim emergat prima bestia ex eodem mari, & sic de cæteris ventis, ac bestiis suauiter fluet sensus literæ. At, quod est mare magnum in hoc sensu? Commune est in Scriptura, nomine maris magni sumi Mediterraneum, quod quidem magnum dicebatur comparatum ad peculiaria quædam maria, lacúsve in eadem Scriptura celebres. Namque Oceani, qui solus maris magni appellatione dignus esse videtur, vix vlla reperitur in Scriptura sacra facta mentio. Aptè tamen loquuturus Vates de magnis

B ventorum tumultibus, maris magni potiùs, quàm terræ, aut lacus alicuius meminit, quoniam ventorum rabies in mari magno potiùs, quàm in angusto aliquo lacu, aut in terra sæuire solet.

*Mare magnũ, Mediterraneum.*

*Oceani vix vlla in Scriptura mẽtio.*

*Mare magnum notari ad expressionem magnæ tempestatis.*

7. Ex dictis autem collige, hanc vim, quæ regna & Monarchias parit, naturali gentium contraire iuri, quo paci tantùm populorum tuendæ per regna consultum voluere, ac adeò quatenus hinc exorbitat, in tyrannidem euadere. Vix autem sine vi Monarchia. Vnde & Monarchæ per antonomasiam violenti domini apud Iob. cap. 27. 13. *Hæc est hæreditas violentorum ab omnipotente*; quasi dicat: Reges, ac Mo-

C narchas, qui per violentiam omnia agunt, manet tanquam hæreditaria violentia ab omnipotente Deo, qua exigit ab eis pœnas debitas. Vnde Elias in commentario super Apologetico Nazianze. Orat. 1. Commune, ait, Monarchiæ vitium, tyrannis. Quare rectè Iustinus sic historiam suam auspicatur: Principiò rerum, gentium Imperia penes Reges erant, quos ad fastigia maiestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio prouehebat. Fines Imperij tueri magis, quàm proferre mos erat. Primus Ninus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad resistendum populos Libyam vsque perdomuit. Hæc Iustinus. Quibus addit Augustin. 4. Ciuit. 6. Inferre, inquit, bel-

*Hac vis in principiis regnorum, naturali iuri contraria.*

*Monarchæ per antonomasiã, violenti.*

Iob. 27. 13.

*Commune vitium Monarchiæ, tyrannis.*

Iustin.

*Primus Ninus intulit bella finitimis.*

D.Aug.

D la finitimis, & inde in cætera progredi, ac populos sibi non molestos sola regni cupiditate conterere, & subdere, quid aliud est, quàm grande latrocinium? Addi potest, & qui hæc facit, quid aliud, quàm grandis latro? Quod quidem in vno illo ex quatuor Monarchis Alexandro vrbaniter admodum, ac planè liberè exprobrauit quidem comprehensus pirata; vt eodem illo libro refert Augustin. cap. 4. Illum namque reprehendens Alexander, Quid tu, inquit, nauigio tuo hoc, mare infestum habes? Et tu, inquit, cur orbem terrarum hac tua classe? quasi diceret, hoc solum differimus, quòd ego nauigio paruo, tu grandi classe piraticam exerceamus, ac adeò paruus ego sim, tu grandis latro. Itaque remota iustitia, concludit Augustinus,

*Expugnatio iniusta vicinarũ gentium, latrocinium est.*

*Liberè dictũ contra Alexandrum.*

E Quid aliud sunt regna nisi magna latrocinia, & quid latrocinia, nisi parua regna? Atenim vbi bella vigent, plurimum quoque iniustitiæ interueniat necesse est. Rectè enim Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos, ponderans, quomodo Christus, tamquam nouus omnino bellator, armatur gratia, mansuetudine, ac iustitia, Psalm. 44. 5. Quis ensem, inquit, accingitur, & non contraria lenitati, & iustitiæ exercet,

*Remota iustitia, regna nihil aliud quàm latrocinia.*

Tertull.

Ps. 45. 5.

cet,

*Propria negotia etiam iniustorũ bellorum, dolus, asperitas, iniustitia.*

cet, id est, dolum, asperitatem, ac iniustitiam, propria scilicet negotia præliorum? Ita ille. Si ergo bella absolute sumpta hæc secum necessariò afferunt, quantò magis iniusta, in quibus sola cupiditas regnat, & libido dominandi? Fuisse autem quatuor Monarchias hoc genere bellorum orta, amplificata, confirmata, veterum Scriptorum monumenta declarant. Aptè ergo ante earum exortus præmittitur ventorum principalium in mari magno pugna, tanquam certum, in singulis futuræ tyrannidis, præiudicium.

---

## De exortu quatuor bestiarum generaliter.

### SECTIO II.

1. *Monarchias appellari bestias ob molem, quod variè illustratur.*
2. *Vel dictas bestias ob ferocitatem, ostenditur ex Psal. 73. & aliis locis Scripturæ.*
3. *Quòd de mari sensim ascendant, ostendit Monarchias à paruis initiis cœpisse, late id ostenditur in singulis.*

1. POSTQVAM explicauit ventorum conflictum in mari magno, addit bestiarum ex eodem mari emergentium ortus. Vers. 3. *Et quatuor bestiæ grandes ascendebant de mari diuersæ inter se.* Quatuor Monarchias per quatuor bestias significari didicit Daniel ipse, ex vno eorum, qui assistebant Domino, vt habetur in contextu. Verùm iure miraberis, quare per bestias significentur, cùm fuerint eiusmodi quatuor Monarchiæ, quatuor quasi miracula rerum humanarum. Vnde suprà conuenienter admodum monstratæ sunt in statua illa ex principibus metallis compacta. Nunc, agè, quænam bestiarum cum potentissimis imperiis conuentio? Fortè comparatio est ad exprimendam magnitudinem, sicut ad caput 4. per bestias illas sub arbore regia degentes interpretati sumus magnates in republica, atque in Aula regia principes viros, quos terræ Monarchas dicere solemus. & Iob. 5.22. *Bestias terræ non formidabis*, id est, magnos, ac potentes in terra, qui soli eminent, extántque super cæteros, tanquam elephanti super alia animalia; congruit origo vocis, חיה quod est viuere, quasi eiusmodi magnates soli habeant vitam, soli viuant, regnéntque; magnitudine ergo, & vasta quadam mole præualens, bestia dici potest. Nam & nomen duci videtur ex eo quod vastum est. Ad quem sensum Æschines Atheniensis, æmulus Demosthenis, cùm apud Rhodios legisset accusationem suam aduersùs eum, ac defensionem Demosthenis, quam Athenis perorauit, eáque non obstante missus est in exilium, mirantibus omnibus Maximi Oratoris recitatam defensionem, dixit: Quid si audissetis illam bestiam? Non credo autem id dixisse, vt vellicaret inimicum, imò vt in maximo inimico victo se magis extolleret, nec verò aliter raræ eloquentiæ, ac in dicendo potentiæ magnitudinem exprimere se posse credidit, quam vocabulo bestiæ. Similiter & Maro lib. 5. Æneid. nauem ingentis magnitudinis extulit apposito bestiæ vocabulo:

*Per quatuor bestias, quatuor Monarchiæ, & quare.*

*Fortè vt exprimatur earum magnitudo.*

*Magnos viros, Monarchas dicere solemus. Iob. 5.22.*

*Bestia, ab eo quod vastũ.*

*Demosthenes dictus bestia, ob magnitudine oratoria facultatis.*

*Ingentémque Gyas ingenti mole chimæram,*
*Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana versu,*
*Impellunt, terno consurgunt ordine remi.*

Fundamentum fuerit, quòd bestias absolutè accipimus, non quæuis animalia, sed illa tantùm, quæ mole, ac enormitate corporis præstant, qualis Elephantus, Rhinoceros, Camelus, & eiusmodi alia; ideo Vates hanc astruens magnitudinem, non contentus bestias appellare, addidit grandes.

*Bestia propriè, quæ mole præstan.*

2. Sedenim in Scriptura frequentiùs bestias dicimus, quæ ferocitate præualent, quasi à vastando, Psalm. 73. 19. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* id est, hostibus ferocibus, ac vastatoribus. *Animam* singulari numero *vnicam*, seu *vnicè dilectam.* Hebraicè, *animam turturis tuæ*, quæ scilicet te colit in timore, & voce supplici, ac inter suspiria querula. Quod verò sequitur: *Et animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem*, Hebraicè habet, *& animas animalculorum tuorum*, vt sit antithesis ad præualidas bestias, ad hostes præferoces, ac impotentes, qui omnia vastare pergunt. Ierem. 12. 9. *Venite, congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum.* Prouocat, ait Hieronymus, Principes gentium, qualis Nabuchodonosor, & alij Iudæorum hostes, vt properent, ac bestiarum more hiantes deuorent Ierusalem. Similiter illud Pauli 1. Corinth. 15. 32. *Si secundùm hominem ad bestias pugnaui Ephesi*, explicat Chrysost. Anselm. Theophyl. Oecumen. D. Thom. Tertul. de pugna & contentione Apostoli cum hominibus bestialiter viuentibus. Quòd enim Paulus propriè cum bestiis pugnauerit, nullibi legitur, & similius vero est, fuisse pugnam metaphoricam, eo modo quo diximus, sicut illud eiusdem Pauli 2. Timot. 4. 17. *Liberatus sum ex ore leonis*, explicatur de liberatione Apostoli à potestate Neronis. Sicut ergo nemo hinc colligit Paulum obiectum fuisse alicui leoni; ita nec prædicto loco pugna eius cum bestiis accipienda est in proprio sensu, sed in translatitio. Eodem sensu & D. Ignatius ad Romanos scribens: Syria, inquit, Romam vsque terra, marique cum bestiis depugno, noctu diéque alligatus decem leopardis, quæ est militaris custodia, qui & beneficio affecti peiores fiunt. Ita ibi B. Ignatius.

*Bestia in Scriptura, quæ ferocitate præstãt, à vastando. Ps. 73. 19.*

*Anima in timore & voce supplici colens Deum.*

*Pauperes, seu animalcula, ob innocuos mores.*

*Ier. 12. 9. D. Hier. 1. Cor. 15. 32.*

*Ad bestias pugnauit Paulus, id est, cum hominibus bestialiter viuentibus. 2. Timot. 4. 17.*

*Liberatus Paulus de ore leonis, id est, Neronis.*

*D. Ignat. Ignatius milites se custodientes bestiarum nominibus expressit.*

3. Fuisse autem vtrumque, hoc est, magnitudinem, & ferocitatem in quatuor Monarchiis, tum ex iis, quæ iam diximus in Visionibus præcedentibus, constat, tum in Scriptorum monumentis passim est obuium. Illud porro notandum, bestias dici ascendere de mari, conuenienti metaphora, ex eo, quòd cùm humili loco priùs lateret, postea in lucem paulatim datum cœpit ascendere, ac summum tenere locum. Eodem autem modo quatuor mundi Monarchiæ à paruis obscurísque principiis ad magnam quasi per gradus excreuere claritatem, & amplitudinem. Quo sensu similiter accipiendum est illud Apocal. 13. 1. *Vidi ascendentem de mari bestiam, habentem capita septem, & cornua decem.* Est enim ad literam de Antichristo, qui

*Monarchiæ ascendũt de mari, quia à paruis initiis cœperunt.*

qui quidem ab initiis obscurissimis ad summum ascendet imperij fastigium. Ascendet autem illico bestia, quia ex ipso ortu suo naturam sortietur ad omne malum compositam, & eam per deprauatos mores ad summum educet malitiæ apicem. Similiter hîc, per quatuor bestias, quatuor visæ sunt ascendere Monarchiæ, vt non solùm intelligeremus, eas bestias nasci, sed ex bestialibus earum initiis, de cætero bestialitatis ascensu, ac profectu toto imperij tempore coniecturam faceremus. Obscura autem initia in singulis Monarchiis non obscura sunt: videre id est primùm in regno Chaldæorum, quod antea vna tantùm censebatur pars regni Assyriorum: deinde in Persarum Monarchia, quam suis initiis constat obscurissimam sub Medis egisse seruitutem; propterea namque inferiùs comparatur viso, qui recens natus nihil est aliud, quàm informis massa absque vlla membrorum, aut functionum vitæ distinctione. Postea Macedonum gens multis seculis in contemptu habita, nullum nec foris, nec domi splendorem habuit: denique id maximè apparet in Romanorum Monarchia, cuius sanè origo non obscura modò, sed pudenda fuit, à pastoribus videlicet, quorum primum studium, rapto viuere, vires autem ita debiles habuit, vt per ducentos, & quadraginta annos non potuerint propagare regnum vltra decem, & octo milliaria. Dicuntur autem bestiæ diuersæ inter se, quoniam eorum regnorum ingenia, mores, instituta admodum fuere inter se dissimilia. Denique per mare, vnde visæ sunt ascendere eiusmodi bestiæ, intelligitur hoc seculum, vel status rerum humanarum, in quo plurimæ fluctuum instar amaritudines, acerbitatésque exundant.

*Antichristus eodem modo paulatim ad summum ascendet.*

*Bestiæ ascēdunt, vt ipso ortu bestiali ostendant vitā bestialem.*

*Ostenditur obscurum singularū Monarchiarum ortus.*

*Diuersæ bestiæ, ob diuersos mores regnorum.*

*Mare, hoc seculum.*

---

## De prima bestia.

### SECTIO III.

1. *Cur Monarchia Chaldæorum leænæ habenti alas aquilæ comparetur? De leonis regia generositate, ex loco Pliny, & ex Prouerbiorum 30.*
2. *Loco Prouerbiorum citato etiam Monarchias quatuor intelligi. Cur leænam genere fœmineo posuerit Vates.*
3. *Cur Monarchia Chaldæorum leoni, & aquilæ alis comparetur. De altitudine huius Monarchiæ ex comparatione alarum aquilæ.*
4. *Alis aquilæ celeritas ostenditur, qua Chaldæorum Monarchia propagata est. Item superbia Nabuchodonosor; quid, quòd alæ auulsæ sunt, &c.*

1. SINGVLARVM bestiarum Vates declaraturus exordia, de prima sic, Vers.4. *Prima, quasi leæna, & alas habens aquilæ: aspiciebam donec euulsæ sunt alæ eius, & sublata est de terra, & super pedes quasi homo stetit, & cor hominis datum est ei.* Monarchiam Chaldæorum leænæ assimi-

A lat, quæ alas habet aquilæ. Vtrumque animal regiæ maiestatis symbolum est, leo, & aquila. Leo ob generositatem, aquila ob altissimum volatum. Et de leone quidem Plinius ait lib. 8. cap. 16. Leoni præcipua generositas, cùm colla, & armos vestiunt iubæ. Præcipuum, pro principali, seu principe Latinè ponitur, vt æquè dicere potuerit: Leoni princeps, siue principalis generositas. Atque ob eam principalem prærogatiuam solet ab Autoribus pro symbolo Regis accipi, maximè cùm colla, & armos vestiunt iubæ: cùm enim in collo, & humeris incedentis leonis insit nescio quid animositatis, ac ponderis, si iubarum insuper quasi effusis radiis collustrentur, B Regiam maiestatem illustriùs ostentabit.

*Leo, & aquila regiā maiestatem repræsentāt.*

*Descriptio leonis, ex Plinio.*

*Leo symbolū Regis, ob generositatem.*

2. Hinc est, quòd Prouerbiorum 30. 29. enumeratis tribus leone, gallo, ariete, quæ bene gradiuntur, quartum ponitur, nempe Rex, quod feliciter incedit. *Leo fortissimus bestiarum ad nullius pauebit occursum, gallus succinctus lumbos, & aries, nec est Rex, qui resistat ei.* Est autem in incessu nescio quid latentis energiæ, vt per eum statim deprehendatur incedens; in regio autem, plus adhuc vigoris latens, Regem illico prodit, vt Deam Venerem suus apud Virg. lib.1.Æneid. Prou.30.29.

*Et vera incessu patuit Dea.*

*In incessu est nescio quid latētis energiæ: ex eo deprehenditur Rex.*

Virgil.

C In quolibet ergo illorum trium animalium cùm gradiuntur generosum quid, ac planè regium eminet: nam vbi dicitur, *Bene gradiuntur*, in Hebræo maior est emphasis, vt idem sit ac, *magnificè gradiuntur*, quæ incessus magnificentia, ac apparatus, magis adhuc elucet in leone, & idcirco primo loco ponitur, cúmque fortissimus bestiarum, ac ad nullius occursum pauens asseratur, facilè intelligitur super omnes extare. Tantò autem faciliùs Rex, quantò feliciùs quasi parta victoria de singulorum generositate triumphans:& quartum, quod feliciter incedit.

D 3. Mirum tamen quòd quarto loco adhibens Regem, eius prædictam felicitatem non asserat, imò neget. *Nec est Rex, qui resistat ei.* Ob hoc ergo credit Iansenius lectionem esse vitiatam, & legendum: *Leo, gallus, aries, & Rex, nec est qui resistat ei*; vt intelligatur Rex, vel ob id maximè feliciter incedere, quòd omnia sibi cedant, quasi inuicto, & insuperabili. Sic autem legisse nostrum interpretem, apertè ait ex Hebræo, Græcóque deduci: vbi affirmatiuè legitur. Ita sentit Lyrán. Dionys. Carthus. Emanuel à Saa: retinenda tamen vulgata lectio, licèt dictiones sint transpositæ. Quadrat porro mentio huius quaternarij in præsentem locum, quoniam sunt, qui illum ex- E plicent de quatuor nostris Monarchiis, vt Leo quidem, Chaldaicam; Gallus, Persicam; Aries, Macedonicam; Rex inuictus, Romanam repræsentet. Nec obest, quòd Vates hîc leænam ponat: nam in Hebræo non est hæc differentia, imò est אריה quo significatur leo. Noster adhibuit fœmininum, vel propter adiectiuum fœminini generis, vel ad exaggerandam ferocitatem Chaldaicæ Monarchiæ, quæ in leæna magis cernitur, præcipuè cùm nutrit, vt naturæ inspectores asseuerant.

*Expenditur lectio.*

Iansen.

*Lectio vulgata retinēda.*

*Leone, gallo, ariete, Rege, exprimi quatuor Monarchias.*

4. De

*Monarchia Chaldæorũ per leænam, cum alis aquilæ. Dupliciter regia.* Theodor. *Fuit prima omnium, & valde diuturna.*

4. De aquila pari modo Autores censent, esse symbolum regiæ excellentiæ. Cùm ergo hic leæna visitur alas habens aquilæ, Monarchia Chaldæorum indicatur, leonina pariter, & aquilina, quasi duplici excellens titulo, & dupliciter, hoc est, omni modo regia. Ideo Theodoretus regnum hoc duplici nomine præstantissimum vocat, & quia fuit omnium primum, & quia maximè diuturnum, vtpote, quod mille ducentis annis perdurauit, autore Ctesia Gnidio. Porro cùm ex aquila solæ appingantur alæ, quibus constat inter omnes aues altissimè ferri, id regium ex ea asciscitur, quod propriè dicitur, altitudo, & excellentia, Regis siue regni, propria nota. Ieremiæ 7.12. *Solium gloriæ altitudinis, locus sanctificationis nostræ.* Hoc est, gloriosus thronus altitudinis, nempe Dei, quatenus Hebrææ genti præsidet, templum est nostræ sanctificationi dedicatum. Ad hunc sensum explicat D. Gregorius Magnus illud Iob. 39.27. *Nunquid ad præceptum tuum eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi?* In sacra, inquit, Scriptura vocabulo aquilæ aliquando præsentis seculi potestates designantur. Vnde per Ezechielem dicitur, Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & summitatem frondium eius euulsit. Quis alius, inquit, per aquilam, quàm Nabuchodonosor designatur; qui pro immensitate exercitus, magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, magno membrorum ductu: pro multis verò diuitiis, & innumera terrenæ gloriæ compositione, plumis, & varietate plenus dicitur: qui venit ad Libanum, & tulit medullam Cedri, & summitatem frõdium eius euulsit: quia Iudææ altitudinem petens, nobilitatem regni eius, quasi medullam Cedri abstulit, & dum tenerrimam Regum prolem à regni sui culmine captiuando tulit, quasi summitatem frondium euulsit. Ita D. Gregorius. Hinc factum, vt aquila fuerit semper certum insigne, ac prognosticum imperij. Narrat enim Baron. tomo quinto Annalium. Cùm Gensericus Romanos captiuos in atrium aulæ cogeret, vt in singulis consideraret, an aliquid inesset regiæ indolis signum, subitò aquilam supra caput Marciani, qui Theodosio successit, pressis astitisse alis: quo portento haud dubiè eum imperio destinatum credidit Gensericus, & ob id fœdere sibi amicitiæ copulandum curauit.

*Altitudo, per alas aquilæ, ea Regis propria nota.* Ierem. 7.12.
Greg. M. Iob. 39.27.
*Potestates seculi per aquilas.*
*Nabuchodonosor describitur aquila.*
Baron. *Aquila volans supra aliquẽ, prognosticũ regiæ dignitatis.*

*Alæ aquilæ magna Monarchiæ Chaldaicæ, & breuia incrementa.* Habac. 1.6.

4. Aliter alij interpretantur alas aquilæ in leæna, magna nimirum Chaldaicæ Monarchiæ breuissimo tempore incrementa, maximè verò sub Nabuchodonosor. Qua de re est illud Habacuc 1.6. *Ego suscitabo Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua; horribilis, & terribilis est, leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, equi eius volabunt, quasi aquila festinans ad comedendum.* Chaldæa gens amara, & velox; expressa explanatio leænæ alatæ, fortis, videlicet, ac celeris in agendo. Quæ duo necessaria sunt, & abundè sufficiunt ad imperium breui amplificandum. Cæteræ comparationes huc similiter tendunt, vt fortitudinem cum velocitate coniunctam declarent. Quod verò de lupis vespertinis dicitur, scitum est eos vespertino tempore, ob diurnam inediam velociores surgere ad agendas prædas. Ierem. 6.6. Aliter, sicut aquila contumaci obtutu

*Fortitudo & celeritas in agendo, regnum breui amplificant. Lupi vespertini ob inediam diurnã velociores ad prædas.* Ierem. 6.6.



A solem intuetur, ita insertæ alæ aquilinæ, significare possunt Nabuchodonosor temeritatem illam, qua se Deo æquare voluit. Isai. 14. 13. *In cælum conscendam super astra Dei, exaltabo solium meum, similis ero Altissimo.* Congruenter autem dicuntur ei auulsæ alæ, quoniam ob prædictam superbiam quasi detractis pennis contusus, & compressus à Deo est, & in bestiam mutatus, vt superiùs dictũ. Consequenter dicitur postea leæna stetisse super pedes, vt homo, & cor hominis datum ei; quoniã Dei miseratione à belluino illo cultu in humanam formam restitutus est, vt latè explicauimus in superioribus.

*Alæ aquilæ temeritas Nabuchodonosor ad diuinitatem.* Isai. 14.13. *Auulsæ alæ, quia cõpressus à Deo.*

---

B

## *De secunda bestia.*

### SECTIO IV.

1. *Vrsi natura describitur ex Plinio, Aristotele. Vrsus iræ symbolum.*
2. *Vrso significari Monarchiam Persarum, ob crudelitatem, quæ multis exemplis ostenditur. Quid comedere hoc loco.*
3. *Persas continentissimos fuisse, & inediæ tolerantissimos, & capite parum valuisse, hoc est, prudentia militari.*
4. *Quid sit,* In parte stetit. *Reiicitur explicatio Hebræorũ, & Theodoreti. Probatur sensus Hieronymi.*
5. *Quid per tres ordines dentium intelligatur? Proponit Hieronymus opinionem quorundam, de tribus Satrapis consiliariis, quæ reiicitur.* C
6. *Tres ordines dentium, tria regna, Medorũ, Persarũ, & Chaldæorum significare. Ex opinione D. Hieronymi locus Iob. 40 explicatur.*
7. *Per comestionem intelligitur eadem Persarũ crudelitas: & ex opinione Hebræorum ea, quæ Assuero cõtra Hebræos placuit suggerente Aman.*

1. SEQVITVR de secunda bestia, de qua sic Vates, Vers. 5. *Et ecce bestia alia similis vrso, in parte stetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius, & sic dicebant ei: Surge, comede carnes plurimas.* Hebr. *Et tria latera in ore eius.* Septuaginta, *Et tres costæ in ore eius inter dentes eius.* Vt interpretatio bene constet, opus est inspicere, quæ sit natura vrsi. Plinius lib. 8. cap. 36. vrsum ait cùm nascitur esse carnem quandam informem, quam parens lambendo figurat. Somno ita grauari interdum, vt ne vulneribus concisus excitetur, mirè autem eo veterno pinguescere. Oculos in vrsis sæpe hebetari, & ideo aluearia expetere, vt conuulneratum os ab apibus leuet sanguine grauedinem. Inualidissimum habere caput, ideo, si vrgente vi præcipitare se ex rupe contingat, eo manibus cooperto, se iacere, sæpe autem in arena colapho impacto exanimatos proditum est memoriæ. Denique bipedes ingredi, cùm lubet. Aristot. lib. 7. de historia animalium, præter ea, quæ Plinius ponit, vrsum ait, cibi parcissimum, vtpote, qui totam hyemem transigat, ex solo suctu priorum pedum viuens. Idem ab vrsa fieri, quoties plus nimio pinguescit, tradit Ælianus, quo pinguedine concocta fiat agilior. Vnde illa, autore Eustachio, in Athenienses emissa fames ab irata Diana, quòd vrsam, quæ in Munichio eius sacello nata fuerat, interfecissent, vt ita

*Varia lectio.* D
Plinius. *Vrsi descriptio, ex Plinio.*
Aristot. *Ex Aristotele, & aliis.* E
Ælianus.
Eustath.

per inediam affligerentur, qui animal inediæ patientissimum sustulissent. Præferocem vrsum aliqui faciunt, & ob id iræ symbolum, quare apud Claudianum legas Rhadamãtum solere vrsis ingerere truculentos.

Claudian.
*Per vrsum, Rex Persarum intelligitur ob crudelitatẽ, ex Theodoreto.*
D. Hieron.
Theodor.
Benedictus.
*Benedicto immeritò displicet opinio Theodoreti.*

2. Est ergo communis sententia, per vrsum intelligi regnum Persarum. D. Hieronymus, & Theodoretus aiunt, id quidem esse ob nimiam crudelitatem, quòd exquisitissimis, & acerbissimis vtebantur suppliciis in delinquentes, aliósve communes hostes: etenim vel ipsa coria hominibus detrahebant; & membratim corpora secãdo, lenta, & peracerba morte necabant. Benedicto nostro non placet in hoc Theodoretus, quòd nec Persarum illam immanitatem vsquam se legisse, asserat, quasi verò non satis esset legere apud Theodoretum ipsum, partímve autoritatis res narrata haberet ex tam graui scriptore, desíntque alij, qui similia referant, inter quos Nicephorus lib. 14. cap. 19. 20. 21. & alij relati à Baronio tom.... Enimuero præferoces Persarum animos abundè ostendit dira persecutio in Christianos à Sapore iuniore Rege excitata, anno septimo Cõstantij, & Constantis Imperatorum, vt testatur D. Hieronymus in Chronico: & refert Bar. tom. 5. Itẽ alia persecutio sub Bararane, autore Socrate lib. 7. cap. 18. vel iuxta Theodoretum lib. 5. cap. 18. sub Isdegerde. Refert autem Socrates varia tormenta, Persarum more, vt ipse ait, Christianis inflicta. Theodoretus autem hanc procellam ait, triginta annos continuos, à Magis, velut à quibusdam turbinibus agitatam durasse. Addunt præterea aliquot exempla Martyrum, in quibus Persarum ferocia crudeliter admodum desæuiit. Quæ omnia latè descripta reperies apud Baronium tomo citato; & confirmari credi par est, eo quòd iubetur hîc Monarchia præsens comedere carnes plurimas: nimirum ob prædictas in reos, aut hostes suos patratas atrocitates. Significat autem verbum, *comedo*, immitem quãdam auiditatem ad dilaniandos insuper, & extinguendos homines; quòd ea quæ comeduntur, non modò auidè conteruntur, sed per deglutionem de medio penitus tolluntur: quod significatum est illo Psalm. 78. 7. *Comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt.* Non solùm enim Iacobæos, quasi deductis rictibus dissipatos ab hostibus significat, sed omnino extinctos: desolare enim est, vel ab ipso solo radicitus euellere, vt nec omnino sit, nec inueniatur locus eius. Nam vel de vno Cyro Rege, qui Monarchiam istam condidit, narrat lib. 1. Iustinus Martyr id, per quod certa potest de immunitate eius fieri coniectura: Tomyrim nempe Reginam Scytharum, quam Cyrus bello petierat, cæsis ducentis millibus Persarum, Cyri amputatum caput iussisse in vtrem humano sanguine repletum cõiici, cum hac exprobratione crudelitatis, BIBE SANGVINEM, QVEM SITIVISTI.

Niceph.
*Persarũ crudelitas probatur ex diva persecutione in Christianos.*
D. Hieron.
Baron.
Socrat.
Theodor.
*Verbum, comedo, significat immitẽ crudelitatẽ, & abolitionem.*
Psal. 78. 7.
Iustinus Martyr.
*Cyri Regis crudelitas vnde colligatur.*

3. Præter crudelitatem ergo, qua bene per vrsum indicatur Monarchia Persarum, sunt alia duo, quibus vrso maximè affinis est: primùm illa cibi parcitas, ac tolerantia, qua diu impastus manet. Persas enim continentissimos fuisse, simplicissimóque, ac vilissimo victu vsos tradit Xenophon. Et D. Hieronymus rigidam fuisse gentem, & parcioris victus, in morem Lacædemoniorum, ita vt in pulmento sale vterentur, & cardamo. Præterea illud, quod de vrso proditur, esse nimirum inualidissim o capite, quo figuratur, Persas in bellis non tam solertia ingenij, aut prudentia disciplinæ milit a ris, aut corporum robore, quàm innumerabili hominũ turba, aut eorum, quibuscum belligerabãt, ignauia præualuisse.

*Vrsi parcitas in edendo, repræsentat Persas, eodem modo parcissimos.*
*Vrsus infirmo capite, Persas exhibet minus prudentia valentes.*

4. Quod verò sequitur, *In parte stetit*, Hebræi sic interpretantur: Persas in alias quidem gentes sæuos, & crudeles fuisse, erga Hebræos tamen stetisse, id est, cohibuisse crudelitatem, imò humanissimè eos tractasse quatuor Persarum Reges, Cyrum, Darium, Hystaspis, Longimanum, Mnemonem. Non placet interpretatio, quia cùm sermo sit de harum Monarchiarum exortu, & incremento, impertinens est, de priuato amore, ac humanitate Regum Persarum in Hebræos mentionem facere. Theodoretus, *In parte stetit*, sic explicat; quoniam etsi ab Alexandro victa, ac prostrata diu iacuit, tamen postea tempore Romanorum Imperatorum rursus erexit caput, ac stetit, non quidem in omnibus partibus, sed in sola Perside. Veruntamen ob idem nõ videtur rem attingere, quoniam non de restitutione Monarchiarum, sed de emersione, ac exordio illarum, sermo est. D. ergo Hieronymus aptiùs interpretatur, *In parte, stetit*, hoc est, cùm quasi iaceret antè gens Persarum, nec vllam adhuc Monarchiæ assequuta esset claritudinem, capta primùm Babylone, & ab ea pulsis Chaldæis, hac primùm in parte stetit, seu erexit se, & inde in plures alias propagauit imperium. Simili forma loquendi vsus est Isai. cap. 10. 32. *Confortamini*, inquit, *adhuc dies est, vt in Nobe stetur.* Multa præmiserat de aduentu Sennacherib contra Ierusalem, & de trepidatione ciuitatum, per quas ducebat exercitum; nunc prædicit fore, vt in Nobe vicino oppido, quo loco Rex castrametatus fuerat, post vnum diem, qui oppressi fuerant, ac pessundati per Assyrios, tandem capita erigant, & in pedes suos statui respirent.

Hebræi.
*Hebræorum opinio de eo, quod dicitur vrsus in parte stetisse, improbatur.*
Theodor.
*Explicatio Theodoreti similiter nõ placet.*
D. Hieron.
*Vera sententia, In parte, stetit, id est, in Babylone cœpit attollere se.*
Isa. 10. 32.
*Similis loquendi modus in Isaia.*

5. Quod verò additur, *Et tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius*, etiam est obscurum. Primum enim variant lectiones. D. Hieronymus legit, *Tres versus erant in ore eius*, Græcus, *Tria latera*; Theodoretus, *etiam tres alas.* Quidam ex Chaldaico vertunt, *tres bolos*, siue *frusta*. Expeditior lectio, *tres ordines*, seu *versus dentium*. D. Hieronymus quendam ait existimasse per hos tres ordines, seu versus dentium significari tres Principes, qui tempore Darij, vt narratur Daniel. 6. 1. centum viginti Satrapis præerant, è quibus vnus erat Daniel. Nam quæ illi viginti centum Satrapæ primò decernebant, & quasi concoquendo præparabant, ad illos tres postea deferebantur, qui maturioribus adhuc consiliis, quasi dentibus comminuta, & commolita proponebant Regi, vt faciliùs digesta statueret. Potest pro hac sententia explicari illud Amos 4. 6. *Vnde & ego dedi vobis stuporem dentium in omnibus vrbibus vestris.* Vbi sermo est contra vaccas pingues, hoc est, contra imbelles Optimates Samariæ, qui suis sibi consiliis, & non communi bono apud Regem seruiebant: omnem, scilicet, administrandi rationem in propria commoda referentes; in cuius pœnam minatur stuporem, ac propriè loquẽdo generalem infatuationem dentium, hoc est, consiliariorum in omnibus vrbibus eorum, vt

D. Hier.
*Varia lectiones.*
Dan. 6. 1.
*Tres principes consiliarij per tres ordines dentium.*
Amos 4. 6.
*Probatur ex loco Amos.*

*Stupor dentium, infatuatio consiliariorum. 2. Reg. 15. 31.*

vt quæ facienda, vel non facienda sint, aptè digerere, ac Regem per id conuenienter dirigere nequeant. quod illustrari potest illo Dauid 2. Regum 15. 31. vbi cùm sciret Achitophel virum consilio pollentem, esse cum Absalom, sic Dominum orauit: *Infatua, quaso Domine, consilium Achitophel.* hoc est, obtunde acumen eius ad consilia ferenda, vt prorsus vana, & inutilia persuadeat Absalom. Sedenim, vt hæc quidem per se rectè stare videantur, tamen huic loco non rectè quadrant: vbi generaliùs accipiendum videtur, quod tres illi ordines præferunt: non enim quod vnius, vel duorum Regum placito in Monarchiam inductum est, sed quod toti Monarchiæ latiùs, ac vniuersaliùs conuenit, spectare debemus.

*Non placet interpretatio, vt pote minùs generalis.*

*D. Hieron. Vera sententia Hieron. per tres ordines dentiũ tria regna, è quibus primò coaluit Monarchia.*

6. Vlteriùs ergo D. Hieronymus redarguens Hebræos, qui hos tres ordines dentium, tres Reges accipiebant, qui post Cyrum in Perside regnarunt, quod Persarum Reges quatuordecim numerentur, statuit, significari per dictos tres ordines tria regna, ex quibus primò coaluit, & conualuit Persarum Monarchia; nimirum regnum Medorum, Persarum, Chaldæorum. At verò Theodoretus Orientem, Septentrionem, & Meridiem accipit: quoniam in his tribus mundi partibus viguit Monarchia Persarũ. Cyrus enim subegit Orientem vsque ad Hellespõtum; Cambyses in Meridie obtinuit Ægyptum, & Æthiopas; Darius Hystaspis in Septentrione Scythas atque Nomades. Cùm tamen hæc Monarchia non fuerit complexa tres mundi partes absolutè (nec enim toti Orienti, totíve Septentrioni, aut Austro imperauerit) verè autem, ac propriè tria illa regna, Medorum, Persarum, Chaldæorum, sua ditione comprehenderit: veriùs, ac propriùs, pro eisdem tribus regnis tres ordines dentium sumi debere existimemus cum D. Hieronymo. Cur autem tria illa regna per tres ordines dentium in ore vrsi significentur, ambiguum est. Nobis quidem videtur indicari per hoc, quasi ter maximam in ea Monarchia potentiam, ex prædictis tribus regnis in vnum coalescentem, egregiè in vrso conueniente metaphora: sunt enim in bestiis dentes pro armis, atque in eis præcipuum inest earum robur. Vnde Iob. 40. 13. de bestia illa immani Behemoth dicitur: *Ossa eius fistulæ æris.* Per ossa enim, est, qui intelligit dentes; quasi velit Deus cum Iob disputans, huic immani belluæ dentes ipsos esse pro fistulis, ac bombardis æneis, id est, quod hominibus præstant eiusmodi tormenta bellica, id illi præstare dentes. Et cap. 41. 5. sequenti, de eadem bestia, *Per gyrum dentium eius, formido.* Quasi dicat, dentes eius quasi in gyrum, & in ordinem bellicum dispositi formidinem ingerunt, vel aspicientibus. Similiter ergo vrsus præsens triplici dentium ordine quasi armatus Monarchiam Persarum exhibet ex coniunctione illorum trium regnorum potentissimam.

*Interpretatio Theodoreti de tribus partibus mundi minùs probatur.*

*D. Hieron. Tres ordines dentium, ter maxima potentia. Iob. 40. 13.*

*Dentibus significatur potentia.*

*Iob. 41. 5.*

*Crudelitas Persarum. D. Hieron.*

7. Quod verò huic bestiæ dicitur: *Surge, comede carnes plurimas*, crudelitatem Persarum, maximè sub Cyro, vti diximus, repræsentat, quamquam D. Hieronymus, & plerique alij id referunt ad Regem Assuerum, cui Aman suaserat, vt omnem Iudæorum gentem vna die necaret: idcirco enim hoc loco exprimitur sola suasio, *Surge, comede, &c.* quam tamen Rex opere non compleuit, sed quòd vnius hominis sæua admodum suggestio Regi statim placuerit, declarat optimè innatam ex vitio nationis belluinam crudelitatem: rem enim, per se grauem ad rationis trutinam non expendit, sed in eam vno verbo propositum pro libidine sua bestialiter consentiens dixit ad Aman hostem Iudæorum: *De populo age quod tibi placet.*



---

## *De tertia bestia.*

### SECTIO V.

1. *Pardi natura describitur ex Plinio. Locus Ierem. 13. exponitur, & locus Habacuc.*
2. *Pardo significari Monarchiam Macedonum sub Alexandro, primum ob celeritatem, qua totum orbem subegit, deinde ob ambitionem diuinitatis. Quatuor alas quatuor eius virtutes accipi placuit aliis.*
3. *Pardus maculosus repræsentat Alexandri, & Græcorum varium ingenium, ex Curtio, & Tertulliano, vel colorum varietate varia regna subdita significantur.*
4. *Quatuor capitibus, quatuor successores intelligi. Locus Curtij, Iosephi alter de promissione diuina facta Alexandro, quod esset subacturus Asiam: tantum virum à Deo prouisum orbi, Autor idem Iosephus.*

1. De tertia bestia sic Vates, Vers. 6. Post hæc aspiciebam; & ecce alia quasi pardus, & alas habebat, quasi auis, quatuor super se, & quatuor capita erant in bestia, & potestas data est ei. Pardus, autore Plinio lib. 8. cap. 75. masculus pantheræ, maculosus, & velocissimus, præceps fertur, & saltu ruit in prædam. Maculorum varietatem etiam Scriptura testatur, Ierem. 13. 23. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere. cùm didiceritis malum.* Loquitur de hominibus longo studio malis, quasi tam sit impossibile eos corrigi, quàm Æthiopem dealbari, aut pardum esse vnicolorem, cùm & nigredo, & varietas insint eis à natura; omnia autem, inquit Theodoretus, quæ longa consuetudine comparauit animus, paria censentur cum naturalibus. Similiter, & velocitatem pardorum celebrat Habacuc cap. 1. 8. *Leuiores pardis equi eius.* Sermo est de Chaldæis, quos armaturus est Deus contra Ierusalem; ne autem Hierosolymitani equos suos equis Chaldæorum opponerent, rectè exaggerans ait, *Leuiores pardis equi eius*, id est, Chaldæorum equi velocitate sunt incomprehensibiles: non enim communibus equis solùm, sed & pardis pernicissimis velocitate antestant. Ad exaggerationem autem velocitatis adduntur hoc loco quatuor alæ pardo, vt non modò natura, sed studio, & exercitatione velox exprimatur.

*Describitur pardus à Plinio. Plinius.*

*Ierem. 13. 23. Homines lõgo studio mali difficilè corrigũtur.*

*Theodor. Solita diu, quasi naturalia. Habac. 1. 8.*

*Chaldæorũ equi velocissimi.*

2. Igitur tertia Monarchia Græcorum sub Alexandro meritò designatur pardo alato, & quadricipiti: primùm enim incredibili velocitate, hoc est, sex annis, totum orbem subegit, quasi non tantùm pedibus, sed pennis insuper ad hanc vniuersalem expugnationem vsus fuerit. Quare Theodoretus ob id ipsum alas pardo affictas ait: Quoniam Alexander, inquit, volucris instar quatuor

*Alexander sex annis debellauit orbem.*

*Theodoret. Volucris instar totum orbem armis peragrauit.*

quatuor orbis partes in suam potestatẽ redegit. Qua de re etsi diximus supra ad Visionem de statua Nabuchodonosor, specialem tamen alarum notam explicare lubet. Sunt ergo qui per quatuor alas hic intelligant quatuor virtutes Imperatorias, quibus Alexander Monarchiam suam tam breuiter coëgit, ac amplificauit. Prima fuit eximia laborum, atque (vt Curtius loquitur) propemodum nimia laborum tolerantia. Secunda, fortitudo animi, qua (vt idem Autor ait) non inter Reges modò, sed inter illos quoque excelluit, quorum hæc sola virtus fuit. Tertia, vigor & ingenium, quasi igni volucre, quod Iulio Cæsari tribuit Plinius lib. 7. cap. 25. Quarta, liberalitas sæpe maiora tribuens, quàm à Diis (ait Curtius) postulare quis posset. Sunt etiam, qui per quatuor alas interpretentur insanam diuinitatis cupiditatem, qua flagrabat Alexander, non contentus videlicet terreno imperio, nisi etiam cæleste adiret, iure quasi hæreditario, Iouis nempe, vti prædicabat, Ammonis filius, quod quidem non dici modò, sed etiam credi volebat, tanquam perinde animis (ait Curtius) imperare posset, ac linguis. Inde verò eam opinionem hausit Alexander, quòd in sinum matris Olympiadis visum aliquando serpere draconem Ioui sacrum fama esset. Ideo narrat Curtius, relicto illum Macedonum habitu, quòd leuiorem magnitudine sua duceret, Persicæ Regiæ, par Deorum potentiæ fastigium æmulatum, ac iacere humi homines venerabundos passum, quòd propior adorationi diuinæ, quam appetebat, esset habitus.

*Quatuor alæ, quatuor in eo virtutes Imperatoriæ.* Curtius. *Ingenium Alexandri quasi igni volucre.* *Secundum alios, quatuor alæ, insana in eo diuinitatis cupiditas.* *Credi volebat filius Iouis.*

3. Deinde pardo assimilatur multicolori, & vario. Primùm, quoniam Alexandri magni ingenium, & cæterorum Græcorum varium fuit ac multiplex. Id verò maximè apparuit in eo, quòd mores deuictarum gentium, habitúmque facilè æmulatus est, magnæ profectò mutabilitatis, & inconstantiæ signum, valdéque probrosum, vt non soli Camæleonti, sed insuper iam homini datum sit de corio suo ludere, vt est in prouerbio. Ergo Alexander Camæleontis instar, vt quid accesserat, inde suffundebatur: purpureum enim diadema distinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit, vestémque Persicam sumpsit. Et ille quidem (ait Curtius) spolia se Persarum gestare dicebat. Sed cum illis mores quoque Persarum induerat, superbiámque habitus, animi insolentia sequebatur. Qua de re Tertullianus in libro de Pallio. Vicerat Alexander Medicam gentem, & victus est Medica veste: Triumphalem cataphractem amolitus in captiua sarabara processit. Pectus squamarum signaculis desculptum, textu pellucido tegendo nudauit, anhelum adhuc ab opere belli, & vt mollius ventilante serico extinxit. Non erat satis animi tumens Macedo, ni illum etiam vestis inflatior delectasset. Ita Tertullianus. Deinde pardus ita variè distinctus maculis significat Alexandrum, quatenus varia regna suo imperio cõplexus est, sicut Rex Regum Deus figuratur per summum Pontificem vestitum diuersicoloribus tunicis, quæ mundi varia elementa repræsentant, & malogranatis, & tunica hyacinthina circumquaque pendentibus, quæ diuersa regna mundi ostentant, vt omnia Dei nutu agi, ac veluti portari significentur. Ad cuius similitudinem Reges mundi describens dixit Iob: *Sub eo Deo curuantur, qui portant orbem.*

*Alexandri ingenium varium.* *Alexandri Camæleontis instar.* Tertull. *Victus Medica veste.* *Varius ad instar pardi, ob varia regna victa.* *Vestes Sacerdotales mũdum repræsentabant.*

4. Quatuor verò capita pardi, quatuor Alexandri successores sunt, inter quos tota Monarchia diuisa est post mortem Alexandri. Primus Philippus Aridæus, seu Antipater, qui regnauit in Macedonia: Antigonus, qui in Asia: Seleucus, qui in Syria: Ptolomæus Lagi, qui in Ægypto. Non fuerunt autem hi nominati ab Alexandro. Nam vicinus morti, rogatus à Perdica, quem vellet sibi in regnũ succedere, Optimum, indefinitè respondit. Eo igitur mortuo Perdicas regia sella in conspectum vulgi data, in qua diadema, vestísque Alexandri cum armis erant, annulóque sibi pridie à Rege tradito, in eadem sede proposito, inter alia, quæ coram multitudine perorauit, hoc addidit: Capite opus, hócne vno, an pluribus, in vestra potestate est. Denique non sine tumultu variantium opinionum diuisum est imperium in prędictos illos quatuor, in magnam profectò commendationem Alexandri, cuius capitis defectum vix quatuor supplere potuerint. Vnde præclarè dictum à Curtio lib. 10. Huic Regi, Ducique successor quærebatur, sed maior moles erat, quàm vt vnus subire eam posset: clarissimíque sunt habiti, qui etiam minimæ parti tantæ fortunæ adhæserunt. Rectè autem ad hæc Vates: *Et potestas*, inquit, *data est ei*; quibus verbis declaratur, tantum virum à Deo prouisum, ac viribus ab eo instructum, vt tanto oneri par esse posset. Quod ipsius quoque Alexandri confessione testatum habemus. Narrat enim Iosephus lib. 11. antiquitat. cap. 8. Alexandrum, cùm venisset Hierosolymam, obuiúmque haberet Ioiadem summum Sacerdotem, Pontificali habitu ornatum, ad pedes eius accidisse venerabundum, rogatum verò à sociis, cur præter morem suum id fecisset, respondisse, honorasse se non hominem, sed in homine Deum, qui eodem illo habitu, & ornatu visus sibi esset dormienti in Macedonia, ac certam sibi de Persis victoriam promisisset. Non absimile quid à Perdica dictum apud Curtium lib. 10. etsi more gentilium Deorum vsurpato nomine: Magnitudinem, inquit, rerum quas egit Alexander, intuentibus credere licet, tantum virum Deos accommodasse rebus humanis, quarum sorte completa, citò repeterent eum suæ stirpi.

*Quatuor capita pardi, quatuor successores eius in regnum.* *Rogatus de successore, respondit, optimum se velle.* *Caput Alexandri vix quatuor supplere potuerunt.* Curtius. Iosephus. *In summo Sacerdote honorasse se dixit Deum Alexander.* Curtius.

---

## *De quarta bestia.*

### SECTIO VI.

1. *Quarta bestia innominata falsò creditur à Porphyrio esse idem Imperium Græcorum; conuincitur ex textu sacro.*
2. *Hebræorum falsa opinio, quartam bestiam esse aprum, & significare Vespasianum, conuincitur ex eodem textu.*
3. *Quartam bestiam esse Romanum Imperium: quare non nominetur, opinio Theodoreti, Hieronymi, & aliorum.*
4. *Per dentes ferreos, quibus deuorat prædas, significari ferocem cupiditatem Romanorum in subigendis gentibus. Quod verò conculcet bestia reliquias prædarum, explicandum de potestate, qua prouincias per præsidia continebat. Proponitur exemplum Pilati ex Iosepho.*
5. *Decem cornibus decem Reges significari. Reiicitur opinio Porphyrij. Augustini quoque singularis est sententia, sumenda esse decem cornua, id est, Reges,*

pro

*pro omnibus more Scripturæ. Decem tamen omnino futuros affirmandum est.*

6. *Cornu significari potentiam regiam,& quare: ex 4. Zachar.& ex Psal.131.& 1.Reg.2.&c.*

1. QVARTAM bestiam non nominat, sed sola periphrasi descriptam proponit Vates, Versic.7. *Post hæc aspiciebam in Visione noctis, & ecce bestia quarta terribilis, atque mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos,& comedens, atque comminuens,& reliqua pedibus suis conculcans. Dissimilis autem erat cæteris bestiis, quas videram ante eam, & habebat cornua decem.* Primò quæritur, cur hæc bestia quarta non fuerit peculiari nomine indicata per Vatem, vt tres præcedentes. Occurrit hic primùm Porphyrius, homo, vel ad mentiendum, vel ad errandum penè factus; in quo ita cum fide etiã natura defecit, vt in rebus diuinis vix pium aliquid, certúmve aliquando afferat. Ait ergo, ideo non fuisse nominatam quartam bestiam, quoniam tertia, & quarta bestia non significant duo regna diuersa, sed vnum tantùm Græcorum, quod quidem, prout fuit sub Alexandro, comparatur pardo: prout autem fuit sub successoribus eius, comparatur bestiæ innominatæ, quòd à pluribus non potuerit vnum nomen accipere. Hæc interpretatio conuincitur falsa, primùm ex contextu, in quo Angelus Visionem explicans Danieli: *Hæ quatuor bestiæ*, inquit, *quatuor sunt regna*. Et paulò pòst: *Bestia quarta, regnum quartum erit, quod maius erit omnibus regnis.* Deinde Scriptura hic asserit, quartam bestiam fuisse ferociorem, & potentiorem prioribus tribus, at regnum Græcorum nõ fuit potẽtius,& terribilius penes Alexandri successores, imò longè infirmius, & obscurius. Manet ergo contra Porphyrium, certum esse per quartam bestiam significari quartum distinctum Imperium.

*Porphyrius qualis homo.* Porphyr.

*Quid accipiat per quartã bestiam innominatam.*

*Conuincitur falsa interpretatio.*

2. Igitur Hebræi, vt solent, etiam hìc nugantur: asserunt enim, vel potiùs diuinant hanc quartam bestiam esse appellandam aprum, illum videlicet, de quo Psal.79.14. dicitur: *Exterminauit eam aper de sylua, & singularis ferus depastus est eam.* Quo loco vaticinari aiunt regium Vatem de excidio Ierusalem per Romanos, sub Vespasiano, vt is ipse sit aper: de sylua autem, hoc est, Romana vrbe, quam rectè D.Leo in sermone de beato Petro, syluam vocat frementium bestiarum. Sed malè prorsus Hebræi hanc quartam bestiam esse aprum volunt; quoniam aper non est robustior, neque ferocior leæna, vrso,& pardo, quod tamen Daniel affirmat de quarta bestia. Nec verò Dauid nominando aprum, seu porcum syluestrem, crudelitatem exprimere voluit, sed abominationem, seu execrationem, vt ait ad eum Psalm. Augustinus. Iudæi namque mirè execrantur porcum; vt ergo Vespasianum hominem execrabilem, & abominandum significaret Vates, aprum, siue porcum dixit. Præterea, ait idem Augustinus, quia sermo erat de Ierusalem, siue Iudæa, sub nomine vineæ, vineis autem inprimis nocet porcus, ideo porcum, siue aprum exterminatorem vocari in eo Psalmo. Quòd si Hebræos nugantes, iure reiecimus, maiori sanè iure reiiceremus Iacobum Regem Britanniæ blasphemantem in libello nuper edito, quartam bestiam esse summi Pontificis Monarchiam; nisi nos eo onere liberaret Suarius noster libro primo de Antichristo, cap.22.

*Reiicitur opinio Hebræorum.* Psal.79.14.

*Roma sylua frementium bestiarum dum erat Gentilis.*

D.August.

3. Igitur vera sententia est, significari per quartam bestiam Monarchiam Romanorum. Ita sentit D.Hieronymus, Theodoretus,& communiter omnes. Cur autem non nominatur? Theodoretus idcirco ait non nominari, quoniam apud Romanos varia fuit administrandi ratio; modò sub Regibus, modò sub Consulibus, modò sub Imperatoribus, & quia Roma erat non vnum regnum, sed omnia simul regna mundi, & quasi compendio mundus, vt ait Cyprianus epist.45. quæ moles vnius nominis bellua significari non poterat. Rectè quidem Theodoretus: rectiùs, vt videtur, D.Hieronymus, nomen reticuit, vt ferociorem exprimeret. Satis miror, inquit, quòd cum supra leænam, vrsum, pardum in tribus regnis posuerit, Romanum regnum nulli designatæ bestiæ compararit? Nisi fortè, vt formidolosam faceret, vocabulum tacuit, vt quidquid ferocius cogitauerimus in bestiis, hoc Romanos intelligamus. Confirmatur eo quod additur ad prædictum locum Psal.79. *Et singularis ferus depastus est eam.* Similiter enim intelligitur Romanum Imperium, quod quidem non nominatur, sed ferus absolutè dicitur, vt exaggeretur illius in vastatione Vrbis ferocitas. Singularis enim ferus, idem est, ac vnicus in ferocitate, cui videlicet nullus alius comparari queat. Et quidem in Hebræo est, *commotio agri*. Quod D.Hieronymus vertit, *omnes bestiæ agri*: quasi tumultuariè sumptæ, vt vna quidem significetur ferocissima bestia, in qua scilicet omnium bestiarum ferocitas quasi collecta sit, quod noster satis se exprimere visus est, appellando singularem ferum. Similiter ergo hic, dum Vates quartam bestiam non nominat, magis amplificat eius ferocitatem.

*Vera sententia, significari Imperium Romanum.* D.Hieron. Theodor.

Cyprian.

D.Hieron. *Nomen siluit, vt ferociorem exprimeret.*

*Singularis ferus, id est, vnicus in feritate.*

*In quo sit omnium bestiarum ferocitas.*

4. Constituto ergo, quòd bestia quarta sit Monarchia Romanorum, describit eam hoc modo Vates: *Bestia quarta terribilis, mirabilis, & fortis nimis; dentes ferreos habebat magnos, comedens, atque comminuens,& reliqua pedibus suis conculcans.* De his penè iam, quæ satis erant, diximus ad Visionem de statua, cuius tibias ferreas, ac pedes partim ferreos, partim luteos, Romanam Monarchiam significare diximus. Quod verò modò ferreos dentes ponat, quibus comedit, ac comminuit, ac cætera, scilicet, ciborum detrimenta pedibus conculcet, ostendit primùm in bestia voracem ingluuiem, qua prædarum quædam dentibus mandit, quædam semesa calcat. Et in Monarchia prædicta innuit, quòd multa regna partim deuorauerit per clades impositas, partim præsidiis militum, & tributis conculcauerit, ne se iterum in rebellionem erigerent. Hinc Romanorum Præturæ, & Proconsulatus, quorum id erat muneris, vt tributa in Vrbem transmittenda exigerent, & per milites præsidiarios continerent in officio Prouincias. Vnde Marcus Tullius scribens ad Quintum Fratrem de Præfectura Asiana, duo commendat,& Publicanorum curam ad exigenda tributa,& militum præsidia ad confirmandos Prouinciales. Quod re ipsa cernere est in vno Pilato Præside. Statuerat is adire thesaurum sacrũ, quod Hebraicè dicitur *Corban*, specie quidem, vt aquam in Vrbem induceret, re autem vera vt comederet, comminueretque; cùm autem commotus populus tribunal cum clamore circumdaret, immiscuit Præses armatos milites priuato habitu, qui fustibus præparatis signo dato populum egregiè pulsarunt. Qua de re ita Iosephus de bello Iudaico, lib.2. cap.8.

*Quòd partim comedat, partim cõculcet, est, quia quædã regna deuorat, quædam præsidiis premit.*

Marc.Tul.

*Pilati factum de caso populo.*

cap. 8. Eorum, inquit, multi quidem plagis, multi verò se inuicem conculcantes in fuga misera protritione perierunt. Ecce quomodo hæc Romana bestia dentibus suis ferreis comedebat, comminuebatque, & reliqua pedibus conculcabat, ac proterebat.

*Reiicitur Porphyrius in eo quod asserit de decem cornibus.*

5. Sic autem de cornibus sequitur: *Habebat cornua decẽ.* Primùm reiiciendus est Porphyrius, qui per decem cornua decem Reges accipit sæuissimos, ac ferocissimos, qui non ex vno aliquo regno tantùm, sed ex tribus regnis Græcorum, hoc est, Macedoniæ, Ægypti, & Syriæ colligendi sunt. Est enim concors omniũ Ecclesiasticorum sententia, per decem cornua intelligi oportere decem Reges, qui prope seculi consummationem, orbem Romanum inter se diuidere debent. Nam quòd ex vno eodémque regno, non verò ex pluribus decem Reges colligendi sint, apertè asserit infrà Antiquus dierum, explicans Danieli Visionẽ: *Porro*, inquit, *cornua decem* ipsius regni *decem Reges erunt.* Est tamen D. Augustini hac in re specialis opinatio, per denarium Regum, non significari certum aliquem eorum numerum, sed vniuersaliter omnes Reges in Romano Imperio vsque ad finem seculi futuros. Solet enim Scriptura, vt septenario, centenario, & millenario, ita denario vti ad exprimendam vniuersitatem. Verba Augustini sunt: Vereri me fateor, ne in decem Regibus, quos tanquam decem homines videtur inuenturus esse Antichristus, fortè fallamur, & ille inopinatus adueniat, non existentibus tot Regibus in orbe Romano. Quid enim si numero isto denario vniuersitas Regum significata est, post quos ille venturus est? Sedenim cùm hoc loco dicatur, ex decem Regibus debellandos, & occidendos esse tres à Rege illo expresso per cornu paruulum, planè efficitur, Vatem loquutum de decem numero Regibus, non autem de vniuersitate Regum.

*Communis sententia, significari decẽ Reges.*

D. August. *Augustinus per decẽ Reges significari vniuersaliter omnes Reges.*

*Probatur oppositum ex ipso textu.*

6. Quæres, cur per cornua significentur Reges? Solent Hebræi hoc nomine vti, ad significandam regiam potestatem, & gloriam; aut quia (vt Beda, Theophyl. Euthym. aiunt ad primum Luc. cap.) oleo in cornu seruato Reges inungebantur; aut quia (vt verosimilius est) præcipua regni gloria in Rege eminet. Quæ autem animalia cornua habent, ea solent cæteris eminentiùs ingredi. Hinc est quod Zachar. 1. 19. dicitur: *Et ecce quatuor cornua, quæ ventilauerunt Iudam*, significantur autem quatuor Reges, regnáve potentissima, quæ Iudæos bellis vexarunt, vt ad eum locum explicabimus. Celebre est illud Psal. 131. 17. *Illuc producam cornu Dauid, paraui lucernam Christo meo.* Est enim promissio de regno Messiæ. *Illuc producam*, quasi non tempore Dauid, sed in consequentia secula reseruabo exaltationem regni Dauidici per Christum Regem. Producam videlicet absconditum antea, faciam conspicuum, quod Maldonatus completum agnouit in eo, quod Zachar. Luc. 1. 69. dixit: *Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid*: latebat enim ignotum, ac sine luce regnũ Dauidicum paulò ante Christi natiuitatem: eo autem nato erectum est, & illustre factum. Quod sequentia in Psalmo volunt: *Paraui lucernam Christo meo.* Lucernam, ex Scripturæ phrasi, hoc est, illustre regnum. Rectè autem Augustinus hoc loco annotat, significari per cornu altitudinem spiritualem regni Christi: non enim temporali apparatu, ac luxu splenduit, sed omnino spirituali. Nam cornu, inquit,

*Per cornua Hebræi significant regiã potentiam, & gloriam.*

Zach. 1. 19.

Psal. 131. 17.

*Exaltatio regni Dauid tempore Messiæ.*

Luc. 1. 69.

*Lucerna, illustre regnũ.* D. August. *Altitudo spiritualis regni Christi.*

A è cætera carne eleuatum carnis omnino expers est: ita regnum Christi, non carnali, sed spirituali celsitudine eminet. De eodem regno Christi sunt alia similia 1. Reg. 2. 10. *Sublimabit* Pater *cornu* regnum *Christi sui*; vt ex amoris affectu, quo suum Christum vocat, æstimetur sublimatio regni eius: vbi enim amor machina est, quanta sperari potest eleuatio ponderum etiam maximorum? Vnde illud Habacuc 3. 4. *Cornua in manibus eius*, iuxta interpretationem D. Hieronymi, Exaltatio regni Christi est in manu, & potentia Patris; quasi dicat: Bene credita est illi eiusmodi exaltatio, qui & Pater est, & omnipotens, qui & B potest, & amat. Vnde sequitur: *Ibi abscondita est fortitudo eius.* Et iuxta Septuaginta: *Posuit dilectionem robustam fortitudinis suæ*; vt sit sensus, iuxta mensuram immensi amoris admensus est potentiæ suæ vim, quam ad exaltationem Filij sui adhiberet.

1. Reg. 2. 10.

*Vbi amor machina, maxima ponderum eleuatio est.* Habac. 3. 4. D. Hieron.

*Iuxta mensuram amoris applicuit potẽtiam ad exaltandum Christum.*

---

## *De cornu paruulo.*

### SECTIO VII.

1. *Reiicitur Porphyrius, cornu paruum asserens esse Antiochum Epiphanem. Conuincitur falsitatis,* C *quod attinet ad Euergetis necem illatam per Antiochum.*
2. *Iudæorum cæca opinio de Christo, quòd paruulum cornu fuerit, reiicitur.*
3. *Refutantur blasphemiæ Iudæorum circa hoc ipsum cornu paruulum, id est, Christum.*
4. *Reiicitur opinio Viterbiensis de Mahumete, & falsa conuincitur duobus argumentis.*
5. *Probatur sententia Hieronymi de Antichristo, quæ etiam est omnium Ecclesiasticorum, & explicatur ab eodem Hieronymo.*
6. *Quomodo paruulum cornu Antichristus fuerit, ostenditur.* D *Vnde ortus? quare homo peccati? quomodo prosperabitur?*
7. *Quomodo cornu habuerit oculos, & os hominis, explicatur?*
8. *Quomodo accipiendum, quòd Sanctos Altissimi conteret, ex simili loquendi modo Lucæ 11. Item quid sit mutare tempora, exponitur.*

1. DE cornu paruulo sic Vates, Vers. 7. *Considerabã cornua, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sũt à facie eius. Et ecce oculi quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Magna est hîc opinionum varietas. Occurrit primùm, semper reiiciendus Porphyrius, qui hunc paruulũ cornu Antiochum Epiphanem interpretatur, & decem cornua, decem Reges, non ex vno tantùm regno, sed E è pluribus; Macedoniæ scilicet, Ægypti, & Syriæ colligẽdos: euulsa autem ab eo tria cornua, quia tres Reges vicit, duos Ægypti Ptolomæos, Philometorem & Euergetem, ac tertium Regem Armeniæ Atayiam. Verùm, quod Porphyrius ait de decem Regibus, planè confictum est, & à nobis suprà refutatum. Præterea non est verum, subiugasse Antiochum tres illos Reges. Nam etsi magnis cladibus afflixit Philometora, regnũ tamen non ademit, Romanorum metu, Ægypto discedere coactus. Et simile quid ei contigit contra

*Reiicitur Porphyrius, cornu paruulum esse Antiochum.*

tra

tra Artaxiam Armenorum Regem. Quòd verò ad Euergetem attinet, omnino falsum est ab Antiocho fuisse victum: nam cùm duo fuerint eius nominis Reges, prior quidem tertius Ægypti Rex, quinque, & quadraginta annis, antequam Antiochus regnum caperet, mortuus est: posterior septimus Rex Ægypti post magnum Alexandrum, viginti annis ab Antiochi obitu regnum adiit, vt mirari iure quis possit Porphyrium vel tam apertè mentientem, vel tam pueriliter ignorátem Ægyptiorum regum Chronologias.

*Iudæi cæci, cornu paruũ faciunt Iesum Christũ Dominum nostrum.*

2. Iudæi cæci, vt gloriam regni Christi obscurent, multis contendunt, hoc paruum cornu significare Christum, qui quidem initio fuit humilis, obscurus, contemptus: loquens ingentia, quia magnifica de se, ac gloriosa prædicabat, iactabat enim se sine peccato esse, descendisse de cælo, ac antiquiorem Abrahamo, Filium Dei, Saluatorem mundi: sermones etiam contra Deũ loquebatur. Primus enim affirmauit Deum genuisse Filium sibi consubstantialem, séque esse eiusmodi Filium: deinde putauit, posse se mutare tempora, quoniam legem Moysis, & ceremonias tollere tentauit: item festiuitates inuertere, & Sabbatha violare non dubitauit. Deinde & tempus regni eius conuenit: tribus enim annis, ac dimidio docuit: sectatores habuit: quadrat tandem, quòd eiusmodi cornu paruulum, id est, Christus, contritus est à populo Dei, id est, à Iudæis, qui illum crucifixerunt. Hæc impij Iudæi.

*Refellitur declinamentũ Iudæorũ.*

3. Etsi autem canum latratus curare non oportet, ne tamen illi ob latratus suos sibi placeant, molas eorum vno, vel altero pugno contundamus: ostendant ergo in primis cæci quomodo mortuo Domino prçualuerint, ac deinceps prosperati sint, vt Daniel ait de populo Sanctorum: nam ipsimet suo malo experti sunt, post mortem Domini multis cladibus se afflictos, hodiéque miserrimum toto orbe exilium pati, nec vllo loco consistere, ac à tantis malis, vel punctum temporis respirare. Quod aiunt de violatione legis, ac rituum, negandum omnino est: nec enim Dominus legem soluit, sed adimpleuit, vt in Euangelio ait: nimirum figuræ Christi erãt ritus illi, ac ipsa lex; Christo autẽ adueniente compleuêre officium suum, ac adeò desiêre vim habere pristinam. Quæ latiùs ostendere non est huius loci. Quod loquuntur de generatione Patris, & de Filio Dei consubstantiali, non primus inuexit Christus, sed multò antè in veteri Testamento scriptum est. Psal. 2. 7. *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vbi non de liberatione Dauid, vt Rabbini delirant, sed de æterna generatione Filij sermonem esse grauissimi Autores asserunt. Quod aiunt Christum se iactare solitum, quòd sine peccato esset, quòd Filius Dei, quòd de cælo descenderet, &c. falsa tunc esse, & inania dicerent, si ipse Dominus non comprobasset operibus ac miraculis, quæ ipse per se ac per suos toto orbe patrauit. Paruulum autem fatemur, hoc est, humilem, non necessitate, sed voluntate. Prælegit enim in primo aduentu humilitatem, quoniam bene nouerat ita se iacenti mundo congruere. Cœpit autem tunc regnare, si non temporaliter, certè spiritualiter; cùm per se, ac per suos, idololatriam toto orbe, maximéque in Romano Imperio destruxit, plenè autem, hoc est, spiritualiter, ac temporaliter regnabit in fine mundi, vt latè ostendit Propheta in sequentibus.

Psal. 2. 7.

*Annius Viterbiens. Viterbiensis opinio falsa ostenditur, cornu scilicet paruulũ non esse Mahumetem.*

4. Annius ergo Viterbiensis in eo libro, quem de quæstionibus in Apocalyps. scripsit ad Sixtum quartum, vbi declarat, quæ sit illa bestia Apocalyps. 17. primus eam opinionem inuexit, vt per hoc paruulum cornu intelligeretur regnum Mahumetis, quod hodie præcipue est penes Turcas. Paruulum ergo cornu asserit, quia Mahumetes loco planè obscuro, & tenuissimo fuit, nulla prorsus doctrina, religione verò planè chimærica, mixta scilicet ex Paganismo, Iudaismo, Christianismo, ascitis præterea nonnullorum hæreticorũ erroribus. Quod verò dicitur paruulum cornu euulsisse tria alia, adnotat Annius referendum esse ad tria regna Arabiæ, Syriæ, Ægypti, quæ per se, & per suos sectatores occupauit. Sed & oculos hominis in eodem cornu repræsentare ait in Mahumete insignem solertiam, & astutiam ad fallendum. Os denique loquens ingentia, iactantiam eiusdem, ac superbiam, qua se Prophetam maximum, legémque suam Mosaica, ac Christiana meliorem esse gloriabatur. Nec dubitat Annius affirmare, regnum Mahumetanum perseueraturum vsque ad finem mundi. Tunc autem per secundum Christi aduentum omnino extinguendum. Hanc opinionem sequutus est postea Vatablus, & Hector Pintus ad hunc locum, sed immeritò: nam esse illam omnino falsam, conuincitur duobus argumentis. Primum, quoniam cornu paruulum tunc exoriturum dicitur, cùm Imperium Romanum diuisum fuerit in decem Reges, & tamẽ cùm Mahumetes in lucem prodiit, Imperium Romanum stábat florens sub Heraclio, & Honorio. Secundum, quoniam hîc dicitur paruulum cornu insectaturum populum Dei per tempus, & tempora, & dimidium temporis, hoc est, per tres annos ac dimidium, cùm tamen constet hodie etiam sæuire in Christianos Mahumetanam gentem.

*D. Hier. Vera sententia, cornu paruulum, esse Antichristum.*

5. Omissis ergo eiusmodi fabulis, veram sententiam sic affert D. Hier. ad hunc locum. Ergo dicamus, quod omnes scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione mundi, quando regnum destruendum est Romanorum, decem futuros Reges, qui orbem Romanum, inter se diuidant: tum vndecimum Regem paruulum Antichristum surrecturum, qui tres Reges de illis decem superaturus sit, id est, Ægypti, Africæ, & Æthiopiæ Reges, quibus interfectis, etiam septem alij Reges victori colla submittent. Dicitur autem Rex ille habiturus oculos hominis, ne cũ putemus, iuxta quorundam opinionem, diabolum esse, sed vnum de hominibus, in quo totus Satanas habitaturus sit corporaliter. Habebit etiam os loquens ingentia, quia erit homo peccati, filius perditionis, ita vt in templo Dei sedere audeat, faciens se quasi Deum. Hactenus D. Hieronymus. Similia scribit hoc loco Theodoretus.

*Os hominis habebit, ne putetur esse diabolus.* Theod. *Paruulum cornu Antichristus, quoniam obscura initia habebit.*

6. Paruulum ergo cornu Antichristus, quoniam obscuro nascetur loco, & vitam aliquando similiter obscuram ducet, iuxta illud Daniel. 11. 21. *Stabit in loco eius despectus.* Genere autem Iudæus erit, ex Tribu Dan, vt est communis Patrum sententia, damnata scilicet Tribu, & ideo prætermissa à Ioanne, Apocal. 7. à numero signatorum, siue prædestinatorum, vt existimat D. Irenæus 5. aduersùs hæreses 30. vt vel ob id ipsum dicatur à Paulo 2. Thessalon. 2. 3. *Homo peccati,* quia peccato quasi Domino seruiet, omnium, scilicet, turpissima seruitute. Homo peccati, quasi

Dan. 11. 21. *Dan exclusus à numero signatorũ, seu prædestinatorũ.* Apocal. 7. D. Irenæ. 2. Thessal. 2. 3. *Homo peccati, quia seruiet peccato.*

à peccato possessus, velut domus propria, in qua habitabit, dominando ipsi penitus, tam secundùm corpus, quàm secundùm animam, quo pacto intelligendus est D. Hieronymus cùm dixit, totum Satanam in eo corporaliter habitaturum. Homo tamen ait, non dæmon incarnatus, vt opinatus est Hippolytus Martyr in oratione de consummatione mundi. Ideo Gregor. Magnus 32. Moral. cap. 12. citans locum hunc Danielis. Paruulum, inquit, cornu oritur, quia purus homo generatur, nihil admistum habens superioris naturæ. Paruulum tamen in principio cornu dicitur postea maius esse cæteris, quoniam, ait Gregor. loco citato, immaniter, id est, mirum in modum excreuit. Quod Daniel cap. 8. 24. sequenti explicans ait: *Roborabitur fortitudo eius*, quia virtute Satanæ (inquit Gregor. citatus) in gloriam perditionis attolletur. Gloriam perditionis egregiè dixit: hoc est, inanem, & ad solam speciem turgidam, & ideo perditioni & dissipationi destinatam. Hanc autem inanem fortitudinem exercebit primùm in tria illa regna, quæ profligabit; postea in Sanctos faciendo bellum aduersùs illos, & prævalendo illis, vt sequitur in textu; de quo ita cap. seq. *Interficiet robustos, & populum Sanctorum secundum voluntatem suam.*

*D. Hier. Totus Satanas in eo corporaliter habitaturus.* *Hippolyt. Mar.* *Greg. Mag.* *Dan. 8. 24. Gloria Antichristi varia.*

7. Mirum tamen, quòd hominis nihil aliud præferat præter oculos, & os. *Quasi oculi*, inquit, *hominis in cornu isto, & os loquens ingentia.* Quoniam Antichristus non ignorans, sed sciens, & prudēs, ac adeò ex pura malitia eleuabitur supra hominem, ostendens, ac prædicans se esse Deum, & plusquam Deum, iuxta Paulum loco citato; extollens se super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. Quod quamuis sciat homini naturaliter repugnare, & sibi impossibile esse bene nouerit, tamen ad decipiendos homines faciet. Idcirco enim ponitur os solum loquens ingentia, quasi non ex corde id, atque ex dictante intellectu prodeat, sed dumtaxat ore tenus proferatur.

*Antichristus ex pura malitia eleuabitur.* *Solum os loquēs ingentia, quia non ex corde dictante procedet eius superbia.*

A De hac insolentia Antichristi sic inferiùs: *Sermones contra Excelsum loquetur, & Sanctos Altissimi conteret: & putabit, quod ipse poterit mutare tempora, & leges, & tradentur in manus eius, vsque ad tēpus, & tempora, & dimidium temporis.* Cùm Antichristus Diuinitatem sibi arrogare debeat, id primum contendet, vt Deum verum blasphemiis suis quoad poterit deprimat: solam enim sibi obstare credens celsitudinem Dei, qua omni creaturæ supereminet, sermones contra Excelsum loquetur, vt credatur ipse excelsior Deo, qui liberè contra ipsum loqui possit: eo enim argumento impij illi Deum sibi superiorem esse negarunt. Psalmo 11. 5. *Qui dixerunt, linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt. Quis noster Dominus est?*
B

*Dan 7. 25.* *Solam Dei altitudinem sibi contrariam dedita opera deprimet.* *Psal. 11. 5.*

8. Quod verò sequitur, *& Sanctos Altissimi*, eodem tendit, vt per id ostendat se Antichristus superiorem Deo, quòd Sanctos eius impunè conterat. Sicut Dominus Luc. 11. 21. superiorem illum, ac victorem declarauit, qui potuit arma fortis diripere, & spolia distribuere. Se ergo Antichristus Deo superiorem ostentabit, qui possit arma eius, hoc est, Sanctos, per quos contra dæmonem pugnat, diripere, ac conterere. Eos enim sic impunè conterendo, quasi insultabit Deo, qui eos de manibus suis liberare non possit. Quid est autem quod addit: *Et putabit, quod ipse possit mutare tempora?* Communis explicatio, putabit quòd ipse possit immutare festa Christianorum, & ritus sacros, ac ipsam legem Christi. Illud verò, *tradentur Sancti in manus eius per tempus, & tempora, & dimidium temporis* (quo loquendi mōdo vsus est Ioan. Apocal. 12. 14) significat duraturam persecutionem Antichristi per tres annos, ac dimidium: tempus enim annum significat, tempora duali numero, duos annos, dimidium verò temporis dimidium anni, quod infrà capit. 12. significatur per dies mille ducentos, nonaginta, & Apocal. 11. 2. per menses quadragintaduos.
C

*Ostendet se superiorem Deo, quòd Sanctos eius deprimat.* *Luc. 11. 21.* *Immutare tempora, hoc est, festa, & ritus sacros.* *Apoc. 12. 14.* *Persequutio Antichristi duratura per tres annos, ac dimidium.* *Apoc. 11. 2.*

---

## POSTERIOR COMMENTARIVS.

CVm Vates tam multa præmiserit de Monarchiarum mundi apparatu, & inconstantia, aptè quidem ac necessariò progreditur ad ostendendam æternæ Monarchiæ magnitudinem, quam Christus Optimus Maximus, deletis omnibus mundi Imperiis, à Deo Patre accipiet in ipso mundi fine, regnaturus deinceps cum populo sancto in omnem æternitatem. Et quoniam hæc plena possessio regni adiri à Christo debet, adhibito primùm finali iudicio, quo gentes omnes sibi subiiciet, de iudicio latè differit Vates in sequentibus. Primum ergo dicemus de apparatu iudicij, nimirum de thronis Assessorum, & de throno maximi Iudicis; deinde de Antiquo dierum, eiúsque ornatu, & de assistentibus, ac ministrantibus Angelis: item de Filio hominis veniente in nubibus, & de regno, ac iudicio sibi à Patre tradito; tum de ipsa forma, ac processu iudiciali; denique de sententia prolata à Iudice.

### *De apparatu, ac horrore sedium iudicialium.*

### SECTIO I.

1. *Improbatur sententia eorum, qui asserunt agi hic tantùm de iudicio speciali Antichristi, & non de vniuersali.*
2. *Post Monarchias descriptas, ac destructas necessariò sequitur iudicium vniuersale.*

D
3. *Qualis formatio sedium? Nubes, quæ ad formationem concurrent, omnino erunt miraculosæ, & quare?*
4. *Ad cæli Orientalem partem aperiendum cælum vēturo Domino. Locus Isaiæ 64. & Zachariæ 14. Quomodo intelligendum sit, montem Oliueti scindendum medium?*
5. *Viam quasi à cælo sternendam ex nubibus igneis & ex iisdem iustitia administrante formandos thronos, ostenditur ex variis Scripturæ locis.*
6. *Cur vacua Danieli monstrata sint sedilia, Ioanni plena, ostenditur.*

7. *Iudica*

7. *Iudicaturos omnes, qui perfectè paupertatem Euangelicam sunt sequuti, duodecim sedes pro plurimis, ex Aug.*
8. *Quomodo iudicare debeant cum Christo declaratur. Sedere, proprium iudicantis.*
9. *De modo iudicandi reiciuntur duæ sententiæ. Iudicaturos per participationem alicuius actus iudiciarij, & qualis ille sit?*
10. *Thronus Dei quare totus igneus, ex Caiet. & D. Hier. Explicatur locus 1.Cor 3.*
11. *Explicantur rotæ throni Dei moraliter per sanctum Gregorium.*

*Non esse hic sermonem de aliquo particulari iudicio, sed de vniuersali.*

1. INCIPIT Vates describere apparatum sedium ad hunc modum, Vers.9. *Aspiciebam donec throni positi sunt.* Sunt qui velint non agi hoc loco à Vate de iudicio extremo, sed tantùm de alio, quo sub idem tempus Pater Filio subiecturus est omnes hostes suos, præcipuè Antichristum. Verùm, quia Vates ea prosequitur, quæ ad finale iudicium spectant; & quia iudicium particulare de Antichristo cum hoc apparatu non est à Patribus traditum; & quia in finali tantùm iudicio hostes Christi ei subiiciendi sunt, iuxta communem eorundem Patrum sententiam, idcirco non existimamus agi hoc loco de particulari iudicio, sed de vniuersali. quod magis patebit ex ipsa serie dicendorum.

*Occasio agendi de finali iudicio.*

2. Cùm multa verò sint, quæ de iudicio finali quæri soleant, ea tantùm ad nos pertinent, quæ Vates hoc loco tangit, ad ostendendum Christi Domini regnum à Patre datum. Ergo Vates præmissis iis, quæ ad mundi Monarchias spectabant, necessariò aggreditur dicere de iudicio finali, in quo dabitur illi à Patre plena possessio æternæ Monarchiæ. Incipit autem ab apparatu sedium. *Aspiciebam* (inquit) *donec throni positi sunt*; & paulò pòst de throno Dei: *Thronus eius flamma ignis, rotæ eius ignis accensus.*

*Matt.26. 64 Marc.14. 62. Luc.21. 27. Christus Iudex in nubibus veniet ad ostendendam pompã. Nubes, in qua veniet, erit iustis delectabilis, iniustis terribilis, vt nubes deserti.*

3. Certum est ex Euangelio, Matth.26. 64. Marc.14.62. Lucæ 21.27. venturum Christum in nubibus cum potestate, & virtute multa. Nam ad ostendendã pompam, & apparatũ die illo, virtute diuina congregabuntur ex aëre crassiori, vel ex vaporibus, vel etiam exhalationibus terræ, nubes ita dispositæ, vt ex fulgore & claritate corporis Christi mirabilem speciem præferant, qua scilicet iusti delectentur, iniusti perterreantur. Cuius rei symbolum videtur expressum ea nube quæ stetit inter Hebræos ascendentes de mari rubro, & Ægyptios persequentes. Nam Exod.14.19. ita dicitur: *Stetit colũna nubis inter castra Ægyptiorũ, & castra Israël; & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctem.* Tenebrosa Ægyptiis (ait) Abulens. lucida verò Israëlitis. Erit porro congregatio hæc nubium prorsus miraculosa, non quidem quia tunc iam deficient motus cælorum, quorum interuentu eleuantur, vt ait Sot.4.d.47. qu.2. art.1. quoniam incertum est, an cessare debeant eiusmodi motus ante finale iudicium, vt Suarius in tomo 2. 3. partis d.57. sect.3. sed quoniam finis earum nubium non pertinebit ad ordinem naturæ vt manifestum est, ac adeò à superiori ordine petenda erit earum causa efficiens, nimirum Deus.

*Exod.14.19. Tenebrosa Ægyptiis, lucida Iudæis. Abul. Sotus. Incertum, an cessare debeant motus cæli ante finale iudicium. Suar. Nubes ea quia nõ pertinebat ad ordinẽ naturæ, habebit causam superiorem. Zach.14. 4.*

4. Igitur versùs Orientalem plagam latè aperietur cælum venturo Domino, iuxta illud Zachariæ 14.4. *Stabũt pedes eius in die illa* (qua scilicet præliabitur contra gentes, vt proximè dixerat) A *super montem Oliuarum, qui est contra Ierusalem ad Orientem, & scindetur mons Oliuarum ex media parte sui ad Orientem, & ad Occidentem, prærupto grandi valde, & separabitur medium montis ad Aquilonem, & medium eius ad Meridiem.* Qui locus etsi vexat interpretes, quod attinet ad præruptionem illam, tamen hyperbolicè intellecta, ad solam exaggerationem terroris, ac tumultus eo die futuri, rectè pro re præsenti fluit litera: significatur enim, Domino ad iudicium veniente, magnam futuram rerum conuulsionem, nec solùm rumpẽdos cælos, sed & montem ipsum oliuarum, supra quem iudicabit gentes, ita scindendum medium, vt diuaricatis ad Aquilonẽ, ac Meridiem medietatibus, ingenti proruptu dehiscat poëticè. Sicut B Aug. in serm.5. de Ascensione, eleganti admodum hyperbole de cælo dixit: Regia ampla Dei reseratur. Vndique syderei repagula cæli, atque astriferi orbis arcana soluta penitus compage patescunt. Recessit in geminam aciem diuisus aër, & vasti latera ardua cæli concisis marginibus dependerunt. Ita Augustinus. Vt non dissimilis sit futura cõmotio in descensu Domini ad iudiciũ. Fundamentum autem superioris illius exaggerationis fuit, quòd per cæli partem illam disruptam promicabit ingens fulgor, ac deorsum per adglomeratas nubes eubratus in medium Olineti cacumen, illud quasi scindet in duas partes.

*Præruptio montis Oliuarũ hyperbolicè accipienda.*

*D.Aug. Similiter ab Augustino dicitur scissum cælum in Ascensione.*

*Quare apparebit scissus mons.*

Huc etiam quadrat illud Isaiæ 64.1. *Vtinã disrumperes cælos, & descẽderes! A facie tua mõtes defluerent, sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis, &c.* Quem locum etsi frequentiùs reperias expositum de primo Domini aduentu, tamen de secundo interpretatur Lyranus, refértque in eadem fuisse sententia Alexandrum de Ales magni Iudicij Doctorem. Et congruere videtur, quoniam præcesserat sermo de exterminatione Antichristi, postquam conuenienter operatus veniat Dominus ad iudicium, non communi autem via, qua soleat placatus prodire in mundum, sed extraordinaria, quámque non tam consilio sibi, quàm præcipiti motu disrumpat, latéque aperiat ad perterrefaciendum ex improuiso mundum. Sic enim tunc fiet, vt per eam cæli quasi confractionem, prorumpente ad iudicium Domino, montes ipsi defluant, ac subita veluti vstione correpti contabescant: quin & aquæ ipsæ pene exucto humore ardeant, atque ita notum faciat Dominus nomen suum inimicis suis.

*Isa.64 1. Locus Isaiæ de secundo potiùs Christi aduentu.*

*Lyran.*

*Exprimitur praeceps Domini exitus ad iudiciũ.*

5. Certè igitur aperto cælo ad Orientem, seu propriè velis, seu mauis ad solam speciem (parum enim refert quomodo fiat) ab ea statim cæli parte deorsum versùs vsque ad cacumen montis Oliueti construetur è nubibus cancellatim ignitis, ac lucidis, via quædam latissima, in qua ad sinistram partem, atque dexteram, præscripta forma per diuinam iustitiam, construentur ex eadem nubium materia plures throni pro iudicibus assessoribus: in suprema verò parte eadem diuina iustitia præmonstrante lineas, thronus erigetur ad omnem maiestatem compositus, in quo supremus Iudex sedere debeat; & de throno quidem Iudicis est illud Psalm.9.8. *Parauit in iudicio thronum suum. In,* Latinè redundat; *iudicium*, idem ac iustitia, vt sit sensus: Deus per iustitiam suam, seu iustitia sua, vt sit instrumenti, parabit, delineabit, effigiabit thronum suum iudiciale, tribunal suũ. De thronis autem iudicantium cum Domino dicitur Psal.121.5. *Illic sederunt sedes in iudicio. Iudicio,*

*Parũ refert, quomodo futura sit apertio cæli, adueniente Domino. Via lucida à cælo vsque ad cacumen montis Oliueti. Thronus Dei & assessorũ è nubibus, iustitia præmonstrante lineas. Ps.9 8.*

*Ps.121.5.*

*tio*, similiter, ac priùs: id est, per iudicium, per iustitiam, seu iustitia sua præministrante excitabit plures ad iudicandum sedes. *Sedes sederunt.* Non puto dictum impropriè, *sederunt*, sed propriissimè, ad exprimendum ipsum thronorum habitum: nã ex ipsa sui compositione ita sessioni comparati, & coaptati sunt, vt quasi ipsi, nemine adhuc sedente, sedere videantur. Maximè autem propriè ad efformationem diuinorum tribunalium adducuntur nubes, quoniam nubes inseruire Deo pro throno gloriæ manifestum est, ex illo Psalmi 103. 3. *Qui ponis nubem ascensum tuum.* ex Hebræo, *eleuationem*, seu *thronum eleuatum.* Cant. 3. 9. ferculum illud, quod sibi Rex Salomon fecerat, vt gestaretur per plateas Ierusalem, ad ostendendam pompam, dicitur ascensum habuisse purpureum, hoc est, in medio sellam regiam sublimem, ac per gradus aliquos eleuatam; purpuream autem, quia fortè è carmesino holoserico, vt hodie visus est apud Magnates. Ergo cùm in subiecta materia dicitur absolutè ascensus, intelligendus thronus eleuatus per aliquot gradus, quia magis congruit maiestati ad differentiam communium sedilium, quibus ab ipso statim pauimento sedetur. Similiter Isa. 19. 1. *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem.* Hebraicè, *Equitabit super nubem leuem.* Erit Domino præliaturo in die Iudicij aduersùs gentes pro equo expedito, nubes leuis. Cur autem nubes assumatur ad portandum Deum, & ad sedem ei præbendam, ratio illa communiter afferri solet, vt significetur incomprehensibilitas Dei, quam non nisi per nubium quasi obscuritatem internoscere possumus, iuxta illud 1. Tim. 6. 16. *Lucem habitat inaccessibilem.* & Ps. 17. 12. *Posuit tenebras latibulum suum.*

*Thronorum habitus, vt quasi sedere videantur.*

*Ps. 103. 3. Nubes throno gloriæ Dei inseruit. Cant. 3. 9.*

*Ascensus, id est, thronus eleuatus.*

*Isa. 19. 1. Equus Domini in iudicio, nubes leuis.*

*Per nubem quia ascendit Deus, incomprehensibilitas eius innuitur. 1. Tim. 6. 16. Ps. 17. 12.*

6. Circa thronos, qui dicuntur positi, dubitatur primò, cur nemo in eis dicatur sedere, maximè cùm D. Hieronymus dicat hos thronos esse illa sedilia vigintiquatuor in circuitu sedis Dei, Apocal. 4. 4. in quibus tamen vigintiquatuor seniores sedere dicuntur? Ad hoc responderi potest cum D. Paulo ad Hebræos 7. 19. *Nihil ad perfectum adduxit lex*; cui rectè concinit D. Ambros. lib. 6. epistolarum, epistola 39. Plenitudo in Euangelio, semiperfectio in lege, videlicet, quas lex materias rudiùs præparauit, Euangelium perfecit. Atque hæc fuit tota causa aduentus Christi in mundum, vt testatus est Matth. 5. 17. *Veni legem adimplere.* Quare mirum non sit, exhibita fuisse Danieli sedilia vacua, Ioanni plena: quia ille in lege adhuc positus semiperfecta exhibebat, hic in Euangelio perfecta. Lex ergo functa est officio serui ad iussum domini portantis cathedras; Euangelium misit, non modò qui sederent, sed assiderent Domino. Per hoc autem constat verè cũ Domino sessuros aliquos in die iudicij; quòd verò sessuri sint ad iudicandum cum ipso, expressè promisit Apostolis Matt. 19. 28. *Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim iudicãtes duodecim Tribus Israel.* Eadem verò promissio continetur Luc. 22. 30. & Paul. 1. Cor. 6. 2. *An nescitis*, inquit, *quoniam Sancti de hoc mundo iudicabunt?* Et paulò post, 3. *Nescitis quoniam Angelos iudicabimus?*

*Cur in thronis nemo sedere dicatur? D. Hier. Apoc. 4. 4. ad Heb. 7. 19. D. Ambr.*

*Matt. 5. 17. In Euãgelio plena omnia, in lege adhuc vacua.*

*Aliqui sessuri cũ Domino in iudicio. Matt 19. 28.*

*Luc. 22. 30. 1. Cor. 6. 2.*

7. Dubitatur ergo secundò, quinam sint cum Domino iudicaturi, & quomodo id intelligendum? Ad primum respondetur, quamquam Apostolis facta sit à Christo promissio sedium; tamẽ per eos intelligendos etiam illos, qui volũtariam paupertatem profitentes, perfectè Christi vestigia sunt sequuti, quoniam in eo fundata est promissio. Nam cùm Petrus apud Matthæum dixisset, *Ecce nos reliquimus omnia, & sequuti sumus te, quid ergo erit nobis?* Christus respondit: *Amen dico vobis, quòd vos, qui sequuti estis me* (perfecta scilicet imitatione) *sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim Tribus Israel.* Ideo D. Hier. ad ea verba; Quia non sufficit, ait, relinquere omnia, iungit quod perfectũm est, *Et sequuti estis me.* Itaque solis hoc modo perfectis prærogatiua iudicandi conceditur ex ipsa forma promissionis Christi. Cùm ergo perfecta illa, & exacta professio paupertatis, & imitationis Christi, non solùm in Apostolis, sed etiam in pluribus Apostolicis viris reperta sit, haud dubiè ad illos etiam extendenda est promissio sedium ad iudicandum. Atque hæc est cõmunis sententia D. Augustini epist. 89. quæst. 4. D. Hier. epist. 28. D. Greg. 10. Moral. 17. D. Bern. ser. 8. in Psalm. *Qui habitat.* D. Thom. 4. d. 47. quæst. 1. art. 2. Bedæ, homil. in Natali sancti Benedicti, Abulens. super cap. 19. Matthæi, quæst. 205. Vnde duodenarius numerus sedium indefinitè sumi debet pro multis sedibus, ac adeò pro ratione eiusdem numeri (qui ab Augustino perfectionis dicitur) multi indefinitè sessuri sunt, iique perfecti significantur ex sententia prædictorum Patrum, maximè Augustini, qui ad Psalm. 49. rectè colligit, si præcisè sumatur prædictus numerus, D. Paulum reiiciendum, qui decimustertius Apostolus fuit; & tamen ipse reliquis iudicaturis se adnumerãs, loco ad Corint. citato ait, *Angelos iudicabimus.* Quid sibi ergo volunt (ait August.) duodecim sedes? Significant, omnes vndique (qui tam perfecti esse potuerint, quàm perfecti, quibus dictum est: *Sedebitis super sedes duodecim*) vocandos esse ad iudicandum. Illud verò eiusdem Psalmi, *Aduocauit cælum desursum, & terram discernere populũ suum*, similiter explicat de Apostolis, ac Apostolicis viris perfectis, scilicet, paupertatis professoribus, qui alibi dicuntur cæli illi enarrantes gloriam Dei.

*Sessuri cum Domino Apostoli, & Apostolici viri.*

*D. Hier.*

*D. August. D. Greg. D. Bernard. D. Thom. Beda. Abul.*

*Duodenarius numerus eorum qui sessuri sunt, sumendus vniuersaliter.*

*D. Aug.*

8. Ad secundum, quomodo scilicet intelligendum sit, eiusmodi perfectos viros cum Christo iudicaturos? Respondetur, id futurum per quandam participationem excellentiæ iudiciariæ, & alicuius actus item iudiciarij. Primùm enim assidebunt Christo, è thronis videlicet illis singularis eminentiæ, de quibus hoc loco Daniel, & Ioannes Apocal. 4. quod quidem spectat ad specialem iudicandi apparatum, & congruentiam. Vnde ex cap. vltimo, de re iudicat. lib. 6. dicitur, oportere iudicem sententiam sedendo ferre. Nimirum, quia sedere, superioris est, sicut stare, inferioris. Vnde qui causam dicunt, vel quouis modo vocãtur ad iudicium, etsi nobiles sint, stare coguntur coram sedente Iudice. C. de officio ciuil. Iudic. leg. 1. & C. Theodos. eodem titul. leg. vnica. Quare & de Deo Iudice dicitur Psalmo 9. 5. *Sedisti super thronum, qui iudicas iustitiã.* Et de se Iob cap. 29. 7. *Procedebam*, inquit, *ad portam ciuitatis* (vbi iudicia more veterum exercebantur) *& in platea parabant cathedram mihi.* Congruum porro est, vt sedendo iudicia ferantur; quoniam sessio importat quandam tranquillitatem animi, quæ ad iudicandum per necessaria est. Vnde ait Aristotel. 6. Physicorum: Sedendo, & quiescendo anima fit prudens, quia non distrahitur intellectus ad alia opera. Nam vel in Deo iudice, à quo longè abest omnis perturbatio, Salomon ait Sapientiæ

*Iudicabunt per quandam excellentiã iudiciariã, & actus iudiciarij participatione.*

*Sessio, propria iudicantis quandam cum eminentia.*

*Iudicandi, tanquam inferiores, stãt. Ps. 9. 5. Iob. 29. 7.*

*Sessio innuit animi tranquillitatem ad iudicandum. Aristot.*

Sapient. 12. 18. pientiæ 12. 18. *Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas.*

9. Præterea, iudicabunt sancti viri participatione alicuius actus iudiciarij, vt notum est ex D. Thom. 4. d. 4. q. 1. art. 2. quoniam id Christus expressè distinxit: *Sedebitis, iudicantes.* Aliqui dicũt iudicaturos Sanctos in eo sensu, quòd de causis iudicandorum disceptabunt; id tamen non videtur ita congruum: nam disceptatio solùm adhibetur in causis perplexis, & quarum veritas obscura est; at ibi nulla erit perplexitas, sed causæ omnes iudicandorum Deo reuelante patebũt illico manifestissimè, vt nec iudicandi contradicere, nec Iudices hærere in aliquo debeant. Alij volunt iudicaturos Sanctos, vt Doctores, ac testes, quatenus, scilicet, illis prædicantibus, homines credere, aut vitam corrigere noluerunt; quòd etiam non placet: nam & Angeli similiter Doctores, & custodes fuerunt, & testes erunt, aut incredulitatis, aut peruicaciæ iudicandorum, & tamen non dicentur iudicare. Richard. Victor. in tractat. de potestate iudiciaria. Iudicaturos, ait, quia speciali modo penetrabunt conscientias iudicandorum, & iudicia diuina, & retributionum qualitates, vel quia sententiam, quam Christus feret, iis, qui iudicabuntur, intimabunt. Vtrunque autem ad Iudicem specialiter pertinere. Existimo ergo iudicaturos Sanctos participatione alicuius actus iudiciarij, quia dandæ sententiæ ratione proposita absque vlla disceptatione conuincent reos; quod profectò est pars actionis iudiciariæ, & in Scriptura iudicandi verbo sæpe exprimitur, & quia intimabunt sententiam, vt Richardus ait, quod est proprium Iudicis, & quo omne completur iudicium.

*D. Thom. Actum iudicandi aly aliter sumũt.*

*Richard. Victor.*

*Iudicabunt, quia dandæ sententia ratione proposita, conuincent reos, & sententiam intimabunt.*

10. Quamuis autem thronus Dei ex eadem nubium materia efformandus sit, tamen de illo Propheta sic specialiùs: *Thronus eius flamma ignis; rotæ eius ignis accensus.* Pertinet hoc ad magnam quãdam exaggerationem terroris, quòd thronus eiusmodi, non quomodocumque ignitus, aut per interualla fulgurans, sed viua quædã flamma sit, & rotæ eius ignis accensus. Significatur per hoc, exactum, & rigorosum examen futurum in die iudicij, quoniam sicut ignis (ait Caiet. ad cap. 3. 1. Cor.) supremum obtinet in examinando locum, videlicet, discernendo res, quid aurum, quid ferrum, quid lignum sit, iuxta Apostolum 1. Cor. 3. 13. ita iudicium diuinum cunctas operum conditiones etiam minimas scrutatur, librat, ac discutit, & dicendo ius, & exequendo. Ita Caiet. Omnia Dei flammea sunt (ait Hieron. ad hunc locũ) iuxta illud Deut. 4. 24. *Deus noster ignis consumens est:* vt lignum, fœnum, stipulam arsura in die iudicij nouerimus. Thronus ergo Dei, flamma ignis, vt peccatores tormentorum magnitudinem pertimescant, & iusti saluentur, sic tamen quasi per ignem. Ita Hieronymus. Alluditque ad locum citatum Pauli 1. Corint. 3. 13. *Si quis adificat super fundamentum hoc fidei aurum, argentum, lapides pretiosos,* scilicet actus bonos meritorios, *ligna, fœnũ, stipulã,* hoc est, opera aliqua mala, nõ quidem mortaliter, sed venialiter, vt vocant, *vniuscuiusque opus manifestũ erit: dies enim Domini,* Græcè, *dies ille,* nempe iudicij, *declarabit.* Erit enim dies ille (ait Caietan.) claritas omnium operum, quia in igne metaphorico rigorosi examinis reuelabitur: *& vniuscuiusque opus, quale sit, ignis* verus, qui præcedet iudicij diem, *probabit.* Erit ergo, iuxta Caietanum, duplex ignis, vnus verus, nempe vniuersalis ille, qui probabit opera saluandorum, & ideò emendatorius dicitur ab Augustino super Psalm. 36. alter metaphoricus, nempe examen rigorosum, & efficax, quod opera iam probata manifestabit. Si cuius opus manserit, purgatione, ac emendatione non indigens mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur malarum affectionum, quæ scoriarum instar adhæserũt bonis, ipse autem prædestinatus saluus erit, sic tamen quasi per ignem videlicet emendatus, detritus, decussus. Probabilior tamen est sententia Soarij tom. 2. 3. p. vnum tantùm, verúmque futurum ignem, qui antecedat Iudicem venientem, & incipiat torquere malos: & hoc eodem ampliato post finitum iudicium comburendum & purgandum mundum. vide disp. 57. Sect. 1.

*Thronus Dei igneus ad expressionem terroris.*

*Per ignem, exactum examen. Caietan.*

*Ignis proprium, discernere. D. Hieron. Deut. 4. 24.*

*Caietan. Ignis iudicij claritas omnium operum. Duplex ignis in fine mundi.*

*Probabile, vnum tantùm futurũ ignem.*

11. Quid est autem, quòd throno Dei adijciuntur rotæ quadrigæ instar? Fortè ad exaggerationem quodammodo præcipitis furoris, quo in malos rapietur: sicut apud Ezechielem cap. 1. Deus quoque igne furoris succensus, rotis impellentibus fertur in impios. D. Gregor. homil. 5. in Ezechiel. expendens illud Sapient. 7. 22. *Est in illa spiritus intelligentiæ, spiritus vnicus, spiritus multiplex, subtilis, mobilis.* & paulò pòst, *humanus, stabilis:* quæstionẽ excitat, quomodo idẽ spiritus dicatur mobilis, & stabilis? Et respondet: Stabilis est, inquit, quia per naturam omnia continet: mobilis, quia vbique etiam nescientibus occurrit. Tenens ergo omnia, stabilis; præsentem se omnibus exhibens, mobilis dicitur; & infrà citat locum præsentem, & moraliter explicat pro Prælatis, & Prædicatoribus. Hi enim, inquit, qui animarum custodes sunt, & pascendi gregis onera susceperunt, mutare loca minimè permittuntur; sed quia vno in loco positi, diuinitatis in se præsentiam portant, & ardent, thronus Dei flamma ignis dicitur: hi autem, qui amore Domini in prædicatione discurrunt, rotæ eius ignis ardentis sunt, quia cùm ex eius desiderio per varia loca discurrunt, vnde ipsi ardent, alios accendunt. Ita Gregorius.

*Thronus cũ rotis, ad exaggerationem furoris. D. Greg. Sap. 7. 22.*

*Spiritus Dei quomodo stabilis, & mobilis.*

*Prædicatores quomodo mutari, & non mutari dicuntur.*

---

## *De Antiquo dierum, eius ornatu, & apparatu assistentium ministrorum.*

### SECTIO II.

1. *Antiquus dierum Deus absolutè, quomodo ita dicatur? Locus Augustini, item Iob. 36. D. Hieronymi, &c.*
2. *Aptiùs intelligitur Pater iuxta præsentem locum. Quomodo dicatur Antiquus dierum? Primo modo respectu Filij quatenus hominis; secundo etiam quatenus Deus, & quomodo?*
3. *Vestitus Antiqui dierum expenditur, iuxta Theodoretum, D. Hieronymum, & D. Gregor. Nazianz. Locus Psalmi 18. explicatur.*
4. *Numerus assistentium ministrorum, etsi definitè ponatur, pro indefinito sumendus, ex aliis Scripturæ locis.*
5. *Quæstio de numero Angelorum, excedátne hominum numerum, tractatur. Reijciuntur duæ opiniones.*
6. *Probabile est, Angelos multò plures esse omnibus omnino hominibus, ex Dionysio Areopagita, D. Athanasio, & D. Ambrosio.*

7. Diui

*7. Diuisionem celebrem in Angelos assistentes, & ministrantes hinc petitam, & de missione Angelorum pauca.*

*Antiquus dierũ Theodoreto, æternum numẽ, Hieronymo, Deus absolutè.*
Theodor. D.Hieron. D.August.
*Deo nulla tempora coæterna.*

1. POst descriptionem thronorum prosequitur Vates de Antiquo dierũ in hunc modum, Vers.9. *Et Antiquus dierum sedit. Vestimentũ eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda, thronus eius flamma ignis; rotæ eius ignis accensus.* Per Antiquum dierum intelligit Theodoretus æternum numen; & D.Hieronymus Deũ absolutè. Dicitur Antiquus dierum, hoc est, longæuus, seu æternus. Dies quidem, atque annos attribui Deo, item, vocari Antiquum, improprium est: important enim ista de se mutationem, varietatem, defectum, quæ minimè decent æternitatem. Vnde D.Aug. 12. Confess.14. cum Deo loquens: Nulla tempora, inquit, tibi coæterna sunt, quia tu permanes, at illa fugitiuis particulis agitantur. Ita Augustin. Verùm nostro intelligendi, & loquendi more, multitudine, seu potiùs infinitate annorum, ac dierũ non semel innuitur æternitas. Iob.39.16. *Numerus annorum eius inæstimabilis.* Septuaginta infinitus, inuestigabilis, in quibus scilicet non sit inuenire vestigium, finem. Similiter hic Antiquus dierum dicitur ad exprimendam maturitatem iudicij, quæ plerumque in senibus, ac prouectæ ætatis hominibus inueniri solet, iuxta illud Iob.12.12. *In antiquis est sapiẽtia, & in multo tempore prudentia.* Nã (vt rectè D.Hieronym. in proœmio in Amos) senectus auget sapientiam, dat maturiora consilia, & frigescente corpore dormit cum perpetua virgine Sunamite. Ita ibi. Sic autem sumamus esse in Deo antiquitatem dierum, vt absque vllo immutabilitatis detrimento id esse intelligamus: vnde quod noster transtulit, *Antiquus dierum*, alij verterunt, *antiquãs dies*, vt videlicet Deus sic ex dierum multitudine maturitatem præferat, vt dies ipsos, tanquam à se alienos, antiquet, abroget, aboleat, expers videlicet mutabilitatis, ac defectus.

*Multitudine annorum ac dierum sæpe innuitur æternitas.*
Iob.39.16.
*Antiquus dierum, ad exprimendã maturitatẽ iudicij.*
Iob.12.12. D.Hieron.
*Senectus auget prudentiam.*
*In Deo intelligatur antiquitas dierũ absque mutabilitate.*
*Deus antiquans dies, id est, immutabiles habens.*

*Meliùs per Antiquum dierum, æternus Pater.*

2. Alij per Antiquum dierum intelligunt æternum Patrem; videtúrque id huic loco magis cõgruere; quoniam infrà fit mentio Filij hominis, qui ad hunc Antiquum dierum accedit, regnúmque ac iudiciariam potestatem ab eo accipit. Correspondet autem quod Ioan.5. dicitur, *Pater potestatem dedit ei iudicium facere, quia Filius hominis est.* At quomodo Pater dicitur Antiquus dierum, cùm Pater & filius coæterni sint? Respondetur primò, id esse propter assumptam à Filio in certo tempore naturam humanam, quod tempus antecedit Pater tota ipsa æternitate, ac adeò Filio, vt subest illi tempori, antiquior est. Secundò respõdetur, posse id etiam referri ad prioritatem, qua Pater non quidem natura, aut duratione aliqua, sed origine (vt loquuntur Theologi) Filio præsupponitur, vt principium eius, ac adeò, vt sic, antiquior, sicut & maior, Ioan. 14.28. Potest in hanc sententiam afferri illud ex Psal.109.3. *Tecum principium, in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorũ, ex vtero ante luciferum genui te.* Iuxta Hebræum, *ex vtero, ab aurora tibi ros adolescentiæ tuæ.* Loquitur Pater cum Filio, quasi sibi in eo complacens, hoc sensu: Tu eras ex vtero meo, & mea substantia, in rore, in flore adolescentiæ. iuxta Aquilam, *Pueritia tua.* Ab aurora, ante Luciferum, ante omne tempus, nam cùm cælos præparabam, & producebam creaturas, iam tum me oblectabas ludens coram me, Prouerb. 8. 30. Vidésne ergo quomodo Filius ex vi æternæ productionis suæ appelletur adolescens, imò puer, in ipso primæuo ætatis rore coram Patre ludens? Quo ergo sensu Filius productus à Patre dicitur adolescens, ac puer, eodem producens Pater dicitur Antiquus dierum, respectu eiusdem Filij.

*Antiquus dierum respectu Filij, vt naturam humanam induit.*
*Vel ob prærogatiuam originis.*
Ioan.14.28. Ps.109.3.
Prou.8.30. *Filius ex vi æternæ productionis, puer coram Patre ludẽs.*

3. Sequitur de ornatu Antiqui dierum: *Vestimentum eius candidum quasi nix, & capilli capitis eius, quasi lana munda.* Candore vestimenti Theod. significari putat inculpatam diuinæ naturę puritatem, canitie verò, autoritatem, & reuerentiam; vtrumque autem mirè congruere iudicanti. D. Hieronym. per vestimentum candidum, vt nix, gloriã diuinæ maiestatis intelligit, sicut in Trãsfiguratione ad ostendendam gloriam maiestatis, vestimenta Domini facta sunt alba sicut nix; per capillos autem similes lanæ mundæ, purum, syncerúmque iudicium, nullam personam in iudicando respiciens. Alij aliter explicant, sed minùs conuenienter ad personam Iudicis. Quare placet ex Theodoreto significationem vestimenti assumere, vt Antiquus dierum ad iudicium prodeat vestitus inculpata vitæ puritate: ex D. Hieronymo, vt capillos proinde, hoc est, iudicia proferat syncera, ac sine vlla acceptione personarum: iudicia námque, perinde ac capilli, ex capite iudicantis procedũt. Per hæc autem optimi Iudicis imago exprimitur, quam D. Ambros. considerans serm.20. in Psalm.118. Iudicet (inquit) de errore alterius, qui non habet quod in se damnet, ne, cùm de aliquo iudicat, in se ipsum sententiam ferat. Ita ibi. Et Gregor. Nazianz. de moderatione seruanda, Iudicare, inquit, aliena non valet, cui conscientia innocentiæ nullam iudicij regulam præbet. Atenim de Deo Iudice, rectè in rem præsentem cecinit Regius Vates, Psal.18.10. *Iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa.* Vult autem, esse quidẽ vera, quoniam iuxta præcisam, ac synceram veritatem, nullius vel personæ, vel affectus ratione habita ferri à Deo solent; iustificata verò in semetipsa, quoniam non solùm, vt à Deo in homines prodeunt, sed vt in Deũ ipsum quasi recurrũt, ab omni vitio, ac leui etiam næuo aliena sunt. Itaque & ipsa iudicia in se, & in sua origine, hoc est, ipsius Dei mente, à qua procedunt, purissima sunt. Quod verò capillos lanæ similes fecerit, causa esse potest, vt significetur, in diuinis iudiciis, etiam in extremo illo die, multum mollitudinis, & clementiæ admistum iri. Nunquam enim Deus secundùm omnem iustitiæ rigorem punire solet, sed semper citra condignum, quod aiunt, Psal.74.9. *Fæx eius*, calicis suppliciorum, *non est exinanita.* nunquam exhaurit Deus fæcem rigoris.

Theodor. *Cãdore vestium inculpata puritas diuinæ naturæ, canities, autoritas.*
D.Hier. *Vel, candore, gloria diuinæ maiestatis, canis, purum iudicium.*
*Ex vtraque desumpta vera sententia.*
D.Ambr. *Iudicet de errore alterius, qui errore caret.*
Greg. Naz.
*Regula iudicij, innocentia.*
Ps.18.10. *Iudicia Dei syncerissima.*
*Iudicium extremum multum habebit clemẽtiæ admistũ.* Ps.74.9. *Fæcem rigoris nõ exhaurit.*

4. Denique exprimitur apparatus Iudicis Dei, ex ipsa seruorum astantium multitudine, de qua Vates: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Significatur, more Scripturæ, per definitum numerum, indefinitus. Quare opus non est, in recensenda componendáque variantium hac in re Autorum numeratione diutiùs immorari: quidquid enim illi variauerint, tenenda est vulgata lectio, eáque sub conditione illa indefinita, qua significentur quamplurimi assistentes ac ministrãtes. Idcirco Iob indefinitè idipsum exaggerauit cap.25.3. *Nunquid est numerus militum eius?* Similiter Paulus ad Hebræos 12. 22. *Accessistis ad cælestem Ierusalem multorum millium Angelorum.* Facit autem ad expressionẽ maiestatis

*Infinitus numerus in finitio.*
Iob.25.3. ad Heb.12.22.
*Facit ad maiestatem multitudo astantium ministrorũ.*

tis innumerabilis seruorum multitudo.

*Nũ Angeli plures hominibus.* D.Athanas. 5. Non abs re quæri hic potest de numero Angelorum, an sit maior numero hominum? Refert Athanas.q.6.ad Antiochum, fuisse quosdam, qui multitudinem hominum parẽ crediderint multitudini Angelorũ, ducti verbis illis Deut. 32. 8. *Constituit numerum populorum iuxta numerum Angelorũ*; vt verterunt Septuaginta. Alij volunt plures esse homines, quàm Angelos, & ducũtur hoc argumento, quoniam tot homines assumendi sunt ad gloriam, quot Angeli corruerunt. At cap. 12.4. Apocalypſ. sub figura draconis trahentis tertiam partem stellarum, dicitur tertia pars Angelorũ cecidisse. Vnde D. Bern.serm.62.in Cantica, in hanc sententiã explicat illud Psal. 109.6. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Cùm autem hominum ne decima quidem pars saluetur, cõputatis omnibus infidelibus, liquidò cõstat multò maiorem esse numerum vniuersorum hominum, quàm vniuersorum Angelorum. Alij aliter hac de re sentiunt. Verùm priorem illum locum Deut. aliter intelligendum, superiùs latè explicauimus: locus verò posterior Apocal.12. non est intelligendus de casu Angelorum, sed hominum fideliũ tẽpore Antichristi. Vberior huius quæstionis tractatio habetur apud D. Thom.1.p.q.53.a.3.& recentiores, nominatim Vasquez disp. 180.

Deuter. 32. 8. *Contraria sententia & plures, & pauciores esse.* Apoc.12.4. D. Bernard. Psal.109.6. *Vtraque opinio improbatur.*

6. Igitur in re omnino dubia illud apparet probabilius, multitudinem Angelorũ omnium maiorẽ esse omnibus omnino hominibus, qui sunt, fuerunt, & erunt. Probatur inprimis ex præsenti loco, & similibus, vbi ex communi Interpretum sententia, numerus Angelorum definitus accipi debet pro indefinito, vt intelligantur innumerabiles. Imò sentit D.Dionys. Areopagit. cap. 9. de cælesti Hierarchia, Angelos nõ solùm plures esse hominibus, sed etiã omnibus rebus sensibilibus, & corporeis, sicut corpora cælestia, caduca omnia, & mortalia magnitudine sua exuperant. Eodem pertinere potest quod D. Athanas. loco citato, multos ait opinatos, ita se habere numerũ Angelorũ ad numerũ hominum, vt nonaginta nouem ad vnum, vel vt nouem ad vnum; ex duabus illis parabolis, de nonagintanouem ouibus in deserto relictis, & vna quæsita, quæ perierat: item de nouem drachmis seruatis, & vna perdita; vnius enim vel ouis, vel drachmæ vocabulo significantur omnes homines, maioribus autem aliis numeris omnes Angeli. Præclarè ergo D. Ambros. de centesima oue ad Luc.cap.15. exprimens paucitatẽ hominum, præ magna Angelorum numerositate. Diues, inquit, Pastor, cuius omnes nos centesima portio sumus; habet Angelorum, habet Archãgelorum, Dominationum, Potestatum, Thronorum, aliorúmque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. Itaque iuxta sententiam D. Ambros. si omnes homines simul cum omnibus Angelis in centum portiones diuidantur, centesimam portionem efficient omnes homines.

*Vera sententia, multitudo Angelorũ maior multitudine omnium hominum.* D.Dionys. Areop. D. Athan. D Ambros. Luc.15. *Omnes homines, cẽtesima portio, comparatione Angelorum.*

7. Nõ est autẽ prætereundum, ex eo quod dicitur, *Millia milliũ ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei*; desumptã à Theologis celebrẽ illam distinctionẽ, qua Angelos in ministrantes, & assistentes distribuuntur. Hoc enim modo assistentes dicuntur, qui proximè in Verbo hauriũt, eorum omnium, quæ agenda sunt, notitiam, ac in cæteros transfundunt: ministrantes verò dicuntur, qui edocti ab assistentibus, ea ipsa, quæ agẽda sunt, exequutioni mandant. Vultq; D. Dionys. loco citato, quatuor superiores ordines, nempe, Seraphim, Cherubim, Thronos, ac Dominationes, esse hoc modo assistentes: reliquos verò inferiores ordines esse ministrantes. Quòd si etiã aliqui ex assistentibus aliquando mittãtur, id quidẽ adeò esse rarũ, vt propterea distinctio prædicta tolli non debeat: semel enim tantùm legimus missum ad Tobiã Raphaëlem vnũ è septẽ astantibus ante Deũ, Tobi.12.15. Gabrielẽ autem (qui de se Luc.1.19. ait; *Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum*) ad altissimum mysterium Incarnationis Virgini denunciandum. Quem propterea Hesychius hom. 2. de Beata Virgine, Angelorũ Principẽ, & D.Greg.homil.34. in Euangel. summum Angelorum. Et D.Bern.homi.1. super Missus est: Non arbitror, inquit, hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra solent ad terras fungi legatione. Quod ex eius nomine palàm datur intelligi: interpretatũ enim, fortitudo Dei dicitur; & quia non ab aliquo alio, fortè excellentiore se (vt assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur: propter hoc enim dicitur, *Missus est à Deo*: vel ideo dictum est, *à Deo*, ne qui, vel beatorum spirituum, suum Deus antè, quàm Virgini, reuelasse putetur consiliũ, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui vtique tantæ inter suos inueniri potuerit excellentiæ, vt tali & nomine dignus haberetur, & nuncio. Ita Bernard. Ex quibus verbis sensisse colligitur fuisse Gabrielem, vel supremum Angelorum, vtpote qui per nullum superiorem mitti, vel illuminari potuerit: vel saltem ex supremis ordinibus vnum, qui à Deo immediatè illuminantur. Non obstat autem quòd Gabriel missus etiam dicatur ad Danielem, Daniel 8.& 9. & ad Zachariã, Luc.1. Nam id quoque fecit, vt minister Incarnationis, ad quã huiusmodi legationes specialiter ordinabantur. Danieli enim nũciauit mysterium septuaginta hebdomadarum; Zachariam verò docuit quomodo Ioannes filius futurus erat præcursor Christi, *Ipse præcedet ante illum*, &c.

*Vnde sũpta distinctio Angelorum ministrantiũ & assistentium. Qui assistentes, & qui ministrantes Angeli?* *Assistentes cum rarissimè mittantur, cũ ministrantibus numerari non debent.* Tob.12.15. Luc.1.19. Hesych. D.Bernard. *Gabriel missus à Deo, ne quis priùs Virgine sciret mysterium.* *Gabriel iuxta Bern. vel supremus Angelorum, vel è supremis vnus.* Dan. 8.& 9. Luc.1. *Gabriel missus ad alios super negotium Incarnationis.*

## *De ipsa forma, & solemnitate iudicij.*
## SECTIO III.

1. *Locus Tertulliani de acerbitate iudicij finalis. Quid sit, Iudiciũ sedit? magis explicatur à Ioanne Apoc.20.*
2. *Moralis admonitio Iudicum mundi, vt libros iudicaturi euoluant, exemplo Domini; cui iudicaturo libri aperti sunt.*
3. *Libros, esse Sanctos, in quibus elucet lex Dei, quasi scripta. Opinio Augustini & Gregorij Magni, librũ vitæ esse conscientias singulorum ex diuina vi quasi scripta præferentia opera singulorum.*
4. *De libris apertis opinio Theodoreti, Anselmi, Greg. Mag. Bedæ. Explicatur locus Gen.1.& aliter Deut.33.*
5. *Vera sententia, libros esse conscientias iudicandorum. Ostenditur autem quomodo id futurum ex Paul. Roma. 2. D. Bernardo, & aliis.*
6. *Librum vitæ, esse notitiã Dei, vt comprehendit nomina prædestinatorum ad vitam æternã, ex D. Thoma. Quare in Deo non sit liber mortis, explicatur.*
7. *Reiicitur noua existimatio de libris apertis.*

1.  VBI ante omnia præmittere illud Tertulliani graue dictũ in lib. de patientia, vbi Iudicem extremum ita cum tremore expectare iubet: Cuius iudicium, inquit, non in compede, aut

Tertul. *Grauitas iudicij exprĩditur ex dicto Tertull.*

A

aut pileo vertitur, sed in æternitate aut pœnæ aut salutis. Pulchra est allusio ad bonorũ & malorum seruorum vel præmia propria, vel supplicia apud Romanos vsitata: vt malos compedibus damnarent, bonos dato pileo facerent liberos. vnde iam apparet acerbitas monitionis Tertulliani, quasi diceret: Réine ista parui momenti est? Agitúrne hîc de compede, aut pileo, mali, bonive serui, & non potiùs de æternitate aut pœnæ inferni, aut gloriæ? Monuit quidem Tertullianus; expressit autem ad viuum Daniel rationem timẽdi hoc loco, & Ioannes Apocal. 20. 4. quæ duo loca necessariò coniungenda sunt ad rectam mysterij intelligentiam. Solemnem ergo Iudicij formam proponit Daniel ad hunc modum, Vers. 10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt. Iudiciũ sedit*, iuxta Hebraicum, *Iudex ipse sedit*, quia in summo Iudice tota iudicij summa, quanquam & Iudicij nomine sumi potest tota Iudicum corona. Vnde Glossa interlinearis sic explicauit: *Iudiciũ*, id est, ordo iudicantium, *sedit: & libri aperti sũt*. Latiùs hoc ipsum à Ioanne explicatur Apocal. 20. 11. *Vidi thronũ magnum, & candidum, & super eo sedentem, & omnes mortuos stantes in conspectu throni, & vidi libros apertos, & alius liber apertus est, qui est vitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum.*

*Apoc. 20. 4.*

*Iudiciũ sedit, quia in sũmo iudice tota summa iudicij. Iudicium, pro tota Iudicum corona.*

*Apo. 20. 11.*

B

2. Moraliter disce hinc primùm teneri Iudices ad causam rectè peragendam, libros consulere, ac euoluere diligenter, ne ius partis pereat. Vt enim rectè ait Augustin. 19. de Ciuit. 6. Ignorantia Iudicis, plerũque est calamitas innocentis. Ita ille. Libros ergo Iudex aperiat, aliúmque, atque alium accuratè inspiciat, siquidem & Domino iudicaturo libri aperti sunt, & alius liber, qui est vitæ. Deinde, cùm dicitur, *Iudicatos esse mortuos ex iis, quæ scripta erant in libris*, aliud quoque moraliter docentur Iudices: nimirum, non ex proprio affectu, sed ex legum præscriptione iudicãdũ. Quod egregiè scripsit Ambrosius iã alibi citatus, serm. 20. super Psal. 118. Bonus, inquit, Iudex nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito volũtatis, sed iuxta leges ac iura pronũciat, scitis iuris obtẽperat, obsequitur legibus, examinat causæ merita, &c. Sed reuertamur ad literã.

*Tenentur Iudices libros euoluere ac legere diligenter.*
D. Aug.
*Ignorantia Iudicis, calamitas innocentis.*

*Iudices non ex proprio affectu, sed ex legum præscripto iudicent.*
D. Ambros.

C

3. Magna est opinionum varietas circa libros aperiendos in die iudicij. D. August. 20. de Ciuit. 14. libros priori loco à Ioanne positos Sanctos esse ait, in quibus ostendet Deus mãdata, quæ ab omnibus seruari voluerit. Idem sentit D. Gregor. Magn. lib. 33. Moral. cap. 6. Alium verò librum, qui dicitur vitæ, intelligendum esse vitæ vniuscuiusque, qui nihil aliud erit, quàm clara, & distincta notitia omnium, quæ quisque in hac vita gessit, siue bene, siue malè, quam notitiam assequetur eo die quilibet, per diuinam quandam vim, quia fiet, vt cuique opera sua distinctè in memoriam reuocentur, vt accuset, inquit, sciẽtia conscientiam. Quare etsi vnus tantùm dicitur liber vitæ respiciendo ad vim illam diuinam, quæ vna est, tamen respiciendo ad singulorũ memorias, in quibus à Deo fiet prædicta manifestatio, non vnus erit omnium, sed singuli singulorum libri. Sic expressè Augustinus, cuius fundamentum esse potest, quoniã cùm in iudicio primùm oportéat habere notitiam iuris, deinde facti, notitia quidem iuris habebitur in ipsis Sanctis, in quibus lex Dei obseruata inspicietur; notitia verò facti in ipsis iudicandorum mentibus diuina vi patefactis. Addit Richardus Victorinus in lib.

*Libri iuxta Augustinũ, ipsi Sancti: liber vitæ, ipsa vita iudicãdorum.*
D. August.
D. Greg. M.

*Vita iudicandorum, id est, clara notitia eorũ quæ in vita gesserunt.*

*Vnus erit vitæ liber, ob illã vim diuinam, quæ omnia peccata manifestabuntur.*
D. August.

Rich. Vict.

de potestate iudiciaria, nõ quoslibet Sanctos futuros eo modo libros, sed solùm insigniores; in quibus scilicet diuina lex illustriùs intelligatur expressa.

*Non quoslibet Sanctos, sed insigniores futuros libros.*

4. Non abhorret ab Augustino Theodoretus hoc loco, qui libros apertos interpretatur omnium iudicandorum memorias explicatas. Sed nec Anselmus in Elucidario, qui librum vitæ ait esse vitam IESV, quæ omnibus est norma viuendi, & intelligi potest quasi lex, per quam omnes iudicandi sunt. D. Gregor. loco citato ipsum Christum visum in Iudicio librum vitæ vocat. Liber, inquit, vitæ est, ipsa Visio aduenientis Iudicis, in quo quasi scriptum est omne mandatũ, quia quisquis eum viderit, mox, teste cõscientia, quid non fecit intelliget. At Beda perpetuus comes Augustini aliò nunc aberrat, per libros priores intelligens libros sacræ Scripturæ, in quibus diuinæ leges, ac iura expressa sunt, & iuxta quas ferenda est sententia in die Iudicij, pro quo addi potest, ideo fortasse in ipso exordio Scripturę sacræ dictũ: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Nam vbi nos *Deum*, Hebræa habent, אלהים *Elohim*, id est, *Iudices*. Quo significetur à Deo Iudice cœptam Scripturã, vt leges, vtque iura hominibus tradat, quibus eos in fine mundi iudicaturus est. Idcirco etiam Deut. 33. 2. describitur Deus veniens ad ferendam legem hoc modo: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis, in dextera eius ignea lex*. Hic etiam pro Deo est *Elohim*, vt significetur, sub Iudicis forma venisse; ex vi autẽ Hebræa, per Sinai, & Seir montes, quasi sol oriebatur, hoc est, multo splendore circumuestitus. Denique igneam legẽ gestabat dextera, quod Caietanus ita explicat, vt non Deus ipse legem portet, sed, ad maiorẽ pompam, portaretur à ministris prope dexteram eius, Liber legis, & ignis, quo iudicabatur per legem iudicaturum, & per ignem puniturum. Expressiùs autem dixit hoc Paulus ad Roman. 2. quod attinet ad legẽ nouã: *In die, inquit, cùm iudicabit Deus occulta hominũ secundum Euangelium meum per IESVM Christum.* Ex his quædam dicta sunt probabiliter, quædam nobis desumenda ad statuendam communem sententiam.

Theodor.
*Omniũ iudicandorum memoriæ explicatæ, libri erunt.*
D. Anselm.
D. Greg.
*Liber vitæ, vita Iesu, seu Iesus visus.*

Beda.
*Libri aperti, scilicet, sacra Scriptura.*

*A Deo Iudice cœpta Scriptura, quasi per eã iudicaturo.*
Deut 33. 2.

Caietan.

*Liber legis igneus in manu Dei, quod per legem iudicaturus sit, & igne puniturus.*
Rom. 2.

D

5. Dicendũ ergo cum D. Hieronymo, & Theodoreto ad hunc locũ, probabilius esse, libros hic apud Danielẽ, & priores illos apud Ioannẽ futuras omniũ iudicandorum conscientias, in quibus, & diuina iura, & facta omnia, siue bona siue mala, manifestabũtur, iuxta illud Pauli Rom. 2. 15. suprà citatũ; *Ostendunt opus legis scriptũ in cordibus suis, testimoniũ reddẽte illis conscientia ipsorũ, & inter se inuicẽ cogitationem accusantium, aut etiã defendentiũ, in die, cum iudicabit Deus occulta hominũ.* Huc verò respiciens Bern. de conuersione ad clericos, c. 2. Aperitur, inquit, cõscientiæ liber, reuoluitur misera vitæ series, tristis quædã historia replicatur, illuminatur ratio, & euoluta memoria velut quibusdam eius oculis exhibetur. Vtraque verò non tam ipsius est animæ, quàm anima ipsa, vt eadem sit, & inspiciens, & inspecta contra suam statuta faciem, & à violentis quibusdam apparitoribus, immissarum vtrique cogitationum, iudicanda cogitur assistere tribunali. Ita Bernardus. Quare, & de hoc ipso intelligitur illud Psal. 49. 21. *Arguã te, & statuam contra faciẽ tuã*; opera scilicet tua mala ponam ante oculos mentis tuæ, & quasi scripta tibi legenda proponã, vt secundùm ea tu ipse te cõdemnare debeas.

*Vera sententia statuitur e tsi prædicta probabilia sint.*
*Libri aperti, iudicandorũ conscientiæ.*
Rom. 2. 15.

E

D. Bernard.
*Explicatur optimè à Bernardo.*

Augusti

D. August. *Idem descriptum egregiè ab Augustino.*

Augustinus ad hæc verba. Certum est, inquit, in die illo, ipsum ante se hominem constituendum, & ipsam sui vitam in cordis speculo demonstrãdam; testes verò contra eam non deforis, sed intus de ipsa anima proferẽdos: ordinabũtur enim ante infelicẽ animam peccata sua, vt eã & conuincat probatio, & confũdat agnitio. Ita Augustinus. Quamobrẽ & D. Ambr. in Apologia Dauid cùm ita perpẽderet, deuotè ait: Vę mihi, quia latere cupio, & latere nõ possũ: quomodo enim latebo, qui inscripta in pectore meo gero meorũ iudicia peccatorum? Ita Ambrosius. Ex dictis autẽ manifestè colligitur, libros aperiẽdos, nõ esse alios, quàm omnes omniũ hominũ conscientias.

*Locus optimus Ambrosij de eodẽ.* D. Ambros.

*Liber vitæ, diuina mẽs, continens in se scripta prædestinatorum nomina.* D. Thom.

6. Per librum autem vitæ ex probabiliori sẽtẽtia, quã latè explicat D. Th. 1. p. q. 24. significatur diuina mens, quatenus in ea scripta sunt omnia nomina prædestinatorum ad vitam ęternam. Quamuis autẽ omnia quoque nomina reproborum comprehẽdat diuina notitia; non tamen ob id dicitur esse apud Deum liber mortis, quoniã, vt ibidẽ ait D. Th. nomina quidem eorum, qui eligũtur ad aliquid, scribi solent in aliquo libro, nõ verò qui repudiantur. Verùm cùm re vera nomina reproborũ in diuina notitia repræsententur, non videtur ratio sufficienter satisfacere. Dicendũ ergo cũ Soario dist. 57. in 3. partẽ sect. 9. propterea Deum non dici habere librũ mortis, cùm tamẽ reproborũ notitiã habeat, quoniam non per se, & quasi ex volũtate, & intentione sua illos apud se descripsit, sed solùm quia ipsi futuri erãt tales, ideo eos præsciuit. Quòd ergo Deus nõ habeat librũ mortis, declarat hominũ quidem merita inscripta apud se habere; peccata verò nõ scribere, quia vellet, si posset, obliuisci. Dæmon quidẽ quasi librũ habet, in quo reprobos, & eorũ opera scribit, quẽ ipse ad accusandum eos in die iudicij proferet, tamen quia Deus per illũ librum non iudicabit, sed per suam scientiam; & singulorum conscientias, ideo non fit mentio in Scriptura de libro illo, & hac ratione vera esse potest sententia D. Hieronymi hoc loco, cùm asserit, esse quoque librum mortis.

Soar.

*Non habet Deus librũ mortis, cùm habeat notitiam reproborum, quia non ex intentione sua eos scripsit.*

*Liber mortis apud dæmonem.*

*Reiicitur aliquorum opinio circa libros.*

7. Ex dictis patet, opinionem illam non esse probabilẽ hoc loco, qua quidã volunt libros hîc significare accusatorum Angelorũ obiectiones, & defendentiũ aliorum responsiones, iuxta quas Deus sententiam feret, & hanc sententiã esse librum vitæ, sicut in humanis iudiciis fit. Verùm quæ diximus consona sunt antiquis Patribus, & recentioribus Doctoribus; at existimatio prædicta noua est, & sine fundamento.

---

## *De fluuio igneo.*

## SECTIO IV.

1. *Fluuio igneo, rapidóque sententiam Iudicis Dei significari. Illustratur loco simili Apocal. 1. Deut. 32. Exod. 14.*
2. *Quòd fluuio rapido significetur sententia, facit ad horrorẽ exprimendum, ex aliis locis similibus Scripturæ. Sententia terrebit impios, exhilarabit iustos.*
3. *Rapidus, & cũ strepitu vadens fluuius, significat futurã sententiam publicã, & cũ clamore promulgandã. Duplex futurum iudicium in fine mundi, prius particulare, posterius vniuersale, probatur latè.*

*D. Fern. in Vis. vet. Test.*

1. MAGNA quadam expressione horroris ait Vates, Vers. 10. *Fluuius ignis, rapidúsque egrediebatur a facie eius.* Per hunc fluuiũ igneũ rapidũmque intelligitur vltima illa sentẽtia, quæ à Iudice Deo magno impetu egressa corripiet malos, ac omnium mundi facibus inuolutos, vt in magnis inundationibus vsu venire solet, præcipitabit in Tartarum. Erit autem duplex sententia, prior approbationis in vitã æternam illis verbis, Matth. 25. 34. *Venite benedicti Patris mei, possidere paratũ vobis regnum à constitutione mundi.* Posterior autẽ illis aliis: *Discedite à me maledicti in ignẽ æternũ, qui paratus est diabolo, & Angelis eius.* Vtraque autẽ fluuio igneo, rapidóque suo modo continetur. Alia quidẽ forma, sed æquè terribili, exprimitur hæc eadem sententia à Deo prodiens Apocal. 1. 16. cũ de ore Dei ad iudiciũ venientis dicitur exire gladius anceps, vtraque (vt habet textus) parte acutus, quem quidẽ igneo, rapidóque flumini bene respondentẽ facit Moyses, Deut. 32. 41. cùm Dominum ita cõminantem inducit: *Si acuero, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit iudiciũ manus mea, vt idem sit fluuius igneus, rapidúsque, gladius fulgurans, ac rapidè vibratus in iudicium.* Sententia ergo proferenda duas partes, quasi duas acies, habebit, quarũ vna pertinebit ad prædestinatos, altera ad reprobos, & vtrisque erit vtraque formidabilis, ac verè anceps: quoniã (vt ait Rupertus) à sinistra omnis iniquus condemnabitur, à dextra verò *iustus vix saluabitur*, 1. Petr. 4. 18. Dum ergo vtrique euibrationẽ gladij suspensi præstolabuntur, horrore, ac tremore concutientur. Simili ratione pẽdebũt ad egressum ignei, rapidíque fluminis, quasi timentes ad quam eius ripã, interfuso præcipiti alueo, separabuntur, ad dexterámne, an ad sinistrã? Exod. 14. 13. Cùm filij Israël iam essent prope mare rubrũ, ac trepidarent ob instantes tergo Ægyptios, stetit Dominus in cælo Iudex inter vtrũque populũ, repriménsque fluenta maris, ac molẽ aquarũ suspendens, iussit transire Israëlitas, egressisque illis in dextrum litus, persequentes Ægyptios reductis aquarũ fluctibus suffocauit, ac in littus sinistrum eiecit. *Et viderunt*, inquit, *Ægyptios mortuos super littus, & cecinerunt Domino carmen*, &c. Ita cõtinget illo die: Omnes ergo gentes stabunt trepidantes inter spẽ, & metum, donec fluuius igneus, rapidúsque sententiæ Iudicis, cuique populo suam assignabit ripam. Vnde Nazianz. Greg. Iambico 9.

*Rapidus fluuius, atque igneus, sententia iudicis.*

Matth. 25. 34.

Apoc. 1. 16. *Sententia Iudicis gladio ancipiti similis.*

Deuter. 32. 41.

*Et gladio fulguranti, duplici acie ancipiti, reprobus, & prædestinatus.*

Rupert.

1. Petr. 4. 18.

*Vtrique timebunt, ad quam fluminis ripam pertinere debent.*

Exod. 14. 31.

*In transitu Israëlitarũ similitudo iudicij.*

Greg. Naz.

*——Sicne libratum tenet*
*Censura, Iudex, statio, cui comes tremor?*
*Hinc fons perennis bulliens flamma, &c.*

3. Quòd verò fluuio cõparetur sententia hæc iudicialis ad expressionẽ horroris facit, sicut Apocl. 1. 15. vox Domini ad iudicium venientis, dicitur *vox aquarũ multarum.* Et Ezechiel. 1. 24. sonus alarũ terribilis dicitur, *quasi sonus aquarum multarum.* Ratio est, quoniã sicut multarũ aquarũ cõcursus, qualis esse solet in magnis illuuionibus, & sicut fluuios per abruptos euelutus scopulos, solet edere sonũ quendã inconditum, & horribilẽ, ita vox prædicta per abrupta diuini furoris eiaculata, horrendum quippiã insonabit, quo longè, latéque perterrefaciet reproborum subiectam multitudinem. Nam electis erit non terrificus fluuius, sed versa vice fluuius pacis, Isai. 48. 18. Per quem scilicet sperabunt ad æternæ pacis portum fœliciter peruenire. Dicitur insuper fluuius iste igneus, quoniam cùm in

Apoc. 1. 15. Ezech. 1. 24.

*Vox diuinæ sententiæ terribilis vt sonus aquarum multarum.*

Isai. 48. 18.

*In igne vis illuminans & exurens, in sententia erit tormentum impiorum, illustratio bonorum.*

igne sit vis illuminans, & exurens, sicut sententia A damnationis exuret impios; ita sententia approbationis illuminabit, ac exhilarabit prædestinatos. Ignis Babylonicus Hebræis pueris fuit quasi aura roris, ministris autē Regis fuit sæua combustio, Daniel. 3. 22. Sic( ait Ambros. super Psalm. 36.) iustis in die Iudicij rorabit ignis, iniustos exuret. Ideo illi dicuntur transire per ignem, & aquam, & venire in refrigerium, Ps. 65. 12. quoniā illæsos refrigerabit ignis. At isti non pertranseūtes, sed permanentes in igne torquebūtur. Denique quòd fluuius iste vocetur rapidus, primum est, quoniam( vt Hieronym. ait) rapiet impios in infernum; pios autem ducet obuiam Christo in aëra, vt sic semper cum Domino sint, 1. Thessal. 4. 16. B Dicitur autem hic fluuius igneus, rapidúsque, hoc est, prædicta sententia à facie Domini egredi, id est, ab ipso Domino, nota phrasi in Scriptura, quoniam etsi Pater quatenus Deus, ac adeò tres ipsæ personæ primò, & principaliter iudicabunt, tamen visibiliter, ac humano more, per faciē suā, hoc est, per secundā personam, quę est facies Patris, seu imago eius, simúlque verus homo, accommodatiùs sententiam feret in homines. Idcirco enim *omne iudicium dedit Filio*, Ioan. 5. 22. vt suprà visum est.

Daniel 3. 22.
D. Ambros.
*Ignis iudicij rorabit iustis, exuret malos.*
Ps. 65. 12.
*Rapidus fluuius, quia rapiet impios in tartarum.*
D. Hieron.
1. Thessal. 4.
*A facie Domini, à Filio, qui est facies Patris.*
Ioan. 5. 22.

*Strepitus fluuij, quia sententia publicè & cum clamore edetur. Feretur primùm sententia particularis in singulos, postea generalis in omnes.*
Greg. Nyss.

3. Porro, quia magno cum strepitu dicitur fluuius igneus, rapidúsque egredi à facie Dei, significatur prædicta sententia edenda publicè, & cū clamore, idque ad distinctionem particularium C sentētiarū, quę priuatim, ac mētaliter in singulas personas feretur, vt probabilius est: quoniā cùm sint futura diuersa merita, ac demerita, diuersæ quoque erunt retributiones, aut pœnæ, aut præmij. Quapropter æquum videtur, vt particulares sentētiæ primùm ferantur accommodatè ad singulorum facta, quod quidē non obscurè significauit Nyssenus Greg. Oratione in illud, *Quod vni ex minimis meis fecistis*, &c. Pauet, inquit, animus cernēs magnum ac terribilem Regem ex inenarrabili gloria ad humanam naturā despicientē, & omne genus humanum ad se se cogentē, & pro merito ac dignitate anteactæ vitæ vnicuique sētentiam accommodantē. Et videtur posse colligi D hoc ex illo Pauli Roman. 2. 15. *Ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimoniū illis cōscientia ipsorū, & inter se inuicem cogitationum accusantiū, aut etiā defendentiū, in die, cū iudicabit Deus occulta hominū.* Qui locus non obscurè præ se fert futurum eo die particulare iudicium; quod Gregor. Naziāz. de plaga grandinis appellat domesticum, quasi inter priuatos parietes, seruata tamen iudiciali forma, exhibendum: nā in cordis quasi paginis continebitur processus causæ, conscientia testis erit; defendēt, accusabúntque quasi aduocati quidam, hinc, inde cogitationes, & Dominus ipse sententiam feret. Expressiùs tamen hæc de particularibus sententiis existimatio cōtineri E videtur illo Psalmi 74. 9. *Calix in manu Domini vini meri plenus misto, & inclinauit ex hoc in hoc: verūtamē fex eius non est exinanita, bibēt omnes peccatores terræ.* Ostenditur forma Iudicis Dei, habentis scilicet præ manu calicē vini meri, id est, puræ iustitiæ. Plenū misto, id est, cōfusione magna & amaritudine. Inclinauit ex hoc in hoc, id est, modò hūc potabit, modò illum, nimirū iuxta singulorū acta tātū vel tantū infundet, talē vel talē sententiā dabit. veruntamen fæx eius non est exinanita. Quoniā etsi potabit priuatim singulos, reseruabit quasi in imo calice acerbissimam sententiam, quam in omnes peccatores generaliter effundet, dicens: *Ite maledicti in ignem æternum.*

Rom. 2. 15.
Greg. Naz.
*Iudicium particulare, dicitur domesticum, aliud quasi forense.*
Ps. 74. 9.
*Forma iudicis Dei.*
*Sententiis suis potabit singulos, fæcē sententiæ generalis in omnes fundet.*

## De Filio hominis.

### SECTIO V.

1. *Per Filiū hominis intelligi Christum, vsu Scripturæ filios hominis appellantis homines. Solum Christū se ipsum in nouo Testamēto appellare Filiū hominis. In veteri Danielem semel; Ezechielē sæpius eodē modo vocari. Redditur ratio similis appellationis in dissimilibus. Specialis ratio de eadē appellatione hoc loco.*
2. *Aduentum Filij hominis ad Antiquum dierū sumi à quibusdā pro Ascensione. Quid sit, sedere ad dexteram Patris, explicatur iuxta varios Doctores.*
3. *Christum in Ascensione non accepisse plenam possessionem regni sui à Patre, sed solùm accepturum in die iudicij, ex Psal. 109. & Hebr. 10. Iuxta hæc explicandum locum Pauli 1. Corinth. 15.*

1. SEDENTE Antiquo dierū in throno suo, narrat Vates venisse ad eum Filium hominis, & accepisse ab eo regnum, ac iudiciariam potestatem in omnes gentes. Vers. 13. *Et ecce cum nubibus cæli, quasi Filius hominis veniebat, & vsque ad Antiquū dierū peruenit, & in conspectu eius obtulerunt eū.* Vers. 14. *Et dedit ei potestatē, & honorē, & regnum: & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna, quæ nō auferetur, & regnū eius, quod nō corrumpetur.* Filius hominis intelligitur Christus Optimus Maximus. Primū quidē phrasi Hebræa, qua per Filiū hominis significatur homo; vt sit sensus: Christus est Filius hominis, hoc est, homo. Ps. 32. 13. *De cælo respexit Dominus, vidit omnes filios hominū*; hoc est, omnes homines. Notari solet ab Autoribus solū Christū in nouo Testamēto, nec ab alio, quàm à se, vocari Filiū hominis: in veteri autem, semel Danielem cap. 8. & Ezechielem aliquoties ab Angelis, quibuscū loquebatur. Proponit hanc quæstionē Maldonatus ad caput 8. Matth. & respondet, Ezechielem, quia semper cum Angelis loquebatur, vt eū à se, qui homines non erant, sed videbātur, distinguerēt, Filium hominis appellasse. Danielem verò à Gabriele cap. illo dictum Filium hominis, quoniam de Filio hominis, id est, Christo prophetabat; Gabrielē verò, quia minister Incarnationis futurus erat, quasi applaudentem mysterio, Filiū hominis vocasse. Christū verò non dissimili ratione, quia Deus, & homo erat, cū de se vt homine loquebatur, Filiū hominis se vocare, non quòd alius, sed quòd aliter Filius Dei esset. Vt enim Augustinus ait, epistol. 175. Fas nō est separari Filiū hominis à Filio Dei, quia ipse Filius Dei factus est Filius hominis, non mutando quod erat, sed assumendo quod non erat. Est etiam sententia eiusdem Augustini lib. 2. de consensu Euangel. appellare se Christum Filium hominis, vt declaret magnū erga nos beneficium Incarnationis. Cōmendat nobis (ait Augustinus) quòd misericorditer dignatus est esse pro nobis. Verumenimuero quòd hîc vocetur Christus Filius hominis, est specialis ratio quam suprà tetigimus. Nam cùm hoc iudiciū ferendum sit in homines, sapienter admodū prouisū est à Deo, vt per hominē exerceatur: quā rationē attulimus suprà ex Ioan. cap. 5. 22. *Dedit ei potestatē iudiciū facere, quia Filius hominis est.* Rupertus ad hūc locū Danielis refert prędictā rationē; quia

*Filius hominis, Christus Dominus, & quo sensu ita vocetur.*
Ps. 32. 13.
Maldonatus.
*Ezechiel, quia semper cum Angelis loquitur, ab illis vocatur Filius hominis.*
*Daniel, quia prophetabat de Christo.*
D. Aug.
*Christus se in nouo Testamento, vt distingueret in se naturam humanam.*
D. August.
*Hic Filius hominis, quoniam iudicium futurum erat in homines.*
Ioan. 5. 22.
Rupert.

Rupert. quia Filius hominis est, ad meritũ Christi. Quia enim, inquit, persona Filij sese operosius impendit ad reparationem mundi, in tantum vt heret Filius hominis: sola enim ipsa incarnata est, & passa pro salute mundi: propterea meritò ei debetur potestas iudicandi, vt sola spectetur persona Filij secundùm formam visibilem hominis, in qua semetipsam sola exinaniuit. Ita Rupertus.

*Et quia ex merito naturæ suæ humanæ id habebat.*

*Venire cum nubibus, aliqui de Ascensione explicant.*

2. Quòd verò dicitur Filius hominis venire cum nubibus ad Antiquum dierũ, explicant aliqui de Ascensione Domini, cùm susceptus nube eleuatus est inter choros exultantium Angelorũ, vsque ad sedẽ Dei Patris, à quo assumptus est ad dexteram. Ita sentit D. Hier. ad huc locum. Vnde Patres, sedere ad dexteram Patris, quod Christus in Ascensione assequutus est, communiter explicant pro concessione summæ cuiusdam dignitatis, & excellentiæ, qua Christus eadem adoratione qua Deus coadoratur. Ita explicat Damasc. sessionem ad dexteram, iuxta illud Philip. 2. 9. *Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomẽ:* hoc est, nomen ipsum Dei, quod etsi ab ipsa Incarnatione semper habuit, tamen in Ascensione publico apparatu ac pompa quasi denuo accepit, vt scilicet publicè haberetur, & coleretur vt Deus. In hoc enim sensu verum est illud Apocal. 5. 12. *Dignus est Agnus accipere virtutem, & diuinitatem.* Et paulò pòst: *Omnes audiui dicentes, Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & potestas in secula seculorum, Amẽ.* At Leo Papa Sermon. 1. de Ascensione, ascendisse ad dexteram sumit, quatenus natura humana supra omnem altitudinem posita, diuinæ gloriæ consedit, vt sibi diuina gloria in Incarnatione cohæserat. Neque vllis, inquit, sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cuius naturæ copulabatur in Filio. Ita ille. Vnde Christus hanc quasi correspondentiã in Patre exigit, Ioan. 17. 4. cùm ait: *Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi: & nũc clarifica me tu Pater apud temetipsum claritate, quam habui priusquam mundus esset apud te.* Itaque per Ascensionem assequutus est Christus, vt maiestas eius, ac potestas singulari modo claresceret in cælo, & in terra; &(vt humano more loquamur) propter hãc clarificationem publicam, ac patentẽ, nouo quasi modo adiuit possessionem regni sui, per ingressum in cælum, tanquam in propriam regiam suã; & ideo post Ascensionem sedit, ex more scilicet hæreditantium, & ius in possessione accipientium quod fit ingrediendo, & sedendo, vt alibi cum D. Ambr. annotauimus. Ad hũc modũ explicandum est hoc loco, quod ait Vates: *In conspectu eius obtulerunt eũ, & dedit ei potestatem æternam, & regnũ quod non corrumpetur,* &c.

D. Hieron.

*Sedere Christũ ad dexteram, quid sit?*

Damasc.

Philip. 2. 9.

*In Ascensione nomen Dei accepit, quia tunc publicè declaratus est Deus.*

Apocal. 5. 12.

Leo.

*Ad dexterã, id est, ad altitudinem diuinæ gloriæ.*

Ioan. 17. 4.

*Hac noua clarificationis modo adiuit possessionem regni sui. Sedit, ex more hæreditantium.*

3. Verùm dicet aliquis, etsi Christus ad dexteram Patris eo modo iam quiescat, regnum tamẽ eius in terra multis adhuc cladibus concutitur, hominúmque rebellantium peruicacia fit, vt nõdum plenè illi subdatur orbis. Propterea dicendum cum communi Patrum sententia: In Ascensione quidem adiisse publicè possessionem totius regni sui, completurum autem omnimodam subiectionem eius in die Iudicij, iuxta illud Patris ad Christum, Psalm. 109. 1. *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Cui concinit Paulus ad Hebræos 10. 12. *De cætero expectans donec ponantur inimici eius, scabellum pedum eius.* Itaque hic sensus est: Christum quidem regnaturum regendo, & gubernando Ecclesiam suam, hostésque suos paulatim debellando, donec illos perfectè eo die subiiciat. Ad hunc modum explicãdus est Paulus 1. Corinth. 15. 25. sicut apud Ezechielem vidimus, cùm ait: *Oportet illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius; nouissima autem inimica destruetur mors; omnia subiecit sub pedibus eius; cùm autem dicat: Omnia subiecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subiecit illi omnia. Cùm autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus.* In quibus verbis illud est difficile: *Oportet illum regnare donec ponat,* &c. nam (vt refert Aug. 1. de Trinit. c. 8.) fuerunt, qui sic explicauerint, Christũ regnaturum donec subiiciat Patri omnes homines in die iudicij; postea verò humanitatem eius in diuinitatem conuertendam, & hanc conuersionem esse illam subiectionem Christi ad Patrem, quæ statim in Paulo sequitur.

*In Ascensione adiit possessionem regni sui, in iudicio completam accipiet.*

Ps. 109. 1.

ad Hebr. 10. 13.

1. Cor. 15. 25.

*Error quorundam, ex Augustino.*

D. August.

Verùm hæc existimatio nõ solùm repugnat rationi naturali, quoniam impossibile est aliquam substantiam creatam in diuinam commutari; sed etiam est hæretica, quia repugnat præsenti loco Danielis, in quo dicitur Deus Filio hominis dare potestatem æternam, & regnum quod non corrũpetur. Deinde repugnat verbis Pauli, quoniam is ait Filium subiiciendum Patri; ergo oportet, naturam conseruet, per quam illi subiiciatur, quæ est natura humana. Vnde Apocal. 21. 3. dicitur: *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* Per tabernaculum verò Dei intelligitur humanitas Christi: subditúrque, *& habitabit cum eis, & ipsi populus eius erũt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus,* &c. Quod verò in Paulo dicitur, *Tunc & ipse Filius subiectus erit ei,* non significat nouam aliquam subiectionẽ: sed sẽsus est, quòd Christus expleto omni ministerio circa regnũ suũ perfectè in Patrẽ feretur. Nũc enim quasi occupatur in fouẽda Ecclesia, in stabiliẽdo fideles, in aliis subministrandis, quę ad ęternã salutem consequendã illis necessaria sunt; at verò in die iudicij cũ hæc occupatio cessabit, totus Christus, id est, caput cũ suis mẽbris, Patri attendet, illique subiicietur. Vnde rectè sequitur, *vt sit Deus omnia in omnibus,* id est, vt perfectè dominetur in omnibus, & omnes in eo habeant, quidquid sanctè, & iustè amare possunt, ac desiderare. Quò spectans Nyssen. Greg. lib. de anima, & resurrectione. Cùm vita, inquit, quę in præsenti trãsigimus, variè à nobis exigatur, multæ res sunt, quarũ participes sumus, vt aëris, cibi, potus, & aliarum rerum, quarum nulla est Deus. Beatitudo verò, quæ expectatur, nullius quidem harum rerum egena est. Omnia autem nobis, locóque omnium erit diuina natura ad omnem vsum ac necessitatem illius vitæ, sese conuenienter, & aptè impartiens. Sic Gregorius Nyss. Hęc igitur quinta Monarchia super omnes quatuor præcedentes Monarchias eminebit potestate, æternitate, incorruptibilitate: nam cæteræ omnes finientur, ipsáque solum permanebit eo modo, quo diximus.

*Impugnatur.*

Apocal. 21. 3.

*Ipse Filius subiicietur ei, explicatur.*

*Nũc Christus quasi occupatur in regenda Ecclesia. In die iudicij cessabit hæc occupatio, & totus Christus Patri attẽdet.*

Greg. Nyss.

*Loco omniũ nobis erit in cælo diuina natura.*

# VISIO VIGESIMAQVINTA, DE ARIETE, ET HIRCO.

## *Daniel. cap.* 8.

## ARGVMENTVM VISIONIS.

*SVB metaphoris arietis, & hirci, describit Daniel pugnam inter Darium Regem Persarum, & Alexandrum Regem Græcorum, quæ quidem post ducentos & quinquaginta annos accidit. Præterea vaticinatur de exortu Antiochi, & de sæua persequutione eius in Iudæos: denique de infelici ipsius interitu. Accipitque harum rerum interpretationes à Gabriele, qui propterea ad ipsum missus est.*

CAPVT VIII. DANIEL.

1. ANno tertio regni Baltassar Regis, Visio apparuit mihi. Ego Daniel post id, quod videram in principio,

2. Vidi in Visione mea, cùm essem in Susis castro, quod est in Ælam regione: vidi autem in Visione esse me super portam Vlai.

3. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce aries vnus stabat ante paludem, habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atque succrescens.

4. Postea vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem, & contra Aquilonem, & contra Meridiem, & omnes bestiæ non poterant resistere ei, neque liberari de manu eius: fecitque secundùm voluntatem suam, & magnificatus est.

5. Et ego intelligebam: ecce autem hircus caprarum veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram: porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.

6. Et venit vsque ad arietem illum cornutum, quem videram stantem ante portā, & cucurrit ad eum in impetu fortitudinis suæ.

PARAPHRASIS.

A 1. *REgnante Baltassare tertio iam anno, visa est mihi Danieli Visio, post eam, quam paulò antè de exortu bestiarum habui.*

*2. Vidi autem per somnium, vt prius, esse me Susis vrbe Persidis, in regione, quæ ibi dicitur Aelam, super vrbis portam, quæ vocatur Vla, & respicit paludem, seu flumen Eulæum.*

*3. Sublatis verò oculis vidi arietem vnum; Cyrum Regem, duo habentem cornua, duo regna, Medorum scilicet, atque Persarum; quorum vnum excelsius altero visum est, Persicum videlicet, quod magis amplificatum fuit; stabat autem prope paludem, seu flumen.*

B *4. Deinde arietem vidi, id est, Cyrum, ventilantem cornibus, hoc est, debellantem exercitibus suis varia regna Occidentis, Aquilonis, & Austri; omnes autem earum prouinciarum Reges viribus eius cesserunt, & ipse super omnes magnificatus arbitrio suo administrauit omnia.*

*5. Cúmque attentiùs considerarem, vidi Regem Græcorum Alexandrum, quasi hircum caprarum, qui scilicet praire solet gregem, omnibus & magnitudine, & robore insignior: is autem videbatur venire super faciem totius*
C *terræ, quia totum penè terrarum orbem superaturus veniebat, tanta verò celeritate ferebatur, vt crederes eum terram tangere, sed penè ad vincendum volare. Porro habebat vnum in fronte spectabile cornu, ac miræ magnitudinis, insignem videlicet potentiam exercitus, qui non quidem numero, sed fortitudine præcellebat.*

*6. Hircus ergo in arietem illum duobus cornibus insignem, qui stabat ad paludem, è regione portæ Vlai, id est, in Persarum Regem duplici armatum exercitu, Medorum, & Persarum, vnico illo cornu suo, id est, exercitu, quanta maxima potuit vi, ac impetu insiluit.*

*7. Mox*

7. Cúmque appropinquasset prope arietem, efferatus est in eum, & percussit arietẽ: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries resistere ei: cúmque eum misisset in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius.

A 7. *Mox autem, vt appropinquauit hircus, Alexander, nulla interposita mora, furore bellico efferatus, congressus est cum ariete, Rege Persarum, ac duo cornua eius, duplicem illum exercitum, profligauit, arietémque in terram deiectum conculcauit, ita vt nulla vi liberari potuerit, quin interimeretur ab Alexandro, & regna eius duo comminuerit, ac tributis impositis compresserit.*

8. Hircus autem caprarum magnus factus est nimis: cúmque creuisset, factum est cornu magnum, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor ventos cæli.

8. *At hircus, Alexander, amplificato ad Persas, Medos, & Babylonios imperio magnificatus est, magni ob id cognomento ob magnitudinem Imperij, & rerum gestarum sibi vendicato.* B *Cúmque ad summum magnitudinis peruenisset, ac cornu eius seu potentia summum incrementi, ac duritiæ assequutum esset, in ipso illo augmenti puncto, in quo minimè frangi posse videbatur, diuina prouidentia ita disponente fractum est; in flore nempe ætatis, trigesimosecundo ætatis suæ anno, & in robore imperij summo mortuus est Alexander. Orta sunt autem subter eius cornu, quatuor cornua, hoc est, quatuor Duces, in quos diuisum est imperium, ad Orientem, Occidentem, Meridiem, & Septentrionem.* C

9. De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem.

9. *De vno autem eorum cornu, hoc est, de Seleuco, qui Septentrionale Syriæ regnum obtinuerat, cornu vnum modicum succreuit, nempe Antiochus Epiphanes filius Seleuci, qui dilatauit regnum suum versùs Meridiem in Aegyptum, & versùs Orientem in Persidem; & contra Occasum in Iudæam terram desiderij, seu desiderabilem ob fertilitatem, & rerum abundantiam: seu terram fortitudinis, quia diuina ope facta erat fortissima.*

10. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli, & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas.

10. *Tunc vehementer magnificatus est, capta fortitudine cæli, hoc est, arce Hierosolymitana, in qua Dei fortitudo habitabat, aut fortitudine, id est, exercitu cæli, copiis scilicet Hebræorum, qui Deo duce pugnabant, sed Dei quoque permissu ob peccata vincebantur.* D *Prostrauit autem de exercitu Hebræorum multos, etiam stellas cæli; illustres quosque de gente Hebræa, quos metu suppliciorum adegit in idololatriam.*

11. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius,

11. *Quin & ausus est contra ipsum quoque ducem exercitus Hebræi Deum pugnare, quem quodammodo vicit, nolentem, scilicet, repugnare. Itaque Deum de loco suo quasi deiecit, aliúmque Deum in eius possessionem induxit.* E *Deum autem tanquam victum spoliauit, sublato iugi sacrificio, quod illi mane, & vespere in templo semper offerebatur; templúmque ipsum sanctificatum Deo dehonestauit turpiter.*

12. Robur autem datum est contra iuge sacrificiũ propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur.

12. *Potestas quidem Antiocho data est à Deo contra iuge sacrificium propter populi peccata, alioqui auferre illud nequaquam potuisset. Verus porro Dei cultus ab eo excindetur, faciétque pro libito quidquid volet, benéque illi omnia succedent.*

13. Et audiui vnum de Sanctis loquentem:

13. *Audiui autẽ vnum ex Angelis assistentibus*

tem:& dixit vnus Sanctus alteri nescio cui loquēti: Vsquequo Visio, & iuge sacrificiū, & peccatum desolationis quæ facta est: & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?

14. Et dixit ei: Vsque ad vesperam, & manè, dies duo millia trecenti: & mundabitur Sanctuarium.

15. Factum est autem cùm viderem ego Daniel Visionem, & quærerem intelligentiam: ecce stetit in conspectu meo quasi species viri.

16. Et audiui vocem viri inter Vlai, & clamauit, & ait: Gabriel, fac intelligere istam Visionem.

17. Et venit, & stetit iuxta vbi ego stabam: cúmque venisset, pauens corrui in faciem meam, & ait ad me: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis complebitur Visio.

18. Cúmque loqueretur ad me, collapsus sum pronus in terram:& tetigit me, & statuit me in gradu meo,

19. Dixítque mihi: Ego ostendam tibi, quæ futura sunt in nouissimo maledictionis: quoniam habet tempus finem suum.

23. Et post regnum eorum, cùm creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones,

24. Et roborabitur fortitudo eius, sed nō in viribus suis: & supra quam credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet.

25. Et interficiet robustos, & populum Sanctorum secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suū magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra Principem Principum consurget, & sine manu conteretur.

26. Et Visio vespere, & manè, quæ dicta est, vera est: tu ergo Visionem signa, quia post multos dies erit.

27. Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cúmque surrexissem, faciebam opera Regis, & stupebam ad Visionem: & nō erat qui interpretaretur.

A *bus Deo interrogantem alterum nescio quem loquentem ex superiori ordine Angelum: Vsquequo durabit sacrificij iugis euersio, & templi desolatio, & populi conculcatio?*

*14. Et respondit: Computando dies naturales, qui continent vesperam, & manè, durabit desolatio dies bis mille trecentos, ac adeò sex annos, quibus elapsis templum mundabitur.*

*15. Dum hæc ego vsurparem mentis oculis, quærerémque, quid sibi illa vellent, astitit mihi Angelus quidam speciem habens viri.*

B *16. Audiuíque virum inter portas Vlai clamantem ad alterum: Et, ô Gabriel, inquit, doce istum Visionem hanc totam.*

*17. Qui statim appropinquans, stuporem mihi, ac formidinem magnam iniecit, corruíque in terram. Tum me excitans, Intellige, ait, Visionē, fili hominis. Nam breui tempore complebitur.*

*18. Rursum autem loquenti Angelo ad me corrui in terram ob timorem: qui me tangens, manu sua leuauit.*

C *19. Ego tibi libenter explicabo ordinem rerum, quæ euenient in extremo iræ, cùm scilicet ira Dei, quam patienter iam diu sustinet, tandem erumpet: tempus enim ab illo definitum est, quo quæque res fiat.*

*23. Post regnum illorum quatuor, id est, post Reges illos quatuor Alexandro superstites, non quidem tempore definito, cùm Iudæorum peccata creuerint, ita vt iustitias gentium sequantur, & gymnasia habeant, & faciant præputia, consurget Rex impudens, Antiochus, qui nec Deum, nec homines reuerebitur, quíque propositiones intelligat, astutus, videlicet, sagáxque ad perscrutandum.*

D *24. Augebitur imperio, & amplificabitur robore, cùm tamen originem habiturus sit ex homine priuato: verùm non id assequetur virtute sua, sed permissu Dei volentis Iudæos plectere.*

*25. Et dirigetur dolus in manu eius: quidquid enim sceleris animo destinauerit, prosperè perficiet, parem, videlicet, habens ingenio manū, & sine manu conteretur: non enim humana aliqua vi occidetur, sed planè diuina, vt sicut viuens, diuino tantùm permissu Sanctos diuexauerat, ita moriens intelligeret, non ab homine se, sed à Deo percuti: insanabili enim morbo correptus, & diuturna tabe consumptus est.*

E *26. Et Visio vespere, & manè vera est; Visio nempe illa bis mille trecentorum dierum quæ dicta est. Quod verò ad te attinet, Visionem serua haud dubiè futuram, etsi longo tempore, nec te viuente, euentum habitura sit.*

*27. Ob hæc visa de calamitatibus populi mei, decidi in lectum ego Daniel; conualescens autem obibam munus à Rege mihi demandatum. Sed Visionis miracula animo semper versabam, & stupidi instar videbar, nec erat, qui causam stuporis mei cognosceret.*

COMMEN

# COMMENTARIVS.

Breuiùs hanc Visionem expediemus, quoniam est quasi appendix præcedentis, quamobrem primò dubia quædam circa locum prophetiæ explicabuntur. Deinde Regis Persarum ac Græcorum declarabũtur symbola. Postea de Antiocho pauca. Denique de colloquio Angelorum, & de interpretatione Gabrielis.

## *Dubia quædam circa locum prophetiæ.*

### SECTIO I.

1. *Danielem, qui Babylone erat secundùm corpus, dicitur fuisse in Susan secundùm spiritum. Nostrum spiritum quandam quasi immensitatem sortiri à diuino Spiritu ostenditur.*
2. *Cùm de Persarum euersione agatur, iure facta dicitur Visio in Susan vrbe Persarum. Lectionis varietas de situ Susan componitur.*
3. *Lectiones variæ de porta Vlai proponuntur. Prophetas in editiora loca plerumque iussos ascendere, ad edendas prophetias suas.*

1. Circa locum, in quo habuit Daniel hanc Visionem, occurrit primum dubium, quod Carthusiano visum est inexplicabile: nam cùm Daniel ageret apud Chaldæos, maximéque Babylone vrbe regia, quomodo dicitur hîc fuisse in Susan, quæ erat vrbs in Perside? Versic. 2. *Vidi in Visione mea, cũ essem in Susis castro, quod est in Ælã regione: vidi autem in Visione esse me super portam Vlai.* Hebr. *In Susan regia. Et eram iuxta fluuiũ Vlai.* Septuag. *Et eram super Vbal.* Respondetur facilè cum Theodoreto, fuisse Danielem in Susan, non secundùm præsentiam corporalem, sed secundùm Visionem imaginariã. Adiuuant Hebræa, iuxta quæ: *Et factũ est in Visione mea: ego eram Susis;* id est, Visus mihi sum esse Susis; quare frigidè, ac liberè quidã Danielem negotij ergò tunc iuisse Susa, eodémque anno rediisse Babylonẽ. Spiritu ergo res tota peracta, sicut Ezechiel cùm esset in captiuitate Babylonica testatur cap. 40. 1. se adductum in terram Israël, *in Visionibus Dei.* Explicat enim Theodoretus, *Dei*, id est, spiritu, nõ corpore, quasi nomen Dei importet similitudinem, id est, ad eum modum, quo Deus vt in aliquo loco operetur, non se ipsum illò transfert, sed efficacitatẽ Spiritus sui omnia permeantis ibi manifestet. Habet enim spiritus noster quandã quasi immensitatem participatam à Dei spiritu, vt sicut hic substantialiter vbique præsens est; sic noster intellectualiter vbique se pro libito fundat. Quod significatur ad literã illo Christi Domini Ioan. 3. 8. *Spiritus vbi vult spirat, & nescis vnde veniat, aut quò vadat.* Nesciebat Nicodemus quomodo posset homo renasci, cùm esset senex. Respondet Christus, mirũ non esse, si id non intelligat, quoniam ex operatione Spiritus sancti descendit, cùm spiritus nostri, hoc est, animæ, plura non intelligamus, maximè quomodo se mentaliter præsentes exhibeant modò hîc, modò in India, modò in cælo, modò in inferis: *& nescis,* inquit, *vnde veniat, aut quò vadat:* cũ tu nescias (ait) quomodo se habeat hoc ire ac redire animę tuę.

*Varia lectio.*

*Danielem fuisse in Susan secundùm Visionẽ imaginariã.*

*In visionibus Dei, id est, ad eum modum, quo Deus non se transfert ad operandum in loco.*
Ezech. 40. 1.
*Noster spiritus habet quandam participatã immensitatem.*
Ioan. 3. 8.
*Id significat illud,* Spiritus vbi vult spirat, & *quomodo intelligatur?*

2. Congruum autem fuit, vt hæc Visio, quæ Persarum euersionẽ denunciat, in Persarum vrbem aliquam dirigeretur. Dicitur autem Susan

A castrum (ait Hieronymus) vel quia munita vndique propugnaculis, vel quia in medio arcem aliquam præferebat castro similem. Cùm verò dicitur Susan esse in regione Ælam, seu in regione Ælamitica, intelligendũ id est, tempore Danielis: nã postea amplificatis Susianorum rebus, ita vt Susan fuerit metropolis Persarum, Susan cum vicinis oppidis specialis prouincię ab Ælamitica distinctæ nomen assequuta est. Vnde Plinius lib. 6. cap. 27. Susianos ab Ælamitis disterminat intermedio Eulæo flumine. Verùm lectionis varietas hoc loco hærere facit: nam vbi nostra lectio habet, *in regione Ælam:* codices antiqui habent,
B *in ciuitate Ælam,* & ita vertit Symmachus, teste D. Hieronymo, qui ait ciuitatem Ælam fuisse, à qua tota regio appellata Ælamitica, sicut à Babylone, Babylonia. Certè vocabulum Hebræum & regionem significat, & ciuitatem, quanuis regionẽ frequentiùs: si ergo legatur ciuitas, necesse erit per Susan castrum, non ipsam Susorũ vrbem (nam ea in vrbe Ælam esse non poterat) sed castrum, seu arcem aliquam intra vrbem Ælam intelligere. Verùm frequentior vsus vocabuli Hebræi, regionem significantis, & lectio nostra recens emendata, ac regionẽ ponens, videtur cogere, vt regionem intelligamus Ælamiticam, nõ ciuitatem Ælam. Consentiunt translationes Hebrææ, & Septuaginta, & Theodotionis.

*D. Hieron.*
*Cur Susan dicitur castrum? Quomodo Susan dicatur esse in regione Ælam?*
*Plinius.*
*Symmac.*
*D. Hieron.*
*Ælam regionem hic, non ciuitatem significat.*

C 3. Porta denique Vlai, super quam sibi Daniel visus est stare, vna fuit è portis Susan vrbis, sicut in aliis quoque vrbibus sunt peculiaria portarũ nomina. Hîc quoque est lectionum varietas. Vulgatus vertit, *Vlai;* Septuaginta, *Vbal;* Aquila, *super Vbal, Vlai;* Theodotio, *super Vbal;* Symmachus, *super paludẽ Vlai;* Vatab. *super flumẽ Eulæum;* qui scilicet, autore Plinio, vti diximus, fluebat inter Susan, & Ælam. Fortè nostra lectio id vult, Danielẽ stetisse super portã Vlai, quæ respicit paludẽ, seu flumen Eulæum. Itaque stans Daniel super portã Vlai vrbis Susan, vaticinatur in Persas. Interdum enim iubentur Prophetæ ab editiori aliquo
D loco vaticinari ad subiecta loca. Isai. 40. 9. *Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion.* Et Numer. 23. 9. *de summis silicibus,* & de collibus prophetat Balaam, etiam nolens pro subiecto populo Israëlitico. Et Apocal. 21. 10. assumitur Ioannes in montẽ magnum, & altũ, vt inde consideret ciuitatem sanctam Ierusalẽ descendentẽ de cælo. Huius obseruationis causam assignat Hieronym. sublimitatẽ prophetiæ, vt quemadmodũ spiritu erigitur Vates ad vidẽdas res magnas, ita etiam
E corpore eleuetur, vt interiorib⁹ exteriora cõgruãt.

*Varia lectiones.*
*Stans Daniel super portã Vlai, vaticinatur in Persas.*
Isai. 40. 9.
Num. 23. 9.
*Iubentur Prophetæ interdum ascendere loca edita ad prophetandum.*
Apocal. 21. 10.
*Causa ascensus, altitudo prophetiæ.*
D. Hieron.

## *Quid significetur per arietem, quid per hircum?*

### SECTIO II.

1. *Per arietem significari Regem Persarum, & quare? ex sententia Ruperti.*

2. Lani

2. *Lanicio significari grandes opes, ostenditur ex Plinio: ex solemnibus tonsionibus, ex loco Prouerb. 31. Apud Persas prægrandes nasci arietes.*
3. *De duobus cornibus, quorum vnum erat excelsius altero, opiniones duæ reiiciuntur.*
4. *Probabilior sententia, duo cornua illa esse regnũ Persarũ, & Medorũ: quare Reges Persarum, & Medorum vocati sint, cùm plura alia regna continerent.*

1. STANS Vates supra portam Vlai, vidit, Vers. 3. *Et ecce aries vnus stabat ante paludem habens cornua excelsa, & vnum excelsius altero, atque succrescens.*

*Varia lectio.*

Hebr. *Et vnũ excelsius secundo. Et excelsius ascēdebat in nouissimo.* Septuag. *Et quod excelsius ascendebat super nouissima.* Versiones ita conuenire possunt, vt Propheta supra portam Vlai fuerit, seu super Vbal, vt Septuaginta, & tamen, quia flumen non longè erat, fuerit etiam iuxta flumen Vlai, vt est in Hebræo. Sed quare Hebræus Vlai dixerit fluuium, cùm porta dicatur à nostro, & quare Hieronymus portam hic paludē verterit, cùm Vers. 2. verterit portam, non facilè apparet. Fortè flumen Vlai dictũ est transitiuè pro flumine, quod respondet portæ Vlai. Fortè & varietate transferendi, varias æquè interpretationes probare voluerunt. Gabriel ipse interpretatus est per arietē Regem Persarum, atque Medorum, cuius rei non facile est rationem assignare. Et Rupertus quidem scitu dignum existimat, quare per visum indicatus sit superiùs Rex Persarum? hic autem indicetur per arietem; & putat fuisse id ob diuersitatem hominum in eo regno. Nam Aman vrso similis fuit, ob nimiam crudelitatem; & idē dici potest de primo Persarum Rege Cyro, vt suprà vidimus; at verò plures alij Reges consequentes arietibus similes fuerunt, hoc est, mites, ac perhumani: maximè Assuerus, qui populũ Hebræũ suis opibus, quasi lanis, fouit, ac ditauit. Theodoretus ad opes Persarum refert similitudinem, quarum multitudine imperium illud, quasi multo vellere aries, grauatum corruit.

*Propheta super portam Vlai, & quia non longè à fluuio Vlai, super illum dicitur esse. Flumen fortasse dici Vlai à porta sic dicta.*

*Aries, Rex Persarũ, ob opulentiam.* Rupert.

Theodor.

2. Lanicio quidem significari grandes opes apud veteres, tenet D. Thom. Iob. 1. & tradit Plin. 9. lib. cap. 47. Testimonio autem inprimis fuerunt celebres illæ tõsiones gregũ, ad quas Reges ipsi ac Principes, euocatis omnibus Aulæ regiæ magnatibus, conuenire solebant, vt videre est 2. Reg. 13. 23. cùm Princeps Absalom omnes filios Regis, imò & ipsum Regem patrem ad solennē tonsionem lanarum inuitauit. Idem illustrari potest loco Prouerb. 31. 13. de muliere forti, ac negotiosa. *Quæsiuit lanã, & linum, & operata est cõsilio manuum suarũ.* & subditur: *Facta est quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Est sensus: Nõ alio ditata est nobilis fœmina, quàm lana & lino, addito labore ac industria manum suarum, eo námque factum, vt similis euaserit nauis institoris industrij, quæ ex longinquis regionibus, per labores quidē plurimos, pretiosas opes transuehit. Quod ergo nauis per labores ac pericula incerti maris, bona fœmina labore tantùm manuũ lanam trahens intra domum suam, lucrata est.

*Lanicio significari opes grandes.* D. Thom. Plin.

2 Reg. 13. 23. *Solennes tonsiones gregũ apud veteres.* Prou. 31. 13.

*Nobilis fœmina apud Salomonem sola lana dites.*

Fortè etiam non incongruum quis dixerit, significari per arietem Monarchiam Persarum, ac Medorum, quoniam sunt in illis regionibus insignes arietes prægrandibus ac pinguibus caudis, cruribus autem ita præcelsis, & toto corpore sic obeso, ac forti, vt ephippiis impositis, frænísque adhibitis, pueris ad equitandum inseruiant. Congruit autem quod Prouerb. 30. 20. inter regia illa animalia, quæ feliciter incedunt, hoc est, aptè ad pompam, ac maiestatem regiam, numeratur etiã aries, ut in superioribus expendimus.

*Prægrandes arietes apud Persas.*

Prou. 30. 20. *Aries intersit regiam pompam præfert.*

3. Porro duo cornua arietis, quorum vnum apparebat excelsius altero, D. Hieronymus interpretatur primos duos cõditores Monarchiæ Medorum, ac Persarum; nempe Cyrum, & Darium. Sed quia Cyrus multò latiùs amplificauit Imperiũ, propterea celsiori cornu significari. Huius etiã sententiæ est Rubertus 8. de Victoria Verbi Dei, 31. Theodoretus dua cornua, duas familias regias intelligit, penes quas hæc Monarchia semper fuit, nempe familiã Cyri, & familiam Darij: sed quia familia Cyri mox in filio eius Cambyse extincta fuit: at familia Darij vsque ad Alexandrum perdurauit, ideo alterum cornu dicitur excelsius, & productius altero. Verùm neutra explicatio videtur satisfacere. Non quidem prima D. Hieronymi, quia non apparet quomodo Alexander, qui per hircum radicatur, comminuerit duo cornua, scilicet Cyrum ac Darium, qui ducentos ante annos iam decesserant. Deinde nec secunda Theodoreti; quoniam vltimus Rex Persarum Darius, quẽ Alexander superauit, non fuit de familia primi illius Darij, vt 10. lib. tradit Iustinus, & Strabo lib. 16. quidquid Diodorus sentiat lib. 17.

D. Hieron. *De duobus cornibus, & vno celsiori, explicatio D. Hiero.* Rupert.

*Explicatio Theodoreti.*

*Neutra explicatio probatur.*

Iustin. Strabo.

4. Quare probamus Benedicti Pererij sententiam, duo cornua, duo esse regna huius Monarchiç, nimirũ regnum Medorum, & regnum Persarum, quamuis non explicet, quomodo vnũ cornu in ariete sit excelsius altero; quare cum D. Hieronymo dicendum, cornu illud excelsius esse Persarum regnum, quod fuit longè potentius, latiúsque diffusum. Cur autem tanta Monarchia duobus dumtaxat regnis significetur, cùm plura alia suo ambitu contineret, causa est; quoniam hæc duo antiquitate, ac robore cæteris anteibat ac adeò horum duorũ regnorũ appellatione, tum ipsa Monarchia tota, tũ ipsi Reges censeri cõsueuerant; sicut Hispaniarum Monarchia, & ipsi earum Reges, etsi plurima regna, ipsúmque Orientem, ac Occidentem complectatur, vnius tamen Castellæ primi, ac vetustissimi regni denominatione gaudent. Ita hoc loco Angelus interpretãs Danielis Visionem. Aries, inquit, est Rex Medorum, ac Persarum, quare sequitur conuenienter, hircum, nempe Alexandrum, irruisse in Monarchiam hanc, & fregisse, ac comminuisse eius duo cornua, hoc est, duo regna Medorũ, ac Persarum, quibus tanquam duobus cornibus, hoc est, præcipuis suæ potentiæ instrumentis vtebãtur. Quòd autem dicatur aries ventilare contra Occidentē, Aquilonem, ac Meridiem, significatur has orbis partes bello petiisse Persas, ac suæ ditioni subegisse. Nimirum ad Occidentē, insulas maris Mediterranei, quod Hebræis Occidentale erat, vnde Græcè, *contra mare*; ad Aquilonē, Põticas gentes, ad Meridiem Ægyptum, Æthiopiã, Libyam.

Bendict. Pererius. *Vera sententia est, duo cornua duo esse regna Medorũ & Persarum, Cornu excelsius, est Persarum regnũ, quia potentius & amplius. Ex his duobus regnis tanquam præcipuis censetur Monarchia.*

*Monarchia Persarum Occidentē, Aquilonem, & Meridiẽ subegit.*

---

## *Per hircũ significari Alexandrũ Magnum.*

### SECTIO III.

1. *Hirco significari Alexandrum Magnum, & quare? De celeritate Alexandri locus Curtij. Græci quare capris similes?*
2. *Cornu vnico inter oculos hirci significari potentiam Alexandri. Quòd illud sit fractũ, innuere Alexandrum*

*drũ obiisse in ipso ætatis flore. Quatuor cornua succrescentia quatuor successores.*

3. *Locus moralis de violentis morbis, quibus Deus violentos impetit.*

1. DE hirco ita prosequitur Vates, Vers. 5. *Ecce hircus caprarũ veniebat ab Occidente super faciem totius terræ, & non tangebat terram. Porro hircus habebat cornu insigne inter oculos suos.* Vers. 6. *Et venit vsque ad arietẽ illum cornutũ, quẽ videram stantẽ ante portã, & cucurrit ad eũ in impetu fortitudinis suæ.* Vers. 7. *Cúmque appropinquasset prope arietẽ, efferatus est in eũ, & percussit arietẽ, & comminuit duo cornua eius, & nõ poterat aries resistere ei. Cúmque eũ misisset in terrã, conculcauit, & nemo quibat liberare arietẽ de manu eius.* Vers. 8. *Hircus autẽ caprarũ magnus factus est nimis: cúmque creuisset, fractũ est cornu magnũ, & orta sunt quatuor cornua subter illud per quatuor vẽtos cæli.* Septuaginta, *Hircus caprarũ veniebat ab Africo.* Idẽ Angelus Interpres per hircũ intelligit Regẽ Græcorum, haud dubiè verò Alexandrum Magnũ. Fuit autem hoc vaticinium à Daniele editũ plus ducentis annis ante ortum Alexandri. At cur hirco significatur? Quoniam hircus dux caprarum est, vt aries ouium. Cùm autem sit agilitate præstans, ea vel maximè Alexandrum designat, qui inter omnes Imperatores ea virtute eminuit, vt Curtius de illo lib. 5. Nullam, inquit, virtutẽ Regis istius magis quàm celeritatẽ laudauerim. Id verò egregiè cõmendatur hoc loco, cùm dicitur Alexander non tangens terrã. Dux autem caprarum, hoc est, Græcorum intelligendus est: nam sicut capræ, autore Plinio lib. 8. cap. 50. agili corpore, & acuto sũt visu; ita Græcis, ait Cicero in Oratione pro Flacco, ingenita leuitas animorum est, & erudita vanitas: acumine autẽ ingenij excelluisse vnus probet Aristoteles ingeniorum apex, quẽ iure optimo Plini. lib. 18. cap. 34. appellat immensæ subtilitatis virũ. Quod verò noster dicit venire ab Occidente, Græcè dicitur venire à Libya. Et verum est, Alexandrũ, postquam primo prælio ad Granicum flumen Persas vicit, secũdo verò in angustiis Ciliciæ ipsum Dariũ, in Ægyptum, Libyámque venisse, quibus victis, rursus Dariũ adorsum, eo tandẽ superato, & à suis occiso, Monarchiam Persarum obtinuisse.

*Varia lectio. Hircus rex Græcorum, id est, Alexander. Vaticinium de Alex. ante 200. annos. Hirco, qui est velocissimus, significatur Alexander in agendo velocissimus. Curtius. Dux caprarum, hoc est, Græcorum, ob leuitatẽ & ingeniũ. Plinius. Cicero. Aristoteles apex ingeniorum. Plin. Cur noster ab Occidente venire dicis, 70. à Libya?*

2. Quod ait Vates, *habens cornu insigne inter oculos suos*, Theodoretus explicat pro insigni Alexandri ingenio, prudentia, & sagacitate. Verùm cùm semper in sacris literis cornu accipiatur pro potentia, & fortitudine, qua de re plura in superioribus, idcirco eam hîc significari verosimilius est; quod innuitur statim cùm dicitur hircus in impetu fortitudinis suæ percutere arietem: non intelligitur autem aliquo alio armorum genere, quàm suo cornu id facere; significatúrque, Alexandrum totam vim suam quasi cornu exerentem, Darium, ac eius copias profligasse; sicque vtrumque arietis cornu, hoc est, duo illa præcipua Monarchiæ Persarum regna, vt paulò antè visum est, comminuisse. Post hæc autem dicitur hircus caprarum factus magnus, & creuisse: tandem autem magnum illud eius cornu fractum, postea verò succreuisse quatuor alia cornua, quo significatur, obtinuisse quidem imperij magnitudinem quàm maximam, denique mortuum habuisse successores quatuor, qua de re plura diximus in superioribus. Dùm autem dicitur fractum eius cornu, non est intelligendum, fuisse Alexandrum ab aliquo victum, aut ferro cæsum in aliquo prælio occubuisse: constat enim mortuum in lecto suo, quamuis non absque suspicione propinati veneni: sed aptè quidem dicitur fractum, quoniam in flore ætatis, anno videlicet trigesimosecundo, cùm vires corporis maximè vigebant, præter suam omniúmque opinionem, quasi telo aliquo violentissimo conuulneratus occubuit.

*Theodor. Vnum cornu in frõte, hoc est, vnica potentia Alexandri. Vnũ cornu, vnum & magnum imperium Alexandri; quatuor, quæ succreuerunt, quatuor Reges successores eius. Fractum cornu eius, quoniã Alex. in flore ætatis raptus est, anno 32.*

3. Hoc igitur modo dici potest Alexander, & quilibet alius, qui immatura morte præripitur, quasi victus in bello aliquo, ac ferro cæsus occumbere: habet enim Deus pœnas omnes, atque morbos, quasi in acie sibi militantes, eorúmque armis vtitur ad expugnãdos valentissimos quosque, etiamsi Reges, ac Monarchæ sint. Rectè enim Iob. cap. 10. 17. *Multiplicas iram tuam aduersum me, & pœnæ militant in me.* hoc est, iram tuam in me, quasi gladium, euaginas, ac multiplici ictu me feris; quin & pœnas omnes quasi milites tuos aduersùm me armas, & in ordines disponis, vt facta manu in me irruant, prosternant solo, conterant, dissipent. Congruè enim pœnæ hîc à radice, חלף quod propriè est succidere, conterere, confringere. Et hoc modo intelligendum est hîc confractum Alexandri cornu, hoc est, potentia contraria per violentum morbum. Qui enim omniũ se profitebatur vires frangere, confractus à Deo est. Sic Psalm. 49. 21. minaci voce aduersùs impium, qui timorem suum non curans omnibus se violentum præbebat, violentum quoque se opponit dicens: *Existimasti iniquè, quòd ero tui similis. Arguam te, & statuã contra faciem tuam.* Quasi dicat: Num tibi in mentem aliquando venit, ô inique, quòd ego tui similis ero? Noueris ergo, quòd ita erit. Nam sicut tu omnibus quasi bellum intulisti, hos carpendo, illis detrahendo, alios conculcando; ita ego te quoque arguam, & statuam (iuxta Hebræum, ordinabo, disponam, instruam) meorum militum aciem; hoc est, terrores meos, morbos, pericula, & eiusmodi alia, quorum te acerbis vulneribus cõteram, comminuam, confringam.

*Immatura morte raptus quasi victus in bello. Habet Deus pœnas omnes atque morbos quasi in acie. Iob. 10. 17. Ps. 49. 21. Deus violẽtis violenter oppositus.*

---

## *De regno Antiochi Epiphanis.*

### SECTIO IV.

1. *De regno Antiochi Epiphanis breuis naratio.*
2. *Quid sit, magnificatum Antiochũ vsque ad fortitudinẽ cæli? Quid per stellas deiectas intelligatur? Magna per eũ inuecta mala in templũ, & Iudæos.*
3. *Antiochus sua persequutione Antichristum delineasse, ex Theodoreto.*
4. *Per iuge sacrificium tollendum significatur tollendã Eucharistiam, non quidem omnino, sed è publico. Quare Eucharistia dicatur iuge sacrificium?*
5. *Quid per stellas deiectas in fine mundi intelligendũ?*
6. *Quid per veritatẽ deiectam significetur? Verba tria, prosternetur, faciet, & prosperabitur, in Hebræo fœmina, veritati magis quadrare.*

1. DICTVRVS Vates de regno Antiochi Epiphanis, hoc est, nobilis, siue illustris, ita in contextu, Vers. 9. *De vno autẽ ex eis egressum est cornu vnũ modicũ: & factum est grande contra Meridiẽ, & contra*

*tra Orientē,& cōtra fortitudinē.* Vers. 10. *Et magnificatū est vsque ad fortitudinē cæli:& deiecit de fortitudine,& de stellis,& conculcauit eas.* Vers. 11. *Et vsque ad principē fortitudinis magnificatū est:& ab eo tulit iuge sacrificiū,& deiecit locū sāctificationis eius.* Vers. 12. *Robur autē datum est ei contra iuge sacrificiū propter peccata:& prosternetur veritas in terra,& faciet, & prosperabitur.* Hebr. *Et cōtra desiderabilē.* Septuaginta: *Et proiecta est hominis iustitia.* Breuiter præmittimus, Antiochū Epiphanē Antiochi magni filiū à primo illo Seleuco Nicanore, qui anno post Alexandri mortē duodecimo Syriæ regnum obtinuit, originē trahere: fuisse autē octauum Syriæ Regē, non iure hæreditario, sed per dolū, ac vim eiecto legitimo hærede filio fratris, cœpisséque regnare anno regni Græcorū centesimo septimo, facta cōputatione ab exordio regni Seleuci primi, à quo, vt Eusebius ait, Machabæorū historia regnum Græcorum cōputat. Dicitur hoc loco Epiphanis cornu modicum, quoniam erat secūdus natu filiorum Antiochi, ad quem regni hæreditas non pertinebat,& diu Romæ priuatus vixit, pro patre Romanis datus obses, vt traditur initio prioris libri Machabæorum. Sed *modicum antea cornu factum postea magnum contra Meridiē,* inquit, & *contra Orientē*, &c. quoniam multa quidem in bello præclarè gessit, & ob ea facinora Epiphanis, id est, nobilis, siue illustris cognomentum adeptus est: nam in Oriente Artaxam Regē Armeniæ vicit,& res nouas in Perside molientes cōpressit strenuè: ad Meridiē profligato Ægypti Rege, magnáque regni parte occupata, Alexandriā obsedit, ac sine dubio obtinuisset, nisi iussu Romanorum soluere obsidionem, & Ægyptum relinquere coactus fuisset. Tunc verò ardens ira in Iudæos effudit omnē vim indignationis suæ.

*Varia lectio. Antiochus Epiphanes siue illustris, à quibus parentibus.*

Eusebius.

*Per cornu modicum expressus, quòd priuatus prius vixerit.*

*Illustris dictus ob illustria facinora.*

2. Tunc, ait Vates, magnificatus est vsque ad fortitudinē cæli, hoc est, vehementer, nota phrasi, qua cæli vocabulū pro exaggeratione ponitur: vel, quia Deo sic permittente, inualuit in vrbem, templúmque Hierosolymitanū; cæli nempe arcem illam, in qua Dei fortitudo semper viguerat: vel fortitudinem cæli, hoc est, populum Dei, eo scilicet fauente, insuperabilem. Quare primò aggressus vrbem, spoliauit bonis omnibus, & biennio pòst etiam templum exhausit, positóque ibi simulacro Iouis Olympij, ac suo, vt Hieronymus ait, vetuit ne deinceps sacrificia Iudaica in illo peragerentur. Tulit, inquit, inde iuge sacrificium, mane scilicet, ac vespere fieri solitum ex duobus agnis anniculis, Num. 28. 9. In altari verò holocaustorum carnes suillas contra fas, iúsque patrum immolari iussit; prohibuit circumcisionem; sacros libros combussit; Iudæos ad Græcorum religionem transire compulit. Et sequitur: *Deiecit de fortitudine,& de stellis, & conculcauit eas,& vsque ad Principē fortitudinis magnificatus est.* Per stellas, ex Hieronymo, & Theodoreto intelliguntur illustriores Iudæi, quos metu tormentorum, à patriis legibus, ac religione deiecit in idololatriam; vel stellæ cæli intelligi possunt præclari illi tum genere, tū sanctitate viri, quos Antiochus, non quidem spiritualiter, sed corporaliter deiecit, acerbissimis eos pro legis obseruatione necando suppliciis, qualis venerabilis senex Eleazarus, septémque pueri, & mater generosa, de quibus multa in posteriori libro Machabæorum sacra narrat historia. Quod verò dicitur vsque ad Principem fortitudinis magnificatus Antiochus, intelligendum, dum sic Antiochus templum, ac seruos Dei feliciter deiicit, videri etiam contra Deum Principē populi ipso permittente prosperè egisse.

*Magnificatus vsque ad fortitudinem cæli, id est, vehementer, vel vsque ad euersionem templi. Vel fortitudo cæli intelligitur populus Dei, quem Deus insuperabilē faciebat.*

D. Hieron. Numer. 28. 9.

*Qualiter in populū Dei, ac religionē sæuierit.*

*Per principē fortitudinis ipse Deus, quem Antiochus vsque est oppugnare.*

3. In his autem Antiochi actis contra Deum, populum eius, ac templum, primò notari debet, ob huius persecutionis acerbitatem, haberi illū apud Autores sacros pro figura Antichristi. Expressè id asserit Theodoretus ad cap. 11. Zachariæ. Antiochus, inquit, Antichristi typus. Nam quemadmodum Antiochus; cùm bellum contra Deum intulisset, dæmonum aras excitauit in templo, & Deo dedicatos, ac consecratos coëgit dæmonibus sacra facere; sic etiam Antichristus, Dominum Christum abnegare iubebit pietatem colentes, sibi verò non auscultantes infinitis officiis ad se alliciet. Ob eandem verò persequutionis vim aduersùs adolescentes Machabæos ait Nazian. Gregor. orat. 22. de Machabæis, dæmonis figuram habere Antiochum, cùm monet Nazianzenos adolescentes, vt à suo quotidiano Antiocho peculiari dæmone, ac tentatore sibi caueant. Sed illud notandum, Antiochum quidem simulacrum Iouis, ac suum in templum intulisse, diuinitatem sibi sub Ioue verecundè ambientem. At Antichristus omnino impudenter: sedebit enim in templo ipse ostendens se tanquam sit Deus, 2. Thess. 2. 4. Nullum itaque coli secum patietur numen; deinde se non in muto simulacro, sed viuum exhibebit adorandū populo.

*Antiochus ob persecutionis acerbitatem similis Antichristo.*

Theodor.

*Naz. Greg. Diaboli figura dictus à Nazianzeno.*

*Prior Antiocho Antichristus.*

1. Thessal. 2. 4.

4. Præterea, quòd Antiochus dicitur tollere iuge sacrificium, delineat, autore D. Hieronymo, Antichristum, & expressè videtur haberi illo Danielis 12. 11. sequenti. *A tempore*, inquit, *cùm ablatū fuerit iuge sacrificiū, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* Vbi de Antichristo sermonem esse conuincit tempus tyrannidis eius, vt suprà visum est. Iuge autem sacrificium tempore Antichristi tollendum, non aliud esse ait Hippolytus Mart. in oratione de consūmatione mundi, quàm sacrificium Eucharistiæ; quod illis, inquit, diebus non stabit. Quomodo autem iuge sit futurum, exprimitur Malach. 1. 11. *Ab Ortu Solis vsque ad Occasum magnū est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Nā cùm Sol conuersione sua diuersis terræ partibus diē successiuè efficiat, oportet modò in his, modò in illis mundi partibus oriente Sole iugiter fieri sacrificium Missæ. Verùm cùm Christus dicat Matth. 28. 20. *Ego vobiscū sum omnibus diebus vsque ad consummationē seculi*; quam præsentiam interpretatur pro assistētia Eucharistica, videtur non omnino tollendū hoc diuinum sacrificiū; quare probabile est, iuge hoc sacrificium tollendum solum publicè. Vnde rectè Hippolytus citatus ait, sacrificium Eucharistiæ illis diebus non extabit, quasi dicat, non apparebit, non eminebit in mundo cum hac solennitate, sed tamen occultè inter priuatos fidelium parietes, vt tempore persequutionum antiquarum, continuabitur sacrificandi vsus. Vnde quod apud Danielem illo cap. 12. dicitur, *à tempore, cùm ablatum fuerit iuge sacrificium*, iuxta Græcum habetur, *à tempore mutationis continuitatis*, quasi sit sensus, nō tollendam omnino, sed mutandam continuitatem, à publico scilicet, ad secretum.

D. Hieron.

Dan. 12. 11.

*Iuge sacrificiū tollendum ab Antichristo, id est, Eucharistia.*

Hippolyt.

*Quomodo dicatur iuge sacrificium, ex Malachia.*

Malach. 1. 11.

*Toto orbe, iugiter Missa sacrificiū offertur.*

Matth. 28. 20.

*Non omnino tollendum sacrificium Eucharistia, sed tantùm è publico.*

*Mutandam continuitatem è publico in occultum.*

5. Denique quod de stellis deturbatis dicitur, quòd deiiciet eas, & conculcabit, conuenit etiam cum eo, quod dicitur Apoc. 12. 4. futu-

Apoc. 14. 4.

*Cauda draconis, extremum mundi tempus.* futurum tempore Antichristi. Nam sub specie draconis eius, dicitur ibi trahere cauda hoc est, extremo mundi tempore, tertiam partem stellarum de cœlo, hoc est, magnam partem iustorum de Ecclesia, quæ quidem in hac nocte vitæ præsentis (ait Gregor. 32. Moral. 14.) dum in se innumeras Sanctorum virtutes continet, quasi radiantibus desuper syderibus fulget. *Stella de cœlo, iusti de Ecclesia.*

6. Quod verò vltimò addit, *Et prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur*; iuxta quosdam per veritatem intelligitur diuina lex, quam Antiochus penè totam aboleuit, vt ex Machabæorum libris perspici potest. Meliùs alij diuinum ritum interpretantur; de iugi eius sacrificio agebatur: faciet verò hæc omnia pro libito, ac prosperè in eis aget ipse Antiochus. Licèt verò hic sensus per verba Latina constet, in Hebræo tamē sunt generis fœminini; vt nō possint ad Antiochū referri, sed ad veritatem, de qua proximè dixerat. Vt sensus sit, fore, vt veritas in terram deiecta, quasi semen depressum, fructū faciat, magisque multiplicetur. *Veritatis nomine melius intelligitur ipsum iuge sacrificium.* *Sed ea veritas depressa tādem prosperè agit.*

## De colloquio Angelorum circa durationem persequutionis Antiochi, & de eius morte.

### SECTIO V.

1. *Apparuisse Danieli Angelos, nimirum tres, & quid inde colligatur? Cur is qui loquitur nō nominatur, ex D. Gregorio? Angelos ex ministeriis sortiri nomina, in cælo nulla habere, & quare?*
2. *Angelos loqui, & idioma proprium habere ostēditur. Quomodo loquantur, ex D. Thoma? De nostris laboribus consilia inire.*
3. *De tempore, quo duratura esset persecutio Antiochi, opinio Theodoreti, nō ita propria; simplicior alia proponitur.*
4. *Antiochum à Deo percussum inuisibili plaga Deo nō esse opus arma capere aduersus impios. Sine manu conterere potest. Similiter Antichristum spiritu oris sui quasi flatu vno conteret.*

1. VLTIMA pars Visionis continet colloquium Angelorum de duratione persequutionis Antiochi, & mortem eius. Vers. 13. *Et audiui vnum de Sanctis loquentem: & dixit vnus Sanctus alteri nescio cui loquenti: Vsquequò Visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur?* Vers. 14. *Et dixit ei: Vsque ad vesperam, & mane, dies duo millia trecenti: & mundabitur Sanctuarium.* Primùm apparuisse Danieli aliquos Angelos minimùm tres, contextus ipse manifestat: nam vidit vnum loquentem cum aliquo alio, & vnum alterum ab eo, qui loquebatur, sic petentem: Vsquequò Visio? Ex mutua verò hac colloquutione, & ex illa interrogatione, ac responsione, & ex eo, quod vnus alteri imperat, habetur vera esse, quæ de loquutione, & de illuminatione Angelorum, ac de eorundem inæqualitate, quoad potentiam, & autoritatem, tradit Dionysius Areopagita de cælesti Hierarchia. Vnum autem eum, qui loquitur, non nominat Vates, cùm tamen infrà nominet Gabrielem; quia (vt ait D. Gregorius homil. 34. in Euangelia) Angeli cùm aliquid ad nos administraturi veniunt, apud nos etiam nominà à ministeriis trahunt. Nam in illa Beatorum ciuitate, quam de Visione omnipotētis *Colloquium Angelorum ostendit veram inter eos esse loquutionem.* Dion. Areo. *Quòd alij rogent, alij respondeant ostendit esse alios superiores, qui autoritate valeant.* D. Greg.



Dei plena scientia perficit, propria nomina non sortiuntur Angeli, quia sine propriis nominibus eorum personæ sciri possunt. Ita ille. Quia ergo ille loquens solùm, nihil verò ministrans introducitur, idcirco innominatus ponitur. Quoniam verò de præliis Regum, ac successionibus (ait hic Hieronymus) hæc erat Visio, Gabriel, qui præpositus est præliis, officio interpretandi Visionem destinatur: Gabriel enim fortitudo Dei, vel robustus Dei. Vnde quo tempore nasciturus erat Dominus, & inducturus bellum dæmonibus, ac de mundo triumphaturus, mittitur Gabriel ad Zachariam, & Mariam. Ita Hieronymus. *Angeli sortiuntur nomina non inter se, sed erga nos.* D. Hier. *Vnde colligat Hieronymus esse Gabrielem.*

2. Colligi potest ex subiecta Visionis materia, loquutos fuisse Angelos de excessu persequutionis Antiochi aduersùs Hebræos: congruitque interrogatio vnius illius Sancti, ad alterum illum innominatum: *Vsquequò Visio, & iuge sacrificium, & Sanctuarium conculcabitur?* Item, quod inter loquendum vnus Gabrieli mandat, vt Danielem doceat Visionem. Loqui inter se Angelos, certum est ex illo 1. Cor. 13. 1. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, &c.* Hoc est, si ita instructus vel à natura sim, vel beneficio Dei, vt omnium idiomatū etiam Angelici rationes teneam, possimque cum omnium nationum hominibus, ac cum ipsis etiā Angelis expeditè loqui, &c. quod sine dubio sūmæ cuiusdam fœlicitatis prerogatiua ponit Paulus, quando & Plinius lib. 7. c. 24. de Mitthridate in magnam admirationem ait: Mithridates duarū & viginti gentium Rex, totidem linguis iura dixit, pro concione singulas sine interprete affatus. Quomodo autem loquantur Angeli, tradunt Theologi cum D. Thom. 1. p. q. 107. a. 1. nimirum mentaliter; dirigendo scilicet pro libito conceptus suos ad inuicem. Quod quidem innuere videtur D. Greg. 2. Moral. 4. explicans, quomodo vnus spiritus clamet ad alterum. Tantò, inquit, quisque maiorem vocem in aures circumscripti spiritus exprimit, quantò se in eius desideriū pleniùs infundit. Id est enim dirigere se cognoscendum, plus, scilicet, minúsve, pro libito, sui cognitionem in mētem alterius infundere. Notatu autē dignum, quòd Angeli hoc loco colloquia habeant, & sermocinentur inuicem de laboribus hominum, & quasi conuentum ad hoc faciant, vt disquirant inter se quomodo auxilia sua præstare possint. Legimus etiam Iob. 1. 6. in concilium coactos Angelos, vt aliqui putant, custodes Iob, & filiorum eius, in quo vnus aliquis de mādato Dei præerat, cui etiam Satan adfuit, disceptans cū Angelis de virtute Iob, & ab illis limitē tentandi accipiens; quod nō ad imaginariam aliquam speciem, sed ad veritatem, & localem in ipsa terra Hus exhibendi assistentiam contigisse, colligitur ex D. Athan. q. 8. ad Antiochum, Aug. in annotationibus in Iob. & aliis, vt vbi Satan ipse aderat, satagebàtque Iobum perdere, ibi Angeli quoque ex condicto accurrerent, ac consilia agerent de illo protegendo, & liberando. *Loquebātur Angeli de excessu persequutionis Antiochi.* *Loquutio Angelorum probatur.* 1. Cor. 13. 1. Plinius. *Sūma felicitas, omnium idiomatum notitiam habere.* *Mithridates duarum & viginti linguarum peritus.* D. Thom. D. Greg. *Loquuntur dirigendo conceptus ad inuicem.* *Loquuntur de laboribus hominum, vt disquirāt, quomodo illis subueniant.* Iob. 1. 6. *Concilium Angelorum custodum, ad tuendum Iob, ac filios.* D. Athanas.

3. Requisitus Angelus quandiu esset duratura persequutio visa? respondit, *Vsque ad vesperam, & manè dies duo millia trecenti.* Quem locum explicat Theodor. non ita propriè, vt per vesperam significetur initium persequutionis, per manè finis, iuxta illud Ps. 29. 6. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia.* Solet enim Scriptura per vesperam significare res tristes, per mane lætas. Vult ergo Theodoret. respondisse Angelum, duraturam persequutionem, computando à princi- *Quādiu duratura persequutio?* Theodoret. Psal. 29. 6. *Vespera, res tristes, mane læta significantur.*


pio

*Per dies duo millia trecentos, sex anni & tres menses.*

pio, vsque ad finem, dies duo millia trecentos, hoc est, sex annos, & tres mẽses præter viginti dies. Alij simpliciùs, *vsque ad vesperam, & mane dies duo millia trecenti*, hoc est, computando dies naturales, qui conflantur ex noctibus per vesperam significatis, & ex diebus artificialibus significatis per mane (iuxta illud Gen. 1. 5. *Factum est mane, & vespere dies vnus*) duraturam persequutionẽ dictos sex annos tres menses præter viginti dies. Notandum tamen, primum librum Machabęorum sex annos dumtaxat definire, omisso, vt sæpe fit, minori numero. Item tempus profanationis templi, fuisse tantùm trium annorũ, vt ex 1. & 4. c. primi Machab. videri potest.

*Gen. 1. 5.*

*Antiochus sine manibus, id est, inuisibiliter puniendus. 1. Mach. 6. 2. Mach. 9.*

4. Denique de morte Antiochi continetur etiam in respõsione Angeli: *Et sine manibus*, inquit, *conteretur.* Quo significatur nõ externa aliqua vi, sed omnino inuisibili percussum, scelestam exhalaturum animam. Nam quamuis mors eius occasiones habuerit, quæ narrantur lib. 1. Mach. c. 6. & lib. 2. c. 9. primam quidem, quòd ei malè cesserat ad vrbem Elymaidem, quam dũ spoliare tentat, turpiter fugatus est. Secundam, ex eo nuncio, quo Duces suos in Iudæa malè gestare profligatos, à Machabæis acceperat. Tertiò, quòd audito hoc nuncio ira succensus, currũ plus nimio agitari iubens contra Iudæos, in terram decidit, grauique membrorũ collisione quassatus est; tamen constat

A à Deo ipso inuisibiliter percussum; sic enim c. illo 9. 2. Machab. v. 5. *Sed qui vniuersa conspicit Dominus Deus Israël, percussit eum inuisibili, & insanabili plaga, ita vt de corpore impij vermes scaturirent, ac viuentis in doloribus carnes eius effluerent, odore etiam illius, & fœtore exercitus grauaretur.* Ita apparet, quomodo sine manu contritus sit Antiochus, per frusta scilicet defluens, ac in vermes fœdè decussus. Sine manu, quoniam ad puniendos impios non est opus Deo arma capere, exercitum comparare, aciem instruere. Sine manu cõterentur. Nam cùm ex conditione naturæ fragiles simus, ac intra Dei manum contineamur omnes, hoc est, vnica Dei potentia conseruemur,

B satis fuerit Deo manum suam laxare, vt statim decidamus, & conteramur. In hoc etiam typus fuit Antichristi Rex Antiochus: nam eadem facilitate Antichristus interficietur à Domino. Paul. 2. Thessal. 2. 8. *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*; iuxta illud Isai. 11. 4. *Et spiritu oris sui interficiet impium*; quasi dicat, vno flatu oris, facillimè, solo nutu voluntatis. Ita D. Greg. 30. Moral. 12. Quod Daniel, inquit, subiunxit de Antiocho, *sine manu conteretur*, idem dixit Paulus, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Sine manu quippe conteretur, quia non Angelorum coacta manu, sed per aduentum Iudicis, solo spiritu oris eius æterna morte ferietur.

*2. Mach. 9. 5.*

*Non est opus Deo arma capere ad puniendos impios.*

*2. Thess. 2. 8. Isai. 11. 4. D. Greg. Spiritu oris Domini, hoc est, vno flatu, interficietur Antichristus.*

# VISIO VIGESIMA SEXTA.

## DE ANGELO, QVI APPARVIT Danieli iuxta Tigrim fluuium.

*Daniel. Cap. 10.*

---

## ARGVMENTVM VISIONIS.

*ERAT viginti & vno diebus Daniel pro præparatione animi ad hanc Visionem, additis ieiuniis, atque lacrymis. Apparet illi iuxta fluuium Tigrim Angelus sub specie viri, quæ describitur. Ad Visionem corruit stupefactus, & ferè exanimatus iacet; sentit manu se quadam confirmari; auditque ab Angelo desideria, ac preces eius de liberando populo, Deo gratas esse, citò se interueniente complendas, séque ea in re satagentem viginti, & vno diebus impeditum fuisse à Principe regni Persarum, solúmque Michaëlem sibi in adiutorium venisse: iterum autem pergere se, vt prælietur cum Principe Persarum, & quasi ab hoc prælio iã reuersus memorat apparuisse sibi Principem Græcorum; rursúmque in suo hoc cum Principe regni Persarum congressu, solum habuisse adiutorem Michaëlem.*

CAPVT X. DANIEL

1. ANno tertio Cyri Regis Persarum, verbum reuelatũ est Danieli cognomento Baltassar, & verbum verum, & fortitudo magna: intellexitque sermonem; intelligentia enim est opus in Visione.

2. In

PARAPHRASIS.

1. *CVm tertium annum regni sui ageret Cyrus Rex persarum, mihi Danieli, aliàs Baltassari, monstrata est Visio: nec verò inane vaticinium actum est, qualia Pseudoprophetæ iactare solent; aut per somnium, vt pleraque à me visa, sed in perfecta vigilia res contigit*

A *git. Visum autem ipsum forte, vehemens, terribile fuit, quod ego Angelo interprete cognoui; adeò enim inuolutum per se erat, vt intelligere, nisi Angelo interprete, non potuissem; & eã ipsã interpretationẽ Angeli in ipsa Visione sum consequutus.*

2. In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus,

*2. Ego autem per tres hebdomadas lugebam, quòd audieram templi instaurationem impeditam fuisse à vicinis populis; nec poteram à Rege Cyro edictum petere ad continuandũ opus, quòd is tunc aberat Scythico bello detentus, & Cambysem regni administratorem pro parte* B *viderem alienum habere animum à gente nostra.*

3. Panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum nõ introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum: donec complerentur trium hebdomadarum dies.

*3. Per id tempus non adhibui ad cibum panẽ desiderabilem, ac delicatum, sed cibarium, nec carnis esu, aut vini potu corpus pàui; nec vnguenta, & balnea adhibui ex more regionis.*

4. Die autem vigesima & quarta mensis primi eram iuxta fluuium magnum, qui est Tigris.

*4. Postridie verò trium hebdomadarum, qui fuit vigesimusquartus dies mensis primi, erã re ipsa, & non specie tãtùm iuxta fluuium Tigrim,*

5. Et eleuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.

*5. Sublatísque oculis vidi Angelum sub forma viri, candida veste indutum, lætitiámque, ac prosperitatem ipso vestium candore præferentẽ; ad renes autem accinctus erat zona aurea.*

6. Et corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius, vt lãpas ardens: & brachia eius, & quæ deorsum sunt, vsque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.

C *6. Totum verò corpus eius apparuit chrysolitho simile translucido, & scintillãti, facies instar fulguris coruscans, oculi ardentes, vt ignea lampas, brachia, & quæ deorsum, vt æs candens, vox magna, & confusa, quale solet esse multitudinis, & aquarum defluentium murmur.*

7. Vidi autem ego Daniel solus Visionẽ: porro viri, qui erant mecum, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.

*7. Hæc ego solum vidi; at qui mecum erant, splendore, & sonitu loquentis exterriti non viderunt, sed nimio timore perterriti proripuêre sese in locum semotum.*

8. Ego autem relictus solus vidi Visionẽ grandem hanc, & non remansit in me fortitudo, sed & species mea immutata est in me, & emarcui, nec habui quicquam virium.

*8. Solus ego, qui superstes fui, Visionem hanc* D *horribilem hausi, sed ita sum timore perculsus, vt & facie cõtabuerim subitò, & solutis viribus ceciderim semimortuus, & exanimatus in faciem.*

10. Et ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum.

*10. Ecce autem Angelus ipse manu sua me tetigit, & erexit me super genua mea, & in articulos manuũ: nec enim eo etiam erigente potui ãpliùs surgere, quã in genua, & manus incũbẽs.*

11. Et dixit ad me: Daniel vir desideriorum, intellige verba, quæ ego loquor ad te, & sta in gradu tuo: nunc enim sum missus ad te. Cúmque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens.

*11. Tum verò Angelus, vt pauidũ, ac exanimẽ recrearet, ita mecum honorificè agere cœpit: O Daniel vir multis desideriis pro communi bono exercito, in pedes tuos deposito timore te erige: & steti quidem eius voce aliquantulùm recreatus, sed adhuc tremebam præ metu.*

12. Et ait ad me: Noli metuere, Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in cõspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.

E *12. Rursúmque is ad me: Nulla tibi metuendi causa: bonum enim ad te nuncium affero. Ex primo námque die, quo animum ad intelligendum, & ieiunandum adiecisti, preces tuæ circa impeditam instaurationem auditæ sunt; & ego ad te destinatus sum nuncius, vt te ab hac solicitudine liberarem.*

13. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus: & ecce Michaël, vnus de Principibus primis, venit in adiutorium meum, & ego remansi

*13. Ne mirere autem tarditatem meã, quòd cùm prima die mensis missus fuerim ad te, vigesima quarta veniam: nam Angelus Princeps, custósque Persarum, restitit mihi vi-*

ibi iuxta Regem Persarum.

A *ginti & vno diebus apud Regem Persarum: dum enim ego Regi persuaderem edicto suo confirmaret instaurationem templi cœptam, sed impeditam, ille dissuadebat: causam ergo tuam dum moratus sum, egi. Tunc Michaël vnus de primis Principibus mihi in auxilium venit, vt pluribus rationibus, maioréque vi Regis Persarum animum expugnaret. Tandiu ergo remansi apud Regem Persarum, quia habui Principem eius regni resistentem mihi, ac necdum me expediuissem, nisi Michaël Princeps vester opem tulisset.*

14. Veni autem vt docerem te quæ ventura sunt populo tuo in nouissimis diebus: quoniam adhuc Visio in dies.

B 14. *Idcirco autem veni modò, vt exponerem tibi, quæ populo tuo, quem scilicet impensè amas, euentura sunt vltimis temporibus Messiæ, quando hora nouissima erit: nam Visio, quam habuisti, in longum adhuc tempus extenditur.*

15. Cúmque loqueretur mihi huiuscemodi verbis, deieci vultum meum ad terram, & tacui.

15. *Hæc cùm ad me Angelus diceret, vultum præ reuerentia demisi in terrã, & obmutui, verbis interim ob verecundiam timoris admistam interclusis.*

16. Et ecce quasi similitudo Filij hominis tetigit labia mea: & aperiens os meum loquutus sum, & dixi ad eum, qui stabat contra me: Domine mi, in Visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit virium.

16. *Accedénsque is, qui loquebatur mecũ sub similitudine hominis, tetigit labia mea: ex ipso námque tangendi modo compertũ habui, eum, quem hominis forma videbam, hominem nõ esse.* C *Tum verò soluto ore loquutus sum: Domine, simul atque vidi te, viribus planè destitutus concidi, quomodo autem ad te loqui potero, Domine mi?*

19. Et dixit: Noli timere, vir desideriorũ: pax tibi: & esto robustus. Cúmque loqueretur mecum, conualui, & dixi: Loquere Domine mi, quia confortasti me.

19. *Metum ait abiice, ô vir desideriorum, pro populi tui salute: feliciter age, ne putes ob meam Visionem te moriturum.*

20. Et ait: Nunquid scis quare venerim ad te? & nũc reuertar, vt prælier aduersùm Principem Persarum: cùm ergo egrederer, apparuit Princeps Græcorum veniens.

20. *Nosti, quare ad te venerim? Planè vt consolarer te: nam re infecta profectus sum, & illico reuertar præliaturus vlteriùs contra Angelum Principem Persarum, quin & contra Græcorum* D *Prĩcipem, quem in itinere obuium habui, mihi res erit: vterque enim impedire nititur instaurationem, quòd peccata populi nondum satis expiata esse videantur.*

21. Veruntamen annunciabo tibi quod expressum est in scriptura veritatis: & nemo est adiutor meus in omnibus his, nisi Michaël Princeps vester.

21. *Quamuis mihi ob ea, quæ dixi, festinandum sit, priùs tamen exponam tibi, quid expressum sit in diuino decreto, quod more Scripturæ fixum, ac firmum est, nec temporis obliuione deleri potest. In iis autem quæ dixi præliis, quæ aduersùs prædictos Principes habeo pro vobis, vnus Michaël mihi adest, vobísque non tam iure, quã officio fauet. Omnes alij vestram libertatem impediunt, sed cum omnibus illis pugnam pro vobis libenter subibo.*

## COMMENTARIVS.

CONsideranda sunt primo loco aliqua; nempe qualem se Daniel ipse præstiterit ante Visionem, quis fuerit iste Angelus qui apparuit, & de loco apparitionis. Postea habitus ipse Angeli expendetur. Denique explicabitur pugna Angelorum ad inuicem.

Qualis

## *Qualis ante Visionem Daniel? Quis Angelus? Quis locus apparitionis?*

### SECTIO I.

1. *Cur hæc prophetia dicatur verbum verum, & fortitudo magna? Daniel perfectus Propheta, & quare? ex D. Augustino, & D. Gregorio Magno.*
2. *Daniel quare lugeat? Cur desideriorum vir? quid differant lugere, flere, & lacrymas fundere? Locus Psalmi 6. exponitur.*
3. *Quid sit, Panem desiderabilem non comedi? Ieiunium gratam facit orationem. Mos vngendi corpora apud veteres etiam Iudæos. Locus Luc. 7. de vnctione Magdalenæ expenditur.*
4. *Cur Angelus sub specie viri appareat Danieli? Tres Angelos custodes fuisse populi Hebræi, quomodo intelligendum?*
5. *Tigris fluuius cur magnus dicatur? Nomen à sagitta cur habeat? Moraliter id Ambrosius explicat. Iuxta Tigrim videt Visionem, quia erat apud Assyrios.*

1. NOMENCLATVRA ipsa Visionis exigebat, vt se Daniel ad illam peculiariter excoleret. Vers. 1. *Verbum reuelatum est Danieli, verbum verum, & fortitudo magna.* Hebr. *Et militia magna.* Dicta est veritas, & fortitudo magna; nempe Dei, qui si vsquam, maximè hoc loco, & verum se exhibuit, & fortem. Ex Hebræo primum tempus magnum, quòd quæ hîc docentur per longum tempus implenda erant. Item, *exercitus magnus*; quasi Angelus apparens, non solus venerit, sed cum magno exercitu Angelorum. At cur hæc duo adiunxit, *verbum verum, & fortitudo magna?* Vt ostenderet se perfectum Prophetam, qui non solùm signa rerum futurarum per Visiones exciperet, sed etiã vera esse intelligeret, quæ per talia signa demonstrabantur. Ideo sequitur: *Intelligentia enim opus est in Visione*, id est, ad perfectam rationem prophetiæ in Visionibus diuinis, necessaria est intelligẽtia earundem Visionum. Qua de re egregiè D. Augustinus in lib. 12. de Gen. ad literam, c. 9. Quibus inquit, signa per aliquas rerum corporalium similitudines demonstrabantur in Spiritu, nisi accessisset mentis officium, vt etiam intelligerentur, nondum erant Prophetæ; magísque Propheta erat, qui interpretabatur quod alius vidisset, quàm ipse qui vidisset. Itaque magis Propheta fuit Ioseph, qui intellexit visum Pharaonis, quã Pharao, qui illud in somno habuit. Huius enim spiritus informatus est, vt videret, illius mens illuminata est, vt intelligeret: in illo ergo prophetia, in hoc lingua: sed minùs Propheta est, qui sola rerum signa videt; magis, qui illa ipsa intelligit; maximè, qui vtroque præcellit, vt & videat significatiuas similitudines, & eas viuacitate mẽtis intelligat. Sic Danielis excellentia tentata, & probata est, qui Regi, & somnium, quod viderat, dixit, & quid significaret aperuit. Hæc August. Ferè autem similia D. Gregor. 11. Moral. 12. in eo tamen differt ab Augustino, quòd sola expositione imaginum in mente, prophetiam negat esse; at Augustinus prophetiam vocat, sed cùm statim minùs Prophetam dicat, qui solas imagines habet, profectò, cùm prophetiam vocat, inchoatam intelligit, quod nec D. Gregor. negat.

*Varia lectio.*

*Ad perfectã rationẽ prophetiæ per Visiones diuinas opus est speciali intelligẽtia. D. August.*

*Quis magis Propheta.*

*D. Greg.*

2. Lacrymis ergo, ieiunio, & oratione se muniens Daniel, Visione ipsa fit dignior. Vers. 2. *In diebus illis*, inquit, *ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.* Vers. 3. *Panem desiderabilem non*



A *comedi, & caro, & vinũ non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum.* Causa luctus Danielis erat, quia multi Hebræi, etiam post solutam liberaliter à Cyro captiuitatem, adhuc Babylone vltrò morabantur: ob id ergo integras tres hebdomadas fleuit, vtpote vir desideriorum; qui quoniam multa pro populi salute desiderabat, sic est ab Angelo salutatus. Et rectè D. Augustin. 20. de Ciuit. cap. 17. Quantò quis est sanctior, & desiderij sancti plenior, tantò est eius in orando fletus vberior. Ita Augustinus. Orabat ergo lugens Daniel, effundens scilicet coram Deo cor suum, Psal. 61. 9. Qui enim, dum orate, lacrymatur, cor quasi liquefactum per oculos effundit. Cùm autem dicit, *Ego Daniel lugebam*, notari debet, quod D. Hieronymus rectè animaduertit ad illa verba Iob. 16. 17. *Facies mea intumuit à fletu*, inter lugere, & flere, ac lacrymas effundere hoc esse discriminis, quòd lacrymæ aliquando cum silentio defluant; fletus, luctúsve, cùm etiam habeat lacrymas, non sine voce, & cõmotione corporis dantur. Ita D. Hieronym. Ostenditur autem in illo Psal. 6. 7. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo*; vbi gemitus cum lacrymis coniungitur, & in eliciendis illis labor est, quatiente scilicet pectus, nec se intra capiente vi doloris, sed cum labore prorumpente. Quod egregiè illustrat Genebrardus, cùm pro commentario addit: Fatisco præ gemitibus, quasi rumpor gemitibus.

*Causa luctus Danielis.*

*D. August. Quãto quis sanctior, & desiderij sãcti plenior, eò eius fletus vberior.*

*Psal. 61. 9. Hieron. Iob. 16. 17.*

*Discrimen inter lacrymari & flere.*

*Psal. 6. 7.*

*Genebrar.*

3. Atenim cùm orationi lacrymosæ abstinentiam addit, penè rem conficit, *Panem desiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum.* Intelligit (ait Hieronymus) abstinuisse se à cibis delicatioribus, quibus in prouecta ætate vesci opus habebat. Non solùm ergo ieiunauit totas tres hebdomadas, sed in mensam suam non nisi viles cibos toto eo tempore admisit, quo gratior eius esset oratio coram Domino. Rectè enim D. Bern. serm. 4. de Quadragesima: Ieiunium gratiam promeretur orandi, id est quòd gratè Deo oretur, in quo sita est tota orationis felicitas; ideo enim Angelus cõfortans Danielem, *Noli*, inquit, *metuere, Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuũ vt affligeres te in conspectu Dei tui*: scilicet, per ieiunium, *exaudita sunt verba tua.* Addit verò Daniel: *Sed neque vnguento vnctus sum*, ex more regionis in qua erat, vbi non tantùm voluptatis causa, sed & medicinæ ergò se vngebant. ex Plinio lib. 13. c. 1. qui mos etiam apud Iudæos erat. Vnde Christus. Luc. 7. 46. obijcit Pharisæo pro commendatione Magdalenæ, quòd vnguento non vnxerit caput suũ: at illa pedes vnxerit vnguentò trecentis denariis æstimato. Factũ excusat (ait Chrysost. homil. 81. in Matth. qui consultus non admisisset, at cùm sciret futurum, cur non impediuit? quia admiscebatur ibi pietatis opus: permisit ergo delicias, vt admitteret charitatem. Ita Chrysostomus.

*Lacrymis iunctum ieiunium rem conficit. D. Hieron.*

*D. Bern. Ieiunium gratiã promeretur orandi.*

*Vnguento vtebantur non solùm voluptatis, sed etiam medicinæ causa. Plin. Luc 7. 46.*

*D. Chrys.*

*Permisit delicias, vt admitteret charitatem.*

4. Oranti, ac ieiunanti Danieli apparuit Angelus. *Ecce vir*, inquit, *vnus, &c.* Assumpta viri specie subitò adfuit. Angeli sub specie iuuenum alatorum communiter effigiantur, vt eorum nunquam senescens, & semper vrgens vitalis vis, & immortalitas significetur, ait Dionys. 15. cap. cælestis Hierarch. At hîc quare sub aspectu virili? Exigit id fortitudo magna, quæ in hac Visione exprimitur; exigit & ipse Angelus apparens, qui probabiliter est Gabriel, vt statim videbimus; at Gabriel idem est, ac fortitudo Dei.

*Cur Angeli iuuenũ specie? D. Dionys. Areopag. Fortitudo magna in Visione exigit speciem viri in Angelo.*

D. Ambr.

*Cur Virgo pauebat ad ingressum Angeli.*

Quare D. Ambros. in exhortatione ad Virgines, Gabrielem supponit in specie etiam viri apparuisse Virgini Mariæ. Angelum, inquit, in specie viri vidit, & pauebat corde, peregrinabatur aspectu; fortè, quia alios Angelo solita erat videre sub specie puerorum alatorum; at sub specie viri nullum præter Gabrielem peregrinabatur aspectu. Angelus ergo hic virum agens coram Daniele, Gabriel non incongruè creditur; primùm quoniam in duabus superioribus Visionibus c. 8. & 9. Angelum missum à Deo ad docendum Danielem, constat fuisse Gabrielem, cùm expressè ibi nominetur. Deinde quia putat Cassianus collat. 8. & D. Greg. 17. Mor. 8. Gabrieli commissam curam Hebræorum, dum in captiuitate Babylonica detinebantur; quoniam verò, etsi Cyro Rege indulgente, iam soluta fuerat captiuitas, primo, scilicet, regni anno; tamen, cùm tertius iam ageretur, adhuc multi Hebræi Babylone vagabantur per summam peruicaciam, spreto libertatis beneficio, quæ fuit causa luctus illius Danielis, idcirco adhuc satagebat Gabriel, vt omnes scilicet Hebræos exire compelleret; & propterea Danieli apparet, vt hanc suam curam, ac solicitudinem circa populum, etiam repugnantibus aliis Angelis, contestetur. Notandum verò diligenter iuxta ea, quæ proximè diximus, tres Angelos à Deo destinatos ad custodiam gentis Hebrææ, nimirum Michaëlem, qui custos Synagogæ erat, hoc est, populi illius, quatenus continebat Ecclesiam Dei; idcirco enim hodie custos est vniuersæ Ecclesiæ; ideo hîc ad Danielem Angelus: *Michaël princeps vester adfuit mihi.* Deinde Angelum alium peculiarem, qui Hebræos, vt gens quædam erat, sicut cæteræ per orbem sparsæ, custodiebat: omnium enim communis opinio est, cuilibet regno præesse vnum Angelum. Vnde hic appellatur Princeps Persarum, & Princeps Græcorum ad significandos harum duarum gentium custodes communes. Denique Gabrielem, cui specialem curâ Hebræorum captiuorum mandarat Deus, iuxta probabilem sententiam proximè expositâ.

Cassian. D. Greg. *Gabrieli cõmissa cura Hebræorum dum in captiuitate erant.* *Causa luctus Danielis, quòd Iudæi facta facultate abeundi, non tamen in patriam redirent.* *Tres Angelos à Deo destinatos ad custodiã Hebræorum.*

5. Locus huius Visionis fuit fluuius Tigris. *Eram iuxta fluuiũ magnum, qui est Tigris* Hic ille Tigris est, qui inter quatuor illos celeberrimos fluuios, à paradiso voluptatis emanãtes tertio loco nominatur, Gen. 2. 14. vbi sic: *Nomen verò fluminis tertij, Tigris: ipse vadit contra Assyrios.* Fortè autem ideo hic appellatur magnus, non quòd alij in orbe non sint maiores, sed ob ortus sui excellentiam, propter quam & reliqui similiter orientes, eadem digni sunt prærogatiua nominis. Tradunt verò Autores, Tigrim nomen esse sagittæ apud Assyrios, & ideo accommodatum fluuio, quòd sagittæ instar celerrimè defluat. Vnde D. Ambros. in lib. de paradiso cap. 2. moralem expositionem quatuor fluuiorum paradisi prosequens, Tigri accommodat fortitudinem: Fortitudo, inquit, quodam cursu rapido resistentia quoque transuerberat, nec aliquibus cursus eius impedimentorum hæret obstaculis. Cùm ergo Tigris contra Assyrios vadat, apud quos Hebræi, quibuscum erat Daniel, captiui tenebantur, accommodatè hîc dicitur, quòd Daniel ad ripam huius fluminis Visionem hanc hauserit; sicut Ezechiel iuxta fluuium Chobar, & aliàs similiter factum. Rationem assignat D. Hieronymus, hoc ipsum expendens, quoniam flumen non est aliud, quàm magna vis prætereuntis aquæ. Quo significatur vis propheticæ gratiæ, quæ datur Prophetis non instar permanentis habitus, sed veluti per transcursum, in modum præterlabentis aquæ.

*Visio contigit ad fluuium Tigrim.* Gen. 2. 14. *Magnum, ob ortus excellentiam.* D. Ambr. *Tigris, id est, sagitta, quia celerrimè fluat.* *Fortitudo per Tigrim apud Ambros.* *Ad flumina Visionis prophetica, quia vis prophetica non est permanens.*

---

## De Angeli specie in hac apparitione.

### SECTIO II.

1. *Obseruatio Cyrilli Alexandrini de apparitione Angelorum, modò in specie simplicis viri, modò adiuncto splendore vultus.*
2. *Consideratio chrysolithi ex Plinio, moraliter ex Victorino Hugone, Quomodo congruat, vt facies Angeli chrysolitho similis sit? De ære candente, & cur brachia, & quæ deorsum, ex ære candente fuerint in Angelo?*
3. *Linea vestis Angeli quid significet? Aurum orizum quare dicatur? Ophir quæ regio? Discincti qui dicebantur apud veteres?*
4. *Gabrielem præcinctum, hoc est, expeditum venire. Similes loci Scripturæ, Iob. 5. Luca 12. Aurea zona significari amorẽ, & quare? cur ad renes præcinctus?*

1. SPECIEM Angeli, ac vestitum describit Vates, Vers. 5. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir vnus vestitus lineis, & renes eius accincti auro obrizo.* Vers. 6. *Et corpus eius quasi chrysolithus, & facies eius velut species fulguris, & oculi eius, vt lampas ardens, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis: & vox sermonum eius, vt vox multitudinis.* Primùm facies eius dicitur *sicut species fulguris*, hoc est, splendidissima. Similiter Matth. 28. 3. de Angelo, qui fuit Dominicæ resurrectionis nuncius, dicitur: *Aspectus eius quasi fulgur.* Annotauit Cyrillus Alexand. lib. in Ioannem 12. cap. 46. Cùm interest, vt Angeli, qui apparent, non cognoscantur, communi hominum forma mitti solitos: ita missos ad Abraham, Genes. 18. 2. ad Loth, Genes. 19. 1. ad Tobiæ filium, Tob. 5. 7. Cùm autem vtile est, vt Angeli esse cognoscantur, speciem humanam illustriorem præ se ferre; quod pluribus locis Scripturæ comprobari potest. Sicut autem, vt cælesti diuináque autoritate resurrectionis Domini fidem astruerent, necesse fuit Angelos mitti fulgurantes: ita hoc loco, vt confirmaretur Daniel, ac doceretur ea, quæ in posterum à Deo parabantur diuina mysteria, opus omnino fuit, facie habitúque illustrior appareret Angelus. Species autem fulguris in eo est (ait hîc Theodoret.) quòd splendor illuminans à facie eius fluebat: vt enim fulguris est crebrò scintillare, ita è vultu Angeli, sic illustrari, quasi emicabant radij quoquo versùs. Similiter oculi eius, inquit, vt lampas ardens, iuxta Hebræum, vt duæ faces accensæ. Totus ergo vultus ita in se splendebat, vt foras etiam coruscaret, quo non solùm vim ipsam cognitiuam in Angelo, sed etiam illuminatiuam repræsentaret: idcirco enim testatur venire se, vt doceat, seu illuminet Danielem de iis, quæ ventura sunt in nouissimis diebus, *quoniam adhuc*, inquit, *Visio in dies.* Multum ergo luminis opus erat, vt tam longè posita perspicerentur.

Matth. 28. 3. Cyrill. Alexand. *Quare Angeli cõmuni forma, & quare illustriori prodeant.* Genes. 18. 2. 19. 1. Tob. 5. 7. Theodor. *Vis cognitiua & illuminatiua Angeli.*

2. Vlteriùs corpus eius dicitur quasi chrysolithus, & brachia eius, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis. Plin. l. 37. c. 9. de chrysolitho sic: Chrysolithos, inquit, Æthio

*Descriptio chrysolithi, ex Plinio.* Plin.

A Æthiopia mittit, aureo colore translucētes; rectè translucentes, vtpote qui non solùm in se lucidi, sed trans etiam mittentes lucem. Quod quidem Hugo de sancto Victore explicauit 3. lib. de variis rerum naturis: Chrysolithus, inquit, fulget quasi aurum, & emittit ex se scintillas ardentes; quocirca significantur hoc lapide illi, qui intelligūt diuinam Scripturam, & id, quod intellīgūt, aliis demonstrant opere, & sermone. Congruit ergo, vt Gabriel, qui illuminare venerat Danielem, totum corpus haberet simile chrysolitho. Plinius quoque citatus docet chrysolithum optimum esse, in quo aurum albicare quadam argenti facie cogit. Vt Angelo congruens vel eo sit, quòd sapientiam per aurum significatam, sermone per argentum iudicato cōmunicet.

*Hug. de S. Victore.*

*Chrysolitho similes, qui norunt Scripturam, & eius notitiā ad alios trāsferunt.*

*Sapientiam sermone cōmunicans Angelus.*

B Quod verò dicitur habere brachia, & quæ deorsum sunt vsque ad pedes, quasi species æris candentis, significatur idem alia simili comparatione. Æs enim siue aurichalcum, igne candens auro simile fit, splendēs in igne, ac scintillans, pari profectò significatione, cum chrysolitho similiter fulgente, ac scintillante, vt alibi vidimus. Vnde D. Gregorius æs candens, sonorum, scilicet, metallum, ac ignitum apud Ezechielem expendens, Æs, inquit, candens dicitur, quia vita prædicantium sonat, & ardet. Ardet desiderio, sonat verbo. Igitur Gabriel corpus habens, & specialiter pedes (qui in prædicatoribus iuxta Isaiam speciosi sunt, quòd, quam viam aggrediendā, ostendunt, ipsi omniū optimè ambulant) ex candente

*Aes ignitum vita prædicantiū sonās & ardens.*

*Isai. 52. 7.*

C ære, siue aurichalco, significat aptè se comparatum, & instructum ad euangelizandum Danieli, quæ longo pòst tempore euētura sunt: nam cùm desiderio earum rerum priùs in se ardet ipse, facilè cōsequitur, vt etiam ardere faciat Danielem.

3. Quod attinet ad vestitum, dicitur Gabriel vestitus lineis, iuxta Septuaginta byssinis, & accinctus ad renes auro obrizo. Linea vestis siue byssina tenuissimo velleri similis intelligēda est, quādoquidem Vates dicitur introspexisse totum corpus chrysolitho, siue candenti æri simile. Significat autem linea vestis candorem, ac sublimitatem angelicæ naturæ. Vnde & subtilitatem Christiani Sacerdotij agnoscit D. Gregorius in

*Candor, sublimitas natura Angelica.*

*D. Gregor.*

*1. Reg. 2. 18.*

D illud 1. Reg. 2. 18. *Samuel autem erat minister in conspectu Domini, puer accinctus ephod lineo.* Subtilior, quàm lanea vestis, linea esse cognoscitur. Aptè autem Samuel lineo ephod indutus asseritur, per quem Sacerdotum ordo electus ex gentibus designatur. Nam in comparatione legalis vitæ, non Euangelij conuersatio lini subtilitas est. Linea ergo vestis, vt noui sacerdotij gloria ostendatur, quòd nouis pudicitiæ nitoribus splendeat. Vestis linea, zona ex auro obrizo continebatur. Renes eius, inquit, accincti auro obrizo, hoc est, mundissimo, vt interpretatur Theodoretus. At cur dicitur obrizum? Isidorus 16. Etymolog.

*Euangelium legi præstat.*

*Theodor.*

*Isidor.*

E 17. dictum obrizum ait, quia obradiat splendore suo. Plin. lib. 33. cap. 3. quòd sit coloris ignei. Aurum, inquit, quò magis arsit, eò magis proficit ad bonitatem, aurique experimentum ignis est, vt simili colore rubeat vt ignis, atque ob hoc obrizum vocant. Pagninus obrizum ab Ophir, quasi ophirizum. Erat autem Ophir locus feracissimus, vnde deuehi solitum ad Salomonem, 3. Reg. 9. 28. D. quidem Hieronym. epist. 140. ad Principiam virginem, aurum Ophir, & aurum primum pro eodem sumit; & à loco Indiæ, vel à colore ita dictum. Hebraicè, & Græcè, pro *Ophir*,

*Plinius.*

*Aurū obrizum quare sic dictum?*

*Auri experimentum ignis est.*

*Pagnin.*

*Obrizum, ab Ophir.*

*3. Reg. 9. 28.*

*D. Hieron.*

A est *Ophaz.* Vnde illud Ieremiæ 10. 9. *Argentum inuolutum de Tharsis affertur, & aurum de Ophaz.* Suntque aliqui nostri temporis Autores, qui Ophaz positum putent pro Sophala, loco videlicet prope nostrum Mocambiquum auri optimi feracissimo. Quidquid ergo in aliis varietatis sit, hoc tamen constat, per aurum obrizum significari aurum optimum, & ex hoc significari factam zonam, qua cingebatur Angelus. Cùm verò accinctus proponitur, significatur promptus, strenuus. Molles enim ac desides veteres appellabant discinctos. Persius Satyr. 3.

*Iere. 10. 9.*

*Ophaz positū pro nostra Sophala, quidā asserunt.*

*Aurū obrizum, aurum optimum.*

*Non pudet ad morem discincti viuere Nacæ?*

Et Liuius 5. bell. Maced. Nihil primo aspectu contemptius: equi, homines, paululi & graciles: discinctus, & inermis eques. Discinctos equites, hoc est, desides, ac minimè paratos ad pugnādum intelligit, aut non armatos, quod declarauit per inermes: nam & in re militari, accinctus pro armato, discinctus pro inermi sumitur in sacris literis. 3. Reg. 20. 11. Achab sic ad Regem Benadab, qui sibi insolenter minabatur ante prælium: *Ne glorietur accinctus æquè, vt discinctus.* quasi dicat: Parciùs ista; ne tu ante tubam glorieris, ac si tibi iam parta esset victoria.

*Accinctus auro, id est, promptus.*

*Persius.*

*Liuius.*

*Discincti, desides.*

4. Cùm ergo veniat Gabriel pugnaturus contra Principem Persarum pro Hebræis, iure præcinctus inducitur, quasi ad arma paratissimus. Similiter enim Raphaël Angelus, vt se socium Tobiæ promptum, & expeditum exhiberet, præcinctus ei apparuit. Tobiæ 5. 5. *Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum, stantem, præcinctum, & quasi paratum ad ambulandū.* Et Dominus cùm Apostolos expedire ad salutem vellet, præcingere iubet lumbos, Lucæ 12. 35. *Sint lumbi vestri præcincti*: volens nos esse paratos, & expeditos ad expectanda nouissima, ait Augustin. serm. 39. de verbis Domini. At cur præcingi oportuit Angelum auro obrizo, hoc est, zona, & auro purissimo? Crediderim, vt per eam significaretur amor Angeli Gabrielis erga populum Hebræum: nam symbolum amoris esse aurum, ostenditur ex illo Apocal. 3. 18. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum.* Laodiceno Angelo, hoc est, Episcopo, in quo amor erga subditos tepuerat, suadet Dominus emere aurum ignitum, id est, charitatem feruentem. Emere à me, id est, quantumuis illi constet magno, ad sui exemplum, cui etiam suus erga homines amor magno constitit. Rectè autem amoris symbolum dicitur aurum, quia sicut aurum inter omnia metalla principatum habet, ita charitas super omnes virtutes eminet. Vnde rectè Paul. Coloss. 3. 14. charitatem appellauit *vinculum*, siue zonam, *perfectionis.* Vt enim zona vltimo additur ad vestiendum corpus, nec quisquam perfectè vestitus dicitur antequam zonam superinducat; ita charitas omnibus quasi virtutibus superimponitur ad perfectionem. Vt hinc iam appareat, quare aurum obrizum in zonam appictum vestiat Gabrielem, quia amor eius erga populum cæteris omnibus virtutibus, quæ perfectum populi custodem facere possunt, longè superueniebat. Item quoniam is amor promptum eum, ac expeditum reddiderat ad pugnandum pro populo, conuenienti metaphora dicitur illum quasi zona præcingere. In eo verò quod dicitur ad renes præcinctus, mysteria rimantur aliqui, iámque hunc Angelum ad renes præcinctum comparant cum eo qui Apocal. 1. 13. apparet *præcinctus ad mamillas zona aurea.* Communes

*Tob. 5. 5.*

*Luc. 12. 35.*

*D. August.*

*Zona aurea amor Angeli Gabrielis erga populū Hebræum.*

*Apoc. 3. 18.*

*Aurū ignitum, charitas feruens.*

*Aurū significat amorē, quoniam & is primas habet inter virtutes.*

*Col. 3. 14.*

*Cur charitas vinculū perfectionis?*

*Amor decet perfectū custodē populi.*

*Cur hic Angelus ad renes præcingitur, apud Ioannem ad mamillas.*

*Apoc. 1. 13.*

interpretes, qui synceriùs, & exactiùs literam expendunt, nihil mysterij ad hunc locũ agnoscunt, id solum ex re præsenti ( vnde rectæ fieri coniecturæ in interpretando possunt ) aptè dixeris Angelum ad renes, & non ad mamillas præcinctum, quoniam hæc delicatior est ; ac vmbratili homini aptior; illa conuenientior descensuro in aciem ad præliandum, qualem se hoc loco exhibebat Gabriel. Denique vox Angeli dicitur, *vox aquarum multarum*, hoc est, terribilis ; qua de re superiùs diximus.

---

## *Num Princeps Persarum fuerit bonus, an malus Angelus, & quomodo cum Gabriele pugnauerit?*

### SECTIO III.

1. *Ratio difficultatis proponitur.*
2. *Principem regni Persarum fuisse malum Angelum, quomodo tueatur Rupertus? Quòd dæmon Princeps mundi dicatur: & quòd bonus Angelus nõ possit resistere bono Angelo, maximè contra expressam voluntatem Dei.*
3. *Fuisse bonum Angelum, tenent communiter Doctores; pugnam voluntate non absoluta, & de rebus contingentibus, quas ignorant. Locus Iob. de concordia Angelorum.*
4. *Pugna Angelorum coram Deo, qualis potuerit esse, describitur.*
5. *Probabile est, Principem Persarũ fuisse malum Angelum: malos item Angelos præfici à Satana singulis regnis.*
6. *Magis consonum esse Angelorum bonorum concordia, vt Princeps Persarum fuerit malus Angelus, ostenditur ex contextu.*
7. *Aliquantò probabilior est sententia opposita, quòd sit communior, & non dedeceat Angelos circa res dubias disceptare, & voluntate non absoluta. Probatur à Theodoreto bona ratione.*
8. *Contraria argumenta diluuntur. Ostenditur D. Hieronymus non fuisse opinionis opposita.*

1. QVAMVIS de hoc sæpe à nobis in transcursu dictum, tamen locus præsens suo iure postulat, vt ex professo rem ipsam tractemus. Sunt autem hæ duæ quæstiones inter se commixtæ: Fueritne Princeps Persarum bonus, an malus Angelus, & quomodo cum Gabriele pugnauerit? Nam quia aliquibus Autoribus visum est, bonos Angelos non posse sibi inuicem esse aduersos; hîc autem dicantur inter se præliari, statuerunt, Principem Persarum malum Angelum esse, & cum eo Gabrielem pugnasse pro liberatione populi. Vt autem ab ipso contextu ordiamur, sic Gabriel ad Danielem, Vers. 12. *Noli metuere, Daniel: quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudita sunt verba tua: & ego veni propter sermones tuos.* Vers. 13. *Princeps autem regni Persarũ restitit mihi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de Principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remansi ibi iuxta Regem Persarum.* Porro difficultatis cardo his ferè vertitur, Quis fuerit Princeps Persarum?

*Fueritne Princeps Persarũ bonus Angelus an malus, & quomodo pugnauerit?*

A Nã vel bonus Angelus, vel malus; si malus, quomodo dicitur Princeps Persarũ, & qui potuit tãtam habere vim, & potestatem, vt vno & viginti diebus restiterit Gabrieli? Si bonus, quomodo sic obnixè restitit tam bonam, & iustam agenti causam? Cùm verò Angeli sint incorporei, quomodo intelligendum est, illos inter se decertare?

2. Principiò ergo quærendum, Num qui hîc dicitur Princeps Persarum, fuerit bonus, an malus Angelus? Quòd fuerit malus, est sententia Cassiani collat.8.cap.17. & colla.13.cap.12. Item Ruperti lib.9. de victoria Verbi Dei, qui in eandem sententiam trahere conatur D. Hieronymũ: nam in commentario huius loci, de his Principibus ita: Isti sunt Principes, de quibus Paulus B scripsit, *Sapientiam loquimur inter perfectos, quã nullus Principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* Prima ratio ex Rupert. Dominus Ioan.14.30. appellauit dæmonem Principem mundi huius; si ergo totius mundi princeps diabolus, nónne consequenter, partium mundi, scilicet, Persarũ, atque Græcorum Principes intelligentur maximo Principi diabolo subministrantes? Confirmatur ex illo Pauli ad Ephes.6.12. vbi dæmones appellat *Principatus, & Potestates, ac Rectores tenebrarum harũ*: id est, Ruperto interprete, regnorum, in quibus vigebat idololatria, vt quorum dij fuerunt, multò rectiùs Principes appellati sint. Secunda ratio, quoniam inter Angelos bonos nulla esse possunt dissidia, ne dum prælia, & tumultus bellici. C Ergo quæ hîc asseruntur dissensiones, ac pugnæ, cum malis Angelis esse, intelligendæ sunt, non cum bonis. Et confirmatur, quoniam liberatio Hebræorum grata erat Deo, vtpote à Deo promissa. Cùm ergo promissionis tempus iam adesset, & iam cœpisset executioni mandari, quomodo bonorum Angelorum aliquis exequutionem hanc impedire ausus esset? Conuenientiùs ergo dicendum, Principem regni Persarum opponentem se Gabrieli fuisse Angelum malum, similiter & Principem regni Græcorum.

*Princeps Persarum Cassiano, malus Angelus est.* Cassian. Rupert.

Rupert. Ioan.14.30. *Si dæmon princeps mũdi, testimonio Christi, quomodo non Persarum?*

ad Ephes.6.12.

*Ex Paulo principatus, & potestates appellãtur dæmones.*

*Inter bonos Angelos nõ possunt esse dissidia, possunt tamen esse, malis cum bonis.*

*Deinde, quomodo exequutio liberationis potuit impediri à bono Angelo?*

3. Contraria sententia, nimirum Principem D regni Persarum fuisse bonum Angelum, ac adeò Angelos, qui præsunt particularibus regnis, bonos esse, & non malos Angelos, ac etiam, vt bonos Angelos verè hîc pugnasse inuicem, & posse inter se contendere, est inprimis Theodoreti hoc loco, D. Gregor.17. Moral. cap.8. quos sequuntur Scholastici cum D.Thom. 1. p. q. 113. artic.8. Ac primùm, quod attinet ad pugnam, censent communiter, Angelos bonos voluntate absoluta nunquam inter se discordare, sed tamen dum non est illis nota voluntas Dei ( multa autem de futuris cõtingentibus ignorare illos certum est ) posse de re aliqua coram Deo agere, ac contraria ab eo petere pro salute eorum, quos E custodiunt; sed manifestante Deo voluntatem suam, illico sedata omni dissensione, cum Deo, & inter se mirificè conuenire, quoniam, vt cum Deo, ita inter se charitatis vinculo coniunctissimi sunt; vnde illud Iob. 25. 2. *Qui facit concordiam in sublimibus*, videlicet beatis mentibus. & cap.38.37. *Concentum cœli quis dormire faciet?* id est, quis illam suauissimam beatarum mentium harmonicam consensionem interrumpere poterit? Cùm ergo appareat, quomodo non repugnet, Angelos bonos ita sibi repugnare, dicẽdum existimant hi Autores, Angelum Persarum, qui Gabrieli restitit, fuisse Angelum bonum à Deo præfectum

*Contraria sententia, Principem Persarum esse bonum Angelum.* Theod. D.Greg. D.Thom.

*Angeli boni non pugnãt voluntate absoluta.*

*Pugnãt cõtraria pro suis populis petendo.*

Iob.25.2. 38.37. *Voluntates Angelorum concordes, vt cõcentum harmonicum.*

fectum Persidi. Sic ergo rem explicant in subiecta materia.

*Descriptio pugnæ inter Principem Persarum, & Hebræorum.*

4. Angelus bonus Princeps regni Persarum, sic agebat coram Deo, ne Hebræorum captiuitas omnino solueretur: esse illos talis naturæ, vt aduersis rebus meliores essent: eorum peccata tot esse, vt non aliter diuinæ iustitiæ satisfieri posset: euenire quotidie, vt quia apud eos erat notitia veri Dei, multi Persarum ab idololatria conuerterentur: tantum verò emolumentum diuinæ maiestati gratum esse debere, cùm non Hebræorum tantùm, sed Persarum etiam, ac cæterarum gentium Deus esset. Contrà verò Gabriel, & Michaël pro Hebræis sic opponebát: Cùm exactum esset tempus captiuitatis Babylonicæ à Deo præstitutum, annum videlicet septuagesimum, iuxta prophetiam Ieremiæ, non modò decere eum, qui non solùm verax, sed fidelis est in omnibus verbis suis, fidem suam ac suorum soluere de perfecta liberatione populi: fidem Hebræorum periclitari maximè, iámque magna ex parte imminutam esse ob cósortium Persarum gentilium: cùm enim sint ad idololatriam procliues, facilè sese impiis superstitionibus implicare, &, ni sedulò separentur, periculum esse, ne quod in illis perexiguum superest religionis lumen, penitus extinguatur: non esse autem cum tanto detrimento vnius populi, paucorum, qui ob eius consuetudinem proficiunt, curandum emolumentum: esse quidem plerosque Iudæos improbos, sed inter eos esse aliquos perfectæ virtutis Heroës, qualis Daniel, cuius lacrymis, ac precibus, etiā pro iniquo populo, Deum deferre congruum videbatur. Quæ omnia etsi coram Deo leuia viderentur, meminisse oportere, ex eo populo Messiam oriturum, ac in eius gratiam totum populum meritò liberandum à captiuitate. Hæc ferè dici possunt momenta rationum, vltrò, citróque habita coram Deo ad liberandum, vel non liberandum populum, quæ ob id pugna, seu resistentia appellatur.

*Iudicium de vtraque sententia.*

*Opinio Cassiani, & Ruperti probabilis est.*

5. Proposuimus quid vtrique Doctores in rem præsentem senserint; nostrum iudicium fuerit, probabilem quidem esse Cassiani, Rupertique sententiam. Nam (præter rationes pro sententia Cassiani, ac Ruperti propositas, iuxta cómunem doctrinam, quam in Visione 16. Sect. 1. proposuimus) sicut cuilibet homini à natiuitate assignatur vnus Angelus bonus ad custodiam, ita Deo permittente à Principe dæmoniorum eidem assignatur malus ad subuersionem: similiter ergo, sicut cuilibet regno datur à Deo vnus bonus Angelus custos, ita ab eodem Principe dæmoniorum alter destinatur subuersor, & perturbator eiusdem regni; & hos fortasse esse eos credendum est, qui ab ordine principatus deciderunt, sicut Angelos bonos custodes regnorum, ex eodem ordine probabiliter assumptos existimare decet. Igitur iuxta opinionem Cassiani, ac Ruperti dici posset, eiusmodi malum principatum, siue Principem regni Persarum fuisse, qui restitit Gabrieli, quoniam non decebat, vt bonus Angelus custos eiusdem regni se opponeret: fecisse autem id malum Principem, non propter vtilitatem regni Persarum, sed vt Hebræo populo, qua posset, noceret, detinendo illum in captiuitate diutius, quàm volebat Gabriel. Ob hæc immeritò Scholiastes in prædictas collationes Cassiani hanc opinionem, vt apocrypham, & falsam, notat.

*Opinio Cassiani decet magis Angelorum statum.*

*Opposita aliquo modo dedecet harmonicā illā concordiam in Angelis.*

6. Certè quidem hanc partem existimo de Angelorum statu honorificentiùs sentire: nam cùm eorum concordiam, & conuentum non dormientem, hoc est, perenniter vigilantem, ac persistentem superiùs appellauerimus cum Iob; si vel eo modo, quo opposita sententia vult, dissentiant boni Angeli, absque dubio licet non perire in eis, certè dormire, interrumpi, ac obtundi ipsum acumen harmoniç fatendum est. Quod inhonestè cadit in illam sanctarum mentium vnanimem pacem. Et verè tota causa est, ob quam prædicti Autores asseruerint, Principem regni Persarum esse Angelum malum, quem à bono Angelo, aut ab eo bonum Angelum discrepare indecens non est. Præterea illud oportet considerare pro hac opinione; quoniam Gabriel Danieli ait: *Nunc autem missus sum ad te* (haud dubiè à Deo, qui iam suam voluntatem manifestauerat Gabrieli circa liberationem populi, & eam iubebat nunciari Danieli oranti) *& veni propter sermones tuos. Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti, & vno diebus:* quasi dicat, à principio orationis tuæ statim missus sum à Deo vt consolarer te, & docerem ventura populo tuo: sed mihi venienti occurrit Princeps Persarum, & detinuit me per vnum, & viginti dies, nolens me tibi auxiliari in tempore, cúmque multis rationibus instarem, pluribus aliis contra me ille insurgebat. Ex quibus videtur colligi, Gabrielem exposuisse Principi Persarum voluntatem Dei, vt se dimitteret, & nihilominus contendisse, vt illum moraretur, ac detineret, quod sanè bono Angelo attribui posse negandum est. Ergo conuenientiùs dicetur, Princeps Persarum fuisse malus Angelus, qui vel nota Dei voluntate resisteret adhuc.

*Cùm id innotuisset voluntas Dei, quomodo potuit Angelus bonus contraire?*

*Opposita tamē sententia probabilior est.*

*Est communior, & omnium ferè Scholasticorum.*

*Vt nō est indecēs Angelos ignorare multa, sic nō est indecens circa illa dissentire.*

*Non destruitur pax eorum, quia non pugnant voluntate absoluta.*

*Omniū vna victoria est, sui super se Creatoris voluntas.*

*Explicatur optimè à Theodoreto. Theodor.*

7. Verùm alteram sententiam credimus plus probabilitatis continere. Primùm, quia communior est, & ferè omnium Scholasticorum ad prædictum locum S. Thomæ. Deinde, quia sicut non est indecens bonos Angelos, multa quæ ad futura contingentia pertinent, ignorare: ita non est iudicandum indecens, circa illa ipsa diuersas eos habere sententias: sicut iuxta multorum opinionem, non est indecens, Angelos circa eadem futura discurrere; cùm tamen communis eorum prærogatiua sit, non discurrere, sed vnico intuitu res cognoscere. Nec verò per hoc Angelorum harmonica pax destruitur, quoniam non voluntate absoluta dissentiunt, sed conditionata, si Deo ita videbitur. Vnde definiente Deo, ac suam illis definitionem reuelante, cessat illico omnis dissensio, & secum inuicem, ac cum Deo sine vlla obmurmuratione, imò summa cum iucunditate conciliantur. Omnium enim (vt ait D. Gregor. citatus) vna victoria est, sui super se Creatoris voluntas. Sed & locum iuuat Theodoreti ponere, qui rem ipsam apprimè repræsentat. Princeps, inquit, Persarum, & Græcorum, id est, Angeli, quibus earum gentium custodia commissa erat, necessariò circa eas beneuolentia afficiebantur: cùm igitur cernerent Hebræorum iniquitatem, ægrè ferebant, tam ingratam gentem maiores prouidentiæ Dei fructus ferre: non enim nouerant in Deo occultum mysterium. Nam post aduentum Domini, & prædicationem Euangelij, *innotuit* (scribit Paul. ad Ephes. c. 3. 10.) *Principibus & potestatibus per Ecclesiā multiformis sapiētia Dei.* Hoc itaque mysterium ignorantes, & multam Dei prouidentiam circa populum considerantes,

*Ephes 3. 10.*

aliarum

aliarum gentium Principes custodes indignabantur, quòd cernerent Iudæos, etiam post legem ac Prophetas, deteriores esse barbaris populis. Et hoc significauit Angelus Danieli dicẽs: *Princeps regni Persarum restitit mihi vno & viginti diebus:* hoc est, his omnibus diebus persuadere ei studebam, iure hac Dei prouidentia dignos esse Iudæos opitulante mihi Michaële, &c. Hæc à Theodoreto. In quibus verbis animaduertendum est illud; quòd Angelus Persiæ non cognouerit occultum mysterium, id est, rationem occultam, quare Deus populum Hebræorum impensiùs foueret. Quæ certè fuit, quoniam ex eo Filium suum incarnandum disposuerat. Et hoc quidem fortè ignorauit Princeps Persarum: nam in mysterio Incarnationis, nec omnia, nec æquè cognouerunt Angeli, vt docet D.Thom.1.p.q.57. artic.5.& Doctores ibidem.

*Angelus Persiæ non cognoscebat occultũ mysterium maioris amoris Dei erga Hebræos.*

8. Ob hæc nobis apparet probabilior hæc sententia, & iuxta ea, quæ pro declaratione eius attulimus, ferè iam soluta sunt argumenta contraria. Verùm loca, quæ afferuntur pro confirmatione, omnino declaranda sunt. Primùm ergo videtur D.Hieron. eius opinionis non fuisse: nam ait eo loco, hunc Principem Persarum à Deo destinatum pro custodia eius gentis; at malum Angelum non destinat Deus custodiæ regnorum; id enim esset oues suas lupis committere. Cùm tamen addit esse Persarum Principem, de iis Principibus seculi, qui Dominum crucifixerunt, loquitur ex aliorum sententia: solet enim D. Hieronymus in explicandis sacris literis diuersorum Autorum, tacitis sæpe eorum nominibus, sententias aliquando contrarias ponere, nec interim diiudicare, sed earum iudicium lectoris arbitrio liberum relinquere: de quo cùm ab æmulis carperetur, seipsum purgat 4.volum. super Ieremiam. Quòd verò Christus dæmonem appellet Principem huius mundi, & Paulus Principes, Potestates, & Rectores tenebrarum harum, non ideo credendum, vel Christum, vel Paulum velle dæmones præesse mundo, ac regnis particularibus, sed ex peccatis hominum id euenire: iuxta illud Ioan.8.34. *Qui facit peccatum, seruus est peccati*, & ex consequenti dæmonis, cuius impulsu peccat. Itaque ipsi peccatores se dæmoni subiiciendo, Principem illum super se faciunt. Ad locum, qui paulò antè ex ipsa serie contextus adductus est, dicendum, Angelum Principem regni Persarum non cognouisse à Gabriele voluntatem Dei de liberando populo, & propterea restitisse illi. Verùm hoc difficillimè capitur. Nam vt statim expediret se à Principe Persarum, satis erat voluntatem Dei circa populi liberationem, in primo occursu pandere, cur ergo vno, & viginti diebus pugnarunt? Fortè noluit Deus occultam voluntatem suam de hac re pandi. Ob hæc ergo rectè Emmanuel de Saa: Mihi, inquit, planè mirabilis videtur, & intellectu difficillima ista Angelorum inter se pugna. Et paulò infrà: Quis hoc intelligat? qui intelligit, explicet.

*D.Hier. D. Hieronymus non videtur oppositã sententiã habuisse.*

*Principes ac Potestates à Christo, & Paulo dici, ex peccatis hominum. Ioan.8.34.*

*Angelus Princeps Persarũ non cognouit voluntatem Dei de liberando populo.*

*Difficillima ad intelligendum pugna Angelorum.*

VISIO





# VISIO VIGESIMASEPTIMA, DE FICTORE LOCVSTARVM. DE IVDICIO IGNIS, ET DE MVRO LITO, QVAM HABVIT AMOS.

*Amos cap. 7.*

## PRÆFATIO.

### *De Amos Vidente.*

D. Hieron. *Amos, populus auulsus, vel idem ac onustus.* Epiphan. *Non fuit pater Isaiæ.*

AMOS, qui (vt ait D. Hieronymus) in procemio eius prophetiæ, interpretatur populus auulsus: & (vt idem in epistola ad Paulinum testatur) idem est, ac onustus, creditus est ab Epiphanio de vita, & interitu Prophetarum, pater Isaiæ Prophetæ: verùm id esse falsum probat ibidem D. Hieronymus ex dissimilitudine literarum: deinde ex eo conuincitur, quòd Isaias vir erat Regiæ stirpis claritate præcellens, vt latè ostendimus in Præfatione ad eius Visionem: at Amos, de quo agimus, humili se loco natum profitetur cap. 7. cùm ait: *Armentarius ego sum, vellicãs sycomoros.* Quo loco D. Hieronymus humilem, & rusticum pastorem fuisse dicit. quare falsò quidam asseruerunt, diuitem eum fuisse pastorem, quales antiquitas habuit, claros alioqui Principes, inter quos Mesa Rex Moab 4. Reg. 3. 4. vbi sic: *Porro Mesa Rex Moab nutriebat pecora multa*: pro quo est in Hebræo נקד quo nomine significatur pastor. Verùm, נקד propriè, nutritor pecoris est; nutrire autem pecora dicitur & ipse dominus, qui habet, & ipse eius minister, qui pascit. Itaque cùm nomen, נקד absolutè ponitur, ex adiunctis intelligendum, pro quo sumatur, pro diuiténe pastore, an pro paupere; & de Mesa quidem, cùm Rex fuerit, liquidò constat sumi pro pastore diuite, ac nobili. De Amos verò, cùm is asserat, se nõ ab alio victum quærere, quàm ex vellicatis sycomoris, profectò dubitare nemo potest fuisse pauperem. Vnde Cyrillus Alexãdrinus præfatione in Amos, Amos, inquit, fuit opilio, pastoritiis moribus, & institutis educatu s.

*Amos humilibus natus.* 4. Reg. 3. 4. *Amos pastor pauper, non diues.*

A 2. Natus est Amos Thecue, vt autor est idem Cyrillus loco citato. Fuit autem Thecue oppidum, vnde Ioab euocauit viduam illam sapientem, vt proposita coram Dauide parabola liberaret Absalom, 2. Reg. 14. & creditur (vt ait Glossa minor) auia fuisse Amos Prophetæ. Hoc oppidum postea reædificatum est à Roboam, 2. Paralip. 11. Tempore Iosephi viculus erat, vt is testatur 5. de bello Iuda. 7. & Hieronymus ad cap. 6. Ierem. Iacet ad Meridianam plagam, distãs ab Hierosolyma duodecim B millibus, sex autem à sancta Bethleem, quæ mundi genuit Saluatorem, & vltrà (inquit Hieronymus) ne minimum viculum, aut parua mapalia cernere est. Tanta videlicet eremi vastitas, quæ vsque ad mare rubrum, Persarúmque, ac Æthiopum, Indorúmque terminos dilatatur, & quia humo arida, atque arenosa, nihil omnino frugum gignitur, cuncta sunt plena pastoribus, vt sterilitatem terræ compensent pecorum multitudine. Ex hoc numero pastorũ fuit Amos Propheta imperitus sermone, sed C non scientia. Ita D. Hieronymus. Verùm D. Cyrillus non aridam terram, sed per se irriguam, & compascuam testatur. Vixit, inquit, Amos in solitudine Iudææ, quæ versùs Austrum sita, vsque ad fines maris Indici pertinet, & ad Persidem vsque porrigitur, in qua gentes quamplurimæ pascunt: est enim propter amplitudinem, irrigationem, herbarúmque diuersitatem, ad ouium greges alendos percommoda. ita Cyrillus. Et certè Thecue cõtermina fuisse fœcunda, præcipuè oliuarum, testatur Rabbi Salomon, & Rabbi Kimbi: non tamen probamus quod addunt, propterea inde

*Thecue, patria Amos.* *Vidua Thecuitis, credita Amos auia.* *Situs Thecue.* *Eremus, quæ à Thecue extenditur, plena est pastoribus, & arida, iuxta Hieron.* *Iuxta Cyrillum terra multis aquis irrigua.*

*Vidua Thecuitis unde sapiens? Quòd in locis oliuarum feracibus sapientes gignantur, sine fundamento.*

inde vocatam mulierem sapientem, quòd A in regionibus oliuatum feracibus sapientes nascantur: nam etsi veteres ethnici facilè admitterent, quòd oliua Mineruæ (quæ Dea sapientiæ erat) inuentum sit, iuxta illud Virgilij 1. Georg.

*Adsis, ô Tegæe pater, oleæque Minerua Inuentrix;* ———

*Vidua inde ducta, quòd per se sapiens esset mulier.*

nos tamen vtrumque reprobandum putamus, quòd nullo vel rationis, vel experiētiæ, vel pietatis fundamento nitatur. Iure ergo Abulensis mulierem inde adductam credit, quod esset sapientiæ fama celebris, aliunde idemtidem euocandam, si ibi floreret. Collige ex dictis, Amos non fuisse de tribu Zabulon, vt putauit Epiphanius, sed de tribu Iudæ, in cuius sorte constat fuisse Thecuam.

*Amos de tribu Iuda, non Zabulon.*

3. Electus verò est Amos à Deo, ac pastoralibus eductus, ad munus prophetandi, sicut Dauid de post fœtantes acceptus, pascere Iacob, & Israël hæreditatem Dei, Psal.77.71. quoniam in eo magis elucebat diuina potentia, vt per infirma instrumenta mirabiliùs operaretur, iuxta illud 1.Corint.1.27. *Infirma mundi, & contemptibilia, & ea, quæ non sunt, elegit Deus.* quod de Apostolis dictum, qui cùm essent indocti, & pauperes, ad munus tamen Apostolicum aptiùs assumpti sunt, quod in eis totum diuina potentia gloriosiùs suppleuerit; de quo illud ab Augustino egregiè dictum Serm.59. de verbis Domini: Veni tu pauper: nihil habes, nihil nosti? sequere me tam largo fonti vas inane admouendum, ita August. Idcirco Amos, neque obscuritas patriæ, nec humilitas muneris impedimento fuit, quominus clarus inde euaserit Vates, quod simili ratione de Samuele, & aliis asserit Gregorius Nazianzenus Oratione 25. vt seipsum rustica sectātem contra æmulos defenderet. Parua, inquit, illa Ramatha, magni Samuelis patria, dedecori illi, aut impedimento, quominus Deo, priusquam in lucem prodiret, donaretur, & oracula ederet, & futura prospiceret, Regésque, ac Prophetas vngeret, atque ex claris ciuitatibus ortos regeret. Quin & Saul asinas quærens, regnum inuenit. Quid Amos? nónne caprarius erat, morósque

*Deus per infirma instrumenta mirabiliùs elucet. 1.Cor.1.27.*

*D. August. Quia totum Deo tribuitur. Deo infirmi & indocti, vt fonti vasa vacua admouenda.*

*D. Gregor. Nazianz. Samuele parua Ramata eductus ad seruiendū Deo.*

carpebat, cùm Prophetæ illi delegatum est munus? Quid Ioseph, qui è seruo, frumenti in Ægypto distributor fuit? Quid Moyses, qui priùs expositus, deinde legislator, ac Imperator Hebræorum? Quid Elisæus, cuius melote plus virium habuit, quàm fila serica, & aurum vestibus per vim assutum? Nec verò vlteriùs progredi dubitabo, Deum rusticitatis meæ patronum nactus: cum Bethleem igitur collocabor, cum præsepe vili pendar. Hæc ferè Nazianzenus.

*Moyses, expositus, postea imperator Hebræorum.*

*Deus rusticitatis patronus.*

B 4. Quare perquam aptè Amos dicenti sibi Amasiæ Sacerdoti Bethel, cap.7. *Qui vides gradere, fuge in terram Iuda, & comede ibi panem, & prophetabis ibi, & in Bethel non adiicies vltrà, vt prophetes, &c.* Respondit: *Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ, sed armentarius vellicans sycomoros: & tulit me Dominus cùm sequerer gregem, & dixit: Vade, propheta, &c.* Hæc à sancto Propheta ideo dicta sunt, vt à se omnem prærogatiuam impositi à Deo muneris amoueret, vtque solius Dei (ait Alexandrinus C Cyrillus) in se arbitratus ostēderetur; quo titulo insigniuit Deus Ecclesiam primitiuam, dum per Isaiam dixit, vocandam voluntatem suam in ea, cap.62. 4. *Vocaberis voluntas mea in ea:* videlicet, quia primi illi Ecclesiæ parentes Apostoli, nullam in se ad sublime Apostolorum munus prærogatiuam præferebant, sed solā ipsam Dei voluntatem, per quā erant, quidquid post vocationem suam in mundo erant. Quia verò Amos humiliauit se (inquit Hieronymus) meruit illico spiritu prophetico armari contra ipsum Amasiam, cui dura admo- D dum ex præcepto Dei futura supplicia liberè prædixit.

*In Amos eminebat solius Dei arbitrium.*

*Ecclesia voluntas Dei dicta, quid sola in Apostolis clarit.*

5. Prophetauit iisdem temporibus quibus Ioel, Nahum, Ionas, Osee, Isaias, maximè contra decem Tribus, quas vehementer terruit quatuor Visionibus, in cap.7. à nobis explicandis. Interserit autem pauca de duabus Tribubus, Iuda, & Benjamin: viguit porrò sub Regibus Osia, & Ieroboam. Eum Amasias Sacerdos frequenter plagis afflixit, tandem filius eius Osias vecte per E tempora transfixit, vnde semiuiuus in terram suam deductus post dies aliquos dolore vulneris expirauit.

*Quo tempore prophetauerit Amos.*

ARGV

# ARGVMENTVM VISIONIS.

*VIDET Propheta sub specie fictoris multarum locustarum, Deum ipsum quasi preparantem cladem inferendam per Assyrios in decem Tribus. Deinde visus est in igne Deus, vocans ad iudicium duas Tribus, Iuda, & Benjamin, vt ferret in eas sententiam captiuitatis, quam exequutus est per Nabuchodonosor, qui vrbe Ierusalem, templóque succenso, populum Hebræum in Babylonem transtulit. Postea apparet Propheta super murum litum, trullam cæmentariam præ manu habens, quam postea visus est deponere, quasi abstinere volens ab opere linendi murum, seu fouendi, ac protegendi ab iniuriis aduersariorum decem Tribus, locum videlicet dans Assyriis, vt eas vastarent, atque in captiuitatem pertraherent.*

## CAPVT VII. AMOS.

1. HÆc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locustæ in principio germinantium serotini imbris: & ecce serotinus post tonsionem gregis.

2. Et factum est, cùm consummasset comedere herbam terræ, dixi: Domine Deus, propitius esto, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?

3. Misertus est Dominus super hoc: Non erit, dicit Dominus.

4. Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus: & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partem.

5. Et dixi: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?

6. Misertus est Dominus super hoc. Sed & istud non erit, dicit Dominus Deus.

7. Hæc ostendit mihi Dominus, & ecce Dominus stans super murum litum, &



## PARAPHRASIS.

A 1. *DEus re ipsa mihi ostẽdit, quæ apud vos concionatus sum verbis, de futura captiuitate. Vidi ego propheticis oculis rem miram: Deum sub forma hominis fingere manibus magnam locustarum multitudinem, quæ vel ipsa specie bellicum innuunt, & plagas portendunt, repræsentabántque mihi Assyrios milites, quos Deus iam præparabat ad inferendum bellum decem Tribubus. Vidi autem locustas fingi tempore maximè apto ad ipsam plagam, cùm scilicet*
B *cet omnia germinare solent ad imbrem serotinum, qui vere decidit, vobis videlicet prosperè, ô Israëlitæ agentibus post cladem Salmanasar, qui vos attondit.*

2. *Cùm autem iidem Assyrij duce Sennacherib veluti locustæ vastassent terram duarum Tribuum præter Ierusalem: oraui ego Dominum, vt propitius esset populo suo, & saltem reliquias seruaret in vna Ierusalem. Si enim tu prostraueris, quis eriget? miserere paruuli Iacob, decem Tribuum, quæ tot cladibus penè deletæ sunt, & duarum Tribuum, quæ magna ex parte afflictæ*
C *iacent. Si tu reliquias extinxeris, quis excitabit?*

3. *Dominus autem misericordia motus pollicitus est non futuram plagam ob preces meas.*

4. *Vlteriùs mihi reuelata est per Visionem desolatio duarum Tribuum: Deus videlicet vocans iudicium ad ignem. Nam cùm iam supplicii aliis vsus esset, nec quicquam proficeret: visus mihi est ignis desolatorius deuorare abyssum illam magnam, nempe, vrbem Ierusalem, populis frequentissimam, & templum ipsum, partem, ac hæreditatem Domini.*

5. *Tum ego opposui me ipsum Domino furẽ-*
D *ti, atque in hunc modum precatus sum: Quiesce, Domine, quiesce, obsecro; contine iram tuam in populum tuũ, filius est, paruulus est, cur irasceris in puerum tuum? & quis prostratum à te eriget?*

6. *Et Dominus misericordiam iterum præstitit; abstinebo etiam nunc, ait, à pernicie inferenda propter preces tuas.*

7. *Adiecit Dominus insuper & Visionem aliam: vidi Dominum super murum arte cæ-*

in manu eius trulla cæmentarij.

8. Et dixit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël: non adiiciam vltrà superinducere eum.

9. Et demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur: & consurgam super domum Ieroboam in gladio.

10. Et misit Amasias Sacerdos Bethel ad Ieroboam Regem Israël, dicens: Rebellauit contra te Amos in medio domus Israël, non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius.

11. Hæc enim dicit Amos: In gladio morietur Ieroboam, & Israël captiuus migrabit de terra sua.

12. Et dixit Amasias ad Amos: Qui vides, gradere, fuge in terram Iuda: & comede ibi panem, & prophetabis ibi.

13. Et in Bethel non adiicies vltrà vt prophetes: quia sanctificatio Regis est, & domus regni est.

14. Respondítque Amos, & dixit ad Amasiam: Non sum Propheta, & non sum filius Prophetæ: sed armentarius ego sum vellicans sycomoros.

15. Et tulit me Dominus cùm sequerer gregem: & dixit Dominus ad me: Vade, propheta ad populum meum Israël.

16. Et nunc audi verbum Domini: Tu dicis, Non prophetabis super Israël, & non stillabis super domum idoli.

17. Propter hoc hæc dicit Dominus: Vxor tua in ciuitate fornicabitur: & filij tui, & filiæ tuæ in gladio cadent, & humus tua funiculo metietur: & tu in terra polluta morieris, & Israël captiuus migrabit de terra sua.

A *mentaria optimè litum, & calce superducta complanatum aptè ad firmitudinem; quin & in ipsius Domini manu vidi trullam fabri murarij, cúmque veluti accinctum ad reficiendum parietem, si opus esset; & videbar videre illum populo suo sic incumbentem, paratum videlicet ad reficiendum, & confirmandum illum aduersus hostes suos.*

8. *Ecce ego dimittam decem Tribus, nec ampliùs protegam illas, aut aliquid operabor, vt contra hostes muniam, deponam ego trullam, nec linam, firmabóque ampliùs hunc populum,*
B *sed permittam, vt pateat iniuriis hostium suorum.*

9. *Euertentur autem excelsa, vbi idolis antea ridiculis sacrificabant. Præterea templa idolorum, quæ erant in Bethel, & in Dan, aliísque locis, æquabuntur solo. Et interfici faciam de familia Ieroboam, qui idola illa excogitauit in ruinam populi, filium eius Zachariam.*

10. *Tunc Amasias, qui Sacerdotio idoli fungebatur in Bethel, misit nuncios ad Ieroboam, qui dicerent, Amos quasi rebellem congregationes, & coniurationes facere contra religionem ab eo excitatam in Bethel, futurúmque, vt*
C *citò populus ob sermones eius deficiat, ac rebellet contra Regem.*

11. *Clamare illum in medio populi, Regem Ieroboam interficiendum gladio, & populum ducendum captiuum.*

12. *Et, ô Videns (ait Amasias) abi hinc in terram tuam Iuda, ibi viues, & plurimi sermones tuos audient, téque vt à Deo missum venerabuntur, hîc tu nec prædicatione prefices, nec securus ages propter Regem.*

13. *Caue autem ne vlteriùs in Bethel prophetes: irritabis enim Regem, qui huius religionis autor est, ægréque feret in sua te regia ita li-*
D *berè concionari.*

14. *Respondi ego monenti me Amasiæ: Ne putes me vltrò huc venisse, aut officio me Prophetæ functum antea: armenta boum ex officio sequor, & paupertatem meam leuare soleo rustico cibo ex sycomoris vellicato.*

15. *Cùm autem pascerem oues securus prophetiarum, vocauit me Dominus è medio gregis, mandauítque mihi prophetarem ad populum suum Israël.*

16. *Nunc autem, quid Dominus dicat, audi (non enim desistam prædicare verbum Domini*
E *ad minas tuas:) Tu dicis non debere me vaticinari in Israël, nec iram Dei per verba mea stillare, guttatímque eluere in domum istam ridiculam idoli Bethel.*

17. *Quandoquidem tu, ô Amasias, excitas populum ad idololatriam, ac fornicationem spiritualem, in pœnam impiæ prædicationis fornicabitur vxor tua in ciuitate, vt publica meretrix, filiíque tui, ac filiæ tuæ trucidabuntur, & patrium hoc solum extenso*

funicu

*funiculo alienis militibus Assyriorum distribuetur. Denique quod omniũ est miserrimũ, captiui ducemini in Assyrios, ita vt in terra idolorũ cultu polluta moriamini.*

## COMMENTARIVS.

TRes visiones, quoniam ad idem tendunt, vnicam reputamus. Eam porro tribus sectionibus explicabimus. Dicemus primò de fictore locustarum contra decem Tribus. Deinde de aduentu Domini in flamma ignis ad iudicandum duas Tribus. Denique de fabro cæmentario, hoc est, Deo fabricatore & conseruatore populi Israëlitici, déque supplicio decem Tribuum.

### *De fictore locustarum, déque significatione earum hoc loco.*

### SECTIO I.

1. *Quid sit fictor ex Hebræo, & loco Zachar. 11. & Matth. 27. 5. de Iuda proditore.*
2. *Lectio Montani improbatur. Describitur locusta ex Plinio, & Prouerb. 27. Qualem ducem habeat, quodammodo armata. Illustratur Ioel. 2. Ira Dei inseruiit Ægyptiorum plaga.*
3. *Per locustas metaphoricè significari Assyrios, qui terram decem Tribuum deuastarunt.*
4. *Allusio ad pluuiam serotinam in Psal. 67. vbi agitur de irrigatione animarum opportuna.*
5. *Imber serotinus, & temporaneus, quid propriè? Allegoricè quomodo sumantur?*
6. *Quomodo Deus fictor, & excogitator malorum? Locus Ieremiæ 18. annotatore Tertulliano.*
7. *Salmanasar, quare Rex absolutè nominatus? & quare Osea 5. dicatur Rex vltor?*



ROPONIT Vates primam Visionem sub his verbis, Vers. 1. *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce fictor locustæ, in principio germinantium serotini imbris, & ecce serotinus post tonsionem gregis.* Hebr. *Post tonsiones herbarum, quas fecit Rex pro suis animalibus.* Sept. *Et ecce fœtus locustarum. Et ecce bruchus vnus Gog Rex.* Primùm quid sit propriè fictor, declarandũ est, Hebraicè quidem est, יוצר quod propriè significat plasten, hoc est, formatorem, qui videlicet in quampiam materiam, siue ligni, siue æris, siue luti figuram inducit. Isai. 44. 9. *Plastæ idoli omnes nihil sunt.* Hebraicè idem nomen: eo iure autem nihil sunt, quo *idolum nihil est*, 1. Corint. 9. 4. nempe effigies mera absque re, ita plastę idolorum, qui tales scilicet effigies colendas efformant, nihil & ipsi reputantur, vanissimi sunt, nihil hominis habẽtes præter meram effigiem, sine re omnino, sine humana ratione, sine discursu, denique sine anima, quæ secundùm rationem naturalem effingere nõ possũt eiusmodi imagines, quæ colantur vt dij. Similiter Zachar. 11. 12. *Appenderunt mercedem meã triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: Proiice illud ad statuarium.* Hebraicè idem nomen, יוצר Est autem sermo ad literam de triginta argenteis, quos Iudas Iscariotes accepit in pretium venditionis Christi, ac postea desperatione actus retulit ad Principes Sacerdotũ, proiecitque in tẽplũ, qui inito consilio emerunt ex illis agrũ figuli in sepulturam peregrinorũ, Matth. 27. 5. Ergo dũ Iu-

*Varia lectio.*

*Fictor propriè, plastes, qui in quãlibet materiam figurã inducit.*

Isai. 44. 9.

1. Cor. 8. 4.

*Fictores idolorum quomodo nihil sunt?*

Zach. 11. 12.

Mat. 27. 5.



A das pecuniam proiecit in templum, quæ statim figulo data est pro agro in sepulturam, in figulum quasi proiicere dicendus est, siue in statuariũ, hoc est, fictorem. Vnde Matth. c. 27. 9. citans hoc testimoniũ, & interpretans ait: *Et dederunt eos*, i. argenteos, *in agrum figuli.* Quòd verò Matthæus citet ibi Ieremiam pro Zacharia, res est eo loco valde controuersa. Igitur cùm Propheta hîc ait: *Ostendit mihi Dominus Deus: & ecce fictor locustarum*, intelligendum est, Deum ipsum ostendisse se Vati, sub specie fictoris, siue plastæ, aut formatoris locustarum.

*Quomodo triginta argentei proiecti ad figulum?*

*Deus ipse sub specie fictoris locustarum.*

B 2. Locustæ Hebraicè, גוב & ita legendum, probatur ex Septuaginta, ex Chaldæo, & communi lectione Hebręorum, item ex recentioribus communiter; quare Arias Montanus, qui, נגשי id est, *exactores* legit, illis omnibus malè repugnat. Notum autem est animal; describitur à Plinio lib. 11. c. 29. inter alia sic eo loco: Deorum iræ pestis intelligitur, maria transeunt, quin & immensos terrarum tractus permeant, solem obumbrant; suspectantibus populis ne suas operiant terras, omnia contactu adurentes, aut morsu erodentes, ad hæc enim omnia sufficiunt vires. De locusta quoque Salomon Prouerb. 30. 27. *Regem, inquit, locusta non habet, & egreditur vniuersa per turmas suas.* Sed annota: ducem quidem è genere suo non

*Arias Montanus perperam interpretatur.*

Plinius.

*Descriptio locustarum à Plinio.*

*Describitur & à Salomone.*

C habere; esse tamen illi pro duce (ait Rupert. ad c. 10. Exod. magnum imperium Dei, sub quo strenuam peragit militiam. Est autem in fabrica locustæ quippiam bellicum: nam caput habet crustula in modum cassidis tectum, femora, & crura terræ similia; corpus totum membranulis sese prementibus, quasi loricatum. Lubet his congruã subnectere descriptionem locustarum à Claudiano positam Epigram. 13.

Prou. 30. 27.

Rup.

*Dux locustarum, magnum imperium Dei.*

*Inest locustæ aliquid bellicum.*

Claudian.

——*Horret apex, medio fera lumina surgunt*
*Vertice, cognatus dorso durescit amictus,*
D *Armauit natura cutem, dumque rubentes*
*Cuspidibus paruis, multis acuere rubores.*

Vnde Rupertus in loco citato, valentes vocat duce Deo milites. Hæ sũt, inquit, castrorũ Dei acies. & huiusmodi cohortibus cõponit legiones suas.

Rup.

*Locustæ milites Dei.*

Etsi ergo locusta paruum animal sit, tamen habet in se, quo gregatim sumptum bello seruiat, & iuxta naturam suã calamitosum est humano generi; ac adeò non mirum, si iræ Dei aduersùs homines sæpe inseruierit. Et quidem inter plagas, quibus Deus flagellauit Ægyptũ, vna fuit locustarum, Exodi 10. 4. *Ecce ego inducam cras locustã in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fue-*

*Vna plaga Ægypti.*

Exod. 10. 4.

*rit grandini: corrodet enim omnia ligna, quæ germinãt in agris*, &c. Re verò ipsa expertus Pharao comminationem Diuinam per immensas locustas, quarum plagam non potuit melius exprimere, quàm appellando mortem. *Rogate* (inquit ad Moysem, & Aaron) *Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Et certè Ioelis 2.25. Cùm Dominus de simili plaga locustarum loqueretur, ostendens qualis illa demum esset, ait: *Fortitudo mea magna, quam misi in eos.* Quare & mortales aliquot in vsu habent, vt certis anni temporibus prodeant ad debellandum locustas, vt in Syria, ac in Cyrenaica regione, ter in anno, ait Plinius loco citato.

*Plagam locustarum appellat Pharao mortem.*

Ioel. 2. 25.

*Plaga locustarum fortitudo magna Dei.*

Plinius.

3. Verumenimuerò locustas hoc loco metaphoricè sumit Vates pro Assyriis, qui paulò post hanc prophetiam, hoc est, quarto anno regni Ezechiæ, duce Salmanasare rege, venit in Samariã, ac decem Tribus transtulit in terrã suam, vt narratur 4. Regum 18. Quoniam autem Assyrij per totam illam terram decem Tribuum latè effusi, penitus eam demoliti sunt, eóque præcipuè tempore, quo Israëlitæ post primam tonsionem, vt hîc dicitur, factam sub rege Zeglatphalasar, cùm pars decem tribuum attonsa est, id est, in captiuitatem ducta, germinare incipiebat, & in spem erigebatur recuperandi pristinam libertatem: idcirco congruentissimè hoc loco æquiparantur locustis, quæ terras ingenti clade deuastare solent, eo præcipuè tempore, quo prata, horti, pomaria virescere, ac germinare solent: *In principio*, inquit, *germinantium serotini imbris*, id est, cùm solent omnia germinare per imbrem in vere decidentem: serotinus enim imber vrgente in finem Aprili decidit, vt fructus ad maturitatem perducat.

*Per locustas accipit Assyrios.*

4. Reg. 18.

*Prima tonsio prima captiuitas.*

*Serotinus imber Aprili decidit.*

4. Ad hanc pluuiam allusio est in illo Psalmi 67.10. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hereditati tuæ, & infirmata est, tu vero perfecisti eam.* iuxta Hebræum, *pluuiam voluntatum*, hoc est, desiderabilem, qualis est Aprilis pluuia. Metaphoricè, pro congruente cælestium donorum profusione, per quam anima, cùm iam incipit languescere præ siccitate spiritus, opportunè à Deo irrigatur, ac perficitur maturitate bonorum operũ; sicut terra vestita frugibus; si sub Aprilis finem desideret aquam, facit eam tunc propriè desiderabilem, ac planè voluntariam, adeóque tunc decidens, implet omnium vota, & securum reddit agricolam, perficitque annũ reducendo ad perfectum, qui aliter malus annus, imperfectúsque diceretur.

Ps. 67. 19.

*Pluuia Aprilis, pluuia voluntatũ, id est, optata.*

*Anima opportunè à Deo irrigata per gratiam.*

5. Pluuia ergo voluntaria, & serotinus imber idem sunt; serotinus imber ad differentiam temporanei, qui decidit mense Octobri, seruitque sationi: qui, etiamsi desideria quoque agricolarum exercet, non tamen tanto cum ardore, ac siti: nam plus accendit animum seges bene culta, ac penè iam fructum emittens, vt desideretur aqua, sine qua marcesceret, quàm nondum nata. Vnde Zach. 10. 1. *Petite*, inquit, *à Deo pluuiam in tempore serotino.* id est, cùm maximè desiderari solet. Sub metaphora autem temporis serotini, quo maximè agricolæ hiant ad pluuias, hortatur homines, petant à Deo doctrinam Euangelicam, quæ serò, seu nouissimis temporibus ventura expectabatur illo ipso tempore congruenter emittat. Quare pulchrè admodum D. Hieronymus in 28. Iob. & D. Cyrillus Alexand. loco Zachar. citato, pluuiam temporaneam & serotinam vocant vetus

*Imber temporaneus mense Octobri decidit.*

Zach. 10. 1.

*Pluuia serotina, doctrina Euangelica.*

D. Hier.

D. Cyrill. A.

A Testamentum atque nouum. Pluuia, inquit, temporanea fuit doctrina legis data per Moysem, qua semina iacta per Patres legis naturæ germinarunt: doctrina nouæ legis, est pluuia serotina, qua fructus maturescunt, & perficiuntur; *nihil enim ad perfectum adducebat lex*, Hebr. 7. 19. perfectio, & maturitas Euangelio relinquebatur. Itaque tempus Christi dicitur serotinum, tempus Moysi temporaneum. In eo igitur Assyrij propriè locustis assimilantur, quòd decem Tribus, dũ germinare, ac prosperè agere incipiebant, omnino deuastarunt.

*Pluuia temporanea & serotina, vetus ac noui Testamentum.*

Hebr. 7. 19.

*Perfectio & maturitas propria Euangelij.*

6. Consideratione verò dignum, quomodo inducatur hoc loco Deus sub specie fictoris locustarum, quasi multo studio, & artificio in id opus incumbens. Quod quidem id primò ostendit, sicut in eiusmodi animalculis elucet diuina ars, nec in vllo magis, quàm in his tota natura est, vt loquitur Plinius lib. 11. c. 2. ita Deum in excogitandis concinnandisque suppliciis magnum artificem agere, qualem se in fingendis locustis, & huiusmodi aliis insectulis prẹstare solet. Sic ergo Ierem. 18. 11. *Ecce ego*, inquit, *fingo contra vos malũ, & cogito contra vos cogitationem.* Posterior sentẽtia declarat priorem more Scripturæ, & modus ille loquendi, *cogito cogitationem*, habet emphasim, hoc est, studiosè cogito, & vno verbo Latini dicunt *excogito*, quod est cogitando exquirere, vnde res excogitata, & exquisita, hoc est, accuratè, & ingeniosè intra mentem præstructa; *cogito* ergo *contra vos cogitationem, & fingo contra vos malum*, hoc vno sensu significat, Deum fingere, & excogitare mẽtis suæ præacuta acie pœnam congruentem peccato Iudæorum: nam tali culpæ debita talis pœna, & tali alteri, altera suo modo conueniens; at verò hos modos aptè, & congruenter apponere, mentis est ad inueniendum & excogitandum acris. Quoniam verò statuebat punire decem Tribus eo potissimùm tempore, quo germinare incipiebant, vti diximus; idcirco dicitur fingere locustas, seu præmouere, & præparare Assyrios, qui tamquam locustæ in ipsa appetente germinatione illas corripiant, & extinguant. Vnde Tert. 2. contra Marcion. illud apud Ierem. *fingo malum*, sic in rem nostram explicat. Malum, ait, non peccatorium, sed vltorium, cuius sic diluimus infamiam, vt congruentiam Iudici. id est, intelligimus Deum fingere, seu formare malum non culpæ, sed pœnæ, quod malum sic ostendimus non infamare Deum, vt peccatorem, sicut nec Iudicem illud, quod reo ad vltionem congruenter infert. Vt solet ergo Iudex in eo prẹcipuè laborare, vt peccatis contra leges commissis congruentia decernat supplicia, & ad hoc acri iudicio fit necesse: ita Deus, vt congruenter puniat, iudicium, & studium adhibet, & se quasi fictorem ostendit, minutis etiam congruentiis adinueniendis, & aptè applicandis incumbens.

B

Plinius.

*Deus artifex suppliciorum.*

Ier. 18. 11.

C

*Studiũ Dei in excogitãdis suppliciis.*

*Acris iudicij est congruentia supplicia peccatis dare.*

D

Tertull.

*Deus malũ fingit, non peccatoriũ, sed vltoriũ.*

*Congruentes pœnas peccatis apponere non infamat Deum, sicut nec Iudicẽ.*

E

7. Quod verò sequitur: *Et ecce serotinus post tonsionem Regis*, indicat post cladem inductam à Salmanasar Rege Assyriorum, qua veluti totondit decem Tribus, affulsisse aliquid lucis, & prosperitatis, ac decem ipsas Tribus, quasi serotino infusas imbre repullulasse. Rex hîc absolutè positus intelligitur Rex Assyriorum, qui eo tempore erat Salmanasar: eiusmodi enim Reges latè dominabantur, ac cæteris longè antecellebant. Vnde Oseæ 5. 13. vocatur Rex vltor. *Misit*, inquit, *ad Regem vltorem. Et misit*, inquit, videlicet Achaz, *ad Regem vltorem*, vt

*Rex absolutè, Rex Assyriorum.*

vt suppetias ferret sibi contra Regem Syriæ. Præclaro autem titulo dicebatur Rex vltor; ad quem scilicet Reges cæteri confugiebant, vt eos cõtra hostes suos vlcisceretur. Rex vltor; ob id maximè dignus, vt per antonomasiam vocaretur Rex; quasi nullus alius talis esset in orbe Rex; quia verò populo prospere agente superuenit Sennacherib contra duas Tribus, & omnia præter Ierusalem vastauerat, orauit Propheta Dominum, vt saltem reliquias in ea seruaret, quod precibus eius delinitus præstitit Deus.

*Rex vltor, præclaro titulo.*

*Rex vltor, iure per antonomasiam Rex.*

---

# SECVNDA VISIO.

## *De descensu Domini in igne.*

### Caput 7.

### SECTIO II.

1. *Qualis clades per ignem significetur, Malach. 4. & Ierem. 44.*
2. *Quòd per abyssum significetur Ierusalem ciuitas, multarum gentium concursu frequens.*
3. *Voces aquarum multarum quid, Apocal. 14. & quomodo Deo grata, sicut & puerorum Osanna clamantium Christo.*
4. *Quomodo per abyssi deuorationem intelligatur Ierusalem deuastatio absque vlla resistentia. Explicatur locus Psal. 75.*
5. *Per partem simul extinctam significari templum Hierosolymitanum. Parte significari hæreditatem, vnde sumptum? Locus Ambrosij. Psal. etiam 15. locus explicatur.*
6. *Quomodo Vates à supplicio detinuerit Deum?*

1. SEQVITVR de iudicio in igne, de quo sic Propheta, Vers. 4. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vocabat iudicium ad ignem Dominus Deus, & deuorauit abyssum multam, & comedit simul partẽ.* Vers. 5. *Et dixit: Domine Deus quiesce, obsecro: quis suscitabit Iacob, quia paruulus est?* De aduentu Domini in igne ad iudicãdum, pluribus in locis iam diximus. Nunc ea conuenientia est, quòd Dominus incensurus Ierusalem, & solo æquaturus eam per Nabuchodonosor Regem Babylonis, aptè in igne apparet Vati. Historia narratur 4. Regũ vltimo. Nabuchodonosor regnante Sedecia obsedit vrbem, cepit, incendit, duxitque captiuas in Babylonem duas Tribus, Iuda, & Benjamin: est autem succensio clades desolationi propria, quoniã ignis omnia comminuit, redigitque in cineres. Emphaticè admodum expressit Poëta conflagrationem Troianæ vrbis Æneid. 3. cùm dixit:

*Apparet Deus in igne, quia venit combusturus Ierusalem.*
4. Regum vltimo.

*Et campos vbi Troia fuit.* ———

*Ignis aptus desolationi.*
Virgil.

quòd præter campos nihil reliquum fuerit illius florentissimæ vrbis; quare & vltima mundi desolatio igne fiet, & idcirco Malach. 4. 1. dicitur, *Dies succensa quasi caminus*, quæ in toto terrarum orbe, ne radicem quidẽ vnam relinquet, aut germen vnum, sed omnia in pulnerem rediget. Item Ierem. 44. 6. ait Dominus minitãs conflagrationẽ Ierusalem, de qua etiam hoc loco: *Conflata est*, inquit, *indignatio mea, & succensa est in ciuitatibus Iudæ, & in plateis Ierusalem, & versæ sunt in solitudi-*

Malach. 4. 1.
*Ideo vltima desolatio mundi per ignem fiet.*
Ierem. 44. 6.



A *nem, & vastitatem.* Hoc est, mea indignatio completa est per stabile decretum meum: sed iam succensa est, hoc est, esse omnino desiit, sicut vrbes Ierusalem cum ipsa pariter ita conflagrarunt, vt mera sit in solo earum solitudo & vastitas. Itaque etiam metaphoricè dicta est succẽdi ira Dei, cùm omnino esse desiuit, sicut res per ignem succensa. Iure ergo hîc significatur extrema clades, cùm de Deo dicitur: *Ecce vocabat iudicium ad ignẽ.* quasi diceret: Cùm aliis suppliciis Deus puniret Hebræos, nec tamen resipiscerent, tandem statuit rem ad ignem reducere, ac vltimo punire desolationis supplicio.

*Indignatio succensa, hoc est, completa.*

*Ignis, vltima vastatio.*

2. Ostendit Vates, quid ignis desolatorius visus est facere: *Et deuorauit*, inquit, *abyssum multam, & comedit simul partem.* Abyssus (autore Damasceno 2. de fide, 9.) est aqua, cuius finis comprehendi non potest. Intelligi debet communi modo loquendi, quæ profunda nimis est, & per quam nemo potest vrinando subsistere: alioqui omnis aqua fine suo clauditur, & planè comprehenditur. Vnde Genes. 1. 2. *Tenebræ erant super faciem abyssi.* hoc est, super illam immensam aquarum congeriem, quæ à cælo ad terram vsque protendebatur. Ecce abyssus omnium maxima intra duos terminos clausa. Quia verò aquæ in Scriptura significant multitudinem hominum, iuxta illud Apocalyp. 17. 15. *Aquæ, quas vidisti, populi sunt, & gentes, & linguæ.* Per abyssum hoc loco intelligit Vates vrbem Ierusalem, quæ amplissima erat, ac populis frequentissima, ita vt abyssus quædam gentium esset: pulchra metaphora, inde videlicet sumpta, quòd in magnis vrbibus, vbi est gentium multitudo ingens, ac frequentia, ingens quoque solet esse murmur concursantium hominum, idque valde simile murmuri aquarum multarum, quale Oceano in magno ex vndarum reciproca collisione consurgit.

*Abyssus quid?*
Damasc.

B

Genes. 1. 2.

Apoc. 17. 15.
*Aquæ, populi sunt.*

*Ierusalem, abyssus quædam gentium.*

C

3. Vnde Apocal. 1. 15. describitur Dei venientis ad iudicium *vox aquarum multarum*, hoc est, terribiliter confundentis, & suffocantis malos, &c. Illa centum quadraginta quatuor millia, quæ Agnum circunstant, & Virgines repræsentant Apocal. 14. 2. dicuntur habere voces *aquarum multarum*, quòd vndique collaudantium intermisti sonitus, multarum aquarum perstrepentium murmuri æquaretur. Sed notari debet, quòd Ioannes magis exprimens qualitatem harum vocum ait, eas esse sicut voces *citharizantium in citharis suis.* quod certè alienum videri potest: nam confusæ voces, quales sunt multorum hominum simul loquentium, quam habere possunt cum multarum cithararum harmonico consensu similitudinem? Certè nullam, si de nostro auditu loquamur, cui non nisi æqua proportione concinnati sonitus quadrant: at verò diuinæ mẽnti, illa ipsa vocum in agendis gratiis confusio harmonia summa est, & ex interiori gratia, qua Deo specialiter placent Virgines, gratissima redditur: nam ad eundem modum applausus illi, & acclamationes, quibus à pueris exceptus est Dominus in die palmarum, Pharisæis quidem ingratissimæ: at Christo iucundissimæ fuerunt: & propterea cùm dixissent Domino Matth. 21. 16. *Audis quid isti dicunt?* quasi dicerent, an non reiicis horum importunas voces? respondit, *Vtique*; quasi diceret, Audio, & magna quidem cum voluptate. Et addidit, *Numquam legistis: Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem?*

Apoc. 1. 15.
*Vox Dei iudicis aquarum multarum.*
Apoc. 2. 14.
*Vox centum quadraginta quatuor millium, etiã vt aquarum multarum.*
*Quomodo eadem voces, sicut citharœdorũ.*

D

*Confusio vocum in agendis gratiis, Deo grata.*

Math. 21. 16.
*Tales voces puerorum laudantium Christum in die Palmarum.*
Psal. 8. 3.

E

A hoc sensu: Certè eiusmodi laudes, etsi vobis ingratæ sunt, vtpote à pueris imperitè, & confusè clamantibus emissæ, mihi gratissimæ sunt, nam quod illis ad harmoniam ex natura deest; ego ex gratia suppleo, quo planè perfectus, ac meis auribus accommodatus emergit concentus.

*Ignis Babylonicus præualebit abysso Hierosolymitano.*

4. Cùm ergo Propheta ait, *Deuorabit abyssum,* intelligit Nabuchodonosor incensurum vrbem Ierusalem, quantumuis magnam, pulchrè autem perseuerans in metaphora, abyssum, ait, quantumuis aquarum multarum, tamen ab igne Babylonico præualente deuorandam, quo magna vis incendij declaratur, vtpote quòd sua actiuitate non modò potuerit vincere abyssi vastissimæ resistentiam, sed eam quasi momento deuorauerit.

*Verbum deuorandi accõmodatur igni, sicut & lingua.* Isa. 5. 24. Isa. 9. 19.

B Est autem verbum deuorandi in Scriptura frequentissimum, cùm de igne sermo est, & eodem modo illi tribuitur lingua, Isai. 5. 24. *Propter hoc sicut deuorat stipulam lingua ignis,* &c. Item esca apud eumdem cap. 9. 19. *Erit populus quasi esca ignis.* & alibi sæpe.

*Nullã vim resistere posse diuinæ vltioni.*

Porro deuoratio abyssi declarat, diuinæ vltioni, quæ in hac vrbis conflagratione præcipuè eminebat, nullam vim resistere posse: nam aqua magna est à natura insita resistentia, abysso autem, vt nullus finis aquarum est, ita nullo fine clausa erit resistentia. Cùm ergo nihilominus dicitur abyssu, deuorata, ac adeò facillimo negotio extincta ostenditur, nullam eam penitus fuisse, comparatam cum Diuina potentia: si enim ei aliquatenus resisteret, aliquatenus etiam moraretur

C eius actiuitatem, quod iam verbo deuorandi verè exprimi non posset; si ergo infinita resistentia non detinet Deum vlciscentem, quid erit aliud, quod detineat? Iure ergo Dauid alloquutus Deum, Psalm. 75. 8. *Tu terribilis es,* inquit, *& quis resistet tibi? ex tunc ira tua.* Videlicet infinitę interrogationi, de nunquam assignando resistente, aptè quadrat infinita quoque responsio, de nunquam assignanda ira, quæ vincere possit, quin maior assignetur ex tunc ira.

Ps. 75. 8.

*Pars significat templũ, quod erat hæreditas Dei.* D. Hieron. *Pars, pro hæreditate, in Scriptura.* Num. 34. 15. Ps. 15. 5.

5. Quod verò additur, *Et comedit simul partem;* Chaldaicè, *hæreditatem;* significat templum, autore Hieronymo, quod erat veluti hæreditas Dei: illud autem simul cum vrbe incendio absumptum est. Notum in Scriptura sumi partem pro hæreditate. Numer. 34. 15. *Acceperunt partem suam trans Iordanem;*

D Psalm. 15. 5. *Dominus pars hæreditatis meæ,* hoc est, pars mea hæreditaria; nam secundum substantiuum, pro adiectiuo ponitur more linguæ. Eodem Psalmo, *Pars calicis mei,* quasi, pars mea calicea. Cur autem pars in Scriptura vsurpetur pro hæreditate, inde est, quòd terra Chanaan diuisa fuit imperio Domini in varias partes, siue portiones, & singulis Tribubus sua quæque assignata, Iosue 13. & sequent. indicio est, quòd in prioribus libris Mosaicis ante Numeros, non vsurpatur nomen partis ad significandam hæreditatem.

*Eo quòd terra Chanaan diuisa fuerit in varias partes.* *Ante librũ Numerorũ, non vsurpatur pars pro hæreditate.* D. Ambr. *Cui portio Deus est, totius naturæ possessor est.* Psal. 15. 6.

Rectè autem intellexit Ambros. partem absolutè significare hæreditatem ipsam totam, cùm ad illa verba Psalmi 118. *Portio mea Dominus,* ait: Cui portio Deus est, totius naturæ possessor est, quasi dicat,

E non vnius, aut alterius eius partis, sed prorsus totius. Idcirco suam hanc hæreditatem præclaram vocat Regius Vates eodem Psalmo 15. 6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.* In præclaris, id est, in Deo. Præclari ergo funes, qui nullo fine limitatam

A hæreditatem assignarunt. Alij legunt, *in excellentibus, in vniuersi humani generis flore.* id est, in eo, quod omnia excellit, vtpote optimum, scilicet, Deum. Sic ergo & hîc partem Dei vocat Amos templum, hoc est, eius hæreditatem.

*Deus flos vniuersi generis humani.*

6. Rem ergo funestam vt auerteret Vates, orat Deum, Quiesce, obsecro. Quis suscitabit Iacob, quia paruulus est? Misertus est Dominus super hoc; sed & istud non erit, dicit Dominus Deus. Ne quæso, ne tantam animo destinaueris cladem: ardente enim vrbe metropoli, & templo, totũ genus deleueris Israëlitarum. quare ad meas preces placatus est Dominus, ac pollicitus est, seruaturum se reliquias, etiam in captiuitate. Plenum illud est familiaris confidentiæ, quod Vates Domino dixit: *Quiesce, obsecro.* similiter Moyses Exod. 32. 12. *Quiescat ira tua,*

B Domino dixit, cùm minitabatur populo perniciem, ob adorationem vituli. Vterque verò quasi ruentem ad vindictam intercessione sua detinuit Dominum, & quandam quasi intulit vim, ne vltrà vindicando progrederetur: nam illo quidem Exod. loco, Deus quasi contra vim oppositam Moysi dixit: *Dimitte me, vt deleam eos.* Cur enim, vt dimitteret clamaret, nisi detentus, ac moratus à Moyse?

Exod. 32. 12. *Amos, sicut Moyses, ruentem in vindictam detinuit Deum.*

---

# DE TERTIA VISIONE.

## *De Visione Domini super murum litum.*

C

### SECTIO III.

1. *Quare Visio non de extremo Ierusalem excidio, sed de eo, quod illatum est tempore Zachariæ Regis, intelligenda sit?*
2. *Murus litus quid sit, & quid significet hoc loco? Illustratur loco Ezechielis 13. Trullam potius ponendam, quam perpendiculum.*
3. *Cura Dei quare indesinenter instet operi in nobis? locus Psal. 79. Iurantis extendere, seu leuare manus.*
4. *Quid sit trullam in medio ponere? duobus modis explicatur. Quid sit pertransire? Explicatur locus* D *Psal. 31.*
5. *Quid murus perpendiculi? Vtra melior lectio? In manu eius litio quid sit?*
6. *Lectionem Septuaginta non malè quadrare ad exaggerationem Diuinæ vltionis. Qualibet potentia, maior est potentia Dei.*

1. PROSEQVVTVS Vates refert Visionem aliam in hunc modum. Vers. 7. *Hæc ostendit mihi Dominus: & ecce Dominus stans super murum litum, & in manu eius trulla cæmentarij.* Vers. 8. *Hæc dicit Dominus ad me: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus: Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël: non adiiciam vltrà superinducere eum.*

E Hebraicè, *Super murum ædificatum perpendiculo. Et in manu eius perpendiculum.* Septuaginta, *Super murum adamantinum, & in manu eius adamas. Ecce ego pono adamantem in medio ara risus.* Hanc Visionem licèt Rupertus explicet de extremo excidio Ierusalem illato per Titum, tamen non quadrat cum historia: nam illud,

*Varia lect.*

*Non congruis explicari Visionẽ de clade à Tito illata.*

Et

*Et demolientur excelsa idoli*, quomodò cum tempore Titi, quando nulla idola erant in Israël, quadrare potest? Cogit ergo narrationis series explicare præsentia de vastitate decem Tribuum, quam tempore Zachariæ regis filij Ieroboam, Amos, qui tunc viuebat, apud Iudam vaticinatus est futuram post annos quadraginta nouem, cùm omnino deleti sunt Israëlitæ, & captiui ducti ab Assyriis.

*Explicatur de vastitate 10. Tribuum tempore Zachariæ regis.*

2. Apparet ergo Dominus super murum litum habens trullam cæmentariam in manu sua. Et rogatus quid videat? Respondet: Trullam cæmentariam se videre. Murus litus est, qui calce superducta complanatur, non tantùm vt pulchrior, sed maximè vt perseueret firmior contra iniurias imbrium, ac tempestates, vt Hierony. ait; docétque experientia in parietes rudiores, seu malè litos, quos imbrium cadentium multiplicati ictus excauare solent, paulatim debilitari, & in ruinam trahi. Vnde est illud Domini per Ezechielem cap. 13. 11. *Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit: erit enim imber inundans.* Murus ergo litus significat decem Tribus, dum à Deo protegebantur, stetisse integras ac fortes contra omnium hostium impetus. Idcirco videtur Deus super murum, vel prope murum (nam, súper, idem est aliquando ac, prope, iuxta illud Lucæ 4. 38. *Stans super illam, imperauit febri*, hoc est, prope illam.) *In manu eius trulla cæmentarij.* Sunt qui non trullam, sed normam, seu perpendiculum vertant; quo videlicet probatur æqualitas parietis; noster trullam meliùs, & est instrumentum quo fabri murarij parietes liniunt. Significatur autem Dominus propitius adhuc decem Tribubus, ope sua, & cura confirmare, ac stabilire illas.

*Murus litus, quis sit? D. Hier.*

*Ezech. 13. 11.*

*Murus litus, 10. Tribus sunt à Deo protecta.*

*Super, idem ac prope.*

*Luc. 4. 38.*

*Trulla, meliùs, quàm perpendiculum.*

*Deus habēs trullā, adhuc propitius 10. Tribubus.*

*Cura Dei in fouendo populo.*

3. Notari debet primùm cura Dei ita solicitè, ac indesinenter incumbentis operi, vt nunquam deponat trullam, & vbi primùm alicubi litura defluxerit, statim accurrat suppleturus detrimenta, ac rimas omnes etiam leuissimas obstructurus impacta trulla. Quod quidem indefessum protectionis genus postulat. Dauid Psal. 79. 18. cùm ait: *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi;* hoc est, manum illam tuam, quæ me protegere cœpisti, nunquam amoueas à me. Vel *virum dexteræ* intelligit opus Dei, facturam (vt ita dicam) seu creaturam ipsius Dei, quod dixerat Psalm. 137. 8. *Opera manuum tuarum ne despicias.* Hebraicè, *Ne dimittas, ne subtrahas manum ab opere, quod in me cœpisti.* Chaldæus, *Sit manus tua super virum, cui iurasti in manu dextera tua.* Solent iurantes manum extendere seu eleuare. Deut. 32. 40. *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.* Id ipsum veteribus Ethnicis in more fuit, vt colligitur ex illo Virgilij Æneidos 12. de Latino Rege paciscente:

*Ps. 79. 18.*

*Virū dextera Dei, id est, facturā, creaturam Dei.*

*Ps. 137. 8.*

*Iurantes manū leuare solent.*

*Deut. 32. 40.*

*Suspiciens cælum, tenditque ad sydera dextram:*
*Hæc eadem Ænea, terram, mare, sydera iuro.*

Vt ergo dexteræ Dei extensio iurantis formam habet, ita & protegentis; cùm verò & trullam agitet, eundem repræsentat operantem circa decem Tribus, muniendo videlicet eas aduersùs iniurias hostium.

4. Denique cùm Dominus ait, *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israël, non adiciam vltrà superinducere eum, & demolientur excelsa idoli, & sanctificationes Israël desolabuntur*, &c. Qui normam, seu perpendiculum vertunt, putant significare, Deum non ampliùs misericorditer acturum cum decem Tribubus, sed iustè. Vt enim vitia, & defectus muri, si quam in partem inclinet, corriguntur ad perpendiculum, ita peccata emendantur iustitia. Quasi dicat: Posthac iustè iudicaturus sum populum meum, nec vltrà vsurus sum misericordia erga illum. Ponam ergo normam, adhibebo perpendiculum iustitiæ. Meliùs tamen ponere hoc loco significat, deponere. Hoc sensu Deum non ampliùs protecturum decem Tribus, nec operaturum aliquid muniendo illas, sed ab opere cessaturum deposita trulla, sicut fabri cæmentarij facere solent, qui cùm ab opere desistunt, trullam in medio ponunt, atque abeunt, quod magis exprimit, cùm consequenter ait, *Non adiciam vltra superinducere eum:* puta, murum. Non linam eum deinceps, vt pateat iniuriis aduersariorum. In Hebræo: *Non addam adhuc transire illum;* propriè, *non iterum pertransibo illum sine pœna; non iam illi parcam.* quasi dicat: Antea quidem, si quid peccati accidebat, ego illud pertransibam. Obstruebam rupturam illico, linebam deforis, excusatum habebam. Ad hunc sensum dicitur cap. 8. 5. *Non adiciam vltrà, vt pertranseam eum.* Et est metaphora à pertranseunte hostes, quorum alios cùm occidat, alios prætermittit viuos parcens illis. Videtur autem id ipsum voluisse Natham, cùm dixit Dauid 2. Regum 12. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*, hoc est, condonauit, veluti pertransiens. quod Isai. cap. 38. 17. dixit *proiicere post tergum peccata.* Hunc sensum explicat illud Psalm. 31. 1. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Ad verbum: *Beatitudines dimissi præuaricatione, tectique*, siue *operti peccato.* Nam Latinus quidem opertum peccatis sceleratissimum vocat. Hebræus autem eundem dimissum à peccatis reputat, cuius videlicet peccata Deus tegit, quasi immisso puluere, vel superinducta calce, ne videantur, néve pateant diuinæ eius vindictæ, non quòd subtus quasi velata maneant, sed quòd ita condonentur à Deo, vt quasi ea tegere, & obruere videatur, & post terga relinquere, ne ampliùs appareant, aut sibi in mentem veniant, quæ omnia sunt exaggerationes Diuinæ misericordiæ, vt homines ad pœnitentiā fortiùs excitet.

*Qui perpendiculum, normámve accipiunt, significant, Deum iustè puniturum.*

*Meliùs hoc loco ponere, significat, deponere. Deponere trullam, id est, ab opere cessare.*

*Non pertransibo, scilicet, illum, sine pœna.*

*Metaphorā à pertranseunte hostes, quibus parcit.*

*2. Reg. 12. 13.*

*Transtulit peccatum, hoc est, cōdonauit, quasi pertrāsiens.*

*Isai. 38. 17.*

*Ps. 31. 1.*

*Hebraicè, opertus peccatis, idem, ac dimissus.*

*Tegit Deus peccata, non velando, sed remittendo.*

5. Notari autem debet, quod noster dixit, *super murum litum*, Hebræos recentiores vertere, *super murum perpendiculi;* hoc est, super murum ædificatum ad perpendiculum, instrumentum quasi iudiciale, vt murus perpendiculi sit æqualiter ac directè constitutus, adhibita iustitia, & correctione; meliùs tamen cum nostro trullam accipimus, instrumentum præparatorium, & beneficiarium, vt suprà diximus. Illud quidem certum, vbi nos legimus, *litum*, Hebr. esse אנך hoc est, litionis, quasi murum litionis; quod Aquila vertit, ἀλοιφῆς, id est, iniunctio, quasi murum inunctionis, quòd paries litus, ac læuigatus videatur inunctus: postea verò vbi ait: *Et in manu eius trulla cæmentaria*, Hebr. est idem vocabulum אנך hoc est, litio, ac si dicatur; *In manu eius litio.* posito scilicet actu pro instrumento liniendi, vsu Hebræorum, vt significetur, non opus esse Deo instrumentum aliquod, quod priùs moueat, sed se ipso, & sua voluntate opus perficere.

*Murus perpendiculi, id est, factus ad perpēdiculū.*

*Perpendiculum, instrumentū quasi iudiciale.*

*Variæ lectiones.*

*In manu Dei litio.*

*Deo non est opus instrumento ad liniendum, sed sua id voluntate facit.*

6. Difficultatē Riberæ facit, quòd אנך Septuaginta transferunt, *adamantem*, ac adeò murum

*Cur murus adamantinus, & in manu Dei adamas iuxta 70.*

adamantis, siue adamantinum: nam cùm hoc A loco minetur Deus desolationem muri citò futuram, quomodo adamantinum vocat, cùm adamas dicatur ab eo, quod domari nequit? Et illud: *Ecce ego ponam* אנך *in medio populi,* si intelligatur adamas, non facilè intelligitur: nam Deus minatur, se positurum pauorem, & ruinam in medio populi, non verò fortitudinem, quæ per adamantem significatur. Intelligi tamen locus rectè potest per exaggerationem, vt licèt murus sit adamantinus, tamen euertendus sit: nam si

*Exaggeratio est, vt licèt murus sit adamantinus, solo æquetur.*

ipse adamantinus est, hoc est, fortissimus, Deo quoque adamantem in manu esse, quo adhibito dissipari facilè possit; hoc est, cuilibet potentiæ, etiam adamantinæ, oppositam esse omnipotentiam Dei, quouis adamante fortiorem. Sic Zachar.7.12. dicitur populus posuisse cor suum vt adamantem; contra quem ait, factam fuisse indignationem magnam à Domino Deo exercituum: cùm enim cor ita obduratur aduersùs Deum, indignatio quoque eius magna ex opposito armata consistit dissipatura duritiem, vel adamantinam.

*Et, Deus in manu adamantem, contra murum etiam adamantinum.*

*Indignatio Dei aucta iuxta maiorem obdurationem peccatoris.*

# VISIO VIGESIMAOCTAVA.

## VNCINI POMORVM.

*Amos cap.8.*

---

## ARGVMENTVM VISIONIS.


IDETVR *sub vncini specie Assyrius miles, qui Israelitas in captiuitatem trahet. Concionatur Propheta de calamitatibus populi per Assyrios referendis.*

### CAPVT VIII. AMOS.

1. HÆc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vncinus pomorum.

2. Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israël: non adiiciam vltrà vt pertranseam eum.

3. Et stridebunt cardines templi in die illa, dicit Dominus Deus: multi morientur: in omni loco proiicietur silentium.

4. Audite hoc qui conteritis pauperem,

### PARAPHRASIS.

B 1. *VIsionem mihi exhibuit Deus, qua extrema huius populi significata sunt mala. Vide vncinum, quo rustici poma, quæ manu carpere nequeunt, distantia trahunt, quo intellexi non modò viciniora Assyriis loca Palæstinæ, quasi manu ab eis capienda, sed remotiora exercitu immisso quasi harpagone pertrahenda in captiuitatem.*

2. *Rogatus quid viderem respondi, vncinum pomorum me videre. Rursùmque Dominus: Peruentum est ad finem, quò omnes Israëlitæ, etiam remotissimi, etiam abditissimi, trahendi sunt per exercitum Assyriorum, carpendíque, &*
C *ducendi in captiuitatem. Non conniuebo ampliùs, non pertransibo quasi non videns.*

3. *Irrumpente hostium multitudine in templum Bethel, cardines postium cum stridore euellentur, aut tormento aliquo perfracti, cum fragore corruent; sed & laquearia reboantia proiicientur in terram, partésque aliæ templi, quæ mota strident, omnísque strepitus domus cessabit. Imò verò cùm obsidebitur ciuitas, tanta multitudo hominum morietur, vt vacua futura sint omnia, & terrificum silentium vbique regnaturum.*

4. *Audite nunc diuites, & causam discite extremi*

rem, & deficere facitis egenos terræ, dicentes:

5. Quando transibit mensis, & venundabimus merces: & sabbatum, & aperiemus frumentum: vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas,

6. Vt possideamus in argento egenos, & pauperes, pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus?

7. Iurauit Dominus in superbiã Iacob: Si oblitus fuero vsque ad finem omnia opera eorum.

8. Nunquid super isto non commouebitur terra, & lugebit omnis habitator eius: & ascendet quasi fluuius vniuersus, & eiicietur, & defluet, quasi riuus Ægypti?

9. Et erit in die illa, dicit Dominus Deus: occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis:

10. Et conuertam festiuitates vestras in luctum, & omnia cantica vestra in planctum: & inducam super omne dorsum vestrum saccum, & super omne caput caluitium: & ponam eam quasi luctum vnigeniti, & nouissima eius, quasi diem amarum.

11. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & mittam famem in terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi verbum Domini.

12. Et commouebuntur à mari vsque ad

A *extremi supplicij vestri, quod prænuncio: non enim ea est tantùm, quòd idola colatis, sed quòd ad contritionem vsque vexatis pauperes, quódque nil aliud quærere videmini, quàm vt illi fame, & egestate confecti pereant.*

*5. Quod inter vos soletis agere: quandónam festi hi dies calendarum, & sabbati pertransibunt, vt rursùm ad merces, triticúmque venundandum reuertamur; vt minorem ad vendendum mensuram, minora ad emendum pondera præparemus: stateras quoque dolosè peruertamus.*

B *6. Numos argenteos colligamus omnes, vt egenos nobis seruire cogamus, & pretio minimo, quale est duorum calceorum, nobis vel inuiti ministrent. Vendamus denique pro tritico purgamenta tritici, pulucrem, scilicet, ac paleas tritico commiscentes, quæ pauperes egestate pressi, velint nolint, sibi comparent.*

*7. Et hæc quidem, quæ de pernicie vestra vaticinor, Dominus iuramento suo firmauit, vt saltem iuranti habeatis fidem: iurauit autem in superbiam vestram, tanquam in præcipuam causam omnium reliquorum scelerum, quæ*
C *commemoraui: pecunias enim congerere vultis, vt reliquis imperetis, ac Principes in populo sitis; non sim autem Deus, si obliuiscar eorum, quæ comminatus sum in caput vestrum.*

*8. Nunquid ob hæc scelera non desolabitur terra afflictione magna? ascendet quidem veluti intumescens fluuius innumerabilis multitudo captiuorum extra patriam suam, veluti extra alueum effluens. Cùm autem in terram Assyriorum latissimam, ac instar maris habentem, venerit, quasi nihilum reputabitur, vt amnes dum in mare influunt, penitus absorben-*
D *tur.*

*9. Die illa subitò, & cùm minimè timebunt, eorum prosperitas obscurabitur, quasi sol in meridie; faciam autem, vt terra vestra, quæ feliciter tunc aget, obsidionum, & captiuitatum cladibus obscuretur.*

*10. Itaque eo tempore festiuitates vestræ in luctum, & læta carmina conuertentur in planctum; & efficiam, vt omnia sint squallore obsita, vt sacco vestiantur homines, vt radantur ab hostibus in ludibrium, vt tota terra videatur similis mulieri mortem vnigeniti lamentanti, nec*
E *requies erit vlla, sed primos medij, medios vltimi dolores magnitudine superabunt.*

*11. Veniet ergo tempus, in quo tristissima fames cruciabit omnes; fames, inquam, non qua panem, sed qua verbum Dei esurient ij ipsi, qui Prophetas Dei priùs oderant: optabunt enim aliquem ad se mitti interpretem diuinæ legis; & hoc ipso desiderio, quasi fame, & siti contabescent.*

*12. Et phanaticorum instar huc illuc discurrent,*

ad mare, & ab Aquilone vsque ad Orientē: circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient.

A *current, à mari Galilææ, vsque ad Mediterraneum, & ab Aquilone, vsque ad Orientem, vt Prophetam aliquem inueniant, nec vllus vsquam comparebit.*

13. In die illa deficient virgines pulchræ, & adolescentes in siti.

13. *Sed & panis, atque aqua tanta ingruet penuria, vt vel formosæ virgines, & electi iuuenes, quorum summa est apud omnes gratia, ne parum quidem panis, vel aquæ extorquere valeant, sed fame ac siti miserrimè pereant.*

14. Qui iurant in delicto Samariæ, & dicunt: Viuit Deus tuus Dan: & viuit via Bersabee, & cadent, & non resurgent vltrà.

B 14. *Meritò autem hæc patientur, quoniam etsi per ætatem adhuc teneram indigni videantur, qui hæc ferant; tamen per anticipatam malitiam, ac paternæ impietatis imitationem, id merebuntur. Nam impudenter vt patres eorum iurant, per vitulum Dan, & Bersabee; magisque per vitulum Bethel proximiorem, dicentes: Viuit Dominus tuus Dan, & viuit via Bersabee, sacratiori, vt putant, iureiurando ob viarum distantiam, & ita Deum verum quasi in zelum, ac æmulationem incitant. Ob hæc igitur iure corruent, atque ita corruent, vt ampliùs leuare caput, ac ad pristinam regni sui gloriam, patriaque delicias redire nequeant.*

---

# COMMENTARIVS.

VIsionis litera explicabitur: mox dicemus moraliter aliqua de significatione vncini.

## *Explicatur Visio in sensu literali.*

### SECTIO I.

1. *Multiplicatio minarum quid prosit in malos? Locus Psalmi 17. Contrarius effectus plagarum in malis & bonis. Locus Iob. 23. exponitur.*
2. *Quid vncinus, & ad quid? Quid significet hoc loco vncinus, teste Hieronymo aliter, ac bene Lyranus.*
3. *Controuersa lectio in nomine vncini. Prafertur vulgata, ex autoritate D. Hier.*
4. *Ostenditur ex Chaldæo bene conuenire vulgatam lectionem, & exprimitur celeritas captiuitatis. Ex more Orientalium componi potest, etsi non penitus, lis de vncino, & canistro.*

1. ANDEM rem, hoc est, captiuitatem Assyriā, quarta hac insuper Visione exprimit Vates, vt vel multitudine comminationū terreantur improbi. Vers. 1. *Hæc ostendit mihi Dominus Deus: & ecce vncinus pomorum.* Vers. 2. *Et dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israël, Non*

A *adiiciam vltrà vt pertranseam eum* Hebraicè, *Et ecce canistrum fructuum æstiuorum.* Septuaginta, *Et ecce vas aucupis. Hæc ostendit mihi Dominus,* &c. quasi dicat: Adhuc habeo, quo futura mala exaggerem. Sic Dauid Psalm. 17. 15. narrat Deum multiplicatis fulguribus in mari rubro terruisse Ægyptios. *Fulgura,* inquit, *multiplicauit, & cōturbauit eos.* In reprobis, vt plurimùm, id solum efficit minarū multiplicatio, vt perturbentur, stetque in perturbatione vis earum: in electis verò vltra progreditur, vt emendentur. Tantum momenti est in ipsa subiecti, vt vocant, dispositione. Sic eadem radiorum solarium multiplicatione limus durescit, cera liquescit. Quod in Pharaone post multiplicationem plagarum, ac fulgurum planè apparuit: induratum enim vt antea mansit cor B eius. Contrà verò Iob conturbatus à Deo plagarum multiplici vi, emollitus est, vt testatur ipse de se cap. 23. 16. *Deus,* inquit, *molliuit cor meum, & Omnipotēs conturbauit me.* Molliuit eū (ait August.) variis afflictionibus. Nec mysterio vacat quòd ipsam emollitionem priùs posuit, postea conturbationem, cùm tamen hæc re ipsa præcesserit. Est enim id, quod Theologi dicunt, conturbationem posteriorem esse in intentione, etsi prior sit in exequutione: contrà verò emollitionem, quæ posterior quidem est in exequutione, priorem esse in intentione Dei.

*Varia lectio.*

Ps. 17. 15.

*Minæ Dei quē effectum habeant in electis, & reprobis.*

Iob. 23. 16. *Pharao duratus plagis, Iob emollitus.* D. Aug.

2. Igi

2. Igitur Propheta vlteriùs monere iubetur Israëlitas; proposita Visione vncini, vt caueant sibi, & resipiscant. *Hæc ostendit*, inquit, *mihi Dominus Deus: & ecce vncinus pomorum; & dixit: Quid tu vides, Amos? Et dixi: Vncinum pomorum. Et dixit Dominus ad me: Venit finis super populum meum Israël: non adiiciam vltra, vt pertrãseam eum*, &c. Vncinus, instrumentum rusticanũ; lignũ videlicet oblongum ferro præfixum recuruo, vel potiùs, vt sæpius euenit, non ferro, sed ex ipsomet ligno prominente furculo incuruum, quo rami arborum attrahuntur, vt poma colligantur: dicitur & vncinus, à quo aliquid pendet. Exod. 28.25. Superhumerale iubetur suspendi, ac contineri duobus vncinis. Est ergo sensus, ait Hieronymus: Sicut vncino rami arborum attrahuntur ad poma maturiora carpenda, ita ego maturum captiuitatis tempus attraxi. Optime & Lyranus rem explicat: Poma, ad quæ pertingere è terra possumus, manu ipsa decerpimus; illa, quæ longiùs distant, vncino attrahimus. Significatur ergo, primùm quidem aliquos ex Israelitis capiendos, vt narratur 4.Reg.15.29. *In diebus enim Phacee Regis Israel, venit Theglath phalasar Rex Assur, & cepit Aion, & Abel domum Maacha, & Ianoe, & Cedes, & Asor, & Galaad, & Galilæam, & vniuersam terram Nephthali*: loca quidem Assyriis viciniora, quæ videlicet manu ipsa capi facile poterant, vt proxima in arbore poma. Deinde cætera loca, quæ supererant, & remotiora videbantur, ac adeò securiora; Assyriorum tamen armis, tanquam vncinis inde pertrahenda, & in captiuitatem mittenda denunciat Vates.

*Vncinus, quid?*

Exod. 28. 25.
D. Hier.
*Vt vncino poma trahũtur, ita maturũ captiuitatis tẽpus à Deo.*

4.Reg.15. 29.

*Loca viciniora priùs desolata, remotiora Assyriorum armis quasi vncinis trahenda ad ruinam.*

3. Sed est nobis hîc componenda lis inter Autores non minima de nomine vncini, & de nomine pomorum. Ac primùm, pro, *pomorum*, in Hebræo est, קיץ quod propriè significat æstatem; quasi diceretur, *vncinus æstatis*; sed quia nomẽ vncini decerpendis pomis in æstate inseruit, ideo pro, *æstatis*, positum est, *pomorum*, sed tota controuersia est in nomine כלוב quod Hieronymus vertit, *vncinum*: maluerunt enim recentiores aliqui Interpretes vertere, *canistrum*, quod etiam Chaldæus fecit. Oppositum defendit Ribera ad hunc locum. Primùm, quoniam Ierem.5.27. dicitur, *Sicut decipula plena auibus*. Vel pro *decipula* est, כלוב ex vi attrahendi, & intercipiẽdi aues, more vncini. Nec verò sibi plaudat quispiam in nomine, *plena*, quasi meliùs quadret canistro. Nam & Septuaginta vertũt, *ὡς παγὶς ἐκτεταμένη*, id est, *vt laqueus extensus*, siue, *vt decipula extensa*: quin & verba præcedentia sensum eundem formant: *Quia inuenti sunt*, inquit, *in populo meo impij insidiantes, quasi aucupes, & laqueos ponentes, & pedicas ad capiendos viros, sicut decipula plena auibus*. Præterea locum hũc Amos Septuaginta vertẽrũt, ἄγγος ἰξευτοῦ, hoc est, vas instrumentum aucupis. Eodẽ sensu, ac est is, qui per vncinum exprimitur; quod declarat Theodoretus his verbis: Visio hæc celerem, & expeditam venationem Israël significat: quemadmodum enim aues visco facilè capiuntur; sic ab Assyriis populus apprehendetur. Si ergo laqueus ex eo quòd capiat, apprehendat, & trahat aues, כלוב dicitur, signum est, nostrũ meliùs reddidisse *vncinum*, quàm *canistrũ*. Accedit D. Hieronymi autoritas, quæ omnium, tum recentiorum Hebræorũ, tum hebraizantiũ dictis præponderat, sequutus est enim vetustissimos, & doctissimos Autores, & Hebræos eruditissimos in promptu habuit, quo tẽpore vigebat adhuc Hebrææ linguæ proprietas, quæ apud posteros Hebræos planè defluxit.

*Vncinus æstatis, propriè pomorũ dictus, quia tũc colligũtur poma.*
D. Hier.
*Pro vncino alij canistrũ,*
Ribera.
Ier.5.27.
*Meliùs, vncinus.*

*Probatur autoritate D. Hier.*
D. Hier.

Nec verò Chaldæus aliter sensisse credendus est cùm transtulit, והא מאן מלי פירי קיטא id est, *Et ecce vas plenum fructibus æstatis*: nam vas (vt apud Septuaginta) instrumentum significat ad attrahendum, quod vncino conuenit; dicitur autem plenum fructibus, quoniam multa simul poma attrahebat, quod infestinata decerptione fit, & optimè declarat festinatam cladem captiuitatis. Rectè & Chaldæus vocat fructus, פירי id est, extremos, à סיפין id est, *finibus*: quadrat enim iis, quæ diximus de extremis & remotioribus Hebræis, quos armis suis tãquam vncinis attracturi erant Assyrij. Manet ergo, solos Hebræos recẽtiores, & illis adhærentes hebraizãtes aliquos, canistrum accipere; malè autem tueri volunt nostram translationem dicentes, vncinum accipi oportere pro vasis genere, quo fructus æstiui colliguntur; sed & ridiculum, quod vnus eorum in probationem ait, in patria sua hortulanos eo vase ad palum alligato simul cum sportula pendente vti solere in decerpendis fructibus. Nam D. Hieronymus suam ipse versionem explicauit, vti diximus, & Latinis nihil vncino commune est cum canistro; & vsus ille hortulanorum in ea terra nõ ideo communis est omnibus. Vidi quidẽ Orientales rusticos oblongis vti lignis, quæ habent in summitate ex decisis, ac diuaricatis eorundem lignorum partibus contextos quosdam quasi corbes, quibus poma remotiora introcapiunt, ac, retorquendo leuiter, decerpunt. Potuit autem hic mos apud Hebræos, qui ad Orientales magis accedũt, viguisse, quod si ita fuit, videbitur compõsita tota lis: optimè enim intelligitur, quomodo vncinus etiam canistrũ fuerit. Sed quis scit? Præterea hoc instrumentum non bene exprimitur nomine vncini, qui propriè adũca solet curuitate; etiam cum vi, attrahere; & magis sonat vim bellicam, qua erant Hebræi in captiuitatem pertrahẽdi. Quæ cùm ita sint, apparet, quàm propriè, ac verè tota res expressa sit in nostra versione: id quod Dominus (quasi declarans visum vncinum) per Prophetam ait: *Venit finis super populum meum Israel*. Quasi dicat; Bene vidisti vncinum, quo scilicet finis imponitur fructibus etiam remotissimis, & maximè abditis attrahendis: sic enim ego per exercitum Assyriorum finem imponam omnibus Israëlitis, traháamque vel vltimos, & longè distantes in captiuitatem.

*Vas, instrumentum ad attrahendũ.*

*Fines id est, remotiores Hebræos.*

*Vsus Orientalium in decerpendis pomis.*

*Fortè Hebræi, viciniores Orientalibus eodẽ instrumento vsi.*
*Vncinus recurnus magis exprimit, vim bellicã.*

---

## *Digressio moralis de significatione vncini.*

### SECTIO II.

1. *Vncino significari artificia, quibus auari vtuntur ad surripiendas diuitum opes, ex Ruperto.*
2. *Auarus quædam rapit violenter, quædam artificiosè, ex loco Psalmi 10. qui explicatur. Locus Ecclesiast. 14. declaratur.*

1. CELEBRANT aliqui, ac pluribus rebus accommodãt significationẽ vncini. Primùm Rupertus cõgruẽter admodum, nõ quidem ad seriẽ literæ, sed ad communem vsum rem explicat de auari

Rupert.

*Per vncinũ moraliter, auaritia, & cupiditas. Rami cum pomis, habẽtes diuitias.*

auaritia, & cupiditate: verba ipsa ponam, & interseram aliqua explicationis causa. Vnca, ait, est auaritia, nec nisi ad accipiendum extenditur; sicut vncinus non nisi attrahendo seruit. Porro homines aliquid habentes, veluti rami sunt, poma candida, siue rubicunda, visúque pulchra, & ad vescendum delectabilia gerentes. Talibus auaritia callidè insidiatur, cuiuslibet artis vncinum innectens; mille scilicet habet capiendi, & attrahendi artes, quibus variè aduncat vncinos, crebróque conuoluens silenter, dum timet audiri, vt & damnum fiat pomo detracto, & tamen possessor non percipiat, donec iam saturato fure, damnum suum tardè reperiens, gemat. Vera, & conueniens in hac ostensione similitudo: dum & auaritiæ dolus, vncino, & bona temporalia, circa quę laborat auaritia, pomis assimilãtur; pomũ quippe res leuis est, maximéque pueros mulcet, viris autem, & maximè sanis, pro minimo est. Sic nimirũ bona præsentis seculi leuia sunt, & eos quidẽ, qui sensu paruuli sunt, nimis oblectant; sapientibus autẽ, qui cælestia sapiunt, contemptibilia sunt. Ad summum, vt perpendas bona tẽporalia, quæ sibi vncinus auaritiæ sitienter attrahit, rectè ob vilitatem, nomine pomorum denotari sciendum est, quia primus homo cupiditatis crimen, per quod periit, non per aurum, neque per argentum, sed per exiguum pomum amisit. Hæc Rupertus.

*Exprimitur rapacitas auarorum.*

*Bona præsẽtis seculi leuia sunt.*

2. Ex hoc sensu habes, auarum, seu cupidum, quædam manu, hoc est, potentia, rapere; quædam vncino, id est, artificiosis dolis. Locus est in hanc sententiam Psalm. 10. 9. vbi de cupido sic Vates: *Oculi eius in pauperẽ respiciunt, insidiatur in abscõdito, quasi leo in spelũca sua. Insidiatur vt rapiat pauperẽ: rapere pauperẽ, dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum, inclinabit se, & cadet cùm dominatus fuerit pauperum.* Pauperem hoc loco iuxta vim Hebræã intellige non egenum, quid enim prędæ in egeno habet cupidus? sed afflictum, miserum, infelicem, nostri dicunt pauperem hominem; quem scilicet oculi cupidi respiciunt, in quem intẽdit cupidus, quòd in eo sentiat occasionem prædæ. Sicut de aquila ait Iob cap. 39. 32. *Inde è præcelsis rupibus cõtemplatur prædam*: dimidium enim cupiditatis in oculis est, iuxta illud Eccli. 14. 9. *Insatiabilis oculus cupidi, in parte iniquitatis*; hoc est, in ea quasi parte cupiditatis, quæ ad se pertinet, insatiabilis est. Igitur cupidus instar leonis, ex oculis, quasi ex spelunca sua rapinas, ac rapinarum insidias molitur;

*Auarus quædã manu, id est, potentia, quædã vncino, id est, artificiosè rapit. Ps. 10. 9.*

*Pauper aliquando non egenus, sed miser in Scriptura.*

Iob. 39. 32. *Dimidium cupiditatis in oculis est,* Eccli. 14. 9.

A itaque duplici rapinæ incumbit, insidiosæ, & violentæ, insidiatur, vt, id est, quomodo, qua fraude rapiat, & insidiatur, rapere absolutè, violenter: dũ enim trahat, non curat, qua vi, quàm noxia, quàm tyrannica, rapere pauperẽ dum attrahit eum. Atenim, quò magis prædam viderit ad casses appropinquare suos, eius quasi iam dominus, mirum, quas se in formas transmutat; comprimit se, colligit, inclinat, prosternit, reptat, donec nil tale metuentem intercipit, illaqueat, trahit. Optima ad venatores allusio, ad exprimendas metamorphoses cupidorum, quibus se in miserorum insinuant deprædationes.

*Rapina insidiosa & violenta.*

*Allusio ad venatores, quibus similes auari.*

3. Alio sensu excurrit Ribera, & eo quidem rectè quadrante cum litera; libuit autem ponere:
B est enim valde pius. Vncinum mortem interpretatur, ramos virtutes, omnia poma, siue matura sint, siue immatura, quanuis valde recõdita, atque latentia attrahentẽ, vt à Deo decerpantur, ac suis locis collocentur. Distinctiùs dici potest, mortem vncinis variis, hoc est, variis morborũ generibus attrahere ramos, in quibus plura poma sunt; & intelligi possunt variæ familiæ, aut instituta vitæ, è quibus poma, quæ vult colligit, matura, immatura, vt vult: vncinis autem hæc attrahit, quæ scilicet, à morte longè abesse videntur: nam quædam etiam è terra, manu ipsa carpit, videlicet ea hominum genera, quæ interitui magis exposita sunt, vt milites, nautas, aliísque mortis periculis obnoxia: hos enim manu ipsa, vt aiunt, contenta pellit
C è vita. Rectè autem prosequitur philosophando, vitam humanam iure assimilari pomis, quæ citò erumpunt, maturescunt, decerpuntur: & quædam quidem siue casu aliquo, siue sponte sua decidunt immatura, nec dum rubentia; quædam putrida etiam in arbore seruantur: alia etsi rubent, & pulchra oculis videntur, tamen si seces, vermes intus inuenies. Ita quidam ineunte adolescentia rapiũtur, alij ad decrepitam, sed miseriis plenã, veniunt senectutem. Sunt qui ipsa specie longam vitam pollicentur, at morbis latentibus absumũtur. Sed omnium denique breuis finis est, quia fructus æstatis sunt. Rectè enim Iob, *Dies mei pertransierunt, quasi naues poma portãtes*, quæ celerrimo cursu
D contendunt, ne poma longiori mora putrescant, aut gratiam suam amittant. Dies ætatis nostræ verè naues sunt fluctibus mundi agitatæ, ad portum semper tendentes, vbi vita nostra finienda est. Piè huc vsque, & vltrà etiam Ribera.

*Vncinus, mors est.*

*Mors vncinis variis, hoc est, variis morborũ generibus trahit homines.*

*Vita humana pomis similis.*

*Vita, quasi nauis poma portans, quæ ne putrescãt velociter impellitur.*

VISIO



# VISIO VIGESIMANONA, DE EQVITE INTER MYRTETA, ET DE QVATVOR CORNIBVS, &c.


### QVAM HABVIT ZACHARIAS.

### *Zachar. cap. 1.*

## PRÆFATIO.

### *De Zacharia Vidente.*

1. *Zacharias, memor Domini.*



ACHARIAS, qui memor Domini interpretatur, anno secundo Darij Hystaspis Medorum Regis prophetiam fudit, eodem tempore, quo & Aggæus, mensibus tamen duobus illo posteriùs, vnde & prælatus Aggęus in numero Prophetarum. *Chronologia Zachariæ.* Deducitur verò à tempore Darij prædicti viguisse Prophetam Zachariam anno ab orbe condito ter millesimo, quadringentesimo sexagesimotertio. At cùm etiam prophetare cœperit finito tempore captiuitatis Babylonicæ, hoc est, completis annis illis septuaginta ab Ieremia prædictis cap. 25. 11. 12. iuxta id, quod apud Zachariam Angelus Domini dixit cap. 1. 12. *Zach. 1. 12.* *Vsquequò tu non misereberis Ierusalem? Ecce hic septuagesimus annus est:* cœperint verò ab eo ipso anno hebdomades septuaginta à Daniele prædictæ cap. 9. certum est antecessisse Zachariam Christi tẽpus annos quadringentos octogintatres.

2. Fuit Zacharias filius Barachiæ filij Addo, vt ipse ait initio primi capitis. *Fueritne Addo auus propriè Zachariæ.* Hunc Addo fuisse eum Prophetam qui missus est ad Ieroboam filiũ Nabath, & sub quo altare scissum est, & Regis manus aruit, ac ad eius preces restituta est, 2. Paral. 9. certum credit D. Hiuronymus. *D. Hieron.* Vt fuerit autem ille Addo, quem D. Hieronymus asserit, non potuisse tamen auum esse Zachariæ (vt Vatablus, & alij crediderunt) ex eo constat, quòd inter vtrumque plusquam quadringenti intercesſère anni: &, vt rectè animaduertit Lyranus, ille Propheta missus ad Ieroboam, 3. Reg 13. nõ constat vocatum fuisse Addo; *Addo vnus è maioribus Zachariæ.* potuit tamen qui sic vocatur hoc loco, vnus esse è maioribus



A Zachariæ, cuius tamen filius dicatur, more Scripturæ, sicut Christus filius Dauid dicitur, qui tamen eius auus nõ fuit, sed vnus ex eius maioribus antiquissimis. Nihil tamen certum habemus ex Scriptura circa tempus huius Addo, & rationem cognationis eius cum Zacharia. Probabile est, fuisse virum illustrẽ, ac ipso Barachia celebriorem, vt per eum notior fieret posteris Zacharias. Et fortè 1. Esdræ 5. 1. solius Addo fit mentio. *Prophetauerunt*, inquit, *Aggæus, & Zacharias filius Addo.* *1 Esdr. 5. 1. Zacharias notior per Addo.*

B 3. Oriundum è sanguine sacro, videlicet è tribu Leui, facit Alexandrinus Cyrillus, *Zacharias è tribu Leui. Cyril Alex.* & necessariò datum populo, vt, quoniam diu in captiuitate iacuerat, oblitus patriæ, imò & Domini sui libertate donatus, Zachariam haberet pædagogũ ad instaurandam pietatem. *Datus populo vt pædagogus. Epiphan.* Prosequutus ergo populum, multa in itinere (vt ait Epiphanius) concionatus ad consolationem redeuntium, plura in Ierusalem, ad promouendam ædificationẽ templi, ac vrbis, vaticinia edidit. Igitur in opere prophetico ita se probauit, vt Prophetis maioribus Vi- C sionum elegantia, ac obscuritate penè par, minorum verò omnium fuerit sine controuersia facilè Princeps. *Zacharias maioribus Prophetis penè par, minoribus longè maior.* Argumẽta namque grauia spiritu magno complexus, quatuor Monarchiarum inprimis conuersiones expressit; Messiæ Regnum, & Sacerdotium descripsit; Iudæorum excidium, gentium conuersionem, Ecclesiæ felicitatem, pulcherrimis Visionum imaginibus effigiauit, quas omnes in commentariis explicamus.

4. Celebris quæstio est, num hic fuerit D Zacharias, de quo Saluator Matth. 23. ait, *Matth. 23.*

interfectum inter templū, & altare? Quam quęstionem ad initiū primæ Visionis discutiemus, pluraque alia de eodem Propheta interponemus, dum cæteras Visiones interpretabimur. Illud vltimum ex A Epiphanio scitum, decessisse illum in vltima senectute in Iudæa, ac sepultum prope Aggæum Prophetam sibi dum viueret prophetia comparem, & ætate synchronon.

*Epiphan. Decessit in vltima senectute, sepultus prope Aggæum.*

---

# ARGVMENTVM CAPITIS.

*PRIMAM Vates proponit Visionem de equite inter myrteta, qui equo ruso vehitur, & post eum equi rufi, varij, & albi, & sedentes in eis, quibus cura est perambulandi, ac lustrandi terram. Eques stans inter myrteta cum Domino agit, vt misereatur Ierusalem, ac vrbiū eius, auditque Zacharias ab Angelo verba consolatoria, quæ iubetur nunciare populo Secundam Visionem ponit de quatuor cornibus, & de quatuor fabris ferrariis venientibus contra cornua. Tertiam denique de viro, qui apparuit habens funiculum mensorium in manu sua.*

ZACHARIÆ CAPVT I.

1. IN mense octauo, in anno secundo Darij Regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ filij Addo, Prophetam, dicens: B

2. Iratus est Dominus super patres vestros iracundia.

3. Et dices ad eos: Hæc dicit Dominus exercituum? Conuertimini ad me, ait Dominus exercituum: & couertar ad vos, dicit Dominus exercituum. C

4. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetæ priores, dicẽtes: Hæc dicit Dominus exercituum: Conuertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus.

5. Patres vestri vbi sunt? & Prophetæ nunquid in sempiternum viuent?

D

6. Veruntamen verba mea, & legitima mea, quæ mandaui seruis meis Prophetis, nunquid non comprehenderūt patres vestros, & conuersi sunt, & dixerunt: Sicut cogitauit Dominus exercituū facere nobis E

PARAPHRASIS.

1. *OCtauo mense, cùm Darius, Hystaspis filius, Persarum Rex, secundum iam regnaret annum, Zacharias filius Barachiæ, nepósque Addo, spiritu diuino actus, hæc cœpit concionari ad populum, qui reuersus Babylone, vrbem Hierosolymam, ac templum instaurabat.*

2. *Magna fuit ira Domini, quia incensus est aduersus maiores vestros, siquidem eorum peccatis prouocatus, captiuos eos duci, & templum suum incendi voluit.*

3. *Hæc igitur Deus cælestis militiæ ductor ad vos mandata deferri per me iubet: Conuertimini ad me per veram pœnitentiam, & ego ad vos per gratiæ meæ propitiationem, ac beneficiorum effusam largitionem vltrò conuertar.*

4 *Ne patrum vestrorum sanè rebellium exempla sequamini: cùm enim illis antiqui Vates, ex ipsius Dei nomine suaderent, ad Deum suum, damnatis prioris vitæ noxis, conuerterentur, non modò non sunt, vt par erat, obsequuti, sed ne attenderunt quidem ad hæc salutaria monita.*

5. *Agite nunc, vbi sunt patres illi vestri rebelles? Vbi Prophetæ mendaces, qui vos decipiebant, magna quadam pollicentes? nunc apparet eorum vanitas, & quem vtrique habuerint exitum, satis patet: nam partim in bello, partim in captiuitate consumpti sunt; cùm tamen æternam felicitatem pollicerentur. Ecce captiuitatis miseria pro felicitate accidit, & illi miserè cum suis pollicitationibus perierunt.*

6. *At verba mea, quæ ego legitimè statui, vt populo prædicarentur, suum, vt destinaui, euentum sortita sunt: nec enim cum mortalibus prædicatoribus mortua sunt. Multi autem ex ipsis patribus vestris testes sunt, qui ad me conuersi*

bis secundùm vias nostras, & secundùm adinuentiones nostras fecit nobis.

A *conuersi ingenuè fatebantur, quemadmodum ego per Prophetas prædixeram de suppliciis pro peccatis inferendis, ita prorsus euenisse.*

7. In die vigesima & quarta vndecimi mensis Sabath, in anno secundo Darij, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiæ filij Addo, Prophetam, dicens:

7. *Anno ipso secundo regni Darij Regis Persarum, mensis vndecimi, qui dicitur Sabath, die vigesimaquarta, edoctus à Deo sum quæ ad populum oportebat concionari.*

8. Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum: & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo: & post eum equi rufi, varij, & albi.

8. *Nocturna Visione mihi monstratus est Archangelus Michaël virili specie, equo insidens, quasi celero affuturus auxilio: is autem equus sanguineum colorem præ se ferebat, vt* B *futuram de hostibus Iudæorum vltionem ipso colore polliceretur. Locus autem, in quo cælestem hunc equitem aspexi, totus erat myrtis odoriferis consitus. Custos enim erat Michaël Hebræi populi, qui solus ex omnibus Gentibus Deo gratus erat ob odorem fidei, ac virtutũ reliquarum: tunc autem temporis eorum plurimi Babylone adhuc commorabantur, profundo videlicet illo idololatriæ, ac vitiorum omnium, obscuróque & calamitoso carcere captiuitatis. Plurimi verò, qui in Iudæa ædificationi vacabant, à finitimis gentibus variè premebantur. Michaëlem verò* C *sequebantur alij equites, partim rubris, partim albis, partim maculosis equis insidentes: erant autem custodes diuersorum regnorum, quorum alia bellicosa, & sanguinaria, qualia Medorum, & Persarũ, alia prosperè, alia variè, tum quoad pacem, tum quoad bella se gerentia.*

9. Et dixi: Quid sunt isti, Domine mi? Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me: Ego ostendam tibi, quid sint hæc.

9. *Ego verò solicitus de significatione Visionis, interrogaui Angelum, qui mihi ista reuelabat intus, quinam essent viri illi equites? Isque respondit: Efficiam, vt cognoscas, quid sibi velint omnia ista.*

10. Et respondit vir, qui stabat inter myrteta, & dixit: Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram.

10. *Tum Angelus, qui loquebatur in Zacharia, suggessit Michaëli, vt responderet Zachariæ, qui ait: Isti sunt, quos Deus præposuit* D *variis terrarum Prouinciis, vt eas iure sui muneris lustrent, & vltrò, citróque commeando vigilum more custodiant.*

11. Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta, & dixerunt: Perambulauimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & quiescit.

11. *Confirmaruntque hoc ipsimet equites: nam interrogati à Michaële, qui esset status Prouinciarum, quas custodiebant, responderunt: Lustrauimus regna nostra diligenter, & comperimus omnia prosperè agere, nec vllis bellis modo turbari.*

12. Et respondit Angelus Domini, & dixit: Domine exercituum, vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est.

12. *Tum eques ille maximus figurã Michaë-* E *lis habẽs dolore quasi permotus, quod cætera gẽtes prosperè agerent, solúsque Iudæorum populus vexaretur, has preces ad Deũ fudit: vsquequò, Domine Deus, non misereberis Ierusalem, ac reliquarum vrbium finitimarum? Ecce hic annus septuagesimus est ab vltima desolatione, quo tempore pollicitus es finem habituram captiuitatis plagam.*

13. Et respondit Dominus Angelo, qui loquebatur in me, verba bona, verba consolatoria.

13. *At verò Dominus exoratus docuit Angelum, qui mihi hæc reuelabat, verba mitissima, & maxima consolatione plena.*

14. Et dixit ad me Angelus, qui loquebatur in me, Clama, dicens; Hæc dicit Dominus exercituum: Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno.

15. Et ira magna ego irascor super gentes opulentas: quia ego iratus sum parum, ipsi verò adiuuerunt in malum.

16. Propterea hæc dicit Dominus: Reuertar ad Ierusalē in misericordiis: & domus mea ædificabitur in ea, ait Dominus exercituum: & perpendiculum extendetur super Ierusalem.

17. Adhuc clama, dicens: Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc affluent ciuitates meæ bonis: & consolabitur adhuc Dominus Sion, & eliget adhuc Ierusalem.

18. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua.

19. Et dixi ad Angelum qui loquebatur in me: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israël, & Ierusalem.

20. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.

21. Et dixi: Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros, & nemo eorum leuauit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, vt deiiciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, vt dispergerent eam.

A 14. *Monuitque me Angelus mihi assistens: Clama hæc in conuentu populi: Dominus Deus exercituum sic ait: Doleo, atque irascor valde, tam crudeles fuisse Chaldæos, & alias nationes in Iudæos.*

15. *Perculit me magna ira vis aduersùs gentes istas opibus florentes, Chaldæos videlicet, Medos, & Persas: nam ego quidem irascebar in populum meum, ac punire destinaueram, non tamen ita crudeliter: tradidi ergo illum Chaldæis flagellandum. At illi excesserunt modum, & de suo auxêre plagas, immaniùs videlicet*

B *flagellando, quàm ego iusseram.*

16. *Deinceps ergo propitius ero Ierusalem, eámque misericordia magna, & beneficiis multis prosequar. Templum meum rursum erigetur, & vrbs instaurabitur.*

17. *Adhuc tu, ô Vates, eleuata voce clama: Deus ita pollicetur: Faciã vt ciuitates meæ ita bonis affluant, vt bonorum copia quasi foras effluat, latéque dispergatur: Dominúsque ipse deliniet Ierusalem, ac permulcebit indulgentissima charitate sua: erúntque in ea plurimi Deo*

C *chari, & electi in æternam felicitatem.*

18. *Attendénsque adhuc mentis oculos, perspexi rem mirabilem: quatuor videlicet cornua, quibus non dubitaui significari exaggeratam regnorum aliquorum potentiam.*

19. *Rogatúsque à me Angelus, quid essent, respondit: Hæc quatuor cornua gentes sunt immanes, quæ à quatuor orbis partibus, Oriente, Occidente, Septentrione, Meridie, irruentes vexauerunt Iudam, & Israël.*

20. *Ecce autem apparuerunt quatuor homines, quos quia malleis, aliisque similibus instrumentis instructos vidi, fabros ferrarios esse conieci.*

21. *Tum ego ad Angelum: Quid isti mo-*

D *liuntur? Qui respondit: Hæc cornua regna illa sunt, quæ pro libito suo populum Iudæorum leserunt, ita vt Iudæi eorum vexationibus oppressi, ne caput quidem leuare potuerint, nedum resistere. At nunc fabri isti ferrarij cum suis ferramentis, eò venerunt, vt amoueant illa procul à Iudæis, ne vlteriùs illis noceant. Cornua autem ipsa, seu potestatem, quam per victorias suas leuauerunt ad dispergendum Israël, deiicient in terram, atque comprimet.*

## COMMENTARIVS.

NEcessariò ad primam Visionem Zachariæ præmittenda sunt aliqua, quæ reliquarum Visionum eius interpretationes faciliores reddere possunt. Primùm ergo explicabuntur aliquæ difficultates: deinde prima Visio de Equitibus declarabitur: postea secunda de cornibus, & de fabris ferrariis.

Explicab

## *Explicantur duæ præcipuæ difficultates.*

### SECTIO I.

1. *Tractatur quæstio de Zacharia, fueritne is de quo Dominus Matth.23.*
2. *Probatur esse hic Propheta,& citantur Autores pro hac parte.*
3. *Probatur esse filiũ Ioiadæ,ex D. Hieronymo,& aliis.*
4. *Vtramque partem quæstionis esse probabilem, magis securam posteriorem cùm D.Hieronymo.*
5. *Agitur de tempore,quo cœpit prophetare Zacharias, & proponitur ratio difficultatis.*
6. *De quo anno septuagesimo loquatur Eques, opinio Riberæ.*
7. *Annos captiuitatis septuaginta non solùm ab ipsa desolatione sed & ab eo tempore,quo cœpit desolari, numerari posse.*
8. *Non bene posse sustineri, Baltassarem immediatè successisse Euilmerodach,sed necessariò ponendos esse duos nimirum Reges inter vtrumque.*

1. MISSIS aliis difficultatibus minoris momẽti,duas tantùm celebres, ac famosas explicabimus. Circa personam Prophetæ, qui dicitur hoc capite Zacharias filius Barachiæ, est prima difficultas celebris, cuique nunquam plenè satisfactum à magnis Autoribus, num iste Zacharias sit ille, de quo Dominus Matth.23.35. agens contra rebelles, ac sanguinarios Iudæos: *Vt veniat*, inquit, *super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ,quem occidistis inter templum,& altare?* Veniunt ergo in quæstionẽ tres huius nominis Prophetæ.Primus Zacharias filius Ioiadæ, de quo 2. Paralipom.24.20.secundus Zacharias,ex duodecim Prophetis vnus, cuius Visiones aggredimur:tertius pater Ioannis Baptistæ. Ac primùm de hoc vltimo nihil dicam quòd nec de nece eius inter templum & altare constet,nec patris nomen conueniat, & quæ in probationem pro eo afferuntur incerta, & apocrypha sint.Et quidem quòd Dominus loquutus fuerit de hoc nostro Zacharia,facit primùm nomen patris: dicitur enim filius Barachiæ, sed quòd fuerit occisus inter templũ,& altare, Scriptura non memorat.Quòd verò loquutus fuerit de illo alio Zacharia filio Ioiadæ,iuuat, quia loco citato 2.Paralip. narratur occisus illo ipso loco,inter templum,& altare; sed de nomine patris non constat. In vtroque ergo nomen Zachariæ conuenit, in altero præterea nomen patris, in altero occisio,& locus occisionis. Positis ergo sic quasi in æquilibrio,vix apparet,in quam partem inclinare quis debeat, & ferè propè est, vt ea pars, cui maius Autorum pondus accesserit,præponderare credenda sit.

*Matth. 23. 35.*
*Num hic Zacharias sit ille, de quo Dominus loquitur Matth. 23.35.*
*2.Paral.24. 20.*

2. Igitur pro Zacharia nostro stat primùm D.Chrysost.homil. de Natiuit.Ioan.Baptistæ; & ex recentioribus Arias Montanus, Franciscus Ribera, Vatablus ad hunc locum, Emanuel de Saa Matth.23. Prima ratio pro hac parte, quòd Dominus, vt apparet Luc.11.50. cõplecti voluit cædes omniũ Prophetarum: *Vt inquiratur*,inquit, *sanguis omnium Prophetarum*,à primo Abel, vsque ad vltimum,qui nõ videtur esse alius, quàm præsens Zacharias: nam Zacharias filius Ioiadæ non fuit Propheta,& post eum multi Prophetæ,iique clarissimi, occisi sunt, nimirũ Isaias serra sectus, & Ieremias apud Taphnas,in Ægypto,lapidatus. At non memorat horum cædes Scriptura. Quid interest,cùm de illis constet? Sed & de nece nostri Zachariæ nihil habet sacra pagina.Multáque similiter omisit, quæ postea per Christũ,& Apostolos didicimus. Christus (ait Iansf.) solùm est loquutus de sanguine postulante vindictam (*vt inquiratur*,ait Lucas,*sanguis,&c.*)quod de sanguine Abel dicitur Genes.4.10. & de Zacharia filio Ioiadæ,qui moriens dixit: *Videat Dominus,& requirat.* At Dominus absolutè de omnium Prophetarum, etiam non postulantium vindictam, sanguine pronunciauit,quòd inquirendus esset, & super Iudæos omnes venturus. Nam ad rectũ Iudicem Deum spectat vindicare Sanctorum cædes,siue postulent,siue non postulent,vindictam. Non est ergo alius Zacharias Propheta filius Barachiæ, de quo videatur Dominus loqui, quàm hic noster de quo agimus.

*Testatur, esse Zachariã hunc Prophetam.*
*D.Chrys.*
*Arias Mon.*
*Ribera.*
*Vatab.*
*Saa.*
*Luc.11.50.*
*Iansen.*
*Luc.*
*Gen.4.10.*
*2.Paral.4.22.*

3. At verò pro Zacharia filio Ioiadæ stat D. Hieronymus ad cap.23.Matth. D.Thom. D. Anselm. Lyran.Hugo Cardin. Carthus.& alij ibidẽ, Abulens.q. 255.in Matth. Rabanus Maurus 2. Paralip.25.& eodem loco Caiet. Ratio pro hac parte est illa communis D.Hieronymi, quòd in hoc Zacharia,& nomen ipsum,& occisio, & locus occisionis conueniant. De nomine patris, quod desiderari videtur, id primũ ait idem Hieronymus Barachiam interpretari, benedictum Domini;at de Ioiada patre Zachariæ multa habere sacram paginam, quibus magno iure apparet benedictus,vt si non nomine,certè significatione Barachias fuerit. Accedit,quòd in Euangelio,inquit,Matthæi,quo vtuntur Nazaræi,pro filio Barachiæ, est filius Ioiadæ. His adde fortè Ioiadam fuisse binomium, quod apud Hebræos erat vsitatissimum.

*Probatur. esse Zachariam filium Ioiadæ.*
*D Hieron.*
*D.Thom.*
*Anselm.*
*Lyran.*
*HugoCard.*
*Carthus.*
*Abulens.*
*Rabanus Maurus.*

4. Crediderim vtramque partem esse probabilem, quamuis in vtraque aliqua sint, quæ aut liberè,aut irrationabiliter dicantur. Prior enim sententia liberè assumit, Zachariam Prophetam fuisse interfectum inter templum & altare, posterior Ioiadam,patrem alterius Zachariæ, dictũ quoque Barachiã,saltem ipsa significatione:item prior rem ipsam,quam maximè oportuit esse testatam,nimirum occisionem Zachariæ,siquidem de cæde Prophetarũ agebatur, dubiam præfert: posterior autem omittit cædes duorum clarissimorum Prophetarũ,Isaiæ,videlicet, ac Ieremiæ, quas nullo modo præterire oportuit, maximè cùm ita dixerit Christus:*Vt inquiratur sanguis omnium Prophetarum.*Hæc sunt vtriusque partis momẽta:accedat lector vtri maluerit,securior videtur posterior pars,maximè ob autoritatẽ D.Hier.

*Iudicium de vtraque opinione*
*Vltima opinio ob autoritatẽ Hieronymi securior.*

5. Circa tempus,in quo prophetauit Zacharias, est etiam grauis difficultas: nam hîc dicitur prophetasse anno secundo Darij filij Hystaspis, videlicet annis plusquam decem post solutam captiuitatem:nam inter Cyrum, & Darium hũc regnauit Cambyses octo, aut nouem annos: at hic in prima statim Visione, per quam cœpit prophetare vir ille equo rufo sedens coram Zacharia ita Deum alloquens: *Vsquequò*, inquit, *tu non misereberis Ierusalem? iste iam septuagesimus annus est.* Si ergo cùm cœpit prophetare Zacharias septuagesimus nimirum erat annus captiuitatis, quomodo secundo anno Darij, qui minimum fuit decimus post captiuitatem, primùm ad eum verbum factum dicitur?

*Difficultas grauis, quo tẽpore prophetauerit Zacharias.*

*Ribera.* *De duplici anno septuagesimo.* *Ierem. 29. 10.*

6. Respondet Ribera, annum septuagesimum, de quo eques loquitur, esse alium ab eo, qui dicitur septuagesimus captiuitatis: nam annus septuagesimus captiuitatis intelligitur ille, qui designatus est à Ieremia c. 29. 10. *Cùm cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos verbū meū bonum: vt reducā vos in locum istum.* Non est autem hic annus septuagesimus, quo Zacharias prophetasse dicitur: nam hic incipit à primo anno Nabuchodonosor, vsque ad primum Cyri Regis Persarum, qui potestatem Iudæis fecit redeundi in patrium solum. Sed est alius septuagesimus annus, qui nimirum computari debet à desolatione vrbis. Pro quo notandum, ex 2. Paralip. 36. Nabuchodonosor primo anno regni sui captiuos duxisse Babylonem Iudæos cum suo rege Ioacim, inter quos & Daniel ductus captiuus. Post annos verò octo idem Nabuchodonosor alterum Ioacim superioris filium captiuum duxit cum pluribus Iudæis, inter quos & Ezechiel, spoliata vrbe, ac templo, substitutóque in loco Ioacim Sedecia patruo. Deinde post vndecim annos, cùm rebellasset Sedecias, iterum capta est ciuitas à Nabuchodonosor, & solo æquata. Ab hac autem desolatione vrbis Ierusalem, vsque ad secundum annum Regis Darij, numerantur alij septuaginta anni, de quibus hoc loco fit mentio; vnde dicitur: *Vsquequò tu non misereberis Ierusalem? iste iam septuagesimus annus*, quo scilicet desolata est. Quòd autem à prima captiuitate Ioacim vsque ad primum annum Cyri numerantur septuaginta anni; & à desolatione vrbis, vsque ad secundum annum Darij numerantur alij septuaginta, ita deducit Ribera: Quadragintaquinque anni Nabuchodonosor, numeratis decimonono & vltimo vitæ imperfectis, vigintitres Euilmerodach, iuxta Seder Olam, Prochitum, Galatinum, Echium: tres Baltassaris imperfecti, Daniel. 5. priores septuaginta complent. At posteriores ita colliguntur: vigintiseptem Nabuchodonosor, qui remanent detractis decem, & nouem desolationis, Euilmerodach vigintitres, Baltassaris tres, Cyri septem ex Xenophonte octauo Cyri Pædiæ, Cambysis octo, ex Herodoto lib. 3. Darij duo, eandem efficiunt summam. Quæ omnia latiùs videre est apud Riberam.

*2. Paral. 36.* *Dan. 5.*

*Opinio de duplici anno septuagesimo probabilis.*

7. De hac opinione, etsi ab aliis acriter impugnari video, id iudico, expeditam esse, & nodum præsentem facilè soluere. Nec meritò reprehendi potest prædicta distinctio, quòd non sit Scripturæ consentanea, vtpote quæ septuaginta annos captiuitatis solùm vocet eos, qui à desolatione vrbis, vsque ad primum Cyri annum numerantur, quod soli ij vocantur anni desolationis, & stuporis, Ierem. 25. Daniel. 9. Verùm annos captiuitatis non solùm ab ipsa præcisè desolatione, sed etiam ab eo iam tempore, quo primùm capta est vrbs, & cœpit desolari, anno primo Nabuchodonosor, & quarto Regis Ioacim numerandos esse, probat Ribera ex illo Ieremiæ 25. *Verbum quod factum est ad Ieremiā de omni populo Iuda, in anno quarto Ioacim filij Iosiæ Regis Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor. Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor seruum meū, & erit vniuersa terra hæc in solitudinem, & in stuporē, & seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Ecce Vates captiuitatem commemorās ab initio vsque ad finem, meminit etiā desolationis, & stuporis, non quòd

*Ierem. 25.* *Dan. 9.* *Ierem. 25. 1.*

A tunc desolata sit ciuitas, sed quia solent Prophetæ affirmare sæpenumero multa esse, quando incipiunt fieri. Psal. 2. 1. *Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominū, & aduersus Christū eius*, de Passione sermo est, in qua Dauid affirmat, Reges terræ; ac Principes in vnū coactos esse aduersus Christum, quod tamen in Christi Passione impleri cœpit, & paulatim impletur per Reges Ecclesiæ persequutores. Quòd autem commentum non sit, annos alios septuaginta desolationis commemorare, probat idem Ribera ex Eusebio in Chronicis, vbi sic: Quòd septuagesimus annus desolationis templi altero anno Darij fuerit expletus, domesticus testis est Zacharias dicens: *Iste septuagesimus annus est.* Itē

*Psal. 2. 1.* *Prophetæ, multa quæ incipiūt esse, iam facta pronunciant.* *Eusebius.*

B ex Hieronymo in prooemio commentarij in Aggæum: Secūdo, inquit, anno Darij filij Hystaspis, septuagesimum annum desolationis templi fuisse completum, quem Ieremias vaticinatus est, Zacharias quoque Propheta testis est. Idem sensisse ait August. 8. de Ciuitat. 26. Nicephorum in Chronographia, cap. 6. Theodoret. Zach. 1. Dan. 9. Ezechiel. 1.

*D. Hieron.* *D. August.* *Niceph.* *Theodor.*

8. Illud vnum in hac opinione displicere debet, quòd post Nabuchodonosor duos tantùm Reges ponit, Euilmerodach, & Baltassarem: quoniam, vt grauissimi Autores asserūt, præter duos Euilmerodach, & Baltassarem, alij duo intermedij regnarunt. Ita sentit D. Hieron. in cap. 5. Da-

*Plures Reges inter Nabuchodonosor, & Baltassarē.*

C niel. Beda de sex ætatibus mundi, Iosephus 10. Antiquitat. 12. & 1. lib. contra Appionem. Item Berosus, Alexander, Megasthenes, Alphæus, moti videlicet eo, quòd supputatis annis Nabuchodonosor, Euilmerodach, Baltassaris, necessariò superfluunt anni ad summam annorum septuaginta, post quos & captiuitas erat soluenda, & finiendum regnū Chaldæorū. Id enim deprehenderetur, siue ab inchoata captiuitate numeres sub primo anno Nabuchodonosor, siue à desolatione vrbis sub anno eius decimonono. Nā Nabuchodonosor annos tres, & quadraginta regnauit; ita D. Hieronymus in cap. 5. Daniel. Ioseph. 10. Anti-

*D. Hieron.* *Beda.* *Ioseph.*

D quitatum, & 1. aduersùs Appionem, Eusebius 9. de Præparatione Euang. & colligitur ex 4. Reg. 24. & 25. Nam cap. 24. dicitur facta transmigratio anno octauo regni Nabuchodonosor, & cap. 25. cœpisse regnare Euilmerodach anno transmigrationis trigesimoseptimo. Obiit ergo Nabuchodonosor anno trigesimosexto transmigrationis, remanéntque integri ac cōpleti anni solùm quadragintaquinque regni eius. De annis Euilmerodach variant Autores: nam Alexander, Megasthenes, & Alphæus, duos tantùm ei tribuūt, Seuerus Sulpitius 2. suę historię duodecim, Iosephus decem, & octo; alij quos refert Ribera, vigintitres. Baltassari negari non possunt tres: nam Daniel. 8. cap. ait: *Anno tertio regni Baltassaris*

E *Visio apparuit mihi.* De pluribus eius annis non est quid certum. Quouis ergo modo fiat computatio septuaginta annorum, hoc est, siue ab inchoata captiuitate, siue à consummata per annos trium Regum, etiam sub maiori quantitate annorum, semper restant anni, qui per vnum, aut duos Reges necessariò diuidendi sunt, & ideo in hanc sententiam inclinauimus Visione 23. Sectione prima. Nec est opus in his ampliùs commorari. Certum habemus annum secundum Darij, & annum septuagesimum bene conuenire, nec esse repugnantiā, cùm septuagesimus captiuitatis sit diuersus à septuagesimo desolationis.

De

## *De priori Visione Equitum.*

### SECTIO II.

1. *Commendatur Prophetia Zachariæ ex apparatu Visionum, & sensuum altitudine.*
2. *Cur noctu se vidisse dicat, ex Theodoreto? Locus Iob. 3. explicatur, & Genes. 19. & Psal. 16. etiā ex Hieronym. iuxta locum Psalm. 17 qui explicatur.*
3. *Angelum esse, qui apparet inter myrteta, certum est: quis fuerit, incertum. Certum tamen fuisse aliquem ex tribus.*
4. *Probabilius, Michaëlem fuisse, & quas ob causas? quare Michaël dicatur Princeps magnus?*
5. *Quid per equum rufum intelligatur: Cuius coloris equus Theodoreto? Optima coniectura, quod fuerit Michaël, vnde sumatur? Illustratur loco Act. 12. & Mach. 2.*
6. *Lectio Septuaginta quomodo conueniat cum vulgata? Myrtus qualis arbor. Per eā felicitas Hebræorū. Qualis significatio myrti ex opere topiario, & quid ex natiuo eius odore?*
7. *Cur myrteta dicantur esse in profundo? Per profundum significari labores, Psal 63. Locus Habac. 3. Locus Theodor.* Inter montes vmbrosos, *quid?*

1. PRIOREM Visionem sic proponit Vates. Vers 8 *Vidi per noctem, & ecce vir ascendens super equum rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erant in profundo.* Septuaginta, *Et ipse stabat inter montes vmbrosos.* Iure Theodoretus hoc loco Zachariam Prophetam vocat admirandum, quòd eum inprimis ob Visionum maiestatem, ac sensuum profunditatem omnes admirari debeant. Nihil enim humile sonat, sed magna semper, & admirabilia, varias Equitum turmas, cornuū intentas cuspides, candelabra aurea, volumina volantia, quadrigas inter montes æneos. Quæ omnia non solùm ipsa specie, sed & sensuum altitudine, & mysteriorum grauitate, ac varietate præcellunt. Itaque nunc Angelorum in armis monstrata custodia, nunc Monarchiarum conuersionibus cū fragore exhibitis, nunc regno Christi Euangelij prædicatione, gentium vocatione, persequutione Ecclesiæ, respiratione, felicitate fidelium legentium animos mirabiliter suspendit: vt iure à Diuo Hieronymo huius Prophetæ nominis etymon è Græco μνήμη Κυρίου, dicatur memoria Domini. Nam omnium mirabilium, quæ Deus per Prophetas cæteros sparsim prædixerat, in hoc vno, qui penè vltimus Prophetarum fuit, sibi quasi memoriam fecit: vt non iam mirum sit hominibus esse mirandum, qui Deo ipsi suorum est memoria mirabilium.

*Varia lectio. Zacharias Propheta admirandus.*

D. Hieron. *Zacharias, memoria Domini.*

2. Quod ergo ait per noctem se vidisse, id primùm est conuenientiæ, iuxta Hieronymum, quòd populo in seruitutis adhuc tenebris constituto, Visio nocturna quadrat. Nox enim in sacris literis miseriarum, ac tribulationum symbolum est; seu (vt ait Theodoretus) figura aduersitatum ob offusas mœrorum tenebras, quoniam, vt aër noctis tenebris, ita aduersitatum mœroribus cor obducitur: idcirco diem suum calamitosum considerans Iob cap. 3. 5. ait: *Obscurent eum tenebræ.* Vbi Hebraicum גאל idem est atque redimere, & vendicare sibi id, quod in aliena potestate erat, id verò congruenter in hunc sensum: tenebræ diem

*Cur noctu viderit Zacharias.*

Theodor. *Nox, tribulationum symbolum.*

Iob. 3. 5. גאל

A illum, qui sub luce, quasi sub alieno Domino est, suo sibi iure vendicent, vt affinem sibi propter calamitatum, ac mœrorū obscuritates. Hinc est, quòd cùm Abraham denuncianda esset seruitus illa molestissima posterorum eius in Ægypto, sol occumbere, & sopor in eum, ac horror magnus, ac tenebrosus irruere dicitur Genes. 15. 17. Et statim subditur: *Scito prænoscens, quòd peregrinū erit semen tuū in terra non sua, & subiicient eos seruituti. Scito prænoscens*, quasi sit diuisio; scito, quòd peregrinum erit semen tuum, &c. Prænoscens id in hoc Solis occasu, & horrore tenebroso. Quare valde congruit commune illud Psal. 16. 3. vbi Dauid, *Probasti*, inquit, *cor meū, & visitasti nocte.* hoc
B est, vehementi tribulatione, ac densissimis mœrorum offusis tenebris explorasti, quid corde valerem, & tamen deprehendisti probatæ in aduersis fidei, ac soliditatis; seu explorasti, num tenebris circunfusum aberraret cor, & tamen in te vno suarum affectionum vero Septentrione fixū reperisti. Illud quoque ex D. Hieronymo conuenientiam habet, vt præmissa hoc loco nox, in primo quasi prophetiæ huius limine denunciet huius, ac sequentium Visionum obscuritatem: Psal. 17. 12. *Qui posuit tenebras latibulum suum.* hoc est, Deus, qui quotiescumque in Scriptura significare vult se latere, vocabulum adhibet tenebrarum, aut simile aliud, quo importetur obscuritas. Sicut Ezechieli ante primam illam Visionem
C obscurissimam, visa est *nubes magna, & ignis inuoluens.* Vtrumque enim obscuritatem, & horrorem dicendorum exaggerat. Nubes magna, quia vndique obducit, ignis inuolens, quia non vt illuminet, sed vt perturbet, sese in illam insinuat, adeóque horridam præfert, procellosámque caliginem, qualem primo Æneid. expressit Poëta:

*Eripiunt subito nubes, solémque, diémque*
*Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra;*
*Intonuēre poli, & crebris micat ignibus æther,*
*Præsentémque viris intentant omnia mortem.*

Ob hanc ergo in Ezechiele incumbētem nubē, tota Synagoga (inquit Hieronymus) muta iacet, vltra hominem esse credens, aliquid in ea Visione velle conari. Sic ergo Zacharias prophetare
D incipiens noctem illico nobis obiicit, vt de suarum Visionum obscuritate præmoneat. Sed nos post tenebras speramus lucem, & cum Propheta verba Dei consolatoria, quibus omnis facessat obscuritatis nox, & dies sequatur perfectę intelligentiæ. Sequitur ergo,

3. *Et ecce vir ascendens super equū rufum: & ipse stabat inter myrteta.* Inprimis certum habemus, hunc virum esse Angelum aliquem: quoniam infrà ait Propheta: *Et responderunt Angelo Domini, qui stabat inter myrteta.* Deinde hunc Angelū populo Hebræorum esse propitium, quoniā is ipse inferiùs Deum sic orat: *Domine exercituum, vsquequò non misereberis Ierusalē, & vrbiū Iuda?* Id solum ad coniecturas manet, quis fuerit iste Ange-
E lus? Hebræorum communis opinio Michaëlem asserit. Idem tenet Theodoretus ad hunc locum, Lyranus, & alij literales. Nam cùm oret hîc pro populo, & Daniel. 10. dicatur Princeps, hoc est, custos Hebræorum, probabili coniectura, Michaël esse perhibetur; probabili, dixi, coniectura, quoniam erit fortasse qui velit, hunc Angelum esse, aut peculiarem eius populi custodem, alium à Michaële, vti diximus, Daniel. 10. Nam Michaël custos Ecclesiæ erat in populo Hebræorū, sicut fuerat in lege naturæ, éstq; hodie in lege gratiæ,

Genes. 15. 17.

Psal. 16. 3.

*Nox, obscuritas prophetiæ.* D. Hieron.

Psal. 17. 12.

Ezech. 1. 4.

D. Hieron.

*Virum inter myrteta, esse Angelum Hebræis propitium.*

Dan. 10.

*Probabiliter autem vnum è tribus custodibus populi.*

nulli scilicet peculiari populo addictus, sed soli Ecclesiæ vbicumque gentium fuerit. Aut verò dicet alius esse Gabrielē, qui etiā narratur Daniel. 10. pro populo captiuo satagere, vt ad Visionem eius capitis ostendimus. Rectè autem in eū quadrabit querela illa ad Deum, *Iste iā septuagesimus annus est*: alias si sit Angelus ille peculiaris populi, videbitur congruentius, vt is hoc loco videatur equo sedere cum cæteris aliarum gentium custodibus, qui apparent similiter equis sedētes, & nunciāt regna sibi credita in pace agere, & sequitur aptiùs, Angelum hunc orare Deum pro Ierusalem, & vrbibus eius, hoc est, vt reædificentur, vt restituantur ad antiquam gloriam, vt habitentur etiam in pace, quæ omnia concernunt populum sub communi ratione populi.

*Probabilius, esse Michaëlem.*

4. Sed enim probabilius videtur Angelus iste esse Michaël: primò, quoniam cæteri Angeli dicuntur eum ponè sequi, quasi superiorem, *Et post eum*, inquit, *equi rufi varij, & albi*: item referre, quę in suis regnis aguntur, illi nimirū veluti maiori rationem reddentes. Responderunt Angelo Domini (quasi ab eo, tanquā præside requisiti, quid in suis præfecturis ageretur) *Ecce omnis terra habitatur, & quiescit*. Idcirco & Daniel. 12. 1. appellatur idē Michaël *Princeps magnus* hoc sibi, vt videtur, ascito titulo ex præclaris facinoribus, in prælio contra Luciferum gesto. Maiori sanè iure, quàm terreni Principes, Alexander, Pompeius, aliique magni sibi cognomēta ex longè minoribus prælijs vsurparunt. Vt ergo hi per eiusmodi id assequebantur, vt omniū essent in sua republica facilè Principes: ita profectò cùm Michaël inter illos cælestes Principes, dicitur Princeps magnus, quantò cæteri omnes inferiores illo sint apertè perspicitur. Hæc autem rectè congruunt cum cōmuni inprimis Ecclesiæ sensu, quo Michaëlem Principem gloriosissimum prædicat, ac cælestis militiæ generalem præfectum, vt in communi eius Hymno canitur:

*Dan. 12. 1. Michaël princeps magnus.*

*Collaudamus venerantes*
*Omnes cæli milites,*
*Sed præcipuè primatem*
*Cælestis exercitus;*
***Michaëlem, in virtute***
***Conterentem Zabulon.***

**Apoc. 12. 7.** *Draco septēpliciter coronatus quare?*

Hinc est quòd Apocal. 12. 7. *Michaël, & Angeli eius*, dicuntur præliari cū dracone illo rufo septēpliciter coronato, hoc est, cum Lucifero, multorum Regum, maximéque Antichristi confidente armis: prælio videlicet longè grauiori, quàm fuit primæum illud contra solum Luciferum, & Angelos eius in cælo; res enim erit iterum cum eodem Lucifero, & Angelis eius, additis insuper Antichristi viribus, ac plurium aliorum Regum, quibus Ecclesia in extremum vocata periculū, à Michaële liberabitur; pro periculi enim magnitudine educet in aciem omnes Angelorum copias, séque in vltimo illo conflictu ita probabit, vt proiecto dracone cum Angelis, ac administris suis in Tartareum lacum, pacem æternam stabilito ministerialiter Christi regno feliciter constituet, ac firmabit.

*Cur equo rufo sedeat.*

5. Egregius enim propugnator populi Dei, eo nunc laborante, proprium subit bellatoris habitum, videlicet Equitis; idque in equo rufo siue sanguineo, quod sanguinem, hoc est, vindictam, iam hinc in hostes Hebræorum minitatur. Theodoretus equum vocat spadicem, hoc est, punicei coloris, qui maximè commendatur in equis, quo etiam vocabulo vsus est Virgilius in illa eleganti descriptione equi 3. Georg.

**Theodor.**

**Virgil.** *Equi spadices, punicei coloris.*

*——— illi ardua ceruix,*
*Argutúmq; caput, breuis aluus obesáq; terga,*
*Luxuriátque toris animosum pectus: honesti*
*Spadices glaucique. ———*

Nec aliunde quàm à tempore laborantis populi, certior haberi potest coniectura, quòd hic ipse sit Michël. Sic Sponsæ per noctem erranti post Dilectum suum occurrunt vigiles ciuitatis. *Inuenerunt*, inquit *me vigiles, qui custodiunt ciuitatē*, hoc est custodes Angeli, qui, quantumuis vigilantem, præueniunt nihilominus vigilando, itaque inueniunt illam, quia laborantē quærunt, vt ope sua protegant. Et Zachar. 1. dicitur visus Eques inter myrteta quæ erant in profundo, seu inter mōtes vmbrosos; quem sequebantur alij Equites parati ad custodiam, sub illo quasi Principe custodiæ militantes. Mysterium autem est, quòd in profundo laborum, & inter molestiarum vmbras paratiores se præbent Angeli ad custodias suas. Ita prorsus quòd laborantibus Hebræis, ac impeditis à vicinis hostibus ab ædificatione templi & vrbis, appareat Zachariæ vir bellator equo rufo vectus. A tempore ipso coniectura est, esse Michaëlem paratum, ac præcinctum ad defensionē populi contra impugnantes hostes, vt habeat Propheta, quo maximè torpētes alliciat, excitétque ad prosequendum opus cœptum. Vt autem opportunè hîc cōtra rebellātes equitat Michaël, sic iuxta Ambrosium ad Psalm. 40. periclitante Ærario Hierosolymitani templi, in quo viduarum, ac pupillorum pecuniæ seruabantur, sub depeculatore Heliodoro; astitit quoque in tempore Michaël, terribili aspectu, aureis armis ornatus, equo phalerato insidens, quem acriter agens in Heliodorum prioribus elisis calcibus conculcauit, ac per assistentes iuuenes durè admodum flagellari iussit Machab. 2. cap. 3. 25.

**Cant. 3. 3.** *Laboranti populo conuenienter Michaël equitat.*

*In profundo apparent, quoniam valde laborātibus paratiores se exhibent.*

*Michaëlis equitatio cōtra Heliodorum.* **D. Ambros.**

**Machab. 2 cap 3. 25.**

6. Stat Eques *inter myrteta*, hoc est, inter condēsas myrtos, quibus locus ille apparitionis latè abundabat. Septuaginta vertunt, *inter duos montes vmbrosos*, eodem sensu, vt intelligantur montes densis vndique myrtorum frondibus opacati: est enim hæc arbor densitate frōdium celebris, Leu. 23. 40. Vbi nos habemus, *& ramos ligni densarum frondium*, Chaldæus dixit, *myrtum*. Est autē myrtus inprimis pulchra. Vnde Esther הדסה hoc est, myrtea, dicta est ob pulchritudinem. Esther 2. 7. *Qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ, quæ altero nomine vocabatur Esther*. Et Venus apud Ethnicos pulchritudinis Dea myrtea dicitur. Plin. lib. 15. cap. 29. Ara fuit, inquit, vetus Romæ Veneris myrteę. Est itē odorifera, etiā in Ægypto, vbi (ait Plin. lib. 21. cap. 11.) etiāsi, inquit, cętera sine odore sint, lilia, violę, rosæ, myrtis tamen præcipuus odor. Est & arbor festiua, ac fausta, festis proinde diebus ad ornatū, ac triumphalibus olim coronis inseruire solita, vt testatur Plin. lib. illo 15. citato. Hinc est quod Leu. 23. 40. ad celebrandam festiuitatem septimi mensis, inter alias frondes, iubentur afferri *rami densarum frondiū*: per quos consensu omnium intelliguntur rami myrti arboris. *Sumetis vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ, spatulásque palmarū, & ramos ligni densarū frondiū, & salices de torrente, & lætabimini corā Domino Deo vestro*. Aptè verò per lignum densarum frondium intelligitur myrtus, de qua Plinius citatus, quòd vel propterea topiaria inde opera fiant. Et Isai. cap. 41. 19. fausta populo prænuncians,

***Inter myrtos, & vmbrosos montes, idem.***

*Myrtus densitate frondium celebris.* **Leu. 23. 40.** *Pulchra arbor.* **Esther 2. 7.**

**Plinius.**

*Odorifera, etiam in Ægypto, vbi nulla odorifera.* *Festiua, ac triumphis seruiens.* **Leu 23. 40.**

**Isai. 41. 19.**

cians, ait; *Dabo in solitudinem cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ.* Et cap. 55. 13. *Pro vrtica crescit myrtus.* D. Hieronym. ibi: Mala vertētur in bona. Atque ob hanc præcipue myrti prærogatiuā videtur mihi apparuisse hoc loco Michaël inter myrteta, quasi prænuncians futuram Hebræorū felicitatem, ac post labores certam lætitiam; non quamlibet autem, sed magnam & exaggeratam, qualem non vna aliqua myrtus, sed ingens per duos montes extensa myrtorum sylua præ se ferebat. Vt autem ex myrtis opere topario fiunt sæpe cataphracti Equites, armati milites, naues, triremes, quæ in hortis pro deliciis sunt: ita quasi pollicetur per hoc Michaël cælestes se Spiritus, qui suapte natura formę sunt expertes, multiformiter armaturū contra hostes Hebræorum. Rectè enim Theodoretus Cælestes Spiritus omnis formæ expertes, à Deo formantur, vt vsus hominum postulat. Et verò cùm res odoriferæ, autore Plinio 20. lib. cap. 1. ac teste experientia deficientibus salutares sint: idcirco & inter odoriferas myrtos stat Michaël, promittens videlicet deficientibus Hebræis, ac planè iam ex timore collapsis certam confortationem, & consolationē, congruéque ob id audit Propheta per Angelum, qui in se loquitur, verba bona, verba consolatoria.

*Isa. 55. 13.*

*Michaël inter myrteta, ad prænunciandā Hebræorū felicitatem.*

*Cælestes Spiritus multiformiter armādi significantur.*

Plin.

*Myrto odorifera, certa promittitur confortatio.*

7. Quòd autem myrteta dicantur esse in profundo, propterea est, quia re vera apparuit hæc Visio inter duos montes myrtis consitos, inter quos fluuius aliquis ferebatur multarum aquarum, iuxta quem visus est Michaël equo sedens; ostenditur autem in maximis Hebræorum laboribus, ac periculis præstò esse auxilia cælestia. Verbum quidem, מצלה in Scriptura semper adhibetur ad significandam profunditatem aquarū: metaphoricè autem ad exprimēdū calamitosum, ac periculosum rerum statum. Psalm. 68. 3. *Infixus sum in limo profundi, & nō est substantia.* Optime, pro eo quod est, quantumuis descendi, pedem tamen figere in profundo laborum, ac firmare non potui. Repetitúrque eadem vox in eodem Psalmo, & aliàs in hac eadem significatione. Hîc verò significatur non futurum impedimento profundum, quin inde Michaël equo suo vectus, demersos Israëlitas eruat. Simile est, quod de Domino pronunciat Habac. cap. 3. vers. 15. *Viam fecisti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*, id est, quantumuis iusti cooperti sint aquis tribulationum, videatúrque locus imperuius equis tuis, tū viā facies, eisque vectus intrabis profundum, in quo iusti iacent, illósque extrahes: vbicúque tui periclitabuntur, siue in terra, siue in mari, siue in quouis alio loco, quò videatur impossibile penetrari posse, tu tamen eò penetrabis, & educes incolumes. Quare, qui per profundum cum Chaldæo Paraphraste intelligunt Babylonem, ob Euphratem, qui eam interfluit, si in sensu præcedente rem prosequantur, non sunt reiiciendi. Theodoretus, qui *montes vmbrosos* legit, per eos intelligi vult Diuinam prouidentiā, sub cuius vmbra res omnes viuunt: inde autem Michaëlem prodire ad protegendum populum Dei, ac exequutioni mandandum quidquid opis Diuina circa illum prouidentia ordinauerit.

*Profunditate significatur calamitosus status.*
Psal. 68. 3.

Habac. 3.

*Deus quocumque penetrat, vt suos eruat.*

*Sub vmbra prouidentia Dei viuere.*

## *De equis rufis, variis, & albis.*

## SECTIO III.

1. *Quid per equites rufis, variis & albis equis sedentes? Custodes Angelos probabilius significari. Quid significet verbum, ambulo, in Scriptura, varie illustratur.*
2. *Vnde coniectura ducatur, Angelos prædictos esse custodes regnorū variorum? Cur dicātur esse post Michaële? Michaëlem non venisse solum, sed cum Angelorum copiis. Quid varietas colorum in equis?*
3. *Quid Zelus? quæ verba consolatoria? Cur magna ira irascatur Deus in Chaldæos?*
4. *Locus Oseæ 11. de Deo continente vindictam suam. Deum semper punire citra metas iustitiæ, ex loco Oseæ 11.*
5. *De modo misericordiæ Dei præstandæ, explicatio Theodoreti super illud,* Reuertar in misericordiis. *Contineri ibidē affectu venturi Christi. Perpendiculum extendere in bonam, & in malam partem sumi.*
6. *Omittātur duæ allegoriæ, quia nimis exorbitāt altera,*

1. SEQVITVR in Propheta, Vers. 8. *Et post eum, equi rufi, varij, & albi.* De equis rufis, variis, & albis, primò notandum, sumendos eos esse cum suis sessoribus: nam de his infrà respondetur Prophetæ; *Isti sunt, quos misit Dominus, &c.* Deinde quinam illi sint, controuersiam esse: nam D. Hieronymus memorat opinionem quorundam, qui per eos, ac per virum illum in equo rufo, significari voluerunt quatuor mundi Monarchias. Alienè profectò ab instituto Visionis, quæ eò solùm tendit, vt ostendat, opem ferendam Hebræis laborantibus. Sunt alij, qui virum quidem equo rufo sedentem intelligunt Michaëlem; per alios verò qui cæteris equis sedent, Angelos sibi datos in administros defensionis, ac protectionis Hebræorum. Verùm probabilius est, esse Angelos variis regnis præpositos: primùm quidem, quoniam de illis respondet Michaël: *Isti sunt, quos misit Dominus, vt perambulent terram:* id est, quos præposuit variis terrarum prouinciis, vt eas iure sui muneris lustrent, & vltrò, citróque cōmeando vigilum instar custodiant. Ea enim vis verbo הלך quod non solùm est incedere, sed etiam operam dare, vacare, curare. Radix huius rei esse potest, quòd ambulare hoc modo, dicit principalem quandā libertatē incedendi; item actū vigilandi, perspiciendiq; quomodo res habeāt. Ezech. 28. 14. Lucifero in sensu mystico sic exprobat Deus: *Posui te in monte sancto Dei, in cælo, in medio lapidū ignitorū ambulasti;* hoc est, principatū habuisti inter omnes alios cęlestes Spiritus, aut specialiter inter Seraphinos. At verò superioris est cęteris astātibus ambulare. Et de Iuda Machabęo dicitur 1. Machab. 3. 8. *Perambulauit ciuitates Iuda, & perdidit impios ex eis.* Significatur enim perambulatio non simplex, sed cum potestate lustrandi, & inquirendi in impios. Denique Psal. 90. 6. cùm dicitur, *A negotio perambulante in tenebris, ab incursu, & dæmonio meridiano:* intelliguntur duo quasi genera dæmonum, quorum aliis demandata est cura tentandi noctu, aliis interdiu, vt idem sit, *a negotio perambulante*, ac regnante in tenebris. Quę omnia rectè demonstrant, hos Angelos, cùm iubentur à Deo perambulare terram, præponi per eā variis terrarum regnis, vt Principes, ac custodes in eis agant. Leu. 26. 12. *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester, vósque eritis populus meus.* Sēsus est, curabo res vestras, ero vobis Dominus, vósque eritis mihi subditi. Ita dicebāt amici Iob de Deo cap. 22. 14. *Circa cardines cæli perambulat, nec nostra considerat;*

*Equi cū suis sessoribus capiendi.*
D. Hieron.
*Reiicitur quorundam opinio de equis pro 4. Monarchiis.*
D. Hieron.

*Probabilius significari per equites sequentes, Angelos regnorum custodes.*

*Verbū ambulare, pro principatū habere.*

Ezech. 28. 14.

1. Machab. 3. 8.

Psal. 90. 6.

Leuit. 26. 12.

Iob. 22. 14.

*consideras*; id est, tantummodo sunt illi curæ res cælestes, nec res inferiores administrat. Pineda quidem ad primum caput Iob in illis verbis Satanæ: *Circuiui terram, & perambulaui eã*, ad naturalem actum in acquirenda possessione, verbi *hu-lac* vim refert, vt Satanas eo modo loquendi suã esse terram asserat, quòd eius possessioné adierit, seruétque libera per eam commeandi potestate, iuxta communem Iurisperitorum sententiam, quòd possessio pedum positione fiat. Et, vt loquitur Paulus *l. 3. ff. de acquirenda possessione*, liberâ terræ inambulatione. Verùm cùm possessio vno tantùm actu ponendi pedes, aut vnica, vt plurimùm, inambulatione adeatur, Satanas autem ibi significetur, atque hîc Angeli præcipiantur latè perambulare terram: item cùm Angeli dũ præficiuntur regnis à Deo, nequaquam eorum Domini constituantur, sed tantummodo custodes; nobis Pinedæ explicatio subtilis quidem, ac erudita non inseruit, illi an inseruiat, iudicet lector.

*Pineda.*

*Pineda explicatio pro possessione.*

*Possessio in ambulatione legitimè aditur.*

*Inambulatio hic non possessio, sed principatus.*

2. Deinde hoc ipsum, scilicet, Angelos istos esse præpositos regnorum variorum, ostenditur ex eo, quod Michaëli referunt de regnis sibi creditis, quòd quiescant, & bene apud ea res agantur: quod nõ quadrat in alios Angelos, quos sibi Michaël adiutores asciscerer: congruit autẽ, quod Michaël simili curæ, munerique addictus, ad hęc Angelorum nuncia, quasi dolens cum Domino expostulet: *Vsquequò tu non misereberis Ierusalem, & vrbium eius? Iste iam septuagesimus annus est*: quasi dicat: Cur cùm cæteri regnorum custodes prosperè agant apud gẽtes sibi commissas, mihi quoque non ita cedet apud Hebræos? Ecce septuagesimus annus est, ex quo desolata est Ierusalẽ, nunc autem quasi non satis pœnarum exhaustũ esset, denuo impeditur instauratio eius. Hac ergo serie contextus rectè considerata, apparet, Michaëlem, dum equum ascenderet ad opitulandum suis Hebræis, obuios habuisse hos Angelos, & ab eis accepisse quæ diximus. Quòd autẽ hîc dicantur esse post Michaëlem, quasi sequentes eum: intelligẽdum id est, ob reuerentiam, quam illi, vt totius militiæ cælestis Principi, iure ipso debebant. Cum hoc autem stat, habuisse Michaelem multos secum alios Angelos, quasi administros vindictæ, quam parabat in hostes Hebræorum. Sicut Daniel. 10. 13. cùm Gabriel ait: *Michaël vnus de Principibus primis venit in adiutorium mihi*, non est existimandum venisse solum, sed cum suo exercitu Angelorum: eodem ergo prorsus modo, cùm hîc dicitur ascendere equum ad pugnandum pro Hebræis, intelligendum est, plurimas Angelorum copias sibi assistere: nam quẽ Scriptura sæpe omittit, ex decoro, aut necessitate supplenda sunt. Exemplum hîc habemus, cùm dicitur: *Et post eum equi rufi, varij, & albi*: nõ est intelligendum tres tãtùm fuisse horum trium colorũ equos, vt Hebræi putant, sed vniuscuiusque coloris plurimos equos, quod necessariò exigit magnus numerus Angelorum, qui tam multis terrarũ regnis præsident. Porro varietas colorum, non temere videtur adhibita. Equi rufi repræsentant regna sanguinaria, qualia tunc fuẽre Medorum, ac Persarum; equi albi regna paci dedita, & prosperè in omnibus agentia: color enim albus lætitiæ, ac prosperitatis symbolum. Apocal 6. 2. *Qui equo illo albo vehitur, exit vincẽs, vt vincat*: quasi certus victoriæ, quam; vel equi candore, sibi augurat; equi varij, regna, in quibus varij mores, variæ fortunæ, varij administrandi vi-

*Angelos, qui apparuerũt, esse custodes regnorum, probatur.*

*Probabile, habuisse Michaëlẽ alios adiutores Angelos.*

*Dan. 10. 13.*

*Cùm dicitur venisse Michaël, intelligendũ, non solũ, sed cum suo exercitu.*

*Vniuscuiusque coloris, plures Angelorũ equi.*

*Equi rufi, regna sanguinaria; albi, pacifica; varij, morum permultiplicitã.*

*Apoc. 6. 2.*

A gebant modi: quale Romanorum Imperium, quod Reges primùm, postea Consules, denique Imperatores moderabantur.

3. Ad expostulationem Michaëlis, audita sunt à Deo, & Vati nunciata per Angelum, qui in eo loquebatur, hoc est, custodem ipsius Prophetæ, verba bona, verba consolatoria. Verba autẽ Domini hæc sunt: *Zelatus sum Ierusalem, & Sion zelo magno, & ira magna ego irascor super gẽtes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi vero adiuuerũt in malũ*. Zelus, ira, ac dolor est, ex ardẽtis amore, quòd res amata ab alio possideatur, aut malè tractetur. Significatur ergo primùm illa repetitione, *Zelatus sum zelo magno*, ingens affectus amoris erga Ierusalem. Et hæc sunt illa verba consolatoria pro præsenti (vt ait Hieronymus:) cùm verò additur

B de ira magna super gentes opulentas, &c. ostenditur pars altera zeli, & ex repetitione exaggerationem habens. Et sunt illa verba bona pro futuro, quo gentes prædicũtur castigandæ. Opulentæ gentes intelliguntur Chaldæi, quibus à Deo præscriptũ, vt captiuas ducerent duas Tribus in pœnam idololatriæ; at illi modum præscriptum excedentes captiuitatis malum plurimis adhuc molestiis, ac laboribus illatis cumularunt: atque ob hoc vnum irascitur Deus. *Ego*, inquit, *iratus sum parum*: captiuitate supplicium definiui: *ipsi verò adiuuerunt in malum*: de suo addidẽre cumulos infinitorum malorum super populum meũ.

C Ira ergo magna irascor super gentes opulentas. D. Hieronym. Ego filios meos tradidi corripiendos, sicut pater filium puniendum seruo tradere solet, & illi sæuierunt in traditos: pœnas ergo sumam de eiusmodi excessibus.

4. Ad hoc exaggerandum alij afferunt locum Oseæ 11. 8. vbi Dominus magna cum expressione furoris sui contra Ephraim ait: *Quomodo dabo te Ephraim? ponam te vt Adama, vt Seboim? conuersum est in me cor meũ, pariter conturbata est pœnitudo mea, non faciã furorem iræ meæ, quoniã Deus ego, & non homo*. Visus fuerat Deus præ furore cõminatus Ephraim maiorem pœnam, quàm peccata eius postulabant, nimirum subuersionem similẽ illi, qua duas vrbes Adama, & Seboim cum Sodomis extinxerat: ne igitur ex impetu furoris ex-

D cederet, continet se, rationémque reddens ait: *Quia Deus ego, & non homo*. Quasi dicat non sum ego similis hominibus, qui in inferendo supplicia plerumque transiliunt metas iustitiæ, Deus sum, qui in puniendo, non solùm metas ipsas iustitiæ æquare non soleo, sed circa illas me cõtineo. Quoniam ergo gentes opulentæ demandatam sibi à Deo vindictã excesserunt adiuuantes in malum, ideo contra hos excessus ira magna se irasci ait.

5. Pollicetur autem reuersurum se ad Ierusalem, in misericordiis, & perpendiculum extensu-

E rum super eam, vt non solùm instauretur, sed multis bonis affluat. *Adhuc affluent ciuitates meæ bonis, &c.* Hoc loco expendit Theodoret. illam vocem, *adhuc*, qua non significatur æterna felicitas, sed modico tempore duratura; quasi dicat, adhuc tempore aliquo florebit Ierusalem, quousque veniat Messias: in eius enim aduentum, inquit, hebescet lex, quia procuratoris officio fungens, veniente hærede deficiet. Re autem vera ab hac instauratione vrbis, vsque ad aduentum Domini quingenti tantummodo anni excurrerunt, & post paucos alios iterum euersa est Ierusalem à Romano exercitu. Quasi dicat, adhuc ergo affluent,

*Zelus, ira, ac dolor, ex ardenti amore.*

*D. Hieron.*

*Chaldæi excedentes in puniendo ex præcepto Dei Hebræos.*

*D. Hieron.*

*Oseæ 11. 8.*

*Deus nunquam excedit in puniẽdo, vt homo.*

*Expressio felicitatis parum duratura.*

*Theodor.*

*Veniente Messia hebescet lex.*

*Ab instauratione vrbis vsque ad aduentum Christi quingenti fluxẽre anni.*

fluent, dabo adhuc aliquid temporis, quo affluere possit Ierusalem bonis. Videtur autem ex affectu venturi Christi dixisse Deum, reuertar ad Ierusalem in misericordiis, quia tunc non erit vna, sed multiplex misericordia. Affluent misericordiæ, sicut aquæ maris operientes. Vel in misericordiis, quasi in propria eius temporis quadriga, iuxta ea, quæ alibi diximus de variis quadrigis Dei. Illud autem, *perpendiculum extendetur in Ierusalē*, ex adiunctis habet, quòd in bonam partem accipiatur: nam perpendiculum extendere, etiā in malam partem sumitur. Isai. 34. 11. *Extendetur super eam mensura, vt redigatur in nihilū, & perpendiculū in desolationē.* Quod Interpretes iure pōderant: nam ad exstruendum ædificiū iure solet extendi linea, & dimitti perpendiculum ad dirigendos, æquandósque lapides: ex eorum námque æqualitate pendet firmitas ædificij: at verò ad destruendum, quid opus est mensura, aut perpēdiculo? Communis responsio; Quia Dominus iustitię suæ exequutionē pro magnitudine culpę metiri solet: vel meliùs, quia vult palàm facere se, non ex voluntatis inclinatione, verùm ex merito delinquentium ad supplicia sumenda accedere. Itaque deducto perpendiculo, ac mensura, ostendit inæqualitates, ac adeò inclinationes ædificiorum, seu iniquitates vitæ in iis, qui puniēdi sunt, vt omnibus constet, perditionem eorū ex ipsismet sumi, non ex Deo, qui pronus est ad misericordiam.

*In aduentu Messiæ, non vna, sed multa misericordia.*

*In misericordiis veniet, quasi in quadriga eius temporis propria.*

*Isa. 34. 11. Perpendiculum extendere, in bonam & in malam partem sumitur.*

*Deus nō ex inclinatione voluntatis, sed ex merito hominum punit.*

*Ad destruendum habet mensuras, quibus ostēdat inæqualitates vitæ.*

6. Sciens omisi hoc loco allegoriā de Christo, & Sanctis eius, quā D. Hieronymus affert, vt non suam, sed aliorum magistrorum Ecclesiæ; quoniam existimo liberè eam hìc inseri, hoc est, absque vlla exigentia, aut conuenientia loci. Minùs autem probo eam, quam Rupertus habet, quòd longiùs adhuc exorbitet. Ad vtramque Lectorem auidum concionandi remitto.


*Allegoria duæ quare hic omissæ? D. Hieron.*

---

## *De posteriori Visione.*

### SECTIO IV.

1. *Quid significetur per quatuor cornua? D. Hieronymi ex Hebrais sententia quare difficilis? Theodoreti existimatio de regnis à quatuor orbis partibus præfertur.*
2. *Faber absolutè in Scriptura quid? Cornua hic mōstrata ferrea fuisse, & quare, ex 3. Reg. 22. Varia lectio,* per singulos viros, *&,* secundùm os viri, *quomodo conueniat?*
3. *Angelos ferreis instrumentis cornua ferrea auertere.*
4. *Non esse potentiam in mundo, cui non alia superior sit, ex Eccles. 5. Roman. 13.*
5. *Angelos quasi præsidere inferioribus potestatibus. Illustratur variis locis Scripturæ, & sāctorū Patrū.*
6. *Quare prædicti Angeli custodes vrbium Iuda videri debeat? Deum futurum murum igneum Ierusalem quid sit?*

1.  OSTERIOR Visio cū priori cohæret: exhibet enim vindictā hostium, quæ paulò antè promissa est Zachariæ, Vers. 18. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor cornua.* Vers. 19. *Et dixi ad Angelū: Quid sunt hæc? Et dixit ad me: Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudā, & Israël, & Ierusalem.* Vers. 20. *Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros.* Vers. 21. *Et venerunt isti deterrere ea, vt deiiciāt cornua gentiū.* Septuaginta, *ad deterrendum ea.* Citò nos expediemus ab hac Visione. Primùm enim, quòd per cornua intelligantur regna, sæpius diximus in præcedentibus Visionibus. Solùm hìc est controuersia, quænam fuerint ista cornua? Quamuis D. Hieronymus Hebręos sequutus existimet, per quatuor cornua significari quatuor Monarchias, Chaldæorum, Medorum, Macedonum, Romanorùm, quòd illæ Iudæos variis affecêre cladibus, ac adeò latè ventilauerūt toto orbe. Tamen est opinio, quæ patitur multas difficultates, nec iis vllo modo satisfacere potest. Primò, quoniam Deus hoc loco consolans Vatem promittit vltionem suam aduersùs ea regna, quæ suis cornibus, hoc est, viribus, ventilauerunt Iudam: at Græci & Romani, nulla adhuc in re Iudæis nocuerant. Secundò, fabri veniunt, vt hæc cornua, id est, regna hostilia deterreant, ne ampliùs noceant Iudæis, quod in magnam consolationem ostensum est Zachariæ; at post consolationem sic exhibitam, constat, Romanos multis Hebræos vexasse modis. Tertiò, Persæ, & Medi mites se præstitêre in Hebræos: nam & à captiuitate liberarunt, & suis iuuêre opibus ad instaurationē templi: nam quòd Cambyses impedierit ædificationem ad securitatem, vt putabat, regni sui, nulla tamē alia in re nocuit. Quartò, hæc regna tantùm nocuêre duabus Tribubus; hìc autē dicitur, quòd ventilauerunt Iudam, & Israël, & Ierusalem. Veriùs, vt apparet, Theodoretus hæc quatuor cornua esse quatuor mundi partes, à quibus potentissimę gentes sæpiùs ortæ vexauerunt Iudam, & Israël magnis cladibus. Ab Occidente Palæstini perpetui Iudæorū hostes; à Meridie Idumæi, & Ægyptij; ab Oriente Moabitæ, & Amonitæ; à Septentrione Assyrij, & Chaldæi: nam, exceptis Chaldæis, qui in solas duas Tribus sæuiêre, cætera regna omnes simul Iudæos ingentibus calamitatibus affecerunt: & in hęc ipsa aptè cadit comminatio fabrorum.

*Varia lectio.*

*Quæ fuerint ista cornua?*

*Opinio de quatuor Monarchiis non probatur.*

*Theodor. Verior opinio, per quatuor cornua, quatuor mundi partes, à quibus vexati Hebræi.*

3. In Hebręo est faber absolutè חרש Quamuis autem interdū Scriptura apponat nomen artis, vt Isai. 44. 12. *Faber ferrarius lima operatus est: & postea artifex lignarius extēdit normā*; tamē absolutè positum, pro fabro ferrario aliquando sumitur, 1. Reg. 13. 19. *Porro faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israël.* In Hebræo absolutè est חרש item hoc loco. Vnde colligitur, nostrum interpretem intellexisse cornua esse ferrea: nā contra ferrum stringitur ferrum, iuxta illud Daniel. 2. 40. *Ferrum omnia domat*; adde, *etiam seipsum*, ferrum omnia domat. Ouid. 1. Metam. eadem omnino verba metricè inuertit:

—— *Et quod domat omnia ferrum.*

Sed & Plinius lib. 36 cap. 16. de magnete: Quid ferri duritia pugnacius? sed cedit, & patitur moras: trahitur namque à magnete lapide; domitrixque illa rerum omnium materia ad inane nescio quid currit. Decet autem ferrea esse cornua, quoniam sic magis exprimunt potentiam regnorum illorū, sicut 3. Reg. 22. 11. *Fecit sibi Sedecias cornua ferrea*, vt potentiam exprimeret Regis Achab; adulatúsque ait: *His ventilabis Syriam.* Cùm verò Angelus ait: *Hæc sunt, quæ ventilauerunt Iudam per singulos viros*; hoc vltimū, *per singulos viros*, in Hebræo est, פי איש id est, *secundum os viri*, sensúsque est, regna prædicta ventilasse Iudam pro libito suo. Nota phrasi Genes. 24. 57. *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem.* In Hebræo est,

*חרש Faber, absolutè ponitur interdū pro ferrario. Isai. 44. 12. 1. Reg. 13. 19. Hoc loco intelligitur ferrarius, & cornua ferrea, & quare? Dan. 2. 40.*

*3. Reg. 22. 11. Per singulos viros, seu, secundùm os viri, id est, pro libito suo. Genes. 24. 57.*

Quæramus

Isai. 30. 2. *Os in Scriptura pro voluntate.*

*Quæramus os ipsius.* Isai. 30. 2. *Ambulatis, vt descendatis in Ægyptū, & os meū*, hoc est, voluntatem meā, *non interrogastis.* Ita hîc, *secundum os viri*, vt voluerunt, ad libitum suum. Alij *per singulos viros*, hoc est, singulos ex Hebræis ventilarunt, videlicet omnes ad vnum. Quod exprimunt etiam Hebræi vocabulo oris: sicut idiomata aliqua singulos de familia exprimunt per ora, decem ora sumentes, pro decem hominibus alendis. Vnde Genes. 47. 12. *Alebat eos Ioseph*, fratres suos, *omnémque domū patris sui, præbens cibaria singulis.* Hebraicè, *ad os paruuli*, aliquis sumet pro expressione indulgentissimi amoris, לפי הטף sicut mater solet paruulis filiis cibos in os mittere. Potent etiā pro Eucharistiæ figura sumi: in qua, vt Chrysost. homil. 60. ad populum ait, Christus nutricis instar, mamillā nobis in os ingerit, dicēs: Comedite; hoc est corpus meum. Sed cùm Taph significet, tum paruulū, tum familiam, quæ filiis nomine paruulorum intellectis præcipuè constat, manet, alere ad os paruuli, siue familiæ, vel idem esse, ac quantum quisque de familia vult, aut ad os, id est, secundùm ora, seu per ora, vt aliter per capita; denique per singulos. Congruit autē hîc sensus præsenti loco propter id quod sequitur, *Et nemo eorum*, scilicet Hebræorum, *post eiusmodi ventilationes leuauit caput suum.*

*Per singulos viros, id est, nemine excepto.* Genes. 47. 12. לפי הטף *Ad os paruuli, pro expressione amoris.* D. Chrys. *In Eucharistia id amoris signum.* *Alere ad os, id est, quantum quisque vult, vel, secundùm capita familiæ.*

4. Quod autē dicitur, *Et venerunt isti deterrere ea*, significat Angelos, sub hac fabrorum specie cum ferreis instrumentis venire, vt vel solis intentatis malleis cornua intenta deterreant, hoc est, leui significatione suæ potentiæ furentium Regum impetus auertant. Primùm collige non esse potentiam aliquam in mundo, quæ non habeat aliam potentiam superiorem se, à qua contineri possit. Eccles. 5. 7. *Si videris calumnias egenorū, & violenta iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, nō mireris super hoc negotio, quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminentiores sunt alij, & insuper vniuersæ terræ Rex imperat seruiēti.* Videtur autē hoc explicare Paulus Roman. 13. 1. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit: quæ enim à Deo sunt, ordinata sunt.* cùm enim iubet, omnem animam, id est, omnes homines, sublimioribus potestatibus subditos esse, apertè significat non esse hominem, qui nō habeat super se sublimiorem potestatem. Minores enim Magistratus maioribus, & hi maiores aliis superioribus, & hi rursus Regi, denique Rex Deo subiacet, quasi ordinata serie subalternatarum inuicem potestatū, vsque ad supremam, quæ Deus est, quod vel Horatium non latuit, cùm lib. 3. Ode 1. dixit:

*Nulla potētia in mundo, quæ non habeat superiorem se.* Eccles. 5. 7. Rom. 13. 1. *Ordinata series subalternatarum potestatum.* Horat.

*Regum timendorum in proprios greges,*
*Reges in ipsos imperium est Iouis,*
*Clari Gigantæo triumpho,*
*Cuncta supercilio mouentis.*

5. Colligendum postea, magnam esse Angelorum super terrenas potestates vim, siquidem vel leui intentatione potentiæ suæ terrere possunt potentissimos Regū exercitus. D. Hieronymus ad locum Ecclesiastæ citatū, Angelos ait factos à Deo præsides omnium inferiorum potestatū. Excelsus, inquit, super excelsum: hæc respicit Deus, qui Angelos suos super Iudices, & Reges terræ posuit, qui possunt vtique prohibere iniustitiā, & magis in terra valere, quam quæuis hominum potestates. Congruunt his, quæ D. Augustin. ait lib. 8. de Genes. ad literam cap. 13. Sublimibus, inquit, Angelis Deo subditè seruientibus, subiecta est omnis natura corporea, omnis rationalis vita, omnis voluntas, vel infirma, vel praua, vt hoc de subditis sibi agant, quod naturæ ordo poscit in omnibus, iubente illo, cui subiecta sunt omnia. Sic ille. Ex hac igitur eminentia, qua omni creaturæ Angeli præsident, oritur terror ille, qui in multis ad præsentiam Angelorum nō semel deprehensus est in Scriptura, maximè in Daniele cap. 10. 16. vbi cum Angelo, qui apparuit ei, sic loquitur: *Domine mi, in Visione tua dissolutæ sunt cōpages meæ, & nihil in me remansit viriū: sed & halitus meus intercluditur, &c.* De iis autē, qui erant cum Daniele, sic ibidem: *Porro viri qui erant mecū, non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt in absconditum.* Hinc D. Ambros. in illud Luc. 1. 12. de Zacharia perturbato ad Visionem Gabrielis perturbatus est, *& timor irruit super eū.* Perturbamur, inquit, & nostro alienamur affectu, quando perstringimur alicuius superioris potestatis occursu. Sic Ambros. Vnde non immeritò Scriptura sic loqui solet, *terror irruit super eū*, & similia: quasi desuper afflante Spiritu, ac terrorem cuibrante in inferiora.

*Angelorum super terrenas potestates vis.* D. Hieron. D. August. *Sublimibus Angelis subiecta omnis creatura.* Daniel. 10. 16. *Daniel coram Angelo dissolutus compagibus.* D. Ambros. Luc. 1. 12. *Superioris potestatis occursu perstringimur. Terror irruit, quasi de superiori vibratus.*

6. Angelos verò, qui sub hac fabrorum specie apparuerunt, custodes fuisse Ierusalem, ac cæterarum vrbium eius, communis est Doctorum sententia; quæ autem illi ea ipsa specie demonstrarunt Vati, opere compleuerunt: nam deinceps magna pace, ac felicitate ædificata est Ierusalem, vrbésque reliquæ. Et ideo statim initio capitis sequentis vidit Propheta virū cum fune mensorio, rogatúsque ab eo, quò vadat? respondet: *Vt metiar Ierusalem, & videā, quanta sit longitudo eius, & quāta latitudo.* Quo significatur apparatus ædificij futuri. Aitque Angelus tantam fore hominum multitudinem in Ierusalem, vt nullis muris contineri possit, dominúmque futurum murum eius ignem in circuitu, quia non solùm defendet Hierosolymitanos opposito potentiæ suæ, sed etiam ostendet irruentes hostes, planéque exuret; cuius causam ipse Dominus addit: *Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*; vel *sui*, vt omnes ferè vertunt. Et significatur futurum, vt quicunque in Iudæos irruerit, in interitum suum veriùs irruat. Verùm quoniam multa, quę secundo capite dicuntur, in Ierusalem cadere non possunt, omnino faciendus est transitus ad Ecclesiam, in qua omnia verè completa videbuntur.

*Angeli isti, custodes Ierusalem, & vrbiū eius.* *Dominus murus igneus, quia non solùm defendet Ierusalem, sed offendet hostes.*

VISIO

# VISIO TRIGESIMA, DE ÆDIFICIO ECCLESIÆ.

*Zachar. cap. 2.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

*VIDETVR à Propheta vir cum funiculo lineo quasi accinctus ad metiendum solum, in quo erigenda est ciuitas, quæ promittitur ita latè extendenda, vt absque muro habitetur. Conuocantur autem dispersi Iudæi, vt eam incolant, magnáque rerum felicitas ventura prædicitur simul cum gloria Christi.*

### CAPVT II. ZACHAR.

1. ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum. A

2. Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit ad me: Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit latitudo eius, & quanta longitudo eius.

3. Et ecce Angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur: & Angelus alius egrediebatur in occursum eius. B

4. Et dixit ad eum: Curre, loquere ad puerum istum, dicens: Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum, & iumentorum in medio eius:

5. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius.

6. O, ô, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos, dicit Dominus.

7. O Sion, fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis.

### PARAPHRASIS.

1. *ELeuatis interioribus mentis oculis vidi hominem ipsa specie architectum: nam habebat in manu funiculum lineum, quo architecti metiri solent ædificia.*

2. *Ad quem ego: Quò tu, inquam, tendis? Et is: Vt extendam funiculum super solum, in quo erigenda est Ierusalem noua; experiárque quàm longum, quàm latum sit, ad excipiendam innumerabilem multitudinem hominum, qui ad eam habitandam ex omnibus mundi partibus confluent.*

3. *Vidi autem Angelum occurrentem, ac planè superiorem meo Angelo: docuit enim illum nouam reuelationem, quam mihi narraret, vt superiores Angeli facere solent.*

4. *Et, Age, inquit, adolescentem hunc Vatem ita doce: Tanta erit multitudo hominum, bonorum, malorum, in Ierusalem hac noua, hoc est, Ecclesia, vt nullo murorum ambitu contineri valeat.*

5. *Ero autem ego ipse, ait Dominus, murus Ecclesiæ meæ, non lapideus, vt in communibus vrbibus, sed planè igneus ad terrendos hostes: cura enim mea peruigili, & acri circundabo illam, quasi muro, qui transiliri non possit: non* C *solùm autem omne illi robur impendam, sed & illustrem, & admirandam reddam, vt eius gloria toto orbe peruagetur.*

6. *O, ô, quicumque estis sub diaboli potestate, ac sub nequitia seculi huius, vbi vbi gentium, concurrite ad Ecclesiæ sinus.*

7. *Túque, ô Sion, speciali nomine populus meus, exolue te ab omni impedimento; Babylonem istam, seculum istud relinque ocyùs, vt accurras etiam gratulabunda mihi, & Ecclesiam meam tandem amplectaris.*

8. Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes, quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.

A 8. *Sic enim ait Dominus: Pater meus mittet me ad Gentes, illas ipsas, quæ vos spoliauerunt: mittet, inquam, postquam gloriam meam ostēdero in terris, magnitudine miraculorum, & resurrexero, atque in cælum ascendero. Quare vos etiam, ô popule meus, simul venite, ne obduremini, néve abiiciatis animos. Amo enim vos, & vt mihi coniunctissimos quasi intra pupillam habeo, nec potest quis vos lædere, qui me non irritet illico. Læsere vos gentes; efficiam, vt vobis vltrò subiiciantur, quod est gloriosissimum victoriæ genus.*

9. Quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his, qui seruiebant sibi: & cognoscetis quia Dominus exercituum misit me.

B 9. *Cito ergo pugnabo contra gentes olim vobis inimicas, non armis, sed vi prædicationis Euangelicæ, vincámque, & subiiciam eas vobis; ita vt qui antea vos capiebant, capiantur à vobis, tunc verò re ipsa comperietis me à Patre missum ad salutem hominum.*

10. Lauda, & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.

10. *Iam nunc igitur, ô Ecclesia mea ex Iudæis ac Gentibus congregata, lætare, ac vociferare præ lætitia, quandoquidem tui gratia de sinu Patris descendam videndus ab hominibus, & cum illis conuersaturus.*

11. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quia Dominus exercituum misit me ad te.

11. *Et multi quidem ex Iudæis, plures* C *autem multò ex Gentibus ad fidem meam accedent; omnes illi in populum meum computabuntur, agámque ipse cum eis familiariter, rebúsque à me gestis quasi manuducentur ad cognoscendum, me fuisse à Patre meo missum.*

12. Et possidebit Dominus Iudam, partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem.

12. *Eritque hæreditas mea non omnis Iuda, seu non omnes Iudæi, sed ij tantùm quos ego eligam, vt in seruis meis censeantur.*

13. Sileat omnis caro à facie Domini: quia consurrexit de habitaculo sancto suo.

13. *Porro omnes homines pro hac Diuinæ misericordiæ magnitudine Deum colant, & reuereantur, quia de excelso cælorum habitaculo descensurus est in terras, vt Ecclesiam suam congreget ex Iudæis, & Gentibus.*

## COMMENTARIVS.

QVod attinet ad sensum literalem, est in præsentibus difficultas, quæ primo loco discutietur; at de felicitate Ecclesiæ secundùm historiam loqui Vatem, meliùs quadrat, de quo agetur secundo loco; postremò autem de gloria Christi.

### *De sensu literali Visionis.*

### SECTIO I.

1. *Non posse negari transitum in Prophetis, ostenditur ex Scriptura locis aliquot.*

2. *Locus D. Hieronymi, de Ierusalem veteri, & noua; quòd Ecclesiarum matrix, ex Liturgia Iacobi. Locus Augustini de Salomone.*

*Obseruatio quorundam non probatur.* 1. NOn est negandum, quædā ex secundo capite quadrare in Ierusalem, & de illa literaliter explicāda, quidquid alij pro regula habeant, vt, si aliqua pars Prophetiæ non quadret in terre- D nam Ierusalem, nulla omnino illi accommodetur. Iniustè profectò, ac planè irrationabiliter: namque Prophetis vsitatissimum est, tangere literaliter aliquid pertinēs ad veterem Ecclesiam, móxque Spiritu rapi, ac transire ad nouam. *Transitus Prophetarū necessarius.* Quis neget aliqua ex Psalm. 71. conuenire literaliter Salomoni, plura verò, imò omnia ex prædicto transitu, etiam Christo Domino? An non confessione omnium, Psal. 86. partim est de Ierusalem materiali, partim verò de spirituali, id est, Ecclesia? Cùm enim ibi de prima eius fundatione disseruisset Regius Vates, *Fundamenta eius in montibus sanctis*, &c. mox inde quasi eleuatus de Ecclesia vaticinatur, *Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, &c.*

2. Meritò

D.Hieron. *Ierusalem vetere portare nouam, quid sit?* 2. Meritò ergo D.Hieronymus in commentario suo super Ionam affirmauit Ierusalem veterem fere semper in Scriptura sacra portare nouam. Vbique enim,quasi oneri datum,vt Ecclesiam Christi in se ipsa præferat. Ideo in Liturgia *Matrix Ecclesiarum.* Iacobi appellatur Ierusalem Ecclesiarum matrix, sicut Roman. 11. 18. veteres Patriarchæ dicuntur Ecclesiæ radix, seu radix portans fideles ex Gentibus. Similiter & de Salomone asserit D. August.in procemio Psalm. 126. gestare illum figuram veri Salomonis, vt in iis, quæ de regno eius Scriptura commemorat, non tam sit persona Salomon, quàm is ipse personatus Christo; proindéque intelligi vtrumque oporteat, quando figuratum, sine eo, quod figurat, percipi nequeat. In præsentibus ergo certum habeatur, quasi substratam esse instaurationem terrenæ illius Ierusalem,deinde,quasi superduci ędificationem Ecclesiæ nostræ.

Rom. 11. 18. *Veteres Patriarcha Ecclesia radices.* D.Aug. *Salomon personatus Christo.*

## *De felicitate Ecclesiæ necessariò loqui Vatem.*

### SECTIO II.

1. *Quid illud*, Absque muro ædificabitur Ierusalem? *Ecclesia lata propagatio significatur. Illustratur ex Psal.*86.Homo,& homo, *Hebraismus,pro multis indifferenter. Locus Isaia 49. Hieronymus explicat.*
2. *Ecclesiam latè diffusam, habituram tamen pro muro igneo Deũ. Locus Isaia 26.de muro, & antemurali. Murus ignis quare,explicatur,& illustratur.*
3. *Vocatio Gentium,& Iudæorum. Locus Ioel.2. Quid Aquilo? Hieronymi locus.Verbum,*fugite,*vocantis. Cant.*8.Fuge dilecte,*quomodo capiendum?*

1. NARRAT Propheta quid viderit. Vers.1. *Leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum.* Vers.2. *Et dixi: Quò tu vadis? Et dixit: Vt metiar Ierusalem: & videam quanta sit latitudo eius,& quanta longitudo eius.* Vers. 4. *Absque muro habitatur Ierusalem præ multitudine hominum,& iumentorum in medio eius.* Septuaginta,*frugiferè habitabitur Ierusalem.* Primum quod de muro ait,intelligi non potest de ipsa Ierusalẽ, cuius murus ædificatus est à Nehemia,vt cõstat ex eius lib.cap.2.Et Iosephus lib.6.de bello Iudaico,cap. 6. trino muro circundatam asserit Ierusalem. Propterea ergo Angelus coram Vate pergit fune mensorio designare vrbem,eius autem mensurationis occasione reuersus ad eum prænunciat ædificationem alterius Ierusalem, nempe Ecclesiæ, quæ absque muro habitabitur ad expressionem propagationis Ecclesiæ, ac multitudinis gentium,quam suo ambitu complectetur.Id quidem exaggerat Regius Vates Psalm.86. 4. *Ecce,* inquit,*alienigenæ,& Tyrus, & populus Æthiopum, hi fuerunt illic. Nunquid Sion dicet, Homo, & homo natus est in ea?*&c. Quibus verbis significat futuras in Ecclesia gentes omnis generis, etiam infestissimas antea,quales alienigenæ,seu Philistęi, quales Ægyptij,etiam barbarissimas, quales Æthiopes.Quis diceret vnquam Sioni,quæ semper abominata est gentium istam colluuiem,fore, vt in ea nasceretur homo & homo?Hebraismus est, homines indiscriminatim,boni,mali, sapientes, barbari;amici,inimici. Et significatur, neminem id affirmare potuisse de Sione materiali;at de spirituali,id est,Ecclesia,verissimum esse, & quotidie videri,vt omnes illi sine discrimine ciues eius sint:nõ enim quasi ex beneficio, ciuitate donati, sed nati sunt, per lauacrum scilicet regenerationis. *Homo, & homo natus est in ea.* Rectè autem de hoc ipso ad Ecclesiam vaticinatus Isai.cap.49.20. *Dicent*, inquit, *in auribus tuis filij sterilitatis tuæ*, id est,gentes,quas,sterilis cùm esses,spiritualiter genuisti,*Angustus mihi est locus.Fac spatium mihi, vt habitem.* Hieronymus: *Coarctor inter angustias Synagoga, fac mihi spatium,vt habitem latius, vt totum orbem tua mecum capiat latitudo. Et dices in corde tuo,* planè admirabunda,*quis genuit mihi istos?* Video ex vtero meo prodire alienigenas, & Tyros, & Æthiopas omnigenos partus. *Quis genuit mihi istos?* Responderi potest:per vnam Christi fidem Christianos indifferenter genuisti. Et quidẽ hæc hominum indifferentia rectè hoc loco exprimitur,cùm ait Propheta:*Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum,& iumentorum:*nã per homines significantur politioris ingenij homines; per iumenta,barbari quique,quos nobis Æthiopia,Brasilia,ac exteræ aliæ nationes demõstrarunt sub vno Christi nomine Christianos.

*Varia lect.* Nehem.2. Iosephus. *Quòd absque muro habitanda sit Ierusalem, de Ecclesia intelligendum.* Psal.86.4. *Omniũ gentium cõcursus ad Ecclesiam.* *Repetitio Hebrais multiplicat.* *Omnes gentes ciues nati in Ecclesia.* Isai.49.20. D.August. D.Hieron. *Ecclesia coarctata intra Synagogam.* *Homines, id est,politiores, iumẽta, id est,barbari.*

2.Et tamen Ecclesia sic toto orbe diffusa,murum habebit, quoad effectum defensionis,ac securitatis,ipsummet Deum.Propterea ipse Dominus ait:*Ego ero ei murus ignis in circuitu.*Hoc est,faciam illam ope mea inexpugnabilem; quod etiã Isaiæ 26.1. rectè expressum est illis verbis;*Saluator ponetur in ea murus, & antemurale*; id est, non alius in ea erigetur murus, quàm Dominus ipse, quatenus Saluator,vt certos de salute certa faciat contra quoslibet impetus irruentium.Saluatoris enim vocabulum intelligi non potest,sine victoria quarumlibet oppositarum virium.Quod quidem optimè significatum est hoc loco per murum igneum,nimirum defendẽtem,ac offendentem:clausos enim defendit,oppugnantes exurit. Vnde Theodoret. Ero murus igneus,qui scilicet, nec transiri,nec transcendi possit; id est,nec vi, nec machinis superari, irruptione, aut strategemate inexpugnabilis.Ne autem videatur solùm esse in circuitu populi sui pro muro, addit: *Et in gloria ero in medio eius, protegam, & defendam circumquaque, & gloriosam insuper*, *ac illustrem faciam mea præsentia.* Isai.60.1. *Surge,illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuũ, & gloria Domini super te orta est. Ambulabunt gentes in lumine tuo,& Reges in splendore ortus tui.*Iam hinc attolle caput,ô Ecclesia,ac deinceps illustris esto ad præsentiam luminis tui Dei tui,qui gloriosus, ac splendidus super te ortus est,vt super terram oritur Sol. Erunt porro omnes hoc tuo lumine æqualiter illustres,vt omnes æqualiter illuminantur lumine solis. Itaque Gentiles,inuisum genus hominum,& Reges quique in orbe præcelsi, æquali gradu in hoc lumine ambulabunt, æqualiter incedent illustres in Ecclesia. Id significat, *In gloria ero in medio eius.* Æqualiter in omnem partem, quoquouersus effundam gloriam meam, vt nemo non per eam gloriosus, ac illustris sit. Quæ sequuntur pertinent ad vocationem Gentium,& Iudæorum ad Ecclesiam.

*Deus murus igneus Ecclesia, vt sit inexpugnabilis.* Isai.26.1. *Saluatoris nomen importat victoriam.* *Murus Ecclesia necvi, nec strategemate superabilis.* Isai.60.1. *Ecclesia gloriosa per Dei præsentiam.* *Lumine Christi omnes æqualiter illustres.*

3. *O, ô, fugite de terra Aquilonis, dicit Dominus, quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos.* O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis. Velint, nolint, qui totum omnino caput de sola Ecclesia intelligunt, concedere debent, intermisceri aliqua de solis Iudæis, aliqua de sola Ecclesia. Nam illa prior vocatio repetitione aucta, *O, ô, fugite*, ad Gentes tendit: posterior, *ô Sion fuge*, omnino ad Iudæos, quorum multi adhuc captiui degebant in Babylone. Et congruit, vt ad Gentes quasi longiùs positas duplicetur vocatio; ad Iudæos, qui propinquiores erant, semel adhibeatur. Terra Aquilonis omnes illas complectitur, in quibus Gentes erant sub potestate diaboli: nam Aquilo sedes dæmonis Ioel. 2. 20. *Eum, qui ab Aquilone est*, hoc est, dæmonem, qui inde spirat omne malum, *procul faciam à vobis*; id est, auertam, ne noceat vobis. Rationem reddit D. Hieronymus; quia ventus Aquilo durissimus est, & habitatorum suorum corda durissima facit, & ab eo succenduntur mala super omnem terram, iuxta Ieremiam quæ omnia sunt officia dæmonis, vt vbicumque ea exercuerit, Aquilonaris plaga appellari iure possit. Ideo sequitur: *Quoniam in quatuor ventos cæli dispersi vos.* In quatuor, quasi materialiter; in vnum verò, quasi formaliter. Verbum *fugite*, non est amouentis longiùs, sed ad se vocantis; vt credo est illud Sponsæ desiderantis Sponsi aduentum Cant. 8. 14. *Fuge dilecte mi, assimilare capreæ, hinnulóque ceruorum super montes aromatum.* Quasi dicat: Cur tandiu te expecto, age dilecte, fuge de cælo, & si clausum est adhuc, quære tibi, quà vel saltu te huc proripias, vt solēt amantes interdum per fenestras saltu se dare, & capreæ, damulæque saltibus superare montes, ac parietum obstacula. Est exaggeratio desiderij erga Sponsum, qua non tam quid deceat, quàm quid vota ardeant, exprimitur.

*Gentes & Iudæi simul, sed dissimiliter vocãtur.*

*Duplicatur vocatio ad Gentes remotiorés, Iudæi viciniores vna vocatione trahuntur.*

Ioel. 2. 20.

D. Hieron.

*Verbum fugere, interdũ inseruit vocationi.*

Cant. 8. 14.

*Innitatur Sponsus, vt fugiat, hoc est, veniat de cælo.*

---

## *De visione Christi ad prædicandum Euangelium per Apostolos.*

## SECTIO III.

1. *Missionem Christi hoc loco agnoscere Patres. Colligitur magnum testimonium diuinitatis Christi.*
2. *Quid significet illud*, post gloriam misit me? *Opinio Hieronymi & aliorum, significari gloriam diuinitatis. Locus Baruch 3.*
3. *Melius, significari gloriam Ascensionis, ex Ioan. 7. Euseb. Cæsar. Quare hæc propria gloria Christi?*
4. *Quomodo intelligendum, missum Christum ad Gentes ex Augustino. Explicatur locus Psal. 67.*
5. *In illo*, Qui vos tetigerit, *&c. præfertur vulgata lectio; magis exprimit affectum Dei. Leuare manum, quid hoc loco?*

1. POST exaggerationem de propagatione Ecclesiæ sequitur de gloria Christi. Vers. 8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes, quæ spoliauerunt vos. Qui enim tetigeri vos, tangit pupillam oculi mei.* Hebr. *Qui tangit* A *vos, tangit pupillam oculi mei.* Teste D. Hieronymo est sermo Christi ad Iudæos, quos vocauit simul cum Gentibus: ne enim mirum illis esset, quòd cum populo Dei miscerentur Gentes, ita omnino futurum pronunciat, ex speciali ordinatione ipsius Dei: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam misit me ad Gentes.* Paulò infrà declaratur quis miserit. *Et cognoscetis*, inquit, *quia Dominus exercituum misit me.* Vtroque autem loco est nomen יהוה quo significatur Deus per essentiã. Itaque Dominus exercituum missus est à Domino exercituum; hoc est, Deus Filius, à Deo Patre. D. Hieronymus. Vox Saluatoris, ait, loquentis inducitur, qui omnipotens à Patre omnipotente missus est. Idem obseruatur ab Eusebio lib. 6. Demonst. cap. 16. Et est luculentum testimonium diuinitatis Messiæ, quod latè expendit D. August. B 20. de Ciuit. cap. 30.

*Varia lect.*

D. Hieron.

*Missio Filij Dei à Patre.*

D. Hieron.

*Luculentũ testimonium diuinitatis Messiæ.*

Euseb.

2. Quod autem additur, *post gloriam misit me ad Gentes*, controuersiã continet, quid nomine gloriæ significetur. D. Hieronymus per gloriam intelligit eam, quã tanquam Deus eminebat in cælo. Post gloriam, inquit, diuinæ maiestatis. Et significat rem admiratione dignã in opere Incarnationis. Quod Verbum diuinum post gloriam, quã ex æternitate habuit in Diuina natura, missum, per assumptionem humanitatis ad Gentes, voluerit adire labores humanæ vitæ, & ipsam mortem. Solent enim labores post experientiam felicitatis acerbiores esse. Vide Rupertum hoc loco. Similis locus est Baruch 3. 32. *Qui præparauit terram in æterno tempore, & repleuit eam pecudi-* C *bus, & quadrupedibus: qui emittit lumen, & vadit: & vocauit illud, & obedit illi tremore. Stellæ autem dederunt lumen in custodiis suis, & lætata sunt. vocata sunt, & dixerunt: Adsumus. & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersùs eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, &c. Post hæc, in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Porro magnam emphasim habent illa verba, *Post hæc*: quasi diceret, Post tantam maiestatis, & sapientiæ ostentationem, carnem abiectam induit, & vt quilibet homo in terris versatus est. Ne enim vel ex impotentia, vel ex ignorantia fecisse videretur, iure præmiserat, *qui præparauit terram in æterno tempore, & qui adinuenit disciplinam*; ad maiorem expressionem amoris, quòd potens cùm esset, & sa- D piens, id faceret.

*Controuersum, quid nomine gloria significetur.*

D. Hieron.

*Post gloriã, scilicet, diuinæ maiestatis, mortalitatẽ adij, signum magni amoris.*

Rup.

*Probatur simili loco Baruch.*

Baruch 3. 32.

3. Verùm cùm Christus denuo in mundo natus, primò & principaliter ad oues Israël missus sit, Matth. 15. 24. non autem ad Gentes, congruẽtiùs alij explicãt. Eusebius 6. Demonst. Euan. cap. 16. ad hunc modum: Postquam gloriam meam ostendi magnitudine miraculorum, & variis apparitionibus post Resurrectionem, denique post Ascensionem, misit me ad Gentes. Hæc enim est propriè gloria Christi, iuxta illud Ioan. 7. 39. *Nondum erat Spiritus datus, quia IESVS nondum fuerat glorificatus.* Est ergo sensus: Post gloriam Ascensionis misit me Deus Pater ad Gentes, vt per prædicationem Euangelij colligerem ex eis prædestinatos ad æternam vitam.

Matth. 15. 24.

Euseb.

*Congruentiùs, post ostentationẽ miraculorũ, Resurrectionem, Ascensionem.*

Ioan. 7. 39.

4. Cerno tamen quid obiicias: Quomodo E Christus missus est post Ascensionem, quæ, Autore D. Bernardo, felix clausula fuit totius itinerarij Filij Dei? Respondeo cum Augustino loco citato, missum esse Christum in Apostolis suis, quibus data est cura prædicandi Christum. Est enim diligenter notanda regula Augustini lib. 3. de

D. Bern.

D. August.

*Missus est Christus in Apostolis suis ad prædicandum Gentibus.*

de doctrina Christiana cap. 31. Inter ea, quæ dicuntur de Christo, quædam explicanda esse de illo quatenus caput est; vt, *Ego, & Pater vnum sumus*, Ioan. 10. 30. quædam de solo corpore eius; vt, *Saule, Saule, quid me persequeris?* Actor. 9. 4. Sic missus est in hoc loco, quia missi sunt Apostoli. Vnde Paul. 1. Corint. 1. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* Vnde illud Psal. 67. 5. *Iter facite ei, qui ascendit super Occasu, Dominus nomen illi,* explicatur de Christo in Apostolis suis tanquam in equis generosis ascendente, vt equitet in Occidentem. Id verò, *Iter facite ei*, vox est præconia, triumphantem Dominum præcedens, ac inter tripudia clamans: Date locum Domino, qui in equis suis Apostolicis vadit ad Occidentales plagas, vt gentes illas per eos sibi subiiciat: nam, *Dominus nomen illi*, qui propterea latè in omnes Gentes dominaturus est. Vel iuxta Hebræum, in Iah nomine suo. Iah vnum ex nominibus Dei, idem ac, *Verè existens.* Rectè autem ad præsentem locum: ostenditur enim Christum equitare in Apostolis, non in se ipso, sed in nomine suo, iuxta illud Christi de Paulo: *Vas electionis mihi est iste, vt portet nomen meum coram Gentibus, & Regibus, & filiis Israel.*

*Regula Augustini.* Ioan. 10. 30. Actor. 9. 4.

1. Cor. 1. 23. Psal. 67. 5. *Dominus equitans in Apostolis ad Occidentem.*

*Christus per prædicationem Dominus.*

*Iah, vnum è nominibus Dei,* Verè existens. Act. 9. 15. *Equitat in Apostolis, quia nomen eius prædicant.*

*5. Pro causa autem superioris sententiæ ponit Vates, *qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Alij legunt, *oculi sui*; vt sit sensus: qui vobis nocuerit, sibi ipsi veriùs nocet; sed meliùs iuxta vulgatam correctam, *oculi mei*; vt significetur (ait Augustin. loco citato) excellentissimus dilectionis affectus: quæ enim nobis charissima sunt, pupillæ loco nos habere significamus. Sensus ergo est: *Post gloriam misit me Pater ad Gentes, quæ spoliauerunt vos,* vt deinceps vobis subiiciantur: faciamque, vt qui antea prædauerunt vos, prædæ vestræ sint: *qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* quasi dicat: Amo vos, ac mihi habeo coniunctissimos, quasi intra pupillam oculi, vt nemo vobis nocere possit, quin simul irritet me; faciam ergo, vt omnes illi, qui vexauerunt vos, vobis non inuiti seruiant, quod est gloriosissimum victoriæ genus. Id significat: *Ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt præda his, qui seruiebant sibi.* quasi dicat: Dabo vobis victoriam sublimẽ, & eleuatam à communibus victoriis, quæ scilicet manu cruenta pariuntur. Leuabo ego manum, ac excellẽtiori modo me potentem demonstrabo, vt vel ad eiusmodi demonstrationẽ cadant ante pedes vestros inimici vestri. Leuabo super eos, quasi ipsa præcisè eleuatione futurus superior. Vnde illud Isai. 49. 22. *Ecce leuabo ad gentes manum meam, & afferent filios suos in vlnis*; videlicet, seruorum instar, qui solent infantes dominorum suorum portare in vlnis. Significatur, Gentes conuersas ad Christum gerulas fore Prædicatorum fidei, quoniam eos amplectentur, fouebunt, nutrient, in palmis gerent, ad expressionem summi affectus, tum amoris, tum reuerentiæ, quo illos prosequentur.

*Varia lectio. Qui nocet iustis, sibi verius nocet.*

D. August. *Excellentissimus amoris affectus, intra pupillam habere.*

*Vexatio iustorum non potest esse sine irritatione Dei.*

*Eleuatione manus tantummodo, Deus superior.* Isai. 49. 22. *Gentes sinu gestabunt Prædicatores fidei.*

# VISIO TRIGESIMAPRIMA,

## DE IESV FILIO IOSEDEC, ET DE SATAN ACCVSANTE.

*Zachar. cap. 3.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

*OSTENDITVR Zachariæ Iesus filius Iosedec magnus eo tempore Sacerdos sordidis vestibus indutus stans coram Iudice Angelo, & satan à dextris eius accusans eum. Postea videt satan ab Angelo repelli, & Iesum detractis vestibus sordidis, ornari vestibus mutatoriis, promittiturque illi, quòd si ambulauerit deinceps in viis Domini, futurus sit Iudex in populo. Denique prædicitur Christi aduentus, Passióque, & fructus Passionis eius.*

CAPVT III. ZACHAR.

1. ET ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini: & satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.

PARAPHRASIS.

1. *Vidi etiam, ostendente mihi Domino, Iesum Sacerdotum Principem, & filium Iosedec, coram Michaële Archangelo custode ac principe Iudæorum stantem, vt ab eo defenderetur ab aduersario diabolo, qui eum accusabat, & verè quidem, apud Deum: erat* videli

A *videlicet Sacerdos magnus, ac adeò communis homo repraesentans in se non tantùm sua, sed maximè totius populi peccata.*

2. Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem: nunquid non iste torris est erutus de igne?

*2. Tum Dominus ad satan: Reprimam te ego, ne illi nocere possis, quoniam amo Ierusalem, & electos habeo etiamnum in ea, placétque mihi, vt iterum aedificetur, ac templum instauretur. Quid autem paras Iesum perdere, ac penitus obruere, qui de Babylonica captiuitate, tanquam titio semiustus è fornace erutus est?*

3. Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli.

*3. Sed & Iesus vestibus sordidis indutus,* B *significabat se habere sordibus peccatorum inquinatam mentem: stabátque suspiciens Angelum, quasi eius contra daemonem implorans auxilium.*

4. Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.

*4. At verò Michaël misertus Iesu, praecepit minoribus, qui astabant, Angelis, vt sordidas vestes illi detraherent, & sic ait ex persona Dei: Ecce hoc signo demonstraui, ablata esse à te peccata tua, ornauíque te pretiosis vestibus, gratiam, & spiritalia dona significantibus.*

5. Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerunt eum vestibus: & Angelus Domini stabat.

*5. Praecepit insuper administris Angelis, vt imponerent capiti eius mitram. Angelus autem ille princeps non discedebat ab eo loco,* C *donec peragerentur omnia, quae ad salutem populi pertinebant.*

6. Et contestabatur Angelus Domini Iesum, dicens:

*6. Palàm verò admonebat Iesum quasi adhibitis testibus:*

7. Haec dicit Dominus exercituum; Si in viis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam, & custodies atria mea, & dabo tibi ambulantes de his, qui nunc hîc assistunt.

*7. Si custodieris mandata, quae ego praecepi, vt custodirentur; tu quoque quantumuis sordidus antea praeeris populo meo, ac Principem in eo ages, diúque in Pontificatu manebis tu, & filij tui, templúmque meum cum suis atriis tuae curae semper credam. Praeterea ex hoc numero Angelorum, qui mihi assistunt, aliquos destinabo, quorum circumuallatus auxilio, & ab omnium hostium fraude securus sis.*

8. Audi Iesu Sacerdos magne, tu & D amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego Adducam seruum meum Orientem.

*8. Attentas autem huc verte aures, tu, ac socij tui, quandoquidem viri estis, qui factis vestris futura portenditis, & omnia vobis eueniunt in figuram futurorum; ecce, magnum quid praedico: adducam enim Christum verum iustitiae solem, qui Oriens, luce sua hanc vrbem, templúmque illustret, ac inde in totum mundum splendorem effundat suum.*

9. Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu: super lapidem vnum septem oculi sunt: ecce ego caelabo sculpturam eius, ait Dominus exercituum: & auferam iniquitatem terrae illius in die vna.

*9. Ecce ille ipse, quem Orientem vocaui, est instar lapidis, quem ego (quia de reaedificanda vrbe & templo agitur) ostendi Iesu, quoniam totus est in aedificanda vrbe, &* E *cuius virtutes, quales in lapide aliquo admirando sunt, explicabo: nam licèt paruus ipse videatur lapis, & secundùm carnem exiguae virtutis, & excellentiae, tamen septem oculos habet, qui super ipsum sunt, hoc est, septem Angelos illos praecellentes, qui Deo assistunt; in eúmque ipsi intentos habent oculos, ad exequenda omnia praecepta, quae sibi imposuerit. Eius autem lapidis caelaturam*

10. In ego

A *ego ipse incidam; videlicet ornabo humanitatem Christi pluribus donis, quin etiam pretiosas vulnerum sculpturas addam, quo elegãtior maneat; efficiámque, vt eius terra à peccatorum sordibus expurgetur.*

10. In die illa dicit Dominus exercituum: vocabit vir amicum suum subter vineam, & subter ficum.

10. *Tunc homines summa pace, & tranquillitate perfruentur; quali nempe potiuntur illi, qui cum amicis epulantur in vineis suis sub vite sua, & sub ficu sua, quod belli tempore non fit.*

---

## COMMENTARIVS.

TOta Visio his partibus continetur, historia, & promissis. Primùm ergo circa historiam est controuersia: de quo ad literam sit intelligenda, de filióne Iosedec, an de Christo? quod primo loco resoluemus. Deinde explicabimus historiam literaliter de filio Iosedec. Denique proponetur sermo Angeli ad Iesum de Aduentu, & Passione Christi.

### *De quo intelligenda sit Visio in sensu literali?*

### SECTIO I.

1. *Autorum varia opinantium sententia de Iesu filio Iosedec.*
2. *De Iesu filio Iosedec literaliter, de Christo cur nec allegorice explicanda Visio? & refelluntur obiecta.*
3. *Quis fuerit Iesus filius Iosedec, ex primo Esdræ 2. Eccl. 49. Malachia, & Aggæo, & de peccatis eius.*
4. *Excursus moralis de Prælatis rationem pro subditis reddituris. Locus Chrysost. duplex; alter Diui Thomæ.*
5. *Vana existimatio Hebræorum, Iesum Sacerdotẽ iam mortuum fuisse tempore huius Visionis. Probatur oppositum ex loco Eccli. 49. & aliis; diluitur obiectio Hebræorum.*

*Qui de solo Christo intelligunt.* Tertull. Lactant.

1. TERTVLLIANVS in libro aduersùs Iudæos, in fine, & Lactantius lib. 4. cap. 14. de solo Christo optimo maximo Visionem hanc intelligunt, & de nullo alio intelligi posse probant. Nam Tertullianus ita loco citato: Non poteritis, inquit, Iosedec filium dicere, qui nulla omnino veste sordida, sed semper Sacerdotali fuit ornatus. Lactantius verò addit: Nunquam filius Iosedec aliquid mali perpessus est, vt titio eiectus de igne diceretur. Præterea nunquam in conspectu Dei, & Angelorum stetit, aut Propheta potiùs de præteritis, quàm de futuris loquutus est. Alij simpliciter intelligunt de Christo, nihil interim dicentes de Iesu filio Iosedec. Ita Origen. homil. 9. in Leuit. Ambros. 3. de fide, cap. 4. Chrysost. hom. 1. ex variis in Matth. locis, Gregor. 20. Moral. 20. Hieronymus in Psalm. 108. 109. in illud: *Dominus à dextris tuis.* Alij explicant de filio Iosedec. Cyrillus hoc modo, vt Angelus, in cuius conspectu stetit Iesus filius Iosedec, typum gesserit Christi, Iesus verò filius Iosedec populi Hebræorum. Alij absolutè de filio Iosedec, vt Theodoretus hîc; Beda in epistolam Iudæ, in illud, *Cum Michael Ar-*

*Qui de Christo simpliciter.* Orig. D. Ambr. D. Chrys. D. Greg. D. Hieron. D. Cyrill. *Alij absolutè de filio Iosedec.* Theodor. Beda.

B *changelus*; Euthymius in illud Psal. 103. *Et diabolus stet à dextris eius*; Hebræi vno consensu, quos sequuntur Lyranus, & alij recentiores; denique alij perspicue rem distinguunt, sensum historicũ, & literalem esse de Iesu filio Iosedec, allegoricum verò esse de Christo Domino. Sic Eusebius Demonst. lib. 4. capit. vltimo; Iustinus Martyr in Dialog. contra Tryphon. versùs finem; D. Hieron. hîc, & 2. contra Iouin. Aug. lib. 12. contra Faustum, cap. 36. Rupert. Gloss.

Euthym. *Alij literaliter de filio Iosedec, allegoricè de Christo.* Euseb. Iustin. D. Hieron. D. August. Rupert. Glossa.

2. In tanta varietate iudicamus, eos rectè sentire, qui sensum literalem accommodant filio Iosedec; allegoriam verò etsi multi accommodent Christo Domino, tamen, quia multa coguntur indecorè, & violenter inserere, satius iudicamus ne allegoricè quidem Christo dare quæ de filio Iosedec asseruntur; cum his autẽ, qui solùm de filio Iosedec intelligunt, eos consentire credimus, qui absolutè de filio Iosedec interpretantur. Nec Tertulliani probatio momentum habet: nam etsi filius Iosedec sordidis vestibus aliquando vsum, non commemoretur, tamen in Visione talem apparuisse narrat Zacharias hîc. Idem dicendum est ad illud, quod affert Lactantius: nam extra hanc Visionem nunquam stetit coram Angelo, at stetit in ea, vt expressè narrat textus. Quod verò ait, nihil aduersi passum filium Iosedec, vt dicatur titio ereptus de igne, falsum omnino est: nam iacuit cum cæteris in captiuitate, vnde quasi titio ereptus est. Quod verò ait, Prophetam non de præteritis, sed de futuris loqui, hominem arguit parum in libris Propheticis versatum, vbi præterita passim cum futuris commista, futuráque præteritis commẽsa reperies. Cùm autem multa in hac Visione in Christum minimè quadrent, vel inde manifestè colligitur, non posse de illo literaliter, imò nec allegoricè accipi. Primùm, quia Angelus ita cum Iesu loquitur: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam.* Deinde paulò infra: *Si in viis meis ambulaueris, & custodiam meam custodieris, tu quoque iudicabis domum meam:* quæ Christo accommodari non possunt. Præterea hic Iesus accipit promissionem de venturo Christo; quomodo ergo Christus est? Hæc autem in ipsa expositione clariùs elucescent.

*Varia sententia, de solo filio Iosedec interpretandam.*

*Refutatur Tertullianus, & Lactantius.*

*De Christo nullo modo intelligenda.*

*Historia de Iesu, & Zorobabele.* Esdr. 2. & 3. Eccli. 49.

3. Ergo ad expositionem literalem pro Iesu A filio Iosedec, oportet primò animaduertere, hunc Iesum filium Iosedec venisse cum Zorobabele, ac reliquis ex captiuitate Babylonica ad instaurandam vrbem, ac templum, vt narratur 1. Esdræ 2. & 3. & Eccli. 49. 13. de vtroque dicitur: *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipse quasi signum in dextera manu, sic & Iesum Filium Iosedec; qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino, paratum in gloriam sempiternā.* Deinde ex prophetia Aggæi, & prioribus duobus capitibus Malachiæ constat, post hanc Visionem peccasse populum, maximè verò in eo, quòd alienigenas vxores duxerint, priuatim verò referuntur 1. Esdræ 10. 18. filij Iesu, filij Iosedec, & fratres B eius: quod fieri inscio Iesu non potuit; cùm ergo sciret, nec impediret, cùm deberet, ac posset, grauiter vel in eo peccauit. Adde quòd is ipse Iesus, vt Hebræi tradunt, sequiturque D. Hieron. 2. contra Iouin. vxorem quoque alienigenam duxit, in quo Hieronymus typum Christi agnouit, qui peccata nostra portauit, & alienigenam ex Gentibus sibi Ecclesiam copulauit. Verùm hoc de Iesu Sacerdote Scriptura non memorat. Igitur ob hæc peccata inducitur hoc loco Iesus accusatus à satana coram Angelo Domini.

1. Esdræ 10. 18. *Peccatum à populo, quòd vxores alienigenas duxerit, maximè filij Iesu Sacerdotis eo non inscio.* D. Hier.

*Prælatos puniendos ob peccata subditorum.* Sapient. 6. 6. Hebræorū 13. 17.

4. Disces hinc, Prælatos iudicandos, ac puniendos propter peccata subditorum. Sapient. 6. 6. *Durissimum iudicium iis, qui præsunt, fiet.* Et ratio est, quoniam, vt ait Paul. Hebræor. 13. 17. rationem reddituri sunt pro animabus subditorum. Porro durum est, suorum quemque peccatorum rationem reddere; suorum verò, ac insuper alienorum, durissimum. Hinc illa præclarè à Chrysostomo dicta homil. 2. super 1. epistolam ad Timotheum: Considera quantum periculum sit, per singulos subditos discuti, rationémque pro omnibus reddere. Quantumuis Præposito honoris impendas, quantumlibet obsequiis deferas, nihil his periculis referre par poteris. Nam etsi animā ponas, ipse hoc pro te iugiter facit. Et si id minus facit, quòd persequutoris non adsit tempus, eam tamen periculo æternæ mortis exponit. Idem verò Chrysostomus ad verba Pauli citata Hebræor. 13. homil. 34. Quid dicemus, inquit, infelicibus illis, & miseris, qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, & se in tantorum suppliciorū abyssum iactant? Omnium, quos regis, mulierum, puerorum, atque virorum, tu rationem redditurus es; tanto igni tuum subiicis caput. Miror si potest saluari aliquis rectorum. Post tantam enim comminationem, quam negligentiæ videmus illatam, video aliquos etiam concurrere, & præcipitare semetipsos tantæ moli, ac tantæ difficultati regiminis. Si enim qui necessitate compelluntur, nullum poterunt habere refugium, nec vllam excusationem reperient, quando res malè tractauerint: quantò ampliùs qui cum studio, & ambitione petunt principatus, seueriùs punientur? Hæc & alia Chrysost. omnino videndus. Et S. Thomas ad eadem verba Pauli. Hoc est, inquit, maximum periculum, de factis alterius rationem reddere, qui pro suis non sufficit. 3. Reg. 20. 39. *Custodi virum istum, qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima illius.* Reddent enim Prælati in die Iudicij rationem de sibi commissis, quando fiet eis illa quæstio Ieremiæ: *Vbi est grex, qui datus est tibi, pecus inclytum tuum?* Hæc à D. Thoma.

D. Chrys.

*Prælati per singulos subditos discutiuntur.*

*Prælatis bonus par referri non potest.* D. Chrys.

*Prælatura, abyssus suppliciorum. Notanda sententia Chrysostomi de salute Prælatorum.*

D. Thom.

4. Reg. 20. 39.

Ier. 13. 20.

5. Congruit ergo cum peccatis populi, quibus & iam obnoxius erat Iesus Sacerdos magnus, iudicium exhibitum Zachariæ, in quo is sistitur, & accusatur à diabolo coram Angelo. Vnde etiam colligitur, quàm sit vana Hebræorum quorundam existimatio, Iesum tempore Zachariæ iam fuisse mortuum: quid enim ad rem faciebat huius de illius iudicio Visionis euulgatio, si iam apud viuos non agebat? Et confirmatur, quoniam hæc Visio Zachariæ contigit anno secundo Darij, vt ex capit. 1. constat, omnino autem ante consummationem templi: nam templum consummatum est anno sexto eiusdem Darij, 1. Esdræ 6. At verò Iesus cum Zorobabele templi fabricam consummauere, vt ex illo Ecclesiastici 49. citato apertè liquet. Præterea quomodo intelligi potest de Iesu mortuo illud ex hoc capite: *Si in viis meis ambulaueris, tu quoque iudicabis domum meam*, & alia, quæ ibidem sunt? Quomodo & illud ex cap. 6. *Sumes aurum, & argentum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec, & loqueris ad eum*, &c. Nec valet obiectio Hebræorum, quòd Aggæi 2. dicitur: *Interroga Sacerdotes legem, &c. Et responderunt Sacerdotes*, &c. Si autem Iesus summus Sacerdos viueret, certè ille iuberetur consuli, & is responderet iuxta illud Malach. 2. 7. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius.* Non valet, inquam, obiectio, primùm, quoniam etiam Iesus, C qui Sacerdos erat, intelligitur interrogatus: deinde quia, vt rectè animaduertit Ribera, eo argumento probaretur, nullum tunc in populo, si Iesus mortuus erat, fuisse Sacerdotem summum; quoniam non dicitur interrogatus, & tamen id falsum omnino est, cùm munus summi Pontificatus in eo populo iure hæreditario transiret ad posteros, & Iosephus narrat 11. Antiquit. cap. 5. Iesu demortuo successisse filium eius Ioachim. Ex dictis etiam colligitur, falsum esse quod aliqui volunt, Visionem hanc intelligi de rebus factis tempore Machabæorum, qui ex posteritate Iesu fuerunt.

*Vana existimatio Hebræorum de Iesu Sacerdote iā mortuo. Cōfutatur.*

1. Esdr. 6. Ecclesi. 49.

*Obiectio refellitur.*

Malach. 2. 7.

Ribera.

*Falli eos qui Visionē hanc referunt ad tempora Machabæorum.*

D

---

## *Explicatur Visio literaliter de Iesu filio Iosedec.*

### SECTIO II.

1. *Quis Angelus Domini hoc loco? Michaëlem fuisse, quæ sint coniectura? In iudicio, quo Iob accusatus est à satan, quis Dominus præfuerit?*
2. *Quare satan à dextris Iesu Sacerdotis, quatuor proponuntur causæ, & varia loca Patrum.*
3. *Significatio nominis satan radicitus expenditur. Locus Matth. 16. quòd Petrus dictus sit satan, explicatur.* E
4. *Iesus Sacerdos quomodo torris de igne erutus? Omnes Iudæos, qui nunc viuunt, dici posse torres erutos de igne incēdij Ierusalem sub Tito. Rupertus. Omnino combustos ex Propheta Ezechielis. Torris erutus, peccator per pœnitentiam seruatus.*
5. *Sordidas vestes in Iesu Sacerdote peccata esse. Illustratur loco epistolæ Iudæ. Quid in peccatore amandum, quid odiendum? Locus Ps. 138. Sententia Nazianzeni, altera Bernardi.*
6. *Vestes mutatoriæ, quid in Scriptura? Locus 4. Regum*

gum 5.& Isai.3.

7. Mutatorias vestes aliquos intelligere Sacerdotales. Locus Isaiæ 61. Versio Septuaginta. qualis tunica poderis Hieronymi sententia? Fuisse oculatam, Exod.28.

8. Quid cidaris ex Iosepho? Significari per eam ornamentum gratia, ex loco Isaiæ 61. Versio Septuaginta. Cur Christus semper sponsus, non maritus dicatur, & Ecclesia sponsa, non vxor?

9. Tunica Sacerdotalis talaris quid significet? Explicatur locus Ecclesiast.9. Stricta tunica quid sit: Locus Augustini, cur oculata?

10. Cidari quid moraliter? Locus optimus Hieronymi de Diuina scientia significata per cidarim.

11. Cur omittatur allegoria de Christo Domino?

1. VIDIT Propheta primò Iesum stantem coram Angelo Domini. Vers.1. *Et ostendit mihi Dominus Iesum Sacerdotem magnum stantē coram Angelo Domini: & satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei.* Vers.2. *Et dixit Dominus ad satan: Increpet Dominus in te satan: & increpet Dominus in te, qui elegit Ierusalem. Nunquid non iste est torris erutus de igne?* Vers.3. *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis, & stabat ante faciem Angeli.* Vers.4. *Qui respondit, & ait ad eos, qui stabant coram se, dicens: Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis.* Vers.5. *Et dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt.* Hebr. *Vide, transire feci à te iniquitatem tuam.* Septuaginta: *Induite eum poderem.* Hebræi hunc Angelum volunt esse Michaëlem Principem, ac custodem populi Dei, & congruit, quoniam agebatur causa summi Sacerdotis, & Ecclesiæ illius supremi capitis: Michaël autem eiusdem Ecclesiæ custos erat, & debuit pro capite eius magis esse solicitus: atque, vt ait Lyranus, Prælatus totius populi Angelus, eiusdem populi Prælato homini præstò adesse. Sicut Iob, quia Domini viua vmbra fuit, Dominum habuit Præsidem in eo iudicio, in quo Angeli assistentes illum defendebant, & satan accusabat. Iob.1. *Quadam die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit quoque & satan inter illos.* Chaldæus diem latiùs notans: *Et fuit tanquam dies iudicij magni, & venerunt Angelorum cateruæ,* &c. Vnde Origenes legit, *Sicut dies illa quæ in igne,* inquit, *reuelabitur.* Cùm ergo in illa Deus ipse præesse debeat, sic in ea, qua Iob causa acta est, quasi præludens ad futuram, ipsemet præfuit, idoneus patientiæ sequester, ait Tertullian. in lib. de patientia.

*Varia lectio.*

*Vera opinio Hebræorum, per Angelū intelligi Michaëlem.*

*Iob Domini vmbra, Dominum habuit præsidē in iudicio.*

Tertull.

2. Deinde visus est satan stare à dextris Iesu, vt aduersaretur ei. A dextris stat (ait Hieronymus) quoniam vera erat accusatio, ac certam victoriam pollicebatur inimico; dextera enim felicitatem, & prosperitatem significat, & cùm diabolo datur, victoriæ certitudo innuitur. Hinc illud D. Ambrosij de generali condemnatione hominum in Adam, lib.3. de interpell. cap.11. Adam, ait, dexteram suam diabolo dedit, quam extendi fecit ad interdicta poma. Ita præiudicatum est in illo omnibus, & cœpit vniuersis diabolus à dextris stare; omnes quippe nascimur damnati, ac filij iræ. Vel à dextris Iesu, quoniam is ipse alienigenam ducens vxorem, dextram, ac fortem contra se accusationem reddebat. Vt enim Dauid virum dextræ Dei dixit

D.Hier. *A dextris Iesu stat satan, quia vera erat accusatio eius.*

D.Ambr.

*Ab Adam cœpit diabolus à dextris stare.*

A Psalm. 79. 18. quem ipse peculiari ope sua fortem facit, ita diabolum a dextris habet, qui eum contra se fortem, ac potentem reddit. Vel, à dextris, vt à Iesu honorari se, ac præ Deo coli demonstret: quos enim ad dexteram nostram asciscimus, præ cæteris honorabiliores ducimus, ac maiori cultu dignos prædicamus. Vnde Augustin. ad illa verba Psalmi 108. 6. *Diabolus stet à dextris eius*, de Iuda proditore explicat. Quia opera, inquit, diaboli præposuit operibus Dei: hoc enim cuiquam non immeritò dextrum dicitur, quod præponit, sicut sinistræ dextera præponitur. Ideo de illis, qui seculi gaudia præponentes Deo, beatum dixerunt populum, cui hæc sunt, rectissimè dictum est:

B *Dextera eorum, dextera iniquitatis.* Ita August. Et D. Gregor. 20. Moral. cap.20. Ipso, inquit, locutionis vsu, pro dextero habere dicitur, quod pro magno pensamus, pro sinistro verò id quod despicimus. Quod Zacharias apertè insinuat dicens: *Et satan stabat à dextris eius*, &c. Ita Gregor. Præterea, dexteram Iesu intelligere possumus intentionem eius bonam, qua preces ad Deum fundebat, pro instauratione templi, & hanc à satana impugnari: vt enim rectè annotat Elias ad Orationem primam Nazianz. expendens hunc locum: satan semper res nostras dexteras oppugnare, id est, quæ sunt cum laude coniunctæ, non verò sinistras. Solent Patres etiam hæc, quæ aliàs videntur mi-

C nima, maturè considerare, & in eis mysteria accommodata rimari. Vnde D. Gregor. in eo, quod dicitur Iob.1. *Quadam die cùm venissent filij Dei*, &c. Per diem, ait, prosperum euentum Iobo protendi contra satanam; quia Iob, inquit, tentatio à die cœpta perhibetur, ad victoriam deducebat. Sic ille. Vnde, & ex prædictis significationibus dexteræ, intelligi debet, satanam secundùm merita causæ Iesu præualere in hoc iudicio.

Ps.79.18. *Vir dexteræ Dei, quem ipse fortem facit.* *Dextera honorabilior locus:* D.Aug. Ps.108.6.

D.Greg. *Dextera Iesu Sacerdotis, intentio eius bona.* Elias Cret. *Satā dexteras oppugnat, id est, laudabilia in nobis.*

D.Greg.

3. De vocabulo autem, שטן *satan*, semel dicendum est à radice שטן significátque, aduersari, opponere se se inimico animo, repugnare, resistere, inde vox שטן *satan*, id est, aduersarius absolutè. 3. Regum 5. 4. vt ostendat

D Salomon summa se in pace agere, *Non est*, inquit, *satan, neque occursus malus.* Rectè autem per secundam vocem explicatur prima. Non est, qui in malum occurrat, qui se ex aduerso opponat ad resistendum; non est, qui rebellet. Idipsum ostendit locutio illa Christi, qua Petrum dissuadentem passionem, retrò repulit, Matth. 16. 25. *Vade post me satana, scandalum es mihi:* metaphoricè ab iis, qui se ex aduerso opponunt, vt progredientem detineant: quasi enim sibi ad passionem eunti ex anteriori parte se opponeret Petrus, offendiculúmque, ac obstaculum sibi esset ad progrediendum, retrahitur seuerè ad posteriora: at non faciebat

E id Petrus inimico animo, imò ex multo affectu erga Christum dixit: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc*, &c. Multus amor præsagire facit falsum, ait Caiet. Amor, videlicet, faciebat eum Prophetam falsum, quasi dicat, nequaquam morieris, imò multos annos gloriosè viues. Pius sanè, ac beneuolus Propheta. Quod si ita est, non videtur satanæ propria significatio in illum cadere, qua diximus significare eum, qui inimico animo aduersatur. Dicendum tamen, Petrum ex amore in Christum, eius semper mortem

*Satan, aduersarius absolutè.* 3. Reg.5.4.

*Satan idē ac qui se opponit ad resistendum.* Matt.16.25.

Caiet. *Amor Prophetam sæpe falsū facit.*

*Petrus oderat Christi mortē ex ignorantia. Quatenus se opponebat morti eius, satan verè dictus.* D.Basil.

tem odisse, ac inimico in eam fuisse animo, ac adeò in eam retinuisse vim ipsam significationis satan: idque ex ignorantia necessitatis mortis eius. Et in hoc sensu, quatenus morti eius se opponere voluit, verè satan à Christo dicitur. Accommodatur autem commune nomen satan communi omnium aduersario diabolo. Vnde D.Basilius in homil. Quòd Deus non est autor malorum, Satanas, inquit, dicitur, quòd bono aduersetur. Vnde etiam illud eiusdem Christi ad diabolum suadentem vt se adoret, Matth.4. 10. *Vade satana*, eandem habet vim iubentis scilicet, facescere importunum aduersarium. Sed & hoc loco, *satan*, id est, aduersarius, *stabat à dextris Iesu*; & vt verè confirmetur significatio, additur, *vt aduersaretur ei.* Monstrata radice לשטנו שטן quasi dicat, aduersarius, vt aduersaretur. In id autem incubuit acriter, vt impediret instaurationem templi, quam Iesus ex officij sui ratione procurabat, & quasi interposita lite stare faceret. Est etiam ea vis specialis verbo satan, vt significet aduersationem illam, quæ fit in iudicio. Vnde illud Psalm.108. 20. *Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum.* Habet idem verbum hoc sensu, qui me accusant, qui meæ causæ aduersantur apud Dominum Iudicem.

*Matth.4. 10. — לשטן — Ps.108.20.*

4. Repressa autem imperio Domini audacia, satan aduersùs Iesum Sacerdotem, sic vlteriùs increpans ait: *Nunquid non iste est torris erutus de igne?* Peruicacem, & inanem satan conatum arguit: vtpote, qui Iesum Sacerdotem, ope sua liberatum à captiuitate, velut torrem è fornace semiustum, velit omnino extinguere, ac perdere: frustra autem id agitare, quoniam ideo à se liberatus est, ne penitus absumeretur; sicut qui titionem è foco eruit, seruare vult: eadem autem ratione vocari posse cæteros Iudæos liberatos à captiuitate Babylonica torres erutos de igne manifestum est: sicut Rupertus omnes Iudæos, qui hodie viuunt apud nos, torres similiter de igne erutos, hoc est, de euersione illa, qua Romani sub Tito vrbem Ierusalem igne, ferróque vastarunt, vocandos censet. Semiustulati, inquit, igne, quo ciuitas eorum arsit, insignia vbique demonstrant. Et ad hoc ait postulare Christum, vt vel semiusti seruentur, Psalm.58. 12. *Deus ostendet mihi super inimicos meos, ne occidat eos, nequando obliuiscantur populi mei.* Maneant, inquit, Augustinus, sed cum signo, videlicet, ignis, à quo eruti sunt; planè, titiones semiusti. Ad hoc videlicet tantummodo seruientes, vt supplicij præteriti monumenta sint per totum orbem; sicut in Cain posuit Dominus signum ne occideretur, vt semper occisi fratris testimonium gestaret, & sicut in toto illo solo vrbis Hierosolymitanæ dicitur Imperator Titus reliquisse duas, tresve torres semiustulatas, quæ in posterum monumenta essent illatæ cladis. Quòd verò Iudæi non semiusti hodie, sed penitus combusti seruentur, ac adeò inutiles in mundo sint, declarauit Ezechiel cap. 15. 2. *Quid fiet*, inquit, *de ligno vitis, ex omnibus lignis nemorum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut paxillus, vt dependeat de eo quodcumque vas? Ecce igni datum est in escam: vtramque partem eius consumpsit ignis, medietas redacta est in fauillam. Etiam cùm esset integrum, non erat aptum ad opus, quantò magis, cùm ignis illud deuorauerit? Hæc dicit Dominus: Sic tradam habitatores Ierusalem, egredientur de igne, & ignis consumet eos*, &c. Significat Vates duabus captiuitatibus Babylonicis, duas quasi populi partes combustas. Denique Romanorum incendio totos comburendos, sed ita tamen vndique combustos eruendos in testimonium diuini supplicij, vt carbones pauci, & modici (ait Lyranus) qui facilè, scilicet, ignem concipiant: vt impleatur Isaiæ vaticinium cap.9. 19. *Erit populus esca ignis.* Moraliter autem torris de igne erutus dici potest peccator, quem Sacerdos inferni iam ignibus addictum per pœnitentiæ sacramentum eruit; iuxta illud Apostoli Iudæ in sua Canonica, *Vosmetipsos*, inquit, *in dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri Iesu Christi in vitā æternam; ad hos quidem arguite iudicatos, illos verò saluate de igne rapientes.*

*Iesus Sacerdos titio erutus de igne, id est, liberatus à captiuitate. Iudæi apud nos viuentes torres sunt eruti de igne, scilicet illo, quo est à Tito euersa Ierusalem.* — *Psal.58.12. August.* — *Maneant, sed cum insignibus ignis, ad monumentū.* — *In solo Hierosolymitano relictæ turres semiusta in monumēta cladis.* — *Ezech 15.2. Iudæi inutiles in mūdo.* — *Lyranus. Iudæi tanquam carbones hodie, qui facilè ignem concipiunt.* — *Isai.9.19. Peccator, torris de igne inferni erutus.* — *Iudas. Vers.21.*

5. Quia verò Iesus ad communem calamitatem addidit defectus, & proprios, & officij, iuxta ea, quæ diximus: ideo sequitur, *Et Iesus erat indutus vestibus sordidis*: nam per vestes sordidas intelligi debere peccata, declarat Angelus infrà: *Ecce*, inquit, *abstuli à te iniquitatem tuam*; vel ad verbum ex Hebræo: *Vide, transtuli desuper te distortionem*: quæ idem est, ac iniquitas, siue inæqualitas, & significatur priuatio illa rectitudinis, in qua Theologi ponunt rationem formalem peccati. Peccata quidem dici vestes sordidas, perspicitur etiam in eo, quod habet in epistola sua Iudas Apostolus: *Aliis*, inquit, *misereminì in timore, odientes & eam, quæ carnalis est, maculatam tunicam.* Docet, quid in peccatore amandum, quidve ritè habendum sit odio; nam homo ipse peccator miseratione prosequendus, inflicto interim timore Domini in carnes eius, ne ampliùs progredi ad malum queat, seu immisso in os eius fræno timoris Domini, quo à futuris retrahatur excessibus: misereminì in timore. At verò *maculatam tunicam*, id est, peccata, seu, maculatam vitiis conuersationem (vt ait Caietan.) odisse debemus. Vnde Dauid Psalm.138. 22. de peccatoribus, *Perfecto odio oderam illos.* D. Augustin. Perfecto, scilicet, odiendo peccatum, & diligendo naturam. Oderam in eis, inquit, iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam; hoc est enim, perfecto odio odisse, vt nec per vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Cùm verò Iesus fuerit summus Pontifex, vestes sordidæ magis eum dedecent: vt enim rectè ait Nazianzen. Gregor.Orat.31. splendidæ vestis manifestiores sunt sordes. Et in quodam Poëmate:

Εἵματι πορφυρέῳ βόρβορος ἀλλότριος; id est,
*Purpureæ vesti res aliena lutum.*

Nec dissimile est illud D. Bernardi sermon. de tripli. custod. Sicut pretiosam vestem exigua quæuis macula turpiùs decolorat, ita à nobis multò maior exigitur iustitia, cùm in aliis næuus, in nobis grauis sit macula. Ita Bernardus.

*Vestes sordidæ, peccata sunt.* — *Iudas vers.23. Tunicam maculatam odio habendam, id est, peccata.* — *Caiet. Ps.138.22. D.Aug. Perfectum odium, quo ipsa præcisè peccata odimus.* — *In Sacerdote peccata magis dedecent.* — *D.Bernard.*

6. Iussit ergo Angelus, *Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eum: Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis; & dixit: Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt*, &c. Vestes mutatoriæ intelliguntur esse vestes pretiosiores, & elegantiores, quæ non semper, seu quotidie, vt aiunt, sed festis præcipuè diebus gestari solent. 4. Regum 5. 22.

*Vestes mutatoria, quæ erant pretiosiores.*

Gie

4.Reg.5.22.

Giezi inscio Elisæo, petiit fraudulenter à Naaman talentum argenti, & vestes mutatorias duplices pro filiis Prophetarum. At Propheta, qui rem totam in spiritu viderat, innuens vestium prædictarum qualitatem, vrbaniter ait: *Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes*, &c. quasi dicat: Ergo diues factus es iam, atque elegans. Item Isai. 3. 18. inter alia minatur Dominus, ablaturum se à filiabus Sion omnia ornamenta muliebria, inter quæ numerat etiam vestes mutatorias, quas statim cilicio se mutaturum ait, eo vel maximè exprimens oppositam in mutatoriis elegantiam, ac fastum.

Isai.3.18.

*Vestes mutatoriæ, secundùm aliquos, Sacerdotales.* Exod.28.2. Iob 12.19.

7. Obseruandum verò pro mutatoriis aliquos intelligere vestes Sacerdotales, quòd speciosissimæ erant. Exodi 28. 2. *Facies vestem sanctam Aaron fratri tuo in gloriam, & decorem.* Vnde aptè Iob. 12. 19. Sacerdotes spoliati vestibus Sacerdotalibus vocantur *inglory*; obseruántque optimè aliqui, eadem originali voce, כהן quæ significat Sacerdotem esse, significari etiam decoratum, & ornatum sacris vestibus. Illúdque Isai. 61. 10. *Quasi sponsum decoratum corona*, propriè dici posse: quasi sponsum Sacerdotatum corona. Rectè ergo vestes Sacerdotales mutatorias dixeris, maximè quòd illis ad res tantùm sacras peragendas induebantur Sacerdotes, quibus depositis assumebant communes. Septuaginta quidem poderem vertunt, stolam, vt Theodoretus vocat, Sacerdotalem; erátque iuxta Hieronymum ad Fabiolam de veste Sacerdotali, talaris vestis, inde, scilicet, nomen sortita: nam, vt ait Hieron. ad cap. 19. Exech. ποδήρη, vna ex octo vestibus est Pontificis, quæ Latinè dicitur talaris, & ex eo, quòd ad pedes vsque descendat, hoc sortita vocabulum est. Linea porro, seu byssina, vt ait Iosephus: sic autem stricta, vt corpori adhæreret absque vlla ruga. Ita Sacerdos (ait Hieronymus ad Fabiolam) & vestium pulchritudinem, & nuditatis celeritatem habebat: decenter videlicet ornatus, & expeditus. Sed nec illud negligendum, quod Rabbini, & ex nostris aliqui asserunt, hanc vestem ita comparatam, vt oculorum figuris interseminata esset, quod eruunt ex illo Exod. 28. 4. *Tunicam lineam strictam*: Hebraicè enim est, *oculatam*: videlicet, erat oculis contexta, opere Phrygio. Vnde eodem cap. 28. 39. *Stringésque tunicam bysso*, iuxta Hebræum, *oculabis*, seu, *oculis variabis phrygionicè*. Vulgò dicitur, *ricamabis in quasdam quasi oculorum species*, sicut mappas videmus hodie ex ipsa textura vndulatas, ac multipliciter variegatas. Vide Emmanuelem Saa ad prædicta loca Exod. At verò id optimè quadrat in præsentem locum, vbi Dominus commendat Sacerdoti Iesu custodiam domus suæ. *Si custodiam meam custodieris*, &c. Custodem ergo domus accommodatè vestit podere, seu oculata veste, vt sit ipse totus oculatus, hoc est, vigilantissimus, & ad omnem rei euentum apprimè circunspectus.

*Vestis Sacerdotalis, pretiosa.* Isai.61.10.

Theodor. D.Hieron. *Poderis, linea, stricta, talaris vestis.* Iosephus. D.Hieron.

*Sacerdos decenter ornatus & expeditus.*

Exod.28.4.

*Poderis, oculata vestis.*

*Sacerdos custos domus Dei vigilantissimus.*

8. Vlteriùs pergit Angelus Iesum Sacerdotem ornare dicens: Ponite cidarim mundam super caput eius. De cidari multa prolixè congerunt interpretes, prolixissiméque Ribera ad hunc locum. Breuiter perstringam quæ Iosephus tradit lib. 3. Antiq. cap. 8. & Hieronym. ad Fabiolam de veste Sacerdot. Cidaris pileus erat è circumsuta vitta linea, quam supernè alia integebat tela per suturas, ne apparerent. Hic pileus communis erat omnibus Sacerdotibus, sed qui summus Sacerdos erat, super communem gestabat alium consutilem ex hyacintho variatum. Hunc aurea corona triplici ordine circundabat, in qua cernebantur è media fronte procedentes cauliculi aurei, & pendens lamina, in qua Dei nomen Tetragrammaton insculptum erat. Nec plura in rem præsentem. Alterius loci est disputatio de vestibus Sacerdotalibus. Hoc ergo vult Propheta, Iesum Sacerdotem magnum, vt reliqua indumenta, sic & cidarim sordidatam prætulisse; visúmque, vt pro immunda acciperet mundam. Significatur autem per hunc externum ornatum, qui datus est Iesu Sacerdoti, internus ille, qui gratiam, ac cætera dona supernaturalia complectitur, congruítque translatio Chaldaica: nam vbi noster habet, *Ecce, abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatoriis*, Chaldæus habet, *iustitiis*. Quibus se indutam gaudet Ecclesia Isai. 61. 10. *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Gaudens gaudebo*, scilicet, exaggerata lætitia, quòd me Dominus mutatoriis salutis, ac iustitiæ adornauit: nam vt mutatoria intelligeremus, Septuaginta verterunt, *indumenta lætitiæ*, siue *spiritualis festiuitatis*, & significantur pretiosissima dona gratiæ, quibus Ecclesia longè latéque splendescit. Duplex autem comparatio Sponsi, & Sponsæ, cum ornamentis suis nuptialibus, seu mutatoriis festiuis, eodem tendit, vt spiritualia, ac supernaturalia salutis, ac iustitiæ exprimat mutatoria, quibus Ecclesia æternis indulget nuptiis. Ideo enim Sponsa vbique, non vxor, & Christus Sponsus, non maritus dicitur, vt perennis lætitia in eis, ac festiuitas, sponsis propria, significetur: nam post sponsales lætitias, sequuntur, curæque, catenatique labores.

Ioseph. D.Hieron.

*Cidaris pileus, circumsuta vitta linea, &c. communis omnibus Sacerdotibus.* *Cidaris summi Pontificis quid amplius haberet.*

*Per ornatū externum Sacerdotis, innuitur internus virtutum.*

Isai.61.10.

*Indumenta lætitiæ, seu spiritualis festiuitatis.*

*Cur Ecclesia Sponsa, non vxor, Christus Sponsus, non maritus dicitur.*

9. Ergo Iesus Sacerdos vestitur mutatoriis, siue podere, hoc est, tunica illa Sacerdotali, linea, talari, stricta, oculata, vt per eam significetur gratia, siue iustitia cum suis proprietatibus. Imprimis enim tunica linea talari significatur gratiæ candor perseuerans; quem Sapiens commendat Eccles. 9. 8. *Omni tempore sint vestimenta tua candida.* At quomodo adiunxit, *Et oleum de capite tuo non deficiat*, cùm difficile sit sub capite oleum distillante candorem seruare immaculatum? Putari potest sugillatio in immisericordes: oleum enim significat opera misericordiæ, & quoniam (quæ hominum est difficilis ad benefaciendum natura) nunquam in eis præstandis nimiùm exuberare solent, audacter iubet oleum perenniter capiti infundant: non enim vnquam sic erunt profusi, vt candor vestium sub illo periclitetur. Vel dic, candorem, seu splendorem gratiæ rectè foueri oleo misericordiæ. Strictam tunicam, ac sine vlla ruga accipiunt Interpretes gratiam absque vllo defectu. Ita dicitur à Paulo Ephes. 5. 27. Ecclesia gloriosa, ob vestem scilicet gratiæ, *non habentem maculam, neque rugam.* Mundatur lauacro vitæ (ait August.

*Tunica linea significatur gratiæ candor.* Eccl.9.8.

*Sugillantur immisericordes.*

*Candor gratiæ fouetur oleo misericordiæ.* *Tunica sine ruga, gratia absque defectu.* Ephes.5.27. D.Aug.

gust. ad Psalm. 132. ) vt non habeat maculam: A extenditur in cruce Domini, vt non habeat rugam. Sic fullones in ligno tunicas extendunt, & quasi crucifigunt, vt sine ruga sint. Hæc Augustinus. Recte autem, quoniam gratia cum adiunctis donis, iustitia, seu iustificatio dicitur per Christi mortem, quòd defluentem hominem colligant, ac rectum, iustúmque, adeóque omnis rugæ expertem efficiant coram Deo. Vel dicitur stricta tunica, iuxta Hebraicam vim, hoc est, oculata, quòd iustificati homines, vigilantissimi esse debeant, vt sartam, tectámque tueantur gratiam. Dicuntur autem in ea tunica plurimi fuisse oculi, quasi in ordines suos digesti, ratis videlicet spatiis circunspectantes, quoniam cùm dæmones legiones ha- B beant, & in ordines bellicos disponantur, vt gratiæ dona in homine oppugnent: oportet ordinibus dæmonum oculorum opponere ordines, ne qua hominem malè cautum adoriantur, ac spolient. Ideo hîc Angelus contestatur Iesum Sacerdotem, vt deinceps in viis Dei ambulet, & custodiat Dei custodiam.

*Iustificati homines, vigilantissimi esse debent. Oculi quasi in ordines digesti, vt significetur vigilantia militaris.*

10. Cidari verò Pontificali, cum corona, & lamina, in qua Dei nomen eminet, significatur Diuina scientia, qua veluti coronatur Sacerdos: nam in cæteris Sacerdotis vestibus mundi ipsius, ac adeò mundanæ scientiæ symbolum erat, autore Iosepho loco citato. Sic ergo congruè D. Hieron. in epistola illa ad Fa- C biolam. Lamina, inquit, aurea fulget in fronte: nihil enim in nobis prodest omnium rerum eruditio, nisi Dei scientia coronemur; lineis induimur, ornamur hyacinthinis, sacrato balteo cingimur, dantur nobis opera, rationale in pectore ponitur, accipimus veritatem, profert sermo doctrinam: imperfecta sunt vniuersa, nisi tam decoro currui dignus quæratur auriga, & super Creatura Creator existens, regat ipse quæ condidit, quod olim in lamina monstrabatur, nunc in signo ostenditur crucis, auro legis sanguis Euangelij pretiosior est. Hactenus Hieronym.

*Lamina, in qua Dei nomen, significatur Diuina scientia.* Ioseph. D. Hier. *Omnis eruditio Dei scientia coronatur.*

*Auro legis, sanguis Euangelij pretiosior est.*

11. Etsi autem veteres, nouíque interpretes hanc de Iesu summo Sacerdote historiam D etiam Christo accommodant per allegoriam, quia tamen multa violentissimè explicant, omnino statui nihil in hanc rem dicere. Consulat Lector ex veteribus D. Hieronymum, ex recentioribus Riberam, nec dubium, quòd si iudicio maturo pollet, auertet mentem, oculósque à pluribus, quas interserunt, expositionibus; quin & ipse Ribera inter explicandum multa abominatur, nec valens ampliùs ferre violentam allegoriam, quasi è manibus excutit, imperfectámque relinquit. Nec obstat D. Hieronymi autoritas, dum cunctas allegoriæ partes prosequitur: iam enim diximus solere sanctum Doctorem communes expositiones proponere, quasi suas. Quamobrem ad ea, hinc iam de Christo ad literam Propheta vaticinatur, gradum faciamus.

*Christo hæc historia ab aliquibus, sed violētissimè & indecentissimè, tribuitur.* D. Hier. Ribera.


*D. Hieronymus cōmunes expositiones sæpe ponit vt suas.*

---

## *De viris portendentibus.*

## SECTIO III.

1. *Portentum quid: ex loco 2. Paralipom. 32. De portento tempore Ezechiæ. Locus Epiphanij. De Virgine Maria. Quid viri portendentes?*
2. *Alia interpretatio de viris portendentibus, ex similitudine Eccl. 44. Quomodo per eos designentur futura de Christo, & Ecclesia?*
3. *Portendentes esse Heroes admirandæ sanctitatis; quales Dauid Ps. 70. & Isa. cap. 20. ille patientia, hic obedientia portentum.* B

1. NGELVS ita ad Iesum Sacerdotem, Vers. 8. *Audi Sacerdos magne, tu & amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt.* Hebr. *Quia viri ad portenta facienda sunt apti.* Septuag. *Quia viri portentorum spectatores sunt.* Dicturus Angelus de Christo, déque eius aduentu, mirabilique apparatu ad fundandam Ecclesiam, attentionem denuo captat ab ipso Iesu Sacerdote magno, atque à viris portendentibus, qui cum eo habitant. Primùm quærimus, quinam sint viri isti portendentes? Iuxta Hebræum, אנשי מופת hoc est, viri portenti; מופת autem propriè signum C est mirabile, ac prodigiosum, videlicet rei magnæ significationem continens. 2. Paral. 32. 31. Legati à Babylone venerunt, *vt interrogarent de portento quod acciderat*, hoc est, de regressu solis tempore Ezechiæ, vbi est nomen idem מופת res quippe per se stupenda fuit, ac admirabilis mysterij, hoc est, Dominicæ Incarnationis signum, in qua Diuinus Sol retrogressus per nouem lineas, hoc est, Angelorum choros, in decima linea, hoc est, Virgine Maria, assumpturus carnem conquieuit. Vnde illud Epiphan. in Orat. de laudibus Virginis, Stupendum, inquit, miraculum in cælis, mulier in vlnis portans lucem. quasi dicat; mirum portentum, quòd cùm in cælo Angelorum sit munus, lucem solarem cir- D cumagere, id mulier vna faciat, Solem nunc iustitiæ mundo circumferens. Viri ergo portenti hoc loco dici possunt amatores portentorum, vt Cyrillus annotat, ex communi Iudæorum consuetudine, qui passim signa, & prodigia exigebant, iuxta illud Ioan. 4. 48. *Nisi signa, & prodigia videritis.* Et 1. Corint. 1. 22. *Iudæi signa petunt*: vt sit sensus Angeli ad Prophetam: quandoquidem hi, qui tecum sunt, portenta videre amant, audiant signum magnum, de quo nunc dicturus sum.

*Varia lectio.*

*Quinā viri portendētes? Portentum quid.* 2. Paral. 32. 31.

Epiphan. *Stupendum miraculum in cælis, mulier portans lucem. Viri portenti, hoc est, amatores portētorum.* Ioan. 4. 48. 1. Cor. 1. 22.

2. Conformior præsenti loco aliorum interpretatio est, vt per viros portenti significentur illi, qui facto aliquo suo portendunt quippiam: sicut viri misericordiæ Eccli. 44. 10. *illi sunt, quo-* E *rum pietates*, hoc est, pia opera, *non defuerunt*: vel, vt alij legunt, *non defierunt*: nō enim actu ipso trāseunte, transeunt, sed permanēt in cōspectu Dei, vt illò deducant operātem, Apoc. 14. 13. *Opera eorū sequūtur illos.* Ergo viri portēti sunt, qui aliquid faciunt, quo futura prænuncient. Quoniam igitur Iudæi à captiuitate Babylonica Iesu Sacerdote magno satagente liberati sunt, & cum eodem Iesu Sacerdote ad templi ædificationem solicitè incumbebant, his ipsis factis suis, ac euentibus porten

*Meliùs, viri portenti, aut portendētes, qui facto aliquid portendunt.* Eccli. 44. 10. Apoc. 14. 13.

*Portendebāt liberationem humani generis futurā per Christū.*

A portendebant liberationem humani generis autore Christo futuram, & per ipsum Dominum Iesum, ac Apostolos eius ædificandam Ecclesiam. Eritque sensus: Cùm tu, ô Iesu Sacerdos magne, & qui tecum sunt, nihil tale cogitantes, tamen factis vestris designetis futura, audite nunc à me, quænam illa sint. Congruit verò Commentarius D. Hieronymi hoc loco; viros portendentes esse, quia sunt positi in signum futurorum: consonatque sibi ad 4. Ezechiel, cùm ait: Prophetæ iuxta Zachariam viri sunt portentosi, qui suis operibus futura portendunt. Ita ibi.

D.Hier.

4.Ezech.

3. Alij non incongruè ad mores, nec prorsus alieni à litera, viros portendentes, seu portentosos accipiunt Heroes, qui vitam non communem, sed extraordinariam, ac planè portentosam agunt, ob eminentiam sanctitatis, ac morum. Sic Dauid Psalm. 70. 7. ad exaggerandam patientiam, qua labores ingentes, & pericula tulerat, aptè addit: *Tanquam prodigium factus sum multis* hoc est, cùm me tot laboribus perfunctũ, ac tam incredibilia patientem vident, vt prodigium quoddam, ac portentum patientiæ suspiciunt. Item quòd Isaias Propheta nudus ambulauerit iubente Deo, sibi quasi cõplacens ipse Deus ait cap. 20. 3. *Dixit Dominus: Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus, & discalceatus trium annorum signum, & portentum erit super Ægyptũ.* Rectè enim videtur diuisisse, vt Propheta, sic nudus publicè ambulans, signum fuerit nudationis, & spoliationis Ægypti; portentum autem, ac planè monstrũ quoddam obedientiæ: quòd vir Regiæ inprimis stirpis, ac summæ apud omnes existimationis, non dubitauerit vestimenta deponere, ac nudum se palàm exhibere popularibus: quomodo autem intelligendum sit ambulasse nudum, explicauimus ad eum locum Prophetæ. Sequitur autem insigne de Christo vaticinium.

*Moraliter viri portenti, seu portentosi, Heroes exaggerata virtute.*

Psal. 70. 7.

*Dauid portentum ac prodigium patientia.*

B

Isai. 20. 3.

*Isaias nudus ambulans iussu Dei, portentum obedientia.*

C

---

## *Prophetia de Aduentu Messiæ.*

## SECTIO IV.

1. *Reiiciuntur expositiones duæ Hebræorum & Theodoreti. Præfertur sententia Cyrilli Hieronymi. Orientis nomine intelligi Christum. Quomodo nomen Orientis cum nomine germinis conueniat in Christo?*
2. *Quomodo Oriens cum Græco ἀνατολὴ? Græcum indifferens esse ad significandum Orientem, siue Solum, siue herbam, & quod argumentum sit pro germine hic sumendum, ex Hieron.*
3. *Probabilius nomine Orientis intelligi solem, & quare? Locum Luc. 1. in hymno Zachariæ huic respondere, explicatur iuxta hoc Hieronymus.*
4. *Cur promittat Christum tanquam solem Orientem? videlicet, tanquam lucem ædificio Ecclesiæ, quæ construenda prædicitur, quia prima ædificij gratia lux est, ex D. Ambrosio.*
5. *Sol oriens, symbolum felicitatis venientis, ex communi prouerbio. Locus Malach. 4. illustratur à Clem. Alex.*

1. PROSEQVITVR Vates ad viros portendentes. Vers. 8. *Ecce enim ego adducam.* SERVVM MEVM ORIENTEM. *Hebr. Seruum meum germen*

*Varia lect.*

*D. Fern. in Vis. vet. Test.*

Perperam Hebræi Zorobabelem hîc Orientem accipiunt: immeritò etiam Theodoretus, & Eusebius lib. 4. Demonstr. cap. vltimo, Iesum ipsum Sacerdotem intelligunt, quem aiunt, in eo esse figuram Christi. Illustrior planè est promissio, quam, vt in Zorobabelem, aut Iesum Sacerdotem quadrare possit. Præterea hæc promissio facta est ipsi Iesu Sacerdoti magno. *Audi,* inquit, *Iesu Sacerdos magne. Ecce ergo adducã seruum meum Orientem.* Quomodo ergo de ipsomet Iesu intelligi potest? Profectò series ipsa contextus, & forma promissionis magnificè elata clamat, Christum Optimum Maximum intelligendum ad literam. Ita sentit D. Cyrillus, ac D. Hieronym. hoc loco (nam cap. 6. explicans de Zorobabele manifestè loquitur, ex aliorum sententia: Significari, inquit, putant Zorobabelem) quin & Chaldæus hîc, & vbicumque nomen hoc Orientis occurrit, vertere solet Messiam. Ergo notandum est, vbi noster Orientem dixit, in Hebræo esse, צמח à radice, צמח hoc est, germinauit. Vnde D. Hieronymus ipsum nomen *semach*, vertere solet *germen.* Isai. 4. 2. *In die illa erit germen Domini in magnificentia.* Et Ierem. 23. 5. *Suscitabo Dauid germen iustum.* Est autem germen propriè id, quod ex arboris oculo primo nascitur, oritur, pullulat: germinare verò est id ipsum primò quasi parere, & in lucem edere: hinc est, quod noster idem illud nomen *semach*, aliàs vertere solet, *Orientem,* quasi nascentem, prodeuntem, pullulantem, vt hoc loco: *Ecce ego adducam seruum meum Orientem.* Et cap. 6. 12. *Ecce vir Oriens nomen eius.* Vbi D. Hieronym. Idcirco Oriens dicitur, quia ex se repentè succrescet, & ex radice sua in similitudinem germinis pullulabit.

Theodor. Euseb.

*Illustris promissio Christi.*

*Non esse intelligendum locum de Zorobabele, nec de Iesu Sacerdote.*

D. Cyrill. D. Hieron.

D. Hier. Isai. 4. 2. Ier. 23. 5.

*Hebraicè etiam significatur germen.*

*Noster idem vocabulum interdum vertit Orientem, quasi pullulantẽ.*

Ier. 6. 12. D. Hier.

2. At obstare videbitur versio Septuaginta, qui habent ἀνατολὴν, id est, Orientem, quo etiam nomine vsus est Zacharias Luc. 1. 78. alludens, vt videretur, ad hunc alterum Zachariam, cùm dixit: *In quibus visitauit nos Oriens ex alto,* ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Et sumpsisse nomen pro sole Oriente, manifestant sequentia: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* Videtur ergo nomine Oriẽtis significari etiam hoc loco, Christum solem diuinum, quatenus sua luce mundum illustrauit. Quod confirmatur multorum autoritate Patrum: sic enim nomen accipit Theodoretus hîc, Cyrillus in collectaneis, Hezychius homilia de Beata Virgine, Theophylactus, Euthymius, Beda ad primum Lucæ, Ribera tamen hîc, & Luc. 1. Orientem pro germine accipiendum putat: pro quo notat ἀνατέλλω, Græcis idem esse, ac produco per germinationem; item orior, nascor, dicique indifferenter de quacumque re, quæ denuo prodit, siue homo sit, siue planta, siue sol. Nam & de montibus, qui incipiunt apparere, vsurpasse ait verbum idem Apollonium lib. 2. Argonauticon:

*Ex versione 70. Oriens videtur esse pro sole.*

Luc. 1. 78.

D

*Patres Orientis vocabulo solem Christum sumũt.*

Theod. Cyrill. Hezych. Theoph. Euthym. Beda. Ribera.

*Ex Græco germinationem significari, & ortum absolutè.*

E

ὀρέων δ' ἀνατέλλον ἐρίπναι;

hoc est, *montium summitates oriebantur,* siue, *apparebant.* Et apud nostros Psalm. 103. 14. vbi noster habet, *Producens fœnum iumentis,* Græcè legi, ἐξανατέλλων; Hieronymúmque vertere, *germinans.* Cùm ergo verba ita sint indifferentia ad vtramque significationem, sumi tamen hîc pro germinare, argumento est (ait Ribera) quòd D. Hieronym. illud cap. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius,* explicat per germen, quod ex se repentè succrescit.

Ps. 103. 14.

Ribera.

*Veriùs, significari per Orientem Christum, vt solem diuinum.*

3. Verùm ego puto, per Orientem significari hoc loco Christum quatenus sol diuinus est. Primò, ex autoritate nostri interpretis, deinde, quoniam nunquam Latinè dictum inuenietur Oriés, pro germine. Cum ego Orientem vertit, profectò intellexit Hebraicum nomen, non vt germinationem, sed vt lucis exortum significat. Deinde ex ipsa textus serie: nam cùm hæc ad viros portendentes, id est portentorum, ac prodigiorum amatores, & conquisitores dicat, conuenientiùs in Oriente sole Christo id facit: vt enim sol ille corporeus *in signa, & tempora* creatus à Deo est, Genes. 1. 14. ita Christus sol mentium spiritualis, *positus est in signum*, vt magno cum mysterio ait Simeon Luc. 2. 34. quòd is exercere deberet hominum mentes per varias, ac longe inter se discrepantes coniecturas, & iudicia, quæ de illo ferre debuissent. Crediderim quoque Zachariam apud Lucam alludere ad præsentem nostri Zachariæ locum, & ad eum, qui habetur cap. 6. Cùm enim Deus per eum promittat, Messiam nomine Orientis, probabilius autem videatur sumi pro sole Christo, aptè Zacharias Euangelicus quasi applaudens promissioni completæ ait, *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos Oriens ex alto.* & planè explicans qualiter accipiendus sit Oriens apud alterum Prophetam, addit: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis sedent.* nec placet hîc comminisci transitum, vt mos est apud Prophetas, cùm Orientis, & illuminationis vocabula coniunctionem, & continuationem iure suo exigant. Sed nec obstat D. Hieronymus, qui cap. 6. declarans nomen Orientis ait: quia Christus ex se repentè succrescet, & ex radice sua in similitudinē germinis pullulabit. Significat enim, Christum esse solem Orientem, ac denuo affulgentem mundo, paulatímque se ipsum prodentem, sicut germen paulatim è ramo pullulat.

*Genes. 1. 14. Christus sol in signum spirituale animarum, vt sol in signa temporum.*
*Luc. 2. 34. Zacharias apud Lucam allusit ad hunc Zachariæ locū.*
*D. Hieron. Explicatur dictum D. Hieronymi.*

4. Igitur sumpto Oriente in ea significatione, quam diximus, optimè iuxta seriem contextus quadrat in Christum: *Audi*, inquit, *Iesu Sacerdos magne, tu, & amici tui, quia viri portendentes sunt. Ecce enim ego adducam seruum meum Orientem.* Intelligit D. Hieronym. promitti per hoc plenam, & perfectam felicitatem futuram in ea vrbe, ac templo quod moliebantur. Nam quòd in eam ipsam vrbem, ac templum adducturus sit Christum luce doctrinæ suæ, ac miraculorum longè, latéque fulgentem, ad cumulum pertinet miræ cuiusdam felicitatis: sicut enim in prima formatione mundi creauit statim Deus luminaria illa duo, Solem, ac Lunam, vt reliquo operi lucem, ac splendorem adderet: ita vrbis suæ instaurationem, ac reformationem Orientis Christi spiritualibus radiis illustrem se facturum pollicetur. Qui ædificium aliquod (ait Ambrosius in illud Genes. 1. 4. *Fiat lux*) struere desiderat antequam fundamenta ponat, vnde lucem infundat, explorat, & ea prima est gratia, quæ si desit, tota domus deformior est. Lux ergo est, quæ reliquos domus commendat ornatus. Ita ille. Vt ostendat, primam mundi formationem deformem futuram, si defuisset lux: ostenditúrque per hoc ipsum, quàm aptè Deus instauratoribus, ac reformatoribus vrbis suæ lucem Christi affuturam prænunciet.

*Promissio summæ felicitatis in vrbe futura.*
*D. Hieron. Christum venturum in Ierusalē denuo conditam.*
*Gen. 1. 14.*
*D. Ambros. Gen. 1. 4. Instauratoribus nouæ vrbis aptè promittitur lux Solis Christi.*

5. *Ecce ego adducam seruum meum Orientem.* Orientem solem Christum dixit, ad commendationem felicitatis: nam vt Occidens sol infelicitatis, ita Oriens felicitatis symbolum est. Scitum est illud ex communi prouerbio, *Plures adorant Orientem solem, quam Occidentem*; id est, plures colere solent eos, quibus fortuna primò arridet, quam eos quibus eadem fortuna refragari incipit. Fertur autem primò iactatum à Pompeio in æmulum suum Cinnam; cui cùm cœpissent res male cedere, Pompeij verò fortuna tum adolescere, ac prosperè in omnibus agere inciperet, se quidem feliciter incipentem, Orientem solem, Cinnam in peius corruentem, aptè appellauit Occidentem. Conuenienter autem ad hæc promittitur fidelibus *Oriens sol iustitiæ*, Malach. 4. 2. id est, summa quædam, & exaggerata fœlicitas. *Orietur vobis*, inquit, *timentibus nomen meum, sol iustitiæ*; quasi dicat: Erit vobis Christus perpetua quædam lætitia, ac nescia occasus felicitas, semperque Oriens iucunditas. Videtur autem optimus huius loci commentarius, is, quem tradit Alexandrinus Clemens in adhortatoria ad Gentes, vbi sic ait: Fiunt omnia lux, quæ sopiri non potest, & Occasus credidit Orienti, æquè illustratus luce fidei, ac ipse Oriens. Hoc noua voluit creatura, hanc lucis perpetuitatem, noua creatura, hoc est, fidelis, qui filius lucis est, suo quasi iure exigit: qui omnia enim obequitat sol iustitiæ, æquè obit humanitatem, imitans Patrem, qui æquè super omnes facit oriri solem suum, & rorem instillat veritatis; fidem, quæ veritas quædam est instillata desuper. Is Occasum traduxit in Orientem, *fecit æquè splendentem*, vtpote, in quo non occiderit lux fidei, imò orta fuerit. Hæc Clemens.

*Sol Oriens innuit felicitatem venientem, vt Occidens infelicitatem innuit.*
*Dictum Pompey de sua felicitate.*
*Malach. 4. 2. Christus Oriens sol, perpetua felicitas.*
*Clem. Alexand.*

---

## *De lapide cælato.*

### SECTIO V.

1. *Christus lapis, conuenienter ad ædificium, de quo agitur.*
2. *Per septem oculos quid significetur? Septem dona ex D. Thoma. Septem spiritus meliùs significari, & quare? Locus Zachar. 3. Apocal. 5. quomodo super lapidem.*
3. *Quid sit: Ego cælabo cælaturam eius? in latere Christi exciso fundata Ecclesia. Apud Hebræos aperire, pro insculpere.*

1. DENIQVE addit Dominus, Vers. 9. *Quia ecce lapis, quem dedi coram Iesu, super lapidem vnum, septem oculi sunt. Ecce ego cælabo sculpturam eius.* Septuag. *Ecce ego fodio foueam.* Supponit Dominus ostendisse se Iesu Sacerdoti lapidem, sed modum, quo ostenderit, non declarat: parúmque id referre arbitror. Itaque eum ipsum Christum, quem dixerat Orientem, modò vocat lapidem, ea videlicet occasione, quod de ædificio templi ageretur, totúsque esset Iesus in eo opere: sic enim accommodatè aliò quasi transferens lapidem vnum alteri ædificio coaptandū, hoc est, Christum Ecclesiæ procul demonstrat.

*Varia lect.*
*Lapis, Christus est hoc loco, aptè ad ædificium, de quo sermo.*

2. Solùm est difficultas in septem oculis qui super

super lapidem esse dicuntur, & in sculptura eius. Est ergo multorum opinio, per septem oculos intelligi septem dona Spiritus sancti, quæ plenissimè fuerunt in anima Christi. Generalem rationem reddit D. Thom. in cap. 5. Apocal. quia animam oculatam, videntem, ac illuminatam reddunt. Ita sentit D. Hieronym. Ruper. & alij. Verùm existimamus per septem oculos intelligi septem illos Spiritus, qui in conspectu throni Dei sunt, vt generali orbis administrationi incumbant, quod latè explicauimus in superioribus. Dicuntur autem oculi Christi, quatenus lapis est ædificandæ Ecclesiæ coaptatus, quoniam per eos septem Spiritus prouidebit eiusmodi ædificio, vt videlicet sibi cooperentur in coaptandis per fidem aliis lapidibus. Confirmatur autem, quoniam in aliis Scripturæ locis, vbi septem oculi Christo tribuuntur, statim explicantur esse septē isti Spiritus. Zachar. 4. 10. *Videbunt lapidem stanneū in manu Zorobabel, septem sunt isti oculi Domini, qui discurrunt in vniuersam terram:* nam dona Spiritus sancti, quomodo in omnem terram discurrere dicentur? Apocal. 1. 4 *Gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat & qui venturus est, & à septē spiritibus, qui in conspectu throni eius sunt.* At quis pacem orat à donis Spiritus sancti? Apocal. 5. 6. *Vidi Agnum habentem cornua septem, & oculos septem, qui sunt septem Spiritus missi in omnem terrā.* At intelligi nequit, quomodo septem dona legari dicantur in omnem terram, quamquam oppositæ sententiæ autores id explicent, sed profectò minùs aptè ac planè violenter. Planior ergo ac suauior sensus est, si hos septem oculos, qui hîc absolutè ponuntur super lapidem Christum, intelligamus, iuxta alia Scripturæ loca, in quibus similiter ei tribuūtur, & explicantur pro septem illis Angelis administris. Non ergo intelligendum est, septem hos oculos esse super lapidem, quasi in ipso incisos, sed super ipsum, hoc est, in eum coniectos, siue intentos, vt quæ iusserit, promptè exequantur. Quod rectè exaggeratur in eo, quòd oculi simpliciter dicantur, quasi toti sint oculi, hoc est, mera quædam promptitudo ad obediendum Deo, &, eo præcipiente, prouidendum hominibus. Ita Deo, quatenus præsidet ac prouidet rebus humanis, dicuntur astare animalia quatuor, *quæ plena sunt oculis, antè & retrò,* Apocal. 4. 6. Et per hæc quatuor animalia quatuor principes spiritus intelliguntur, exequutores Diuinæ prouidentiæ, qui antè & retrò, id est, toti oculati sunt, ac vndequaque arrecti ad nutum Dei, vt, quæ iusserit, illico opere compleant.

3. Quod verò additur: *Et ecce ego calabo sculpturam eius*, iuxta Hebræum habetur: *Ego aperiam apertionem eius.* Quo significari potest, corpus Christi, quatenus latere suffosso, & planè excauato, locum cæteris lapidibus, hoc est, fidelibus superædificandis præbuit: fuit enim ipse, quasi prima rupes stabilis, supra quam aptè excisam, & apertam, variis vulneribus in Passione tota fundata est Ecclesia. Verùm quoniam vulgatus sculpturæ vocabulo expressit apertionem, ea nobis præferenda est lectio. Id verò ex communi vsu loquendi apud Hebræos desumi potest: solent enim (vt etiam apud nos) aperire pro insculpere, ponere. Vnde 2. Paral. 3. 7. verbo aperiendi significatur sculptura Cherubim in parietibus tēpli. Et Exod. 28. 21. sculptura nominum filiorum Israël in lapidibus pretiosis Rationalis: quare noster rem ipsam attendens rectè vertit, *Ego calabo sculpturam eius.* Similiter Aquila, Theodotio, & Symmachus, *Ego sculpam aperturam eius.*

4. At quæ est sculptura in lapide Christo? Et quomodo Christus, cùm lapis fundamentalis sit, qui ex cōmuni vsu ædificantium rudis esse solet, tamē cælatur sculptura? Rupertus intelligit ornatum humanitatis Christi, quē Spiritus sanctus in Incarnatione diuinitus indidit, & quasi per artē exculpsit. Vnde illud Iren. 3. contra Hæres. 28. Hic lapis, inquit, è terra, & ex virtute, & arte constat Dei. Significat autē in terra Virgine ortum, sed virtute Spiritus sancti artificiosè cælatum. Atenim D. Hieronym. cælaturam lapidis Christi eleganter interpretatur vulnera, quibus eius corpus apertum vndique est, & quasi cælatum ad gloriam, ac decorem admirabilem. Dicitur autem Deus ipse cælare hāc sculpturam, non quòd ipse vulnerauerit Christum, sed quòd speciali consilio suo id voluerit, ac permiserit. Sicut Isai. 53. 8. ait ipsemet Deus: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Quoniam verò, cùm Rex templum aliquod magnificentissimè extruere nititur, primum lapidem, quem in fundamentum iacit, insignibus regni sui affabrè cælari iubet: ita Deus ædificaturus Ecclesiam, Filiúmque suum tanquam primum lapidem missurus in fundamentum, vulneribus Passionis in stemmata regni assumptis egregiè cælari, ac mirificè expoliri voluit, quo toti ædificio pretium magnum, decorémque adderet. Vnde aptè adiungit: *Et auferam iniquitatem terræ illius,* quoniam per vulnera Christi, & vniuersaliter per Passionem eius sublata omni iniquitatis deformatione, pulchritudo magna, & gloria toti Ecclesiæ contigit.

* * *

*Septem oculi secundùm aliquos septem dona Spiritus.*

*Veriùs, septē oculi, septem Spiritus, qui adstant Deo.*

*Christus lapis per eos prouidet ædificio Ecclesiæ.*

Zach. 4. 10. *Probatur nō posse intelligi 7. dona.*

Apoc. 1. 4.

Apoc. 5. 6.

*Oculi super lapidem, non incisi, sed intenti.*

*Angeli oculorum nomine, quia toti sunt oculi, id est, omnimodè prompti.*

Apoc. 4. 6.

*Lapis cælatus siue cauatus, Christus latere suffosso.*

*Supra rupē hanc excauatam erectum est ædificium Ecclesiæ.*

*Aperire, pro insculpere.* 2. Paral. 3. 7. Exod. 28. 21.

Rupert. *Christus lapis sculptus varia donis in Incarnatione.*

Iren. *In terra Virgine ortus lapis, sed arte Spiritus sancti cælatus.*

D. Hier. *Cælatura hæc per vulnera Christi.*

Isai. 53. 8.

*Lapidē fundamentalem Christum vulneribus quasi stemmatis regni sui decorauit.*

# VISIO TRIGESIMASECVNDA,

## DE CANDELABRO AVREO, ET DVABVS OLIVIS.

*Zachar. cap. 4.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

PRIMO *visum est Zachariæ candelabrum aureum, in cuius summo stipite erat lampas maxima, postea sub hac maxima septem aliæ minores lucernæ. Præterea vidit duas oliuas, vnam ad dexteram, alteram ad sinistram candelabri. Rogatus porro à Zacharia Angelus explicat Visionem candelabri, & oliuarum.*

ZACHAR. CAPVT IV.

1. ET reuersus est Angelus, qui loquebatur in me: & suscitauit me, quasi virum, qui suscitatur de somno suo.

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Vidi, & ecce candelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.

3. Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.

6. Et respondit, & ait ad me, dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.

7. Quis tu mons magne coram Zorobabel? in planum; & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.

9. Manus

PARAPHRASIS.

A 1. *ANgelus ille, qui mihi solitus erat reuelare, abierat, & reuersus attulit mihi reuelationem nouam, méque quasi ob præteritas Visiones stupefactum excitauit, vt viderem noua, quæ afferebat.*

2. *Méque nondum planè vigilantem, interrogatione sua quasi exsuscitat, vt attendam ad grauißimam, & obscurißimam Visionem. Quid tu, ait, coràm vides? Cui respondi: Candelabrum è solido auro, & in summo eius stipite lampadem maximam in modum lentis rotundam;*
B *& præter hanc maximam, septem video in eodem candelabro inferiores lampades, ad quas per septem infusorios canales immittitur oleum.*

3. *In candelabri autem dextra & sinistra parte duo sunt prominentia rostra, ad excipiendum oleum. Nam prope candelabrum, etiam à dextris, & à sinistris, assurgunt oliuæ duæ, quæ baccarum spicas in rostra expromendas immittunt, quibus oleum deducitur in latum craterem, vnde lucernarum lenticulæ deriuantur.*

C 6. *Rogaui igitur Angelum, vt indicaret mihi significationem candelabri, & ait: Hæc quidem pertinent ad Christum per Zorobabel; quasi diceret, Tanta Ecclesiæ magnificentia per candelabrum aureum ipsi significata Zorobabel, nequaquam humanis viribus, sed omnino per Diuini Spiritus potentiam, in Apostolis, & reliquis viris Apostolicis exitum sortietur.*

7. *Quid tu, ô diabole, in Zorobabele extinguere vis spes Ecclesiæ, & Christi venturi? Cur te illi quasi montem obiicis, vt impedias*

*ædifica*

A *ædificationem templi? Frustra id quidem tu conaris, cùm virtute mea omnes difficultates superaturus sit, séque ipsum montem, & obstaculum importunum solo æquare debeat. Educet autem Deus, & quasi absconditum reuelabit Filium suum, lapidem illum primarium angularem, qui in caput anguli ponendus est in ædificio Ecclesiæ; gratiam verò, quam largietur fidelibus suis in eo exæquabit gratiæ Filij sui, quòd sicut ille plenissimam habebit, ita singuli pro rata sibi proportione suam accipient, eruntque omnes Christo difformiter conformes.*

B

9. Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituum misit me ad vos.

*9. Zorobabel quidem, per suos posteros Christum, & Apostolos, Ecclesiam per hoc templum significatam condent, & iidem perficient per se, & per suos.*

10. Quis enim despexit dies paruos? & lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel. Septem isti oculi sunt Domini, qui discurrunt in vniuersam terram.

*10. Quis enim est iste, qui tempora illa prima nascentis Ecclesiæ despicit? parua illa quidem erunt, quòd paulatim fidelium res à* C *minimis ad maxima processum habebunt. At peruenient ad summum tandem, & verus Zorobabel architectus sapiens perpendiculo quasi instructus vltimam illi manum imponet per se ac suos, magnáque id lætitia, & applausu omnium gentium continget. Qui verò hæc iam vrgent, septem illi oculi sunt, hoc est, septem Angeli, qui discurrunt per vniuersam terram, & assistunt ante Dominum ad exequutionem voluntatis ipsius.*

D

11. Et respondi, & dixi ad eum: Quid sunt duæ oliuæ istæ ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius?

*11. Petiui rursum ab Angelo indicaret mihi, quid sibi vellent duæ oliuæ, ac duæ earum spicæ? quid etiam duo rostra aurea suscipientia oleum ex spicis? Respondit Angelus, esse duos filios olei, hoc est, Sacerdotes, qui sacramentorum, ac diuinæ pinguedinis gratiæ, Ecclesiæ sunt ministri.*

## COMMENTARIVS.

D.Hier. VISIO hæc ita est obscura, vt D.Hieronymus satis sibi in ea visus sit fecisse, quòd Autorum varias opiniones proposuerit. Hæc, vt quiuimus, inquit, & vt nostri ingenioli vires ferre potuerunt, locuti sumus. Siquis meliùs dixerit, & nos libenter acquiescemus, &c. Idcirco Angelus dicitur hîc suscitare Vatem, acuens ad Visionis sublimem intelligentiam. Primùm ergo dicemus de candelabro, & de oliuis duabus, denique de iis, quæ Angelus pro interpretatione addidit.

## *Describitur candelabrum Zachariæ.*

### SECTIO I.

1. *Omnino supplenda, quæ hic desiderantur de forma candelabri, ex cap. 25. Exod.*
2. *Qualis fuerit candelabri per Vilalpandi existimatio admittitur, quod pulchra sit, & conformis Scripturæ.*
3. *Qualiter prodierint calami? Vilalpandus quomodo explicauerit, & de pelui quid senserit?*
4. *Quid displiceat in descriptione Vilalpandi.*
5. *Etsi spiritualiter tantùm monstrata sit species candelabri, sicut & templum pro Ecclesia, tamen certum esse, ex optimo id fuisse architecturæ modo.*
6. *Descriptio candelabri expeditior, & verior.*

1.  NTE omnia opus est ipsam candelabri formam ante oculos proponere, quod quidem etsi difficillimum per se est, in magna præsertim obscuritate exhibitæ Visionis, tamen pro viribus conabimur edere, quæ diu multúmque cogitantibus occurrere potuerunt in rem præsentem: non enim in sacro textu omnes exprimuntur candelabri partes, quæ verò exprimuntur ita sunt perplexa, vt partim ex cap. 25. Exodi, partim ex proprio rationis discursu omnino petēda sint, quæ, scilicet, fabricæ, vel modo cōpositionis desiderari posse videbuntur. Ac de fabrica quidem nostri candelabri hæc tantùm Zacharias, Vers. 2. *Vidi, & ecce candelabrū aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud: & septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius. Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Et paulò infrà: *Quid sūt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro?* Itaque de pede cādelabri nihil, neque de calamis, neque de scyphis, neque de liliis, neque de sphærulis, quæ per calamos ordinatè visebantur expressa, ac cap. illo 25. disertè explicantur, vbi tamen nihil de infusoriis, nihil de rostris, nihil de oliuis, nihil denique de octaua lampade, siue lucerna, quæ hìc videtur adhiberi; quapropter id conabimur, vt ex iis, quæ hoc loco, & iis, quæ cap. 25. Exod. ponuntur, vnum, meliori, qui fingi potest, modo efficiamus candelabrum: ratio enim postulare videtur, vt quæ hîc desiderantur, aliunde desumi, quàm ex prædicto capite, nec possint nec debeant.

*Difficillimū est candelabri formam edere.*

*Ex præsenti loco, & loco Exod. 25. desumēda forma candelabri.*

2. Primùm ergo, quod attinet ad pedem candelabri, Exodi 25. sic habetur: *Facies & candelabrū ductile, de auro mundissimo, hastile eius, & calamos, scyphos, & sphærulas, ac lilia ex ipso procedentia, &c.* In quibus verbis solum ponitur hastile ad expressionem pedis candelabri. Et quidem Hebraicum nomen, ירכה quod noster *hastile* vertit, idem est, ac femur, quomodo autem assumptum sit ad exprimendum pedem candelabri, non satis liquet. Arias quidem Montanus pedem candelabri humani femoris figuram habuisse asserit, quòd femur sedentis hominis basis sit. Vilalpandus lib. 4. cap. 59. in Ezechiel. existimat, nomen femoris hoc loco non esse accipiendum singulariter, sed pluraliter pro quatuor femoribus Cherubinorum, in formam quadratam coniunctis: sic enim non solùm perfecta candelabri basis

*Exod. 25.*

*Quid per hastile significetur?* ירכה

*Arias Mōt. Montanus pedem candelabri ait habuisse formam femoris humani.* *Vilalp.* *Vilalpādus, quatuor femorū Cherubinorum.*

A exprimitur, sed etiam pulchra; sicut in aliis instrumentis templi, speciatim in luteribus, quorum basis, in quatuor Cherubinorum femora desinebant: aitque Vilalpandus candelabrum in arcu Titi Romæ insculptum pedem habere in eam formam effigiatum, sed pro femoribus Cherubinorum, cerni femora equorum aquatilium ex ignoratione sculptoris. Hæc mihi probabiliter dicta videntur; parúmque refert, itáne, an ita effingas, vbi nihil habemus ex Scriptura definitum. Cúmque species hæc à Vilalpando exhibita pulchra sit, & Scripturæ aliquatenus conformis, nihil renuo, ita quoque pedem candelabri Zachariæ expressum exhibere.

*Probatur ex forma candelabri in arcu Titi, cum femoribus equinis. Non improbabile est, pedem candelabri ex illis quatuor femoribus Cherubinorum factū. Compositio candelabri.*

3. Ab hoc pede sursum versùs egreditur id, quod propriè hastile nominatur, & ex illo septem B calami prodeunt eadem compositi arte, qua & hastile, nisi quòd hastile medium crassius erat, ea videlicet proportione, vt onus totum operis superpositi sustineret. Igitur iuxta ea, quæ adducta sunt ex cap. 25. Exod. sic affabrè factum vtrobique opus cernebatur, vt scyphos oribus inuersis coniunctos, hoc est, oblongiores globulos, sequerentur lilia, mox sphæræ, sicque ratis spatiis eadem repetita forma cernebatur. Et Vilalpandus quidem (cùm id solùm intendat, vt communi candelabro Salomonico addat, quæ Zacharias denuo vidit) calamos iuxta formam communis candelabri à Salomone facti visendos expressit, arcuatim videlicet egredientes ex medio stipite, ac in septem lucernas æqualiter desinentes: postea depinxit super totum opus canC delabri, quasi peluim rotundam amplam, & è medio peluis egredientia duo illa rostra, siue nares repandas in extremitates aduersas peluis, & ex vtraque parte effinxit duas oliuas, ac in eis duas quasi spicas baccarum oliuæ exprimentes oleum in prædicta rostra, quod inde in peluim diffluens per septem postea foramina, siue ocellos guttatim infundebat desuper oleum in prædictas lucernas.

*Forma candelabri quomodo exprimatur à Vilalpando.*

4. Quidquid autem sit de forma candelabri, & oliuis, illud quidem primò displicet, quòd peluim illam pendulam exhibet, oculósque intuentium angit, quomodo absque fulcro aliquo se teneat, quod periti artis architecturæ maximè reprehendunt: oportet enim exhibere opera naturaliter consistentia. Deinde illud quoque D malè quadrare dicet aliquis, quomodo per illos ocellos directè cadat oleum in subiecta lumina: haud dubiè namque putabit extinguere debere, nedum fouere lucernas. Quamuis autem hoc sit tolerabilius, & vsu probatum in aliquibus vulgaribus candelabris, non tamen est probabile, ita fuisse in candelabro nostro exhibitum, quod Scriptura nullo modo innuit.

*Quæ displiceāt in eius expositione.*

*Architectura exigit, vt exprimantur opera naturaliter consistentia.*

5. At dicet aliquis, hæc imaginaria Visione tantùm Vati exhibita, non verò opere aliquo externo ad architecturam pertinente; ac adeò mirum non esse, si secundùm eius artis normas non sit elaboratum: id tamen nequaquam satisfacit, quoniam, vt probabilius indicauimus, templum, Ezechieli monstratum, non fuit idem cum Salomonico, sed ob mysteria E longè diuersum, quod proinde non lapidibus, aut auro fabrefactum est, sed per Ecclesiam spiritualiter completum: & tamen optimam iuxta architecturam dispositionem habuit. Simili ergo ratione & in hac idea, exemplarique per Visionem Zachariæ monstrato existimari par est, fuisse omnia

*Respondetur obiectioni.*

se omnia secundùm optimæ architecturæ regulas constituta, non verò pendula, aut male inter se cohærentia: id enim decet Diuinæ sapientiæ ordinatissimam dispositionem, atque in rebus omnibus exhibitum semper cum suo decore modum, iuxta illud Psal. 103. 24. *Omnia in sapientia fecisti*.

*Ps. 103. 24. Vera expressio candelabri.*

6. Igitur credimus ita facilè expediri posse candelabri opus, vt stipiti in superiori parte inferatur vas amplum rotundum, instar crateris; mox calami septem ab vna eadémque inferiori parte stipitis arcuatim deducantur in orbem vsque ad labrum crateris statis spatiis per circuitum, & à labro crateris protendantur septem canaliculi ad singulas lucernas, in quas calamo deducti desinunt, vt per eos canaliculos oleum defluat in vasa lucernarum prædictarum, qui proinde dicantur infusoria lucernarum. Deinde intelligatur stipes ille medius supra craterem assurgere, ac desinere in lampadem siue lucernam octauam maximam, quam existimamus ponendam esse iuxta D. Hieronymum, qui ait esse communem Ecclesiasticorum sententiam: lampadem enim non vas luminis tantùm, sed ipsum lumen explicant. *Et lampas eius*, inquit, *super caput ipsius*. Itaque Hebraicum גלה intelligimus craterem, non absolutè, sed cum homine illo medio, & maximo. Mox rostra duo adhibeantur, vnum à dextris, alterum à sinistris crateris, ad excipiendum oleum ex spicis oliuarum, quæ similiter ex iisdem partibus in prædicta rostra ad hoc ipsum incumbát. Hæc habuimus, quæ in re per se difficili diceremus, nunc ad explicationem singulorum veniamus.

*Lãpas octaua omnino ponenda.*

---

## Quid per candelabrum, ac supremam eius lampadem significetur.

### SECTIO II.

1. *Candelabro significari Ecclesiam, ex Apocalyps. 1. quomodo conspicua, tota aurea, productior, probatior?*
2. *Lampas maxima Christus, quod illustratur varius Scripturæ, & Patrum locis.*
3. *Iustos esse lumina a Christo participata, & quomodo, ostenditur. Quid sit, filios esse lucis, & quomodo generentur in filios lucis?*

*Candelabrũ Ecclesia, lãpas maxima, Christus.*

1. PLACET D. Hieronymi sententia, quam ipse omniũ Ecclesiasticorum sententiã vocat, significari per candelabrũ Ecclesiã, per lampadẽ verò maximam, in suprema candelabri parte positam, repræsentari Christũ Ecclesiæ caput: per septem lucernas minores, multitudinem iustorum: per septem infusoria, septem Sacramenta: per duas oliuas, Enoch, & Eliam. Atque hæc quidem breuiter comprehensa nunc latiùs explicemus. De candelabro ipso sic Vates, Vers. 2. *Vidi, & ecce cãdelabrum aureum totum, & lampas eius super caput ipsius, & septem lucernæ eius super illud*. Vt per candelabrum aureum sumamus Ecclesiam, facere inprimis potest locus ille Apocal. 1. 13. vbi Ioannes testatur se vidisse similem Filio hominis *in medio septem candelabrorum aureorum*: statímque addit, *candelabra septem, septem Ecclesiæ sunt*. Vt ergo ibi

*Septem lucernæ, multitudo iustorum. Septẽ infusoria, septem sacramenta: duæ oliuæ, Enoch & Elias. Apoc. 1. 13. Septẽ candelabra in Apoc. septem Ecclesiæ.*

A septem candelabra septem Ecclesias; ita hic vnum candelabrum ob magnitudinem, apparatum, ac summum excellentiam significat Ecclesiam vniuersalem, primum quidem, quia visibilis, ac omnibus conspicua eminet. Propterea namque Matthæi 5. 14. ciuitatem supra montem positam Dominus vocat. Quoniam, vt annotat Autor imperfecti operis in Matthæum, sicut mons, qui portat vrbem, facit eam manifestam, sic Christus, qui *factus est mons magnus, implens vniuersam terrã*, Daniel. 2. facit Ecclesiam longe, latéque cõspicuam. Deinde quoniam splendet sapientia, charitate, ac omnium virtutum exemplis. Vnde illud in eodem Matth. cap. à Domino dictum: *Nemo accendit lucernam, & ponit eam sub medio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt*. Instruit
B enim ibi Ecclesiam suam, & quasi sugillans Synagogam, Autoribus D. Hieronymo, D. Hilario, & D. Augustino, monet suos fideles, nõ ad mensuram, & quasi sub modio, vt in lege veteri, sed largiter, & ex libero candelabro lucem suã quoquo versus profundant. Vnde D. Hieronymus cãdelabrum ait, esse Euangelij libertatem. Denique candelabrum totum aureum repræsentat Ecclesiam, non, vt quidam putant, quatenus charitatem habet: nam multi sunt in Ecclesia, qui non habent charitatem, vel vno autem deficiente, aureum totum dici nequit. Vnde Pauli 2. Timot. 2. 20. comparatur Ecclesia cum magna domo patrisfamilias, in qua plura vasa sunt, aurea, argentea, lignea, fictilia, alia quidem ad honorem, alia
C ad contumeliam. Dicitur ergo Ecclesia candelabrum totum aureum, ob doctrinam fidei, quæ merum est aurum, nullam, videlicet, admittens scoriam falsitatis, vt reliquæ in mundo sectæ. Vnde Rupertus super cap. 1. Apocal. illa septem candelabra aurea, videlicet septem Ecclesias, aurea interpretatur, id est, fidei probatæ, seu defæcatæ. Sicut enim igne probatur aurum, omnibúsque in eo decussis fæcibus purissimum redditur, nec malleorum ictibus deperit, imò productius fit: &, vt autor est Plinius lib. 33. cap. 3. omnium metallorum maximè dilatatur in bracteas: ita Ecclesiæ fides, quò magis igne perse-
D quutionum excoquitur, & tunsionibus quatitur, eo redditur purior, & productior. Vnde est illud Victorini Richardi super illa candelabra septem Apocal. 1. 13. Sicut aurum, inquit, per ignem probatur, malleis extenditur, & in formam candelabri productum, efficitur instrumẽtum ignis, & luminis, ita Ecclesiæ tentationibus probatæ, & tunsionibus persequutionum extenuatæ, ardent igne sapientiæ cælestis. Ita ille. Vnde & candelabrum hîc intelligi debet, vt illud Exod. 25. quod non erat fusile, sed ductile. Vt enim D. Greg. hom. 6. in Ezech. Ecclesia ferendo producitur, & quotidie persequutionibus proficit.

*Candelabro hîc maximo tota Ecclesia visibilis. Matt. 5. 14. Autor imperfect. Dan. 2. 35. Ecclesia cõspicua, quoniam supra montẽ Christum. Matt. 5. 15. Ecclesia, lucerna super candelabrũ, non sub modio, & quare? D. Hieron. D. Hilar. D. August. Candelabri species exhibet Euangelij libertatẽ. D. Hieron. 2. Tim. 2. 20. Candelabrũ totũ aureũ Ecclesia, ob doctrinã fidei, quæ nullam admittit falsitatẽ. Rup. Plin. Aurũ maximè dilatatur in bracteas, ita fides persequutionibus extenditur. Apoc. 1. 13. Exod. 25. D. Greg. Ecclesia ferendo producitur.*

2. Porro lampas maxima, ac cæteris eminentior in candelabro Christum Optimum, & Maximum, Hebræis etiam testibus, repræsentat, éstque sententia veterum Magistrorum Ecclesiæ, vt affirmat D. Hieronymus. Cùm ergo ait Propheta, *Et lampas eius super caput ipsius*, significat eminentiam non solùm loci, sed etiam luminis: ea namque lampas ob singularem magnitudinem rapuit primùm Prophetæ oculos, ac planè suspendit. Vnde grauis illa interpretatio apud D. Hieronym. Lampadem, id est, flammam, in vertice candelabri lucentem, atque fulgentem Christum accipimus, qui caput legis est, & omnem

*Lampas maxima, est Christus. D. Hieron. D. Hier.*

Ioan. 8. 12. D. Ambr. *Christus intelligibilis claritudo.*

mundum illuminat, iuxta illud Ioan. 8. 12. *Ego sum lux mundi.* Explicat Ambros. epist. 11. Non vtique lux visibilis, sed animarum, quæ in hoc mundo sunt, intelligibilis claritudo, quibus se splendenti lumine rationabilis infundit prouidentia, & (vt prædicatur in Euangelio) incorporeæ virtutis inflammans vapore, secreta mentium, animorúmque penetralia. Id ostenditur Ioan. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Græcè est, τὸ φῶς, lux illa, propter eminentiam. Vera autem, quia spiritualis, & quia fons omnis lucis, vt interpretatur Vatablus, quasi à se luceat, & nõ per aliud. Vnde quod sequitur, *qua illuminat omnem hominem*, est explicatio veritatis lucis, & per hoc argumentatur Augustinus: Si illuminat omnem hominem; ergo & ipsum Ioannem Baptistam. Verè ergo dictum est: *Non erat ille lux*; quia non illuminatus, inquit, tenebræ, illuminatione verò factus est lux: quare si omnes illuminantur per Christum, verè ipse est fons lucis, ac adeò lux vera, non propriè quidem, sed metaphoricè, per expressionem potioris illuminationis: sicut alibi dicitur vitis vera, Ioan. 15. 1. & cibus verus, Ioan. 6. 55. quia veriùs fideles nutriat, quàm vitis palmites, aut cibus comedentes: ita etiam vera lux dicitur, quoniam veriùs, ac vberiùs illuminat homines, quàm lux Solis. Nec obiici potest, multos iacere in tenebris infidelitatis, alienos, videlicet, ab hoc vero lumine: nam rectè Euangelista vsus est præsenti, *illuminat*, quia præsens aliquando, non effectum, sed naturam, & vim innuit. ita Chrysostomus, & Maximus, homilia de sancto Eusebio Vercel. Vult ergo hîc ex se quidem omnes homines illuminare, ac ad omnes quidem sufficere lucem Christi, nec per illum stare, sed per ipsos homines, qui ad lucem accedere aut contemnunt, aut non curant: oportet enim accedere, iuxta illud Psal. 33. 6. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Et illud Isai. 6. 1. *Surge, illuminare Ierusalem.* Est ergo Christus non modò vera lux, sed quæ in promptu semper est, ad illuminandum, quamquam (vt rectè expressit Clemens Alexandr. in adhortatione) obit humanitatem, quasi circumeundo considerans, qua radios suos immittat: sicut enim Imperator vrbem obsidẽs explorat vndequaque, qua inclusos adoriatur hostes; ita Diuinus sol humanitatem repugnantem obsidet, radiísque gratiarum continenter oppugnat, obitque perpetuò, vt occasiones exploret illuminandi.

Ioan. 1. 9. Vatab. D. Aug. *Christus fons lucis.* Ioan. 15. 1. Ioan. 6. 55. *Lux vera, quia veriùs illuminat mẽtes, quàm lux Solis corpora. Præsens tẽpus aliquando vim tantùm explicat.* Maxim. Psal. 33. 6. Isai. 6. 1. *Christus semper in promptu ad illuminandum.* Clem. Alex. *Christus obit, & obsidet radiis suis naturã humanam.*

3. Sub hac amplissima lampade septem lucernæ visæ sunt: *Et septem lucernæ*, inquit, *super illud.* Iis septem lucernis diximus significari multitudinem iustorum. Accommodatè verò dicuntur lucernæ, quoniam vt lucernæ luce lucent aliena, & nisi aliunde accendantur, in obscuro sunt; ita iusti, si lucent, beneficio id habent veræ, ac propriæ lucis, quæ est Christus. Vnde cùm Ioan. cap. 1. 8. dixisset de Baptista: *Non erat ille lux*, cap. 5. 35. de eodem dixit: *Erat lucerna ardens, & lucens.* intelligens, videlicet, non esse lucem veram, vt explicauimus; videlicet, quæ ex se ipsa luceret, sed tamen lucernam esse, quæ à Christo vero, ac naturali lumine mutuaretur lucem. Vnde Cyrillus lib. 3. cap. 1. expendens illud Christi eodem Ioan. capite: *Vos misistis ad Ioannem, & testimonium perhibuit veritati*, dictum fuisse putat in laudem Iudæorum, quòd prudenter consuluissent Ioannem de Messia; Ioannem verò testimonium perhibuisse veritati, hoc est, Christo veræ luci, nimirum, quòd ipse esset verus Messias: & rationem addens, quòd rectè ab Ioanne testimonium de Messia requisiissent, ait: *Ille erat lucerna ardens, & lucens*: quasi dicat; optimum vobis iter muniistis in Ioanne ad cognoscendum verum lumen Messiæ, quoniam ipse erat lucerna ipsius Messiæ lumine collustrata; facilè autem à lumine participato venitur ad lumen, à quo primo fit participatio. Hoc ergo modo iusti omnes in Ecclesia lucernæ sunt; & ob similem rationem alibi dicuntur filij lucis, noto Hebraismo, hoc est, lucidi. Ioan. 12. 36. ait Christus: *Credite in lucem*, id est, in me, *vt filij lucis sitis*; hoc est, meæ lucis, meæ fidei participes. Generat enim Christus lux, fideles lucidos. Vnde illud ab Augustino dictum ad prædicta Ioannis verba, *Filij lucis sitis*. Cùm aliquid, inquit, veri auditum habetis, credite in veritatem, vt renascamini in veritate. Intelligit autem sanctus Doctor filios lucis sic generari, vt per aures quidem concipiant verbum veritatis, & per ascensum, quem anima veritati dat, renasci, quasi filios veritatis. Sint igitur sub lampade lucernæ, si illuminari volunt, quandoquidem à seipsis non habent lumen, sed ab eo qui à seipso lumen est, & non ab alio: sic enim securum habent lumen suum adhærendo illi, quod deficere non potest, & aliis semper sufficit. Vnde rectè D. August. tract. 54. in Ioannem: Omnes Sancti lumina sunt, sed credendo ab eo illuminantur, à quo, si quis recesserit, tenebrabitur. Lumen autem illud, quo illuminantur, à se recedere non potest, quia incommutabile omnino est, & ideo tenebræ in eo non sunt vllæ, nec esse possunt.


*Iusti lucernæ, quia luce Christi illustrantur.* Ioan. 1. 8. & 5. 35. Cyrill. Ioan. 5. 33. *Baptista iter præbebat ad cognoscendum verum Messiam.* *Fideles filij lucis Christi, eius participatione lucidi.* Ioan. 12. 36. D. August. *Quomodo filij lucis efficiantur fideles.* D. August. *Quare in Christo tenebræ esse non possint.*

---

## *De septem infusoriis, duabus oliuis, & duobus rostris.*

### SECTIO III.

1. *Septem infusoria septem Ecclesiæ Sacramenta; ex Hier. & Ps. 4. Quare lampas maxima non habeat infusoria?*
2. *Locus præsens de duabus oliuis explicandus necessariò per locum Apocal. 11. ostenditur.*
3. *Per duas oliuas significari Enoch, & Eliam, & quare? Generaliori significatione innuere Sacerdotes nouæ legis.*

1. VONIAM verò ad conseruationem lucis in lucernis, necessarium est oleum, additur Vers. 2. *Et septem infusoria lucernis, quæ erant super caput eius.* Vers. 3. *Et duæ oliuæ super illud: vna à dextris lampadis, & vna à sinistris eius.* Infusoria vasa, siue instrumenta sunt, quæ oleum effundunt. Sunt autem hæc septem infusoria, septem Sacramenta Ecclesiæ, per quæ, vt Hieronymus ait, oleum misericordiæ Dei, omniúmque virtutum Ecclesia suscipit, eoque fouetur, & conseruatur. Psal. 4. 8. *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt:* hoc est, nutriuntur, & augentur fideles dono gratiæ, quæ est fructus, siue effectus Eucharistiæ, & aliorum Sacramentorum: vt enim in Eucharistia materia est, panis, & vinum, sic in plerisque aliis

*Infusoria olei septem, sunt septem Sacramenta.* D. Hier. Psal. 4. 8. *Per Sacramẽta oleum misericordiæ Dei fluit.*

*In plerisque Sacramentis est vsus olei, quo significatur gratia intus vngēs.*
*Dionys. Areopag.*
*Cyrill.*
*Lampas maxima nō habet infusorium, quia Christus lumen nō mutuatur foris.*

aliis Sacramentis, maximus est olei vsus, ex Areopagita Dionysio in Ecclesiast. Hierarchia. Id verò propter mysterium, quod oleo foris vngente, intus gratia impinguatur anima, & illustris redditur, vt lucerna coram Domino perseueret. Rectè autem annotauit Cyrillus lampadem supremam non habere infusoria: Filius enim Dei, inquit, verum lumen est, quod non mutuatur foris, sed ipse habet naturaliter, de cuius plenitudine nos omnes accipimus. Vt ergo cæteri fideles non habent à se, quòd lumina sint, sed à Christo lumine illuminantur, sic à se non habent oleum, quo foueant lucem mutuatam, sed ab eo ipso per Sacramentorum gratiam fouentur.

*Fideles Sacramētorum gratia, vt oleo, fouentur.*
*Matt. 25. 9.*
*Vendentes oleum, Sacerdotes sūt, pœnitētiam vt pretium exigentes.*

Idcirco virgines fatuæ mittuntur ad vendentes, vt sibi oleum emant, ne lampades earum extinguantur, Matth. 25. 9. Per vendentes enim intelligunt aliqui Sacerdotes, qui gratiam Sacramentorum fidelibus ministrant, & ex iis quasi ex infusoriis instillant in eorum mentes: vendentes autem vocari, quoniam pro infusione gratiæ pœnitentiam, veluti pretium, exigunt. Sequitur autem de duabus oliuis.

*Quæ sint duæ oliuæ.*

2. *Et duæ oliuæ super illud.* Est autem operæ pretium, interrogationem Prophetæ de duabus oliuis, & duabus spicis, Angelique responsionem, etsi inter se dissitas, coniungere inuicem ad meliorem loci intelligentiam. Propheta ergo quærit ab Angelo, quid duæ sint oliuæ, & mox, quid sint duæ spicæ oliuarum? Respondérque Angelus: *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.* Responsio quidem valde perplexa est, & quæ locum planè obscuriorem reddidit. Videtur autem aliquid lucis affulgere ex cap. 11. 1. Apocal. vbi Euangelista iussus à Domino metiri templum, altare, & adorantes in eo, prohibetur tamen metiri atrium foris, quod Gentibus sit datum in conculcationem: tunc verò prophetaturos duos testes amictos saccis. Et additur Vers. 4. *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes.*

*Apoc. 11. 1.*
*Metiri templū, hoc est, fidelium varia merita.*

Incipit autem Ioannes hoc capite agere de tempore illo proximo finali iudicio; & ideo iubetur metiri hominum iudicandorum varia merita, ac demerita, Iudæos autem, ac Gentes metiri prohibetur; quoniam ij ob infidelitatem suam iam iudicati sunt. Ne tamen videretur Dominus obliuisci penitus populum suum, promittit missurū se duos testes, qui prædicatione sua conuertant Iudæos. Hos autem omnes interpretes accipiunt Henoch, & Eliam. Addens porro, quæ diximus, *Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra in conspectu Domini terræ stantes,* manifestè demonstrat (ait Victorinus Martyr) esse allusionem ad duas oliuas apud Zachariam: & Gregor. homil. 12. in Ezechielem, cùm dixisset, per Eliam, & Henoch multos ex Iudæis ad fidem trahendos in fine mundi, addit: *Qui vtique per Zachariam duæ oliuæ nominantur.* Idem sentit Arethas, D. Thomas, & Tychonius, ad locum Apo. citatum. Planè autem per hoc efficitur, vt præsens Zachariæ locus similiter ac Apocalypsis explicandus sit.

*Duæ oliuæ Henoch, & Elias.*
*D. Gregor.*

3. Cùm ergo videatur candelabrum cum suis lucernis, ac reliquo apparatu, nec vlla de templo mentio fiat, apertè significatur futuram Ecclesiam extra populum Iudæorum, hoc est, Iudæos non venturos ad Ecclesiam propter suam incredulitatem, præter paucos, qui cum tam infinita Iudæorum multitudine cōparati nulli ferè sunt. Itaque toto tempore huius seculi Christus illuminat Ecclesiam suam, lucernæ ardent, Iudæi manent in tenebris. Ne autem Propheta ipse, & Zorobabel ob reiectos Iudæos abiicerent animos, ostenduntur illis duæ oliuæ, hoc est, duo Prophetæ, Henoch, scilicet, & Elias, qui assistunt coram Dominatore vniuersæ terræ, orantes videlicet pro Iudæorum salute: nam cùm oliua pacis symbolum sit, oliuæ optimo iure appellantur, dum prædictæ Iudæorum cum Deo reconciliationi incumbunt. Vnde illud Ambrosij de reiecto atrio Apocalypsis loco citato. Pulchro, inquit, ordine, vt qui deiectionem Iudæorum per figuram atrij protulerat, eorum restaurationem per Henoch, & Eliam tacitè subnecteret. Duo igitur hi Sancti modò oliuæ sunt, cùm in aliquo terræ loco positi, vbi eos consistere maiestas Diuina præcipit, per contemplationis gratiam Deo deseruiunt: candelabra tunc fient, cùm ad explendum prædicationis suæ officium venient. Ita Ambrosius. Idcirco ergo appellantur *filij olei*; & iuxta Septuaginta, *filij pinguedinis*; iuxta Aquilam, *filij splendoris*; iuxta Theodotionem, *filij claritatis.* Quoniam doctrina sua magnum fructum afferent, ac magnum splendorem veritatis in mentes Iudæorum, infidelitatis antea tenebris obsitas, Deo adiuuante, immittent. Quoniam verò locus præsens generalior est, dicemus quidem oliuas esse, Sacerdotes, qui per Sacramenta nobis ministrant gratiam, & simul ad consolationem Iudæorum esse allusionem ad Henoch, & Eliam, vti diximus.

*Candelabrū visū extra templū, futura Ecclesia extra Synagogam.*
*Henoch, & Elias, oliuæ, propter reconciliationem Iudæorum ab illis faciendam.*
*D. Ambros.*
*Candelabra fient, ob prædicationis suæ illuminationem.*
*Filij olei, ob splendorem doctrinæ.*
*Sacerdotes ministrantes gratiam, oliuæ.*

---

## *De sermone Angeli ad Zachariam super explicatione Visionis.*

### SECTIO IV.

1. *Sermo Angeli ad Zachariam. Quid illud,* Quis tu, mons magne, &c.
2. *Montibus oppositis significari difficultates, ex loco Cant. 2. Luc. 3. Promittitur Zorobabeli victoria de omnibus difficultatibus.*
3. *Quomodo Christus lapis primarius, & lapis capitis, & lapis hæreditatis?*
4. *Ex proprietate Hebraica significari lapidem cum acclamationibus erigendum, aut erigendum valde æqualem.*
5. Exæquabit gratiam gratiæ eius, *explicat D. Hier. sed explicatio non probatur, quoad primam partem, & quare?*
6. *Explicatio Hieronymi quoad posteriorem partem, quomodo vera.*

1. ANGELVS ad Zachariā sic Vers. 6. *Et respondit Angelus dicens: Hoc est verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, nec in robore, sed in spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Vers. 7. *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum: & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius.* Hebr. *Educet lapidem primarium cum clamoribus: Gratia, gratia ei.* Septuag. *Educam lapidem hæreditatis, æqualitatem gratiæ, gratiam eius.* Quasi dicat Angelus: Quæ hucusque in exhibito candelabro, ac reliquis candelabro annexis, repræsentant Christi excellentiam, & Ecclesiæ gloriam; item

*Varia lectio.*

*Omnis spiritualis fructus in Iudæorum conuersione, non ex humanis viribus, sed ex Spiritus gratia.*

item Sacramentorum gratiam, claritatem iustorum, prædicatorum vberes fructus in Iudæorum vltima conuersione, non ex humanis viribus efficaciam habebunt, sed ex Spiritu, ac virtute Dei. Idcirco congruenter addit Angelus: *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel? in planum.* Septuaginta: *Quis es tu mons magne ante faciem Zorobabel, vt corrigat?* Chaldæus: *Quale tu cum Zorobabele reputarus regnum stolidum? Nonne sicut vallis?* & est sensus: Quid tu, o diabole, in Zorobabele extinguere vis spes Ecclesiæ, & Christi venturi, cur te illi quasi montem obiicis, vt impedias ædificationem templi? Frustra id conatis, cùm virtute mea omnes difficultates superaturus sit, téque ipsum montem, & obstaculum importunum solo æquare, ac penitus abolere debeat, sicque viam aptè munire ad Christi tempora.

*Diabolus vt mons se opponit bonis conatibus.*

2. Montibus significari aduersariam quamlibet potestatem, quæ sese obiicit, vt impedimento sit, notum est ex pluribus Scripturæ locis. Cant. 2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Quibus verbis inducitur Sponsus, giganteis quibusdam saltibus superans omnes difficultates, quæ sese in opere Incarnationis, ac conuersionis mundi obiiciebant. Vnde vertit Symmachus: *Ascendens contra montes, prosiliens contra colles*, quasi oppugnaturus eos, ac solo æquaturus, & per hoc in planum redacturus omnia obstacula, ac difficultates viæ, quam aggrediebatur. Ideo ex Isaia prædicit Ioannes Baptista Lucæ 3. 5. ad eius aduentum montes vallibus coæquandos, vt amotis omnibus difficultatibus, nihil sit, quod venientem Dominũ offendere possit. Cùm ergo ait Angelus: *Quid tu mons magne coram Zorobabel? in planum*; promittit quidem Zorobabeli victoriam omnium difficultatum: at per Zorobabelem manifestè demonstrat, Christum dæmonem gloriosè pessundantem. Quod ostendit D. Hieronymus hoc loco, cùm ait, apparuisse id in deserto: nam cùm diabolus obiiceret Christo montes aureos, omnia scilicet regna mundi, vt eum à proposito deterreret, prostrauit omnino, cùm dixit: *Vade retrò satana.* Quasi diceret: *Quis tu mons magne? in planum.*

*Cant. 2. 8. Sponsus trãsiliens colles, id est, superans difficultates. Symmach.*

*Luc. 3. 5. Montes vallibus coæquandi, id est, omnes difficultates tollendae. Christus dæmonem gloriosè pessundans.*

3. *Et educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratia eius.* Septuaginta vertunt, *lapidem hæreditatis.* In Hebræo, *Lapidem capitis.* Chaldæus: *Et emerget Christus, cuius ab æterno nomen dictum est.* Excellens promissio, ac verbis sic illustribus elata, soli Christo conuenit, vt omnes veteres, ac recentiores nostri interpretantur. Est sensus: Æternus pater educet, & quasi absconditum reuelabit in Incarnatione Filium suum: cui congruit Chaldaica: *Emerget Christus.* Educet autem illum quasi lapidem primarium. Dubium reddit locum proprietas Hebræa, in qua dicitur, *Lapis capitis*: vt non tam primarius videatur dici, quia primò missus est in fundamentum, quàm quia in summo capite ædificij locatus sit. Simile dubium est Isaiæ 28. 16. vbi idem Pater ait: *Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem*, id est, Christum. Formam verò lapidis exprimens, vocat eum angularem; at verò Septuaginta ibidem appellant *summangularem*, quasi in summo angulo positum. D. August. ad Psal. 86. dubitationem soluit. Ipse, inquit, inferiùs est lapis angularis secundùm fidem; ipse est summus secundùm iustitiæ consummationem. Vt enim rectè ait D. Ambros. in illud Psalm. 118. 160. *Principium verborum tuorum veritas.* Fides principium Christiani est, plenitu-

*Illustre testimonium de Christo.*

*Pater Filiũ per Incarnationem educet. Quomodo Christus lapis primarius, & lapis capitus? Isai. 28. 16. D. August. Idem Christus lapis angularis, inferior secũdùm fidem, & summus secundùm iustitia consummationem. D. August. D. Ambr. Psal. 118. 160.*

A do, iustitia. Aliter etiam D. August. ibidem, & summum esse, & infimum lapidem in hoc ædificio: Quia origo, inquit, fundamenti huius summitatem tenet; & sicut fundamentum corporeæ fabricæ in imo est, sic fundamentum spiritualis est in summo. Si ad terram ædificaremur, in imo nobis erat ponendum fundamentum; quia ergo cælestis est fabrica, ad cælos præcessit fundamentum nostrum. Sic August. Credo autem Septuaginta ideo vertisse, *lapidem hæreditatis*, vt quia angularis est, limitem agat inter duas hæreditates suas, populum, scilicet, Iudaicum, & Gentilicum, connectens quidem eos sibi, & quasi vniens vno angulo fidei, sed stabiliter terminans, quidquid ex vno, vel ex altero populo ad se iure hæ-B reditario pertineat, ne hostium suorum peruicacia sibi detrahatur.

*D. August. Cælestis fabrica Ecclesia, in summo habet fundamentum.*

*Lapis hæreditatis, quia quasi limes inter duos populos.*

4. Illud verò, *Exæquabit gratiam gratia eius*, explicatu difficile. *Eius*, fœminino genere, vt referatur vel ad Spiritum sanctum, vel ad ipsum lapidem; vtrumque enim nomen est in Hebræo generis fœminini: iuxta Hebræum, pro *exæquabit*, est תשאות non verbum, sed nomen; quo significatur, *clamores*, à verbo שוא *clamauit*, siue *acclamationes*; vt sit sensus: Cùm eduxerit Deus in orbem terræ lapidem primarium Filium suum, vt eo in fundamentis Sion iacto incipiat ædificare Ecclesiam, erunt acclamationes solennes, videlicet, *Gratia, gratia, fausta omnia huic lapidi.* Quod quidem optimè respondet acclamationibus illis C Angelorum, qui nato Domino cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, &c.* Verùm, quia idem nomen significat *æqualitates*, à verbo שוה quod est, æquare (nam quòd habeat, ה illud autem, א non refert; quoniam scitum est, has literas passim inter se mutari) vnde Septuaginta verterunt, *æqualitatem gratiæ, gratiam eius.* Hoc sensu, *educet lapidem primarium*, valde æqualem gratiam gratiæ eius. Sumpto abstracto (vt sæpe fit inter Hebræos) pro concreto, quò proculdubio respiciens noster Interpres vertit, *Exæquabit gratiam gratia eius.* Et iuxta hanc versionem proponenda est expositio huius loci.

*Verbum, exæquabit, in Hebr. nomẽ, clamores. Iacto lapide Christo in fundamentis Ecclesiæ, erunt acclamationes faustæ.*

*Idem nomen significat æqualitates.*

5. Ergo D. Hieronymus sic explicat. Quod D autem dicit, *Et exæquabit gratiam gratia eius*, hoc significat: Nos omnes de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia; hoc est, gratiam Euangelij, pro gratia legis, vt æqualem gratiam, & par munus, & credentes ex Israël accipiant, & populus Ethnicorum. Quibus verbis, vt videtur, non vnam interpretationem adhibet Hieronymus, sed duas, vt assolet. Priorem quidem ibi: *Nos omnes de plenitudine eius accepimus, & gratiam pro gratia*; id est, gratiam Euangelij pro gratia legis; quæ quidem non placet, primò quidem, quia Christus non exæquauit gratiam Euangelij gratiæ legis, sed longè maiorem, ac adeò valde inæqualem largitus est per Euangelium, iuxta illud Roman. 5. 20. *Lex subintrauit, vt abundaret delictum; vbi autem abundauit delictum, superabundauit gratia.* De regno peccati, & regno gratiæ disputat Paulus, & illud quidem, sub lege ex occasione auctum, hoc autem sub Euangelio superauctum, & superabundans apertè demonstrat. Sed & illud obseruat rectè Maldonatus ad locum Ioan. 1. 16. veterem legem nusquam in Scriptura vocari gratiam, imò frequenter quasi opponi gratiæ, Roman. 1. 14. Et illo eodem Ioan. cap. vbi sic: *Lex per Moysem data est, gratia per Iesum Christum facta.* Quomodo ergo paulò antè lex gratia vocari

*D. Hier. Exæquabit gratiã gratia eius, gratiam Euangelij gratia legis.*

*Non placet explicatio, quia longè maior gratia Euangelij.*

*Rom. 5. 20.*

*Vetus lex nunquam in Scriptura vocatur gratia. Maldon. Ioan. 1. 16. Rom. 1. 14.*

vocari potuit? præsertim cùm eo loco veterem legem extenuare contendat, nouam autem extollere?

6. Posterior autem illa Hieronymi interpretatio, vt par munus gratiæ, & credentes ex Israël accipiant, & populus Ethnicorum; si non intelligat paritatem in indiuiduo, vt vocant, sed in specie, vera est, vt sit sensus: Omnes eandé gratiam, ad similitudinem gratiæ Christi accipient, non quidem, vt semper, quam vnus accepit gratiam, alter eandem accipiat, sed loco eius accipiet aliam. Quod expressit Paul. 1. Corinth. 12. 15. *Diuisiones enim gratiarum sunt, idem autem spiritus: & alij quidem per spiritum datur sermo sapientia, alij autem sermo scientia secundùm eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij, &c.* hoc est, gratiam pro gratia. Putátque rectè Maldonatus hæc duo verba, *gratiam pro gratia*, correspondere duobus illis, *de plenitudine*, &, *omnes*. Quia enim dixerat, nos de plenitudine eius accepisse, indicans partitionem quandam eius plenitudinis inter homines, quæ per præpositionem illam, *de*, significatur: hoc est, non ipsam nos plenitudinem accepisse, sed ex illa alios vnam rem, alios aliam, alios plus, alios minus: addidit, quasi id explicans, *gratiam pro gratia*: hoc est, non quidem eandem omnes, sed alius sic, alius verò sic; conformem tamen in ratione doni, iuxta illud Ephes. 4. 7. *Vnicuique nostrûm data est gratia secundùm mensurã donationis Christi*, id est, sicut Christo, quia caput est, data est gratia conueniens huic eius excellentiæ; ita nobis, iuxta ea dona, quibus nos afficiet, donabit gratiam; videlicet eis, quos ad Apostolatum vocabit, gratiam Apostolatus conuenientem largitur, & sic in cæteris, quod est, esse gratiam difformiter conformem, vt loquuntur Philosophi. Et in hoc sensu verum quoque est, quod de Christo ait hoc loco Augustinus. Exæquabit gratiam gratia eius; hoc est, gratias, quas largietur suis, in eo exæquabit, quòd conuenientes efficiet spiritualibus vocationibus, quæ quia in lege noua longè sunt illustriores, quàm in lege veteri, sic gratiæ amplitudo longè eminebit in lege noua, quàm in veteri.

*Omnes eandem gratiã ad similitudinem gratia Christi accipient, quomodo intelligẽdum? 1. Cor. 12. 15.*

*Gratiam pro gratia, non eandem omnes, sed alius sic, alius sic participabit.* ad Ephes. 4. 7. *Eidem, propter conformitatem in ratione doni. Gratiã dat Deus iuxta dona varia, quomodo intelligendum? Gratias dabit conuenientes spiritualibus vocationibus. Vnde gratia legis noua maior?*

## *De diebus paruis, & de lapide stanneo.*

### SECTIO V.

1. *Dies parui ex Hebræo, & ex rerum, quæ in illis accidunt, paruis, vel magnis, paruos, magnósve dici.*
2. *Prima opinio, contineri hoc loco reprehensionem eorum, qui despiciebant templum, à Zorobabele cœptum, ex loco Aggæi 2.*
3. *Meliùs significari reprehensionem in eos, qui parua initia Ecclesiæ despiciebant. Locus D. Chrysostomi de felici ædificatione Ecclesiæ.*
4. *De lapide stanneo duplex locus; alter Nicetæ, alter D. Hieronymi.*

1.  VERBA Angeli ad Zachariã Vers. 9. *Manus Zorobabel fundauerunt domum istam, & manus eius perficient eam: & scietis quia Dominus exercituũ misit me ad vos.* Vers. 10. *Quis enim despexit dies paruos? & latabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Hebr. *Quis enim despexit diem paruarum.* Hebraice, ליום קטנות *dies paruarum*, subintellige, rerum, vt sit vis neutri in illo fœminino, ex more linguæ carentis neutro. Vnde non rectè alij supplent, *dies paruarum salutum, consolationum.* Dies quidem secundùm suam naturam, nec magni esse possunt, nec parui, sed ita dicuntur ob magnitudinem, vel paruitatem rerum, quæ in ipsis peraguntur. Ita Ioël. 2. 11. dies iudicij dicitur magnus & horribilis: & Ioan. 19. 31. *Erat magnus dies ille sabbathi*, nimirum ob Paschæ solennitatem: eodem modo dies parui accipientur illi, in quibus res paruæ fiunt.

*Varia lectio.*

*Hebraicè, fœmininum pro neutro. Dies parui, vel magni ex qualitate rerum, quæ in illis aguntur.* Ioël. 2. 11. Ioan. 19. 31.

2. Qui ergo putant, hæc de ædificatione materialis templi intelligenda esse, hunc sensum efferunt: Haud dubiè, qui cœpit ædificare templum, Zorobabel, is ipse perficiet, ac re ipsa scitis, quòd Dominus hæc per me loquutus sit. Quis enim est, qui animo cadit, ac parua initia ædificationis despicit? Faciam decursu temporis, vt lætetur cùm per Zorobabel consummabitur opus, &c. Hæc respicere videbũtur id, quod reuera accidit, ac narratur 1. Esdræ 3. 12. senes quidem, qui prioris templi magnificentiam viderant, & huius posterioris parua initia intuebantur, lamentatos fuisse: aduersùs eos autem, quasi despicientes posterius templum est illud Aggæi 2. 10. *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituũ. Magna erit gloria domus istius nouissima, plus quàm prima.* Quasi enim obiicientibus prioris templi diuitias, aurúmque, & argentum commemorantibus, aptè occurrit Dominus, *Meum est argentum, &c.* quasi dicat: An si vellem ego hoc templum auro, & argento clarum facere non possem, qui Dominus sum argenti, & auri? Aliter ergo glorificabo templum hoc secundum, nimirũ præsentia Filij mei, quem mittam in mundum. Similiter ergo, quasi cum stomacho Deus: *Quis despexit dies paruos?* id est, parua initia templi? Faciam vt lætentur, &c. Hæc probabiliter dicta sunt in ista opinione, quæ est communis Hebræorum, Lyrani, & similium.

1. Esdr. 3. 12. Aggæi 2. 10.

*Dies parui, id est, parua initia tẽpli.*

3. Probabilius est, significari per hoc, Ecclesiam quidem parua initia habuisse, & à multis principibus ob id despectam; sed tamen annis labentibus, auctum eius ædificium ope, ac industria veri Zorobabelis, hoc est, Christi. Nam cùm à Patre, quasi stanneus lapis, siue perpendiculum operi faciendo traditum esset, hoc est, potestas ædificandi, & consummandi Ecclesiam, ita feliciter rem per se, ac per suos præstitit, vt ad summum fastigium, magno cum applausu omnium gentium, perduxerit. Ita quasi insultans despicientibus parua illa initia nascentis Ecclesiæ, ait Deus: *Quis despexit dies paruos? Lætabuntur, & videbunt lapidem stanneum in manu Zorobabel.* Multa in hanc sententiam eleganter prosequitur D. Chrysostom. tractat. illo contra Gentiles, quòd Christus sit Deus: nam illa verba Christi Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, felicitatem sacri ædificij, & inconcussam vim pluribus exaggerat: aitque, similem virtutem insitam illi verbo, *ædificabo*, ac illi in principio mundi sæpius repetito, *Dixit Deus*: similiter enim ait, *ædificabo*, omnia operatum est, etiam tyrannis oppugnantibus, militibus arma mouentibus, populis insanientibus, obluctante consuetudine: sermo enim Dei, velut ignis validus adueniens spinas consumpsit, agros repurgauit, solum præparauit, ædificium in altum eduxit, &c. Vide locum.

*Probabilius per dies paruos parua initia Ecclesia. Lapis stanneus, seu perpendiculum, potestas ædificandi Ecclesiam.*

D. Chrys. Matt. 16. 18. Ædificabo Ecclesiam meam, *verbum*, ædificabo, *omnia operatũ est.*

4. At

Nicetas.

4. Atenim de lapide stanneo aliter reperies A apud Autores existimatum: Nicetas enim ad Orationem 44. Nazianzeni allegoricè in hunc modum de illo: Aiunt, inquit, stannum ex ære & plumbo commistum, ac temperatum esse. Quamobrem nec duritiei omnino est expers, nec rursus mollitiem omnem respuit: eodem ferè modo, Emmanuel ex firmissima, nullique perfractioni obnoxia diuinitate, & ex molli, atque, vt ita dicam, affectibus agitata humanitate compositus est. Adhæc stannum, siue plumbum ad purgationem alterius materiæ, quæ igne indiget, necessariò assumitur, ac præsertim ab iis, qui ex argento opus aliquod efficere solent. Stanno itaque siue plumbo Christus comparatur, vtpote, sordes spiritualiter colliquefaciens, ac purgans. Insuper stannum res inter se distractas connectit, vtpote, quod glutinandi vim habet. Huiusmodi autem quiddam Christus in nobis præstitit, siquidem illud verbum est, quod in vnum hominem duos populos creat. Hæc Nicetas. Sed & D. Hieronymus in eodem argumento eleganter versatus ad hunc locum: Lapis, inquit, stanneus Christus, quòd sit fortitudo credentium. Sicut enim stannum ab igne alia metalla defendit, & cùm æs, ac ferrum natura ipsa durissimum, si tamen absque stanno fuerit, vtitur: sic omnis Angelorum, hominúmque fortitudo, si non habuerit auxilium Saluatoris, imbecilla probatur, ac fragilis. Et eodem loco idem Hieronymus: Quomodo stannum mista, & adulterata inter se per ignem metalla dissociat: ita Dominus verus probator ab auro, & argento bonorum operum, æs vitiorum plerumque secernit, vt purum aurum remaneat, & argentum. Ita D. Hieronymus.

*Christus lapis stanneus, ex diuinitate, & humanitate compositus.*

*Christus sordes peccatorū purgans.*

*Christus conglutinator duorum populorum.*

D. Hier.

*Christus, fortitudo credentium.*

*Omnis fortitudo sine Christo imbecilla est.*

VISIO



# VISIO TRIGESIMATERTIA, DE VOLVMINE VOLANTE.

*Zachar. cap. 5.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

VIDET Propheta priùs volumen volans, seu membranam viginti cubitos habentem secundùm longitudinem, decem verò secundùm latitudinem. Ab Angelo accipit interpretationem. Denique ex occasione, vt solent Prophetæ, contra peierantes, ac fures declamat.

### CAPVT V. ZACHARIÆ.

1. ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce volumen volans. A

2. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorum, & latitudo eius decem cubitorum. B

3. Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc similiter iudicabitur.

4. Educam illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domum iurantis in nomine meo mendaciter: & commorabitur in medio domus eius, & consumet eam, & ligna eius, & lapides eius. C

5. Et egressus est Angelus, qui loquebatur in me, & dixit ad me: Leua oculos tuos, vide quid est hoc, quod egreditur.

6. Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra. D

7. Et ecce talentum plumbi portabatur,

### PARAPHRASIS.

1. *CVm me Angelus interiùs moueret, cõuerti oculos ad aliam Visionem, quam mihi obtulit, vidíque membranam oblongam ad instar falcis per aëra volantem. Continebat quippe scripta supplicia, quibus populus malus quasi falce iugulandus erat: ídque supplicij genus volare, vtpote velocissimè ad vltionem tendere vidi.*

2. *Rogatus autem ab Angelo quid viderem, respondi: Volumen oblongum viginti cubitis, latum decem. Quòd & peccata populi latè nocentia, & longè durantia, latè quoque, ac longè erant punienda.*

3. *Hoc volumen falcatum significat supplicium, quod in peccatore Iudæa iam iam rotatur. Omnes autem fures, auari, atque periuri secundùm hæc ipsa eorum scelera, quæ in volumine scripta sunt, plectentur.*

4. *Efficiam ego, vt quod tu modò Visione cognoscis de suppliciis eorum, re ipsa illi non leuiter, ac ad horam, sed diu experiantur. Fiétque, vt eorum domus penitus extinguantur, ac solo æquentur, vt non relinquatur in eis lapis super lapidem, nec minimum ex ipsis lignum supersit, in posterorum horrorem.*

5. *Missa autem hoc priori Visione, transitũ fecit Angelus ad ostendendam aliam, aitque ad me: Leua oculos in id quod egreditur, quid tibi illud videtur?*

6. *Hæc est amphora, seu mensura peccatorũ, quæ quasi egreditur, & procedit paulatim per continuata peccata patrum; Iudæíque omnes ad nihil aliud attendunt, quàm ad implendam amphoram, siue mensuram peccatorum vltimo, & maximo peccato, nempe Christi nece.*

7. *Ecce vides magnum plumbi onus, & mu-*

*D. Fern. in Vis. vet. Test.* tur, L l lierum

tur, & ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.

8. Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ, & misit massam plumbeam in os eius.

9. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egredientes, & spiritus in alis earũ, & habebant alas, quasi alas milui: & leuauerunt amphoram inter terram, & cælum.

10. Et dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò istæ deferunt amphoram?

A *lierem vnam sedentem in medio fundi amphora, ita vt solo capite extet.*

8. *Hæc autem muli r, impietas est, & noxa omnium impiissima, qua Christus à Iudæis occidetur: ostenditque Angelus proiectã, & immersam prorsus mulierem in amphoram, vt nihil eius appareret amplius: hoc est, ipsum peccatum necis Christi iam admissum, vt nihil expectari posset, quod impium magis esset. Tunc ergo obturatum monstrauit os amphoræ plumbeo illo talento, vt grauaret mulierem: impositũ videlicet captiuitatis vltimæ pondus, à quo se exonerare non poterit vsque ad finẽ mundi.*

B 9. *Tunc duas mulieres, duas Tribus, Iuda, & Benjamin, intuitus sum alis, se milui, id est, celerrimè leuantes in aëra, & ipsam illam amphoram portantes secum, ac veluti suspensam ostentare inter cælum, & terram: suum nempe peccatum portare, & vltionem Diuinam sustinere.*

10. *At verò ita ad me Angelus: Donec Babylone consistant, vbi Antichristum sequentur, ac adorabunt, & suam quasi basim, ac fundamentum vltimum ponent impietatis suæ.*

## C O M M E N T A R I V S.

CVm duplex sit in hoc capite Visio, visum quoque eas diuidere perspicuitatis gratia; ac de volumine volante primo loco; postea de muliere sedente super amphoram, ac de volantibus aliis duobus, amphorámque portantibus disputare. Primùm ergo explicabimus, quid sit volumen volans: postea de maledictione egrediente disputabimus; addemus vltimò excursum moralem contra fures, & peierantes.

### *Quid significet volumen volans?*

### SECTIO I.

1. *Varietas lectionis vnde orta. Veteres translatores nostro fauere. Volumen vnde dictum Latinè, & Hebraicè.*
2. *Repellitur Burgensis opinio de doctrina Cabalistica. Quare non significetur hac Visione captiuitas Babylonica? Probabile, significari eam, in qua modò Iudæi iacent.*
3. *Probatur, Deum habere apud se quoddam quasi memoriale, in quo scribit bona, & mala opera hominum, ex loco Malach. 3. Lapsus etiam iustorum circa diuinam prouidentiam, Psal. 72. Ierem. 12.*
4. *Quàm facilè lingua delinquatur: quàm exactè Deus id notet. Iob. 31. explicatur. Persiæ Regũ laudabilis mos. Quid fuerit apud Iudæos, esse à commentariis?*
5. *Scribere aliorum siue mala, siue bona, solius esse Dei. Exacta diligentia Iudicis Dei in eis notandis ostẽditur. Cur Zona sapphyrina vertatur à Septuaginta, & quid in eo mysterij?*
6. *Exaggeratio peccatorum scriptorum, iuxta versionem Symmachi. Aliter ex peccato necis Christi expenditur versio.*
7. *Falx volans quid significet? Explicat Chrysostomus. Illustratur loco Genes. 4.*

C 1. VATES in præsentia populi scelera inuectus ait, Vers. 1. *Vidi, & ecce volumẽ volans.* Vers. 2. *Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi: Ego video volumẽ volãs: longitudo eius viginti cubitorũ, & latitudo eius decẽ cubitorũ.* Septuag. *Vidi, & ecce falx volans.* Quod Septuaginta interpretes vertunt, *Et ecce falx volans*, sequuntur omnes Græci. Varietas inde orta, quòd volumen dicitur Hebraicè מגלה falx verò מגל quæ vocabula demptis punctis eadẽ sunt: nã ה seruilis est, demíque, ac addi solet. Chaldæus, & antiqui Interpretes nostro fauent: nã Aquila, & Theodotio, διφθέρα, hoc est, *mẽbranã volantẽ*, vertunt. Symmachus κεφάλαιον, hoc est, *capitulũ*, seu *initiũ*, pársve codicis. Congruit autẽ Latinum, volumen, propriè pars eiusdem codicis. D Vnde Ouid. de quindecim libris suæ Metamorphoseos ait Tristium 1. Varia lectio. Ouid.

*Sunt mihi mutata ter quinque volumina form a.*

Volumen autem à voluendo dicitur Hebraicè מגלה quod similiter dicitur à verbo, גלה quod est voluere. Veterum enim cõsuetudo fuit, in membranis oblongis scribere, quas cylindro, siue axi ligneo inuoluebant; quem morem scimus Oriẽtale hodie seruare. Ezechiel. 2. 9. *Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber, & expandit illũ.* Et Luc. 4. 17. *Traditus est illi liber Isaiæ, & vt reuoluit librum, inuenit locũ*, &c. Vidit ergo Vates volumen volans, hoc est, membranam oblongam, in qua scripta erant omnia furta, periuria, & eiusmodi scelera populi, ac pœnę pro eis

*Veteres in membranis oblongis scribebant.* Ezech. 2. 9. Luc. 4. 17.

eis infligendæ.

*Burgensis opinio reiicitur.* Burgens.

2. Non est curanda Burgensis existimatio hoc volumine significari secundam legem, ore Moysi à Deo traditam, vnde orta disciplina Cabalistica: hæc enim fabulosa sunt, & Scripturæ sanctæ maiestate indigna. Sed nec probabile est, Visionem hanc significare supplicium captiuitatis Babylonicæ, causasque eius, furta, & periuria, vt Lyranus opinatur: quoniam Visio hæc contigit post captiuitatem Babylonicam; non est autem probabile, velle nunc Deum præterita supplicia demonstrare, sed futura. Præterea captiuitas Babylonica non contigit ob furta & periuria, sed ob idololatriam. Lege Ierem. cap. 18. & 19. Probabilius ergo cum Ruperto, & aliis credimus, per volumen volans significari peccata populi, quæ post aduentum Messiæ perpetrauit, adiuncto supplicio ob eadem peccata, videlicet captiuitate vltima, quam post necem Christi hodie patitur.

*Improbatur etiā opinio Lyrani.* Lyran. — Ierem. 18. & 19. — Rupert. — *Volumē volans, peccata populi post aduentū Christi patrata, & supplicia debita.*

3. Deum opera hominum, siue bona, siue mala, operibúsque congruentia præmia, & supplicia, quasi in libro exarare hîc, & alibi sæpe in Scriptura testatum habemus; quod vel Ethnici veteres de suo Ioue fabulabantur: vnde illa pellis Amalthææ capræ, cuius lacte nutritus dicitur Iupiter, in quam omnium hominum peccata dirigere solitum tradunt Poëtæ, quare prouerbio factus locus, *Antiquiora diphthera loqueris*: hoc est, nimis antiqua, & obsoleta. Certè quidem Malachię 3. 16. Dominus auscultare dicitur loquentes homines, & scribere quæ loquuntur in libro monumenti. *Loquuti sunt*, inquit, *timentes Dominum, vnusquisque cum proximo suo, & attendit Dominus, & audiuit, & scriptus est liber monumenti coram eo timētibus Dominū, & cogitantibus nomē eius.* Lyranus, & alij iuxta Hebræum, *librum memorialem*, siue *memoriarum*, legunt. Induxerat Vates loquentes impios contra diuinam prouidentiam, & subdit, iustos quoque loquutos; sed non declarat quomodo loquuti fuerint: non est improbabile impegisse quoque iustos ea in re, etsi non grauiter, quando & Dauid parum abfuit, quin turpiter caderet, Psal. 72. 2. *Mei autem penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos, pacem peccatorū videns.* Et Ierem. cap. 12. 1. *Iustus es Domine, veruntamen iusta loquar ad te: quare impij prosperantur?* Vterque enim (vt apparet) circa diuinam prouidentiam ad speciem vacillauit. Igitur fieri potest, iustos etiam illos male loquutos de diuina prouidentia: nam si bene loquuti sunt, cur id in ipsorum commendationem, & confusionem impiorum non explicauit Deus? Tamen optimè loquutos fuisse sentit D. Hieron. & Ribera; quocumque autem modo se res habuerit, illud certum est, Deum in libro, seu memoriali scripsisse, quæ loquuti sunt, tam impij, quàm iusti. *Timentibus*, inquit, *Dominū, & cogitantibus nomen eius*: in gratiam, & commendationem timentium Deum, si bene loquuti sunt: in confusionem verò ipsorum, & cautelam posterorum iustorum, si perperam.

*Deus quasi in libro scribit opera bona & mala, præmiáque & supplicia.* — *Pellis Amalthææ.* — *Antiquiora diphthera, pro vetustissimis.* — Malach. 3. 16. — *Librum monumenti, seu memoriale habet Deus.* — Lyranus. — Psal. 72. 2. — Iere. 12. 1. — D. Hieron. — Ribera. — *Memoriale eorum, quæ iusti vel malè vel benè loquuti sunt.*

4. Obserua, iuxta priorem sententiam, quàm facile sit loquendo delinquere inter homines iustos. Ecce in colloquio iustorum inuenta est à Deo materia scribendi integrum librum. Notandum etiam, quàm curiosè attendat Deus ad sermones hominum: vt discamus inde, quàm cautè hac in re nos gerere debeamus, spectata

*Facilè etiā iusti loquēdo delinquunt.*

A fragilitate linguæ nostræ, & perspicacitate Diuinæ auscultationis. Quare magnum est illud testimonium de innocentia Iob, cùm ait cap. 31. 35. *Quis mihi tribuat auditorem, vt desideriū meum audiat Omnipotens, & librum scribat ipse, qui iudicat, vt in humero meo portem illum?* Pertinet ad iudicialia auditoris vocabulum, estque idem auditor, & Iudex. Optat ergo auditorem Deum in forma Iudicis, ad exaggerandam in eo audiendi promptitudinem. Narrabo ergo omnia desideria mea (multi autem sunt homines in narrandis desideriis suis) quæ audiat sanè Deus, imò scribat (vt exactior sit in iudicando) liber profectò in me scriptus mihi vertetur in gloriam, & insigne

*Deus exactè verba etiā notat in libello suo.* — *Deus auditor quasi iudicialis.* — *Librum de se scriptum Iob portat humero, quasi sceptrum.*

B quoddam dignitatis, qualis est corona Regum capitibus, aut sceptrum humero gestari solitū; id significat quod sequitur: *Vt in humero meo portem illum, & circumdē illum coronam mihi.* Iuxta posteriorem verò sententiam, magna est consolatio iustorum: quòd ipse Deus librum scribat, etiam de ipsorum bonis colloquiis, vt præmiis afficiat. Solitos quidem id facere Reges Persarum, loco magnæ laudis habetur; vnde illud Assueri de Mardochæi fidelitate, in denunciādis insidiis Eunuchorm, quod ipse Rex dicitur manu sua scripsisse in Commentariis, Esther 12. 4. & apud Hebræos illi, qui erant à commentariis, hoc idem munus habuisse dicuntur 2. Reg. 8. 16. & 3. Regum 4. 3. Quantò Deus ipse mirabilius, vt ab Ezechiele exprimitur cap. 9. 2. qui

*Magna consolatio, quòd Deus scribat librū de bonis colloquiis iustorum.* — *Mos Regum Persarum, subditorum facta scribentium in memoriam.* — Esther 12. 4. — 2. Reg. 8. 16. — 3. Reg. 4. 3.

C visus est, tanquam Iudex, Angelorum satellitio stipatus, & atramentarium scriptoris ad renes habens, vt malorum peccata, & bonorum virtutes describeret?

*Idem officiū Deo tribuit Ezechiel.* — Ezech. 9.

5. Id verò muneris assumens sibi Deus, ostendit primò, rem esse, quæ soli Deo tutò credi possit: nam homines in notandis aliorum vel peccatis, vel virtutibus, sæpe à veritatis æquilibrio deflectunt, vel nimiùm amplificando mala, vel de virtutibus nimium detrahendo. Deinde ostendit exactam Iudicis solitudinem, & studium, cùm appensum ipse ad renes atramentarium præfert, vt in promptu habeat, quo notet illico, quæ occurrerint. Sed mirum, quòd

*Solus Deus ritè notat opera hominū siue bona, siue mala.*

D Septuaginta omittentes atramentarium, zonæ sapphyrinæ, à qua pendere visum est, meminēre tantùm. Et zona, inquiunt, sapphyri ad renes eius. Mysterium inprimis id sanè fuerit, quod, ex consuetudine Septuaginta Scripturam amplientium, sensum prædictum, adiuuat; vt Hebraica veritate, circa atramentarium supposita, præcinctus insuper, diligentem, & expeditum ad scribendum præferat Dominū. Deinde, quòd zona sit sapphyrina, coloris videlicet cælestis, monstrat eam diligentiam nihil habere terrenæ fæcis admistum, quasi ex inuidia aut maleuolentia adhibitam, sed prorsus esse cælestem, ac puram, ipsique cælo pretiosam, vtpote per quam fiat separatio iustorum, & iniustorum.

*70 meminerunt solius zonæ sapphyrinæ, coloris calestis.* — *Quia munus notandi facta aliena, caleste est.*

E 6. Quòd verò iuxta versionem Symmachi volumen sumi potest pro initio libri, vel pro vna parte, aut compendio illius, magnam profectò tum libri ipsius, tū peccatorum scribendorum exaggerationem continet: quantum enim oportuit esse librum, cuius vnū caput, vel ipsum dumtaxat principium, aut epitome, latitudinis erat decem cubitorū, longitudinis verò viginti? Deinde quot fuisse peccata populi putandū est,

*Si intelligatur caput libri, aut pars, exaggeratur magnitudo libri, & peccatorum multitudo.*

quæ librum tam magni capituli latè implebant? seu quæ non ad longum, vt dicitur, sed in compendium redacta, volumen tantum necessariò postulabant? Ego puto, versionem Symmachi, qua *caput* reddidit, significare, librum visum quasi proprio titulo, capitale dici, ducique debere, spectata videlicet materia intus præscripta, quæ fuit mors illata Christo à Iudæis, & caput omnis malitiæ Iudæorum, vt statim exponet Propheta in muliere sedente super amphoram, cuius caput in amphoram proiectū tandē illam impleuit, vt plus capere nō posset; quo significatur, eā impietatem fuisse tantam, vt amplior esse non posset. Quare & nomen respondens impietati in Hebræo est, רשעה quod vim habet significandi omnem impietatem. Quia peccatum mortis Christi omnem impietatem complexum est, seu fuit omnis impietatis quasi quædam epitome ac summa. Vnde non mirum, si id peccatum dumtaxat tantum librum tam longè, latéque compleuit.

*Caput libri visum, quia capitale erat spectata materia, id est, morte Christi.*

*Peccatum mortis Christi, caput omnium peccatorum.*

*Mors Christi omnis impietas.*

7. Atenim quòd volumen exprimitur volans, siue falx volans, iuxta Septuaginta, significat diuinam vltionem peccato annexam præstò esse, & quasi desuper aduolare ad puniendos malos. Quam sententiā eleganter prosequitur D. Chrysost. contra peierantes homil. 27. ad populū. Falx, inquit, volans, velocissimum vltionis incursum significat, iuramentum sequentem: multorū verò cubitorum longitudo, & latitudo, vehementiam indicat, & magnitudinem malorum. At ex cælo volare, è superno tribunali sententiā ferri; falcata verò forma, inepitabilem supplicij sortē; sicut enim quocumque falx incurrerit, nō solùm secū arripit, verùm & caput amputat; ita & pœna iurantibus ingruens est difficillima, nec priùs absistit, quàm, quod suū est, obierit. Sic ille. Eandem velocitatē in puniendo expressit Dominus Genes. 4. 7. loquens ad Cain: *Nonne si bene egeris, recipies, sin autem male, statim peccatū in foribus aderit?* nimirū, vt solet vindex iustitiæ statim aduolare ad fores delinquentis, ac domum obsidere, ne euadat supplicium: ità peccatū, seu pœna peccati illico aduolat, sistitúrque ad fores peccatoris, id est, illi, quocumque abierit, præsentē se exhibet, ad exigenda iustitiæ Diuinæ debita. quæ de latitudine, & longitudine voluminis hoc loco plures commentantur, nec curo, nec curare soleo: nec puto in numero denario, & vicenario hoc loco inesse plus mysterij, quàm vt per eos ostendatur magnitudo peccatorum; & pœnarum, vt suprà explicauimus.

*Volumen, seu falx volans, diuina vltio peccato annexa præstò aduolans.*

*D. Chrys.*

*Velocissimū supplicium contra peierantes.*

*Falcata forma, ineuitabile supplicium.*

Genes. 4. 7.

*Peccatum pro foribus, vt illico fiat vltio.*

## *De maledictione egressa super faciem vniuersæ terræ.*

### SECTIO II.

1. *Quid maledictionis, & benedictionis nomine significetur, ex loco Psal. 108. & Psal. 144. & Ierem. 44.*
2. *Maledictio significat pœnam ob necem Christi. Locus Matth. 27. & Daniel. 9.*
3. *Supplicium Iudæorum publicū sicut peccatum. Cur titulus Crucis in pluribus diuersarū linguarū characteribus? Cur Vates furti, & iuramenti meminerit?*
4. *Supplicium Iudæorum quomodo exprimatur duraturum, ex loco Psal. 108.*
5. *Exaggeratio euersionis templi Ierusalem iuxta Domini prædictionem. Illustratur historia, quæ Iuliani tempore accidit; item ex Iosepho.*
6. *Euersio vrbis ex eodem Iosepho.*

1. SVPPONENDVM est, hæsitasse prophetam de significatione voluminis volantis, & Angelū propterea addere pro explicatione, Vers. 3. *Et dixit ad me: Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem vniuersæ terræ. Quia omnis fur, sicut ibi scriptū est, iudicabitur, & omnis iurās ex hoc similiter iudicabitur.* Vers. 4. *Et educā illud, dicit Dominus exercituū: & veniet ad domū furis, & ad domū iurātis in nomine meo mendaciter: cōmorabitur in medio domus eius, & cōsumet eā, & ligna eius, & lapides eius.* Hebraicè: *Quia omnis fur, sicut scriptū est, ex vna parte ipsius succisus est: & omnis iurans, sicut scriptū est, ex altera parte ipsius similiter succisus est.* Septu. *Quia omnis fur ex hoc vsque ad mortem punietur, & omnis periurus ex hoc cruciabitur.* Igitur volumen volās, ait Angelus esse maledictionē egredientē super faciē vniuersæ terræ. Maledictionis nomine intelligit suppliciū, seu malū pœnæ; vt sæpe in Scriptura sacra significari solet, sicut benedictio ibidē sæpe sumitur pro bonorū largitate, seu pro beneficio, Psal. 108. 18. *Dilexit maledictionē, & veniet ei*, &c. (de impio loquitur, vel, iuxta alios, de Iuda proditore.) Interpretatiuè autem intelligendū est, diligere maledictionem, & nolle benedictionē, cùm ea faciat quis, quæ vel mala pœnæ merentur, vel bona, seu facilitatē non merentur. Itaque, sicut dicere Dei, est facere, & dictio ipsa factū: ita benedicere Dei, erit bene facere, & benedictio, benefactū, seu beneficiū. Contrà verò maledicere, erit malefacere, & maledictio malefactum, seu supplicium inflictū. Pro beneficio sumenda est illa benedicto. Psal. 144. 16. *Aperis tu manū tuā, & imples omne animal benedictione.* Liberalitatē Dei ac beneficentiam effert, cùm nō, sicut auari solent, cōtracta manu, sed planè aperta, beneficia sua in ipsa quoque bruta animalia profundit. De maledictione est illud Ierem. 44. 12. vbi loquens de suppliciis Hebræorū, *Erunt*, inquit, *in maledictionē, & miraculum.* quasi dicat: Erunt quasi nati ad maledictionē, in eo vel mirabilem, quòd non verbo terminabitur, vt vulgò fit, sed erit modo extraordinario ipsummet malum opere inflictum.

*Varia lectio.*

*Maledictio significat malum pœnæ.*

Psal. 108. 18.

*Diligere maledictionē, & odisse benedictionē interpretatiuè intelligendum.*

Psal. 144. 16.

*Benedictio Dei, liberalitas ad benefaciendū.*

Ier. 44. 12.

2. Hæc porro maledictio, siue supplicium est illud, quod Iudæorum gentem apprehendit post necem Christo illatam, hodiéque hæret eidem genti: nimirum generalis captiuitas, & dispersio in omnes gentes, magna cum illusione malorum, quæ vbique patiuntur. Sed istam maledictionem quasi dilexerunt, cùm Pilato abluenti manus à nece Christi, responderunt, Matth. 27. 25. *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Vt propterea visa sit in volumine volāte, quasi super illos volitans, diræ alitis instar, & super filios stillans perennem indignationem Dei, iuxta illud Daniel. 9. 11. *Stillauit super nos maledictio*: omne scilicet malorum genus; idque in omni loco vniuersæ terræ. Propterea enim volumini datæ sunt alæ, vt quocumque

*Maledictio hæc intelligitur illa, quæ apprehendit Iudæos post necem Christi.*

Matth. 27. 25.

*Sāguis eius super nos, quasi volumen volans.*

Dani. 9. 11.

*Maledictio, omne malorum genus.*

cumque aufugerit Iudæus, illico pernici volatu apprehendat eum maledictio.

*Maledictio egrediens, id est, supplicium publicum.*

3. Cùm verò Propheta maledictionem egredi ait: *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem vniuersæ terræ*, significat, supplicium fore publicum, & notum vniuerso mundo, conuenienter ad iustitiæ normam, vt publicorum criminum publica sit pœna. Cùm autem Iudæorum de nece Christi delictum fuerit publicè exhibitum, in excelso videlicet monte, & in omnium ferè gentium concursu, ita vt propterea titulus causæ mortis eius plurium linguarum characteribus scriptus fuerit, quò ad omnes gentes peruaderet fama patratæ necis: fuit sanè consentaneum æquitati, vt maledictio, seu supplicium illatum à Deo, publicum esset, ac toti terrarum orbi manifestum, ideirco igitur egreditur, & quasi foras prodit, & in conspectum communem se dat; propterea etiam de volumine volante hîc dicitur: *Educam illud in apertum*, scilicet, aërem, *faciámque omnibus gentibus conspicuum*, vt ab omnibus facilè legi possint quæ in ipso scripta sunt.

4. Sequitur pro causa maledictionis prædictæ, quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur, & omnis iurans ex hoc similiter iudicabitur. Non est autem nomine furis, ac peierantis singulare aliquod crimen intelligendum: sed voluit Vates furti, ac periurij nomine significare impietatem generaliter, tum qua in homines, tum qua in Deum peccatur. Sic Oseæ 4.2. maledictioni adiungitur plurium vitiorum caterua. *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit.* Quod verò addit, *Et commorabitur in domo eius*, significat maledictionem intentatam, & immissam in gentem Iudæorum non leuiter pertransituram, sed diutius apud eam permansuram. Similem maledictionem per pulchras admodum metaphoras significauit Regius Vates Psalm. 108. 18. citato. *Induit maledictionem sicut vestimentum, & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius; fiat ei sicut vestimentum quo operitur; & sicut zona, qua semper præcingitur.* Quibus omnibus comparationibus significatur maledictio penitus adhærere impio, vt vestimentum corpori, vt zona vestimento, vt aqua & oleum, quæ maximè penetrare solent, & insidere in re aliqua, vt non sit in impio immune aliquid à maledictione, sed omnes tum corporis, tum animæ recessus penetret, ac penitus imbuat. Illud verò de zona, qua semper præcingitur, significat, Iudæos nullam requiem habituros, vt vel tantillũ respirent à plaga imposita. Solent enim homines somnum capturi zonam laxare, & vestimenta deponere; at verò qui hæc semper eodem modo gestant, grauiter cruciantur, & anguntur: sic prorsus Iudæi nullam habebunt requiem, sed perpetuò gement sub duro maledictionis onere.

*Furti, ac periurij nomine, omnis impietas.*

*Oseæ 4.2.*

*Ps. 108. 18. Maledictio diu duratura.*

*Maledictio valde inhærens exprimitur.*

*Maledictio irrequieta.*

5. At illud, *Consumet eum, & ligna eius, & lapides eius*, referri potest ad euersionem Hierosolymitani templi, sub Imperatore Tito, qui iuxta verbum Domini Matth. 24. 2. *Non relinquetur hic lapis super lapidem*; item ad euersionem ciuitatis, cuius excidium deplorans Christus, Luc. 19. 44. eámque per apostrophem alloquens ait: *Ad terram prosternẽt te, & nõ relinquent in te lapidem super lapidẽ.* Et quidem, quod ad templum attinet, cùm lapides in eo ita firmiter plumbo, ferróque connecterentur, vt planè impossibilis videretur demolitio tamen nihil per exaggerationem Christũ dixisse, hoc vno euentu declaratum est: cùm Iulianus Imperator instaurandi templi potestatem Iudæis faceret, iique magna cum alacritate opus aggrederentur, veteris templi cæmenta omnia ab imis fundamentis eruerunt, vt noua ipsi iacerent: sed Diuina potestate factum, vt à nudis iam fundamentis ignis prosilierit in ædificãtes, & ex ipsis plurimos consumpserit. Ita vel ipsis Iudæis prædictionem Christi complẽtibus, non est vllus ex eo templo relictus lapis super lapidem: vt non iam per hyperbolem, sed secundùm exactam veritatem dictũ id à Christo videri debeat. Pertinet autem ad magnam exaggerationẽ id, quod Iosephus narrat de bello Iudaico lib. 7. cap. 10. Titum commiseratum tam magnifici templi casum, etiam repugnantibus Romanis proceribus, suíque tantùm prærogatiua suffragij, parcendum templo ratum, imperasse militibus, abstinerent ab incendio, quod iam porticũ primam depascebatur. Sed ipso (vt Iosephus citatus ait) compellente Numine, cùm Iudæi intus latentes, in obsidentes irruerent, militem vnum, non curato Imperatoris edicto, ignem rursus per fenestram immisisse, qui reliquum templi citò corripiens, nullius vi, etiam Imperatoris, qui rursum impediturus occurrerat, restingui potuit.

*Vastitas sub Tito exprimitur.*

*Matt. 24. 2.*

*Luc. 19. 44. Euersio totalis templi exprimitur euentu quodam sub Iuliano.*

*Ignis à fundamentis nudis prosiliens ædificãtes absũpsit.*

*Iosephus. Incendium templi compellente Numine restingui non potuit.*

6. Quod verò ad vrbẽ attinet, narrat Iosephus lib. citato cap. 14. excepta parte muri, qui relictus est ad munitionem castrorum, & tribus turribus ad indicandam magnitudinem cladis, cæterum ambitum, qui amplissimus erat, ita dirutũ, vt qui eò accessissent, vix crederent habitatum aliquando. Hæc breuiter de horribili clade. Vnde apertè colligitur, non fuisse illatam ob furta populi, aut periuria, sed ob necem Christi: non enim vitia hæc vllo vnquam tempore visa sunt puniri à Deo tam insigni plaga.

*Vrbs ita excisa, vt vix credi posset vnquam habitata.*

---

## *Excursus moralis contra fures, ac peierantes.*

### SECTIO III.

1. *Maiores fures magis irritant Diuinam iram. Illustratur loco Ezechiel. 24. Quid sanguinis nomine significetur in Scriptura.*
2. *Supplicium furum, ex duplici versione expenditur. Illustratur loco Prouerbio. 21. & loco 2. Petr. 3.*
3. *Duratio suppliciorum in domibus furum, & quomodo eas comminuat, ex loco Chrysostomi.*
4. *Similiter in peierantes quadrare supplicia furũ. Locus Chrysost. Ezec. 17. & ex Canonica Iacobi. Iuxta Hebr. maledictio, & iuramentum idem vocabulũ.*



1. QVONIAM in contextu ex occasione, vti diximus, concionatus est Vates aduersùs fures, ac peierãtes, erit ad rem, maximè moralem, in eosdẽ excursum facere. Vates quidem reddens causam voluminis volantis, omnem furem, sicut ibi scriptum est, iudicandum ait, & omnem iurantem ex hoc similiter iudicãdum. *Educã, inquit, illud, dicit Dominus exercituum, & veniet ad domum furis, & ad domũ iurantis in nomine meo mẽdaciter, &c.* Nõ existimo Prophetam hoc loco agere de minoribus quibusdã furibus, qui vt fami satisfaciãt, minuta quæque, ac non publicè, sed per angulos, vt aiũt, &

*Minores fures hic non curantur.*

A & occulte rapiunt: hi enim Diuinam iustitiam non tam acerbe prouocant. Sunt quidam grandiorés, & honorabiliores fures, qui res magni momenti palam rapiunt, & in eo iam perfricuêre frontem. Ezech 24.7. queritur Deus de hoc genere furum, quos vocat effusores sanguinum, hoc modo: *Sanguis eius in medio eius est, super limpidissimam petram effudit illum: non effudit illum super terram, vt posset operiri puluere, vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlcisscerer.* Scitû est, per sanguinem in Scriptura sacra indicari sæpe substantiam, & bona temporalia. Isai.1.15. execratur Dominus oblationes ex rapinis factas ad hunc modum: *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Quantumuis plenas donis manus afferatis, auertam oculos, quoniam non donis me dignis, sed sanguine, hoc est, rebus alieno labore, ac sanguine acquisitis, & à vobis per rapinam ablatis, plenæ sunt. Igitur Ezechiel conqueritur de furibus, qui tunc in republica publicè exugebant, & largiter effundebant sanguinem, hoc est, qui alienum bona labore, & sanguine parta publice furabantur, & expendebant largiter, sanguis eius in medio eius. Sensus est, adhuc retinent aliena, & furta eorum non in angulo, sed in propatulo sunt, publica sunt: super limpidissimam petram effudit illum: non fudit illum super terram, vt posset operiri puluere. tolerabilius, si effusum à se sanguinem alienum, & bona malè parta operirent puluere, in secreto retinerent: at quod *super limpidissimā petram*, hoc est, publicè, & inuerecunde dilapidati sint: exténtque hodie, è limpidissimis, ac politissimis lapidibus erecta ædificia, non aliunde, quam publicis ex rapinis facta; id verò est penitus intolerabile, dignúmque, vt quando furta sua ita frontose in altum educunt, vel ob id aptiora faciant, vt voluminis rationum mearum, ac meæ alatæ falcis superinductam indignationem experiantur: *Vt superinducerem indignationem meam, & vindicta vlcisscerer.*

*Nobiles quidam fures taxantur.*
Ezech.24.7.
*Effusores sanguinum vocantur.*
*Sanguis in Scriptura pro substantia, & bonis temporalibus.*
Isai 1.15.
*Manus sanguine plenæ, id est, rebus alieno labore partis.*
*Latrocinia publica arguuntur.*

2. *Quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, iudicabitur.* In Hebræo obscuriùs: *Quia omnis furans ex hoc, sicut ipsum, succisus est.* Rectè autē conuenit vtraque lectio ad eundem sensum, quasi dicatur: Viuunt eiusmodi grandiores fures in magna securitate, cùm abiectiores semper sibi timeant à Magistratibus, quos illi vel contemnunt, vel facilè corrumpunt. at non sentiunt miseri superuolitans D volumen, per quod *sicut ibi scriptum est*, iudicabūtur. Vel iuxta Hebræum, sicut ipsum volumen, subaudi, continet, succidetur: hoc est, quemadmodum ipsum volumen narrat, multos ab eo fuisse succisos, ac pulsos à suis bonis; ita ipsi succidentur, & exterminabuntur. Vnde illud Prouerb.21.7. *Rapina impiorum detrahet illos.* hoc est, ex modo rapiendi, siue pellendi alios a suis bonis per summam impietatem, ipse quoque furans modū supplicij capiet, vt similiter detrahatur, & exturbetur à Deo Iudice. Nec verò dubito, quin propterea quoque dixerit Beatus Petrus epistola sua 2.c.3.10. *Veniet autē dies Domini vt fur.* Videtur enim id velle, venturum diem Iudicij, vt puniat impios, furis instar, detrahēdo, scilicet, ab eis, quæ ab aliis malè detraxerant. Vt, sicut cum vulpe, vt aiunt, vulpinandum, ita contra fures, furem se dies ille præbere debeat. *Omnis furās, sicut ipsum, succidetur.* Fortè etiam sic explicari potest, sicut ipsum, scili- A cet, volumē succisum est, succidetur. hoc est, sicut ipsum volumen priùs succisum, & exaratum est pœnis inferendis, sic tādem furans vndique succidetur illatis, vt maneat quasi viuum quoddam pœnarum volumē. Hoc sibi vult quod sequitur.

*Iudicandos fures sicut in volumine volante scriptum.*
Prou 21.7.
*Fures exturbandos, sicut ab eis exturbati alij.*
2 Petr.3.10.
*Dies Iudicij, vt fur, vt similiter spoliet impios.*
*Vt volumen exaratum est pœnis infligendis, sic fures exarabuntur illatis.*

3. *Educam illud.* hoc est, distringam pœnas illas à volumine, veluti a vagina sua, & efficiam, vt extent, & in experientiam, ac monumentum transeant, nec leue illud quidem, & euanidum, sed fixū, ac stabile. *Et commorabitur*, inquit, *in medio domus eius, & consumet eā, & lapides eius, & ligna eius.* At videntur hæc pugnare: nam si suppliciū, siue maledictio commorari debet in medio domus, quomodo illico dicitur consumenda vsque ad lapides, & ligna? Respondetur ex D. Chrysostomo homil.10. & 15. ad populum, supplicia, quæ Deus immittit in domos horum furum, tanquam mo- B lem aliquam insidere illis, quæ paulatim eas cōminuit, & molit, miro quodā modo, vsque ad ligna, & lapides vltimos, ac adeò vsque ad nihilū. Quod sæpe experientia docuit in multorum familiis, quæ per furta publica creuerunt, iusto Dei iudicio deuolutis paulatim, & dissipatis, ac ita commolitis sub pondere diuinæ vindictæ, vt sæpe hominum animos iusta admiratione detineant, quomodo tam amplæ domus sensim sine sensu euanescant.

*Supplicium publicum in fures.*
D. Chrys.
*Supplicia vt moles imposita comminuit domos furum.*
*Ampla familia paulatim commolita.*

4. Quæ autem, iuxta Prophetam, in fures diximus, similiter de peierantibus dici possunt. Latè quidem ponderat D. Chrysost. homil.29. ad pop. quomodo Hierosolymitana vrbs ob violatum à Sedecia iuramentum solo æquata fuerit per Na- C buchodonosor. Ecce, inquit, non vna domus, aut duæ, sed ciuitas vna integra euersa est, propter vnum iusiurandum violatum. Ergo Ierusalem ciuitas Dei, arcam fœderis habens, vbi Prophetæ fuerunt, vbi Angeli sæpe incedebant, hæc, inquā, ciuitas, innumeris nascentibus bellis, & multis incursantibus Barbaris, tanquam muro ex adamante circundata, vniuersos hostes deridens, tot elapsa periculis, & in multis peccatis veniam assequuta, solo iuramento prostrata est. Hæc à D. Chrysost. Notari autem debet id quod Dominus ait Ezec.17.19. *Viuo ego, quoniam iuramentum, quod spreuit Rex Sedecias, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in capite eius, & iudicabo eū in præuaricatione, qua despexit me.* Capiti enim Regis impositum iuramentum quasi pondere suo pressit, ac pessunde- D dit Sedeciá, & totam familiam eius dissipauit, vt nihil eius ampliùs superfuerit, nec lapides domus, nec ligna. Vnde in Canonica Iacobi dicitur: *Sit sermo vester, est, est, non, non, vt nō sub iudicio decidatis*; vbi repetitio, *est, est, non, non*, significat debere *est* vocale respōdere directè *est*, mentali; similitérque, *non*, vocale, *non*, mentali; vt non sit periurium sub iudicio Dei, ad omnem omnino calamitatē. Rectè autē conuenit quòd periurium ipsum idē est in sacris literis, ac maledictio. Idémque nomē Hebraicum, *alah*, & iuramētum, & maledictionē significat, vt aduertit Hier. in quæstion. Hebrai. in Genes. Vnde Genes.24.41. Abraham ad seruum quem abiurauerat de capienda vxore filio Isaac de cognatione sua: *Innocens*, inquit, *eris à maledictione mea, cùm veneris ad propinquos meos, & non dederint tibi.* quia vt benedictionis vocabulo significatur omne bonum, vt sæpius obseruauimus, ita maledictionis nomine, ac adeò periurio ipso, omne importatur malum.

D. Chrys.
*Ierusalem tota euersa ob violatum iusiurandū.*
Ezech.17.19.
*Capiti Regis impositum iuramentū pessumdedit & contriuit eum.*
*Repetitiones, Est, est, Non, non, quomodo accipienda.*
*Periuriū & maledictio idem in Scriptura.*
D. Hier.
Genes.24.41.
*Periurio importatur omne malū.*

VISIO

# VISIO TRIGESIMAQVARTA, DE MVLIERE SEDENTE SVPER AMPHORAM, ET DE DVABVS FOEMINIS ALATIS LEVANTIBVS AMPHORAM.

*Zachar. cap. 5.*

## ARGVMENTVM VISIONIS.

*EODEM cap. 5. proponitur alia Visio, qua monstrata est Vati mulier sedens in medio amphoræ, eo modo, vt inferior eius pars esset intra, superior extra amphoram. Proiecta est autem tota mulier in amphoram, & os amphoræ obturatum est talento plumbeo; tunc visæ sunt duæ fœminæ alatæ leuare amphoram inter cælum, & terram, & postea deferre illam in terram Sennaar.*

## COMMENTARIVS.

PRimò declarabimus, quid significet amphora; secundò, quid mulier eo modo sedens in amphora; tertiò dicemus de proiectione eius, & de talento plumbeo; quartò, de duabus fœminis alatis.

### *Quid sit amphora monstrata Vati?*

### SECTIO I.

1. *Quid amphora iuxta Hebr. explicatur à D. Hieronymo hoc loco non pro certa mensura. Deum mensuram certam peccatorum expectare ad inferendum supplicium; quomodo id fiat, ostendit Caietanus.*
2. *Illustratur loco Gen. 15. & Amos 1. Tria, & quatuor, quomodo sumantur in Scriptura. Locus Matt. 23. explicatur. allusio ad præsentem.*
3. *Ostenditur, non esse intelligendum locum de captiuitate duplici, videlicet decem Tribuum, & duarum.*
4. *Iudæos ad solam necem Christi attendisse, & ostenditur loco Isai. 6.*
5. *Locus Gregorij de auaritia explicantis præsentem prophetiam.*

1. DE amphora monstrata sic primùm Vates, Vers. 6. *Et dixi: Quidnam est? Et ait: Hæc est amphora egrediens. Et dixit: Hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Hebr. *Hæc est mensura egrediens.* Septuaginta: *Hæc est iniquitas eorum in omni terra.* Quod noster amphoram dixit, Hebraicè est, איפה *mensura aridorum*, capiens tres modios, vt docet D. Hieronymus in cap. 5. Isai. Sed hoc loco non sumitur pro certa aliqua mensura, sed pro mensura absolutè. Vnde Septuaginta legunt: *Hæc est mensura egrediens* Similiter Chaldæus, & D. Hieronymus, rectè sciens non designari aliquam certam mensuram (nam sæpe in Commentario sic loquuntur, *amphora*, siue *mensura*) vertit amphoram, *quæ* mensura est non iam aridorum, sicut epha, sed

*Varia lectio.*

D. Hieron. *Amphora, pro mensura absolutè.*

A liquidorum, vrnas duas capiens, seu octo congios. Igitur Angelus ad Vatem: *Hæc est amphora egrediens*, hoc est, quod modò egredi, & cum motu ad te venire vides, mensura quædam est. Notandum, mensuram non semel in Scriptura sumi pro certo peccatorum numero, quem Deus futurum præsciuit, vt eo finito inducat quoque præfixam pœnam: vt enim aduertit Caietan. super Genes. infrà citandus, Deus non pensat grauitatem supplicij secundùm grauitatem peccati, quatenus est offensa Dei (sic enim vel minimum peccatum mortale meretur exterminationem) sed secundùm rationes iudiciorum suorum, quæ sunt ignotæ nobis, sed ab eo tamen sapientissimè dispositæ, & ordinatæ, pro variis personarum, ac temporum exigentiis, secundùm quas optimè nouit, quibus, & quando inferendæ sint pœnæ peccatis debitæ. Ob id enim vnum dicuntur *iudicia Dei vera, iustificata in semetipsa*, Psal. 18. 10. Vera, id est, valde conformia circunstantiis rerum, quando scilicet, quomodo, in quibus, & quo loco exerceri debeant. Atque in hoc iustificata esse, si non quoad nos (qui aliquando perperam de hoc iudiciorum diuinorum exercitio iudicamus) valde tamen quoad se ipsa, & in se ipsis. Accessio igitur illius certæ circunstantiæ, qua Deus iudicio suo decreuit punire, est propriè egressus amphoræ, seu mensuræ, iuxta quam inferenda est pœna. Hac doctrina supposita intelligenda veniunt aliqua loca Scripturæ.

*Mensura sæpe in Scriptura pro certo peccatorum numero.* Caiet.

B *Deus pensat supplicia secundùm rationes iudiciorum occultas.*

Psal. 18. 10. *Iudicia Dei vera, id est, valde cōformia circunstantiis rerum.*

C *Egressus amphoræ, est accessio illius circunstātiæ à Deo præuisæ ad puniēdum.*

2. Primùm, illud Gen. 15. 16. *Generatione quarta reuertentur huc, necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Loquitur Dominus ad Abrahā, quòd posteri eius essent possessuri terrā Chanaan pulsis Amorrhæis post impletam mēsuram Gen. 15. 16.

*Ratio huius mēsuræ ostēditur Scriptura exemplis.*

*Amos 1.3.*

peccatorum. *Nondum*, inquit, *peruenerunt ad eam peccatorum mensuram*, qua impleta, eos à terra hac sua eiicere decretum habeo. Et Amos 1.3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non cōuertam eos.* Chaldæus, non parcam. quasi dicat; expectabo patienter vsque ad tria scelera Damasci; quartū si addat, non sustinebo. Tria enim in Scriptura multitudinem indicant non excedentem, sed tolerabilem; quatuor iam planè excedentem, ac inuisam. Obseruauit Ribera ad prædicta verba Amos, & Dominus Matt.23.32. ad eundē sensum ait Pharisæis: *Implete mensuram patrum vestrorum.* Quasi dicat: Patres vestri cœperunt in amphoram quasi proiicere peccata varia, iámque excreuêre satis, vt parum absit, quin impleatur: agite vos nunc, & implete illam, vt destinatam quoque pœnarum mensuram in vos immittam. Atque de hoc ipso credo est ad literam præsens locus; videtúrque omnino Christus ad illum allusisse: nam quòd amphora dicatur egredi, significat quasi motu quodam progredi in peccatorum exeretione, quæ patres Iudæorum per varia tempora coaceruabant: impletionem verò, quæ hîc monstrata est per immersionem mulieris in amphoram, esse vltimum, ac maximum peccatum necis Christi, quo commisso, impleta est mensura; peruentúmque ad finem decretæ patiētiæ; cœpítque executioni mandari destinata vltio, excæcationis Iudæorum, & captiuitatis vltimæ, quæ ad finem mundi duratura est. Atque iuxta hanc explicationem molliùs, ac liberiùs Visio hæc alioqui obscurissima declarabitur.

*Ribera. Matt.23.32.*

*Vltimum ac maximum peccatum necis Christi.*

*Non est intelligenda Visio de captiuitate duplici iam præterita.*

3. Quod ergo alij comminiscuntur de captiuitate duplici, videlicet, duarum Tribuum, ac decem aliarum monstrata per hanc Visionem, violentum est: vtraque enim captiuitas præterita erat; imò duæ Tribus iam fuerant regressæ in patriam suam, cùm hæc Visio accidit Prophetæ: quorsum ergo attinebat tanta obscuritas de re tam nota? quo etiam fructu concionabatur Vates ad populum de ea re, quæ mutari non poterat? Prophetæ enim Deo iubente has, ac similes Visiones proponebant populo ad emendanda scelera, excitandósque animos ad pœnitentiam, quò iram Dei auerterent, antequam distringeretur in peccatores. Congruentiùs ergo postquam reprehendit Vates furta, & periuria, quæ grassabantur in populo, addit concionem de peccato omnium maximo, hoc est, de nece Christi, & pœnam excæcationis, & captiuitatis proponit, vt tam populus præsens, quàm posteri, ab eo scelere deterrerentur, paulatímque præpararentur ad recipiendum Christum.

*Agitur de peccato maximo necis Christi.*

4. Quamquam illi nihil minus curarunt: ideo namque addit Vates: *Hæc est oculus eorū in vniuersa terra.* Significat, omnes tū Iudæos ita effrænatè in omnia vitia currere, vt nihil aliud attendere viderentur, quàm ad implendam mensuram illam. *Hæc est oculus eorum.* Indicatur non sola cura, & attentio, sed affectus, & quædam quasi libido circa amphoræ impletionem. Vt id quasi solum videant, appetant, ament. Itaque ad omnia quæ ad salutem spectant cæci, hoc vnum videbunt. Idque sibi vult, quod Isai. ait cap.6.10. *Excæca cor populi huius, & oculos claude, ne fortè videāt oculis suis, & corde intelligant, & sanem eos.* Non enim postulat Propheta, vt oculi Iudæis eruantur, sed optat exequutionem Diuinæ prouidentiæ, ne ex corde, & cum affectu, ac amore videant conuenientia ad salutem, perindéque se habeant ad hæc, ac si planè cæci sint, soli autem adimplendæ amphoræ oculis, cordéque incumbant. *Hæc est oculus eorum.* Vnde Septuaginta transferunt: *Hæc est iniquitas eorū, qua delectantur, in qua sibi congaudent, & complacent, cui attendunt in quam toti feruntur.*

*Iudæi illud vnum attēdere, vt impleant mensuram.*

*Isai.6.10.*

5. D. Gregor. lib.14. Moral. cap.26. moraliter accipit hunc locum de auaritia, & cupiditate hominum, ad quam vniuersus mundus oculis defixis inhiat. Volens, inquit, Deus Prophetæ ostendere, humanum genus, ex qua maximè culpa, ab eo dilabatur, per imaginem amphoræ, quasi patens os auaritiæ designauit. Auaritia quippe velut amphora est, quæ os cordis in ambitu apertum tenet. Et dixit: *Hæc est oculus eorum in vniuersa terra.* Multos obtusi sensus homines cernimus, & tamen eos in multis actibus astutos videmus, iuxta illud Ieremiæ, *Sapientes sunt, vt faciant mala, bene facere autem nesciunt.* Hi itaque sensu torpent, sed in iis, quæ appetunt, auaritiæ stimulis excitantur, & ad peragenda mala vigilantes sunt. Vnde de auaritia rectè dicitur: *Hæc est oculus vniuersæ terræ.* Ita D. Gregor. Apparétque in rem moralem, auaros, & cupidos ad cætera quidem penè cæcos, ac lipientes, ad quæstum nihilominus, ac rerum temporalium negotiationem acutissimos esse, oculósque penè lynceos habere. Hæc est oculus. Oculos solùm habere videntur ad considerandas amphoras, emendi, vendendíque instrumenta, & lucra inde detrahenda.

*D.Gregor. Explicatio D.Gregorij de auaritia.*

*Auari alioqui cæci, ad lucra sua acutissimi.*

---

## *De muliere sedente in amphora.*

### SECTIO II.

1. *Impietatis vocabulo significari omnem iniquitatem, ex Hebr. Locus Chrysostomi, & Isai.58. Peccatum necis Christi quare dicatur impietas?*
2. *Quare impietas ostenditur sub specie mulieris, ex Theodoreto? Locus Eusebij Cæsar. & locus Clem. Alex. Illustratur verbis Amos 1. Aliter ex Cyrillo Alexandrino. Locus Augustini.*
3. *Mulierem sedere in amphora, quid sit? Mora in peccando. Locus Ps 49. de murmurantibus. Mora peccatorum irritari magis iram Diuinam.*
4. *Quid capite mulieris significetur? Peccatum omnium maximum, Christi occisio. Locus Bernardi.*

1. DE muliere sedente sic Propheta, Vers.7. *Et ecce mulier vna sedens in medio amphoræ.* Vers.8. *Et dixit: Hæc est impietas. Et proiecit eam in medio amphoræ*: Non est laborandum in inquirenda significatione mulieris, cùm ipse Angelus interpretans dicat: *Hæc est impietas.* Hebraicè, רשעה quo nomine omnis iniquitas significatur, siue sit contra Deum, siue contra homines: nam vtrumque respicit, sicut contraria eius pietas, quæ iuxta D.Thom.1. 2.q.6. art.3. est cultus Dei, & parentum, quoniam eis post Deum maximè debemus. Erit ergo impietas, quædam quasi rebellio contra Deum, ac parentes. Psalm.15.11. *Secūdùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.* propriè, *rebellarunt in te.* Chaldæus, *rebelles fuerunt verbo tuo.* Ideo Chrysost.1. libro de orando Deo. Impietas, inquit,

*Varia lectio.*

*D.Thom. Impietas quadā quasi rebellio in Deum ac parentes. Ps.15.11.*

*D.Chrys.*

*Impietas mors animæ, quia pietas vita eius est.*

quit, mors est animæ, ac vita pugnans cum lege Dei. Cùm autem omne peccatum mortale sit mors animæ, quatenus Deum (per quam secundùm gratiam viuimus) expellit ab anima; propriè tamen ac directè impietas mors animæ dicitur, quia pietas, seu cultus Dei, & vita eo cultu digna (ait Chrysostomus) propriè ac proximè vita est animæ. Similiter impietas in homines notatur Isai. 58. 4. *Et percutitis pugno impiè.* loquitur contra homines seditiosos, qui non verbis tantùm, sed & manu impiè se gerunt in proximos, qui parum habentes impietatem verbo iactare, pugno insuper impacto consolidant. At verò cùm Christus Deus, & homo sit, iure optimo peccatum necis eius vocatur antonomasticè impietas, vt complectitur omnem iniquitatem, siue qua in Deum, siue qua in homines peccatur.

*Isai. 58. 4.*

*Peccatum necis Christi propriè impietas.*

2. Ponderat hoc loco Theodoretus, non sine mysterio monstrari Vati impietatem sub specie mulieris: quoniam mulier symbolum est voluptatis; ex qua originem ducunt omnia peccata. Vnde Eusebius lib. 2. Præpar. Euangel. cap. 2. voluptatem appellauit hydram multorum capitum, quòd in ea sint principia, & quasi capita omnium peccatorum; sed & Alex. Clem. in Stromatis, eleganter vocat metropolim vitiorum omnium: nam sicut metropolis est dominatrix, & caput cæterarum vrbium; ita voluptas omnium vitiorum origo, & regina est. Nec ob aliud Amos 1. 5. dicitur: *Conteram sceptrum de domo voluptatis.* hoc est, faciam ne dominetur voluptas, nisi quia ea vna de solio mentis deturbata, peccata quoque illi famulantia dissipantur. Cyrillus Alexandr. putat, idcirco impietatem apparuisse sub mulieris habitu, quoniam mulier typus est infirmitatis, plurima autem peccata committi propter infirmitatem: nam si mens firma in se, constánsque sit, nunquam deflectet in peccatum. Sic expendit August. Samaritanam mulierem, dum hydriæ suæ, hoc est, infirmitati adhærebat, plurimis fuisse peccatis obnoxiam; at cùm suasore Christo reliquit hydriam ad puteum Iacob, deposuisse, cum omni infirmitate, omnia peccata, ac vitam deinceps ad totius sanctitatis normam conformasse.

*Theodor. Impietas sub nomine mulieris, quia mulier symbolum voluptatis, à qua oriuntur omnia peccata. Euseb. Clem. Alex. Voluptas metropolis omnium vitiorum. Amos 1. 5.*

*Impietas sub specie mulieris, quia mulier est infirmitatis typus.*

3. Porro visa est mulier sedere in medio amphoræ, id est, in imo amphoræ, ita tamen vt toto extaret capite. In quo primùm notari debet sedendi verbo significari hoc loco, & alibi sæpe, moram, & perseuerantiam in peccatis, quod maximè irritat Diuinam iustitiam ad vltionem. Psalm. 49. 20. *Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris.* loquitur de iniquo, &, quòd sedentem ostendat, cùm obmurmurare illum, ac proximo detrahere affirmat, mysterium est: nam quid interest, sedénsue, an stans murmuret contra fratrem? Intelligendum ergo, iniquum notari, qui solitus longo vsu sit de fratribus detrahere, in eóque diu, multúmque perseueret, & ideo Deum statim contra se iratum habeat. Sequitur enim: *Existimasti iniquè quod ero tui similis? arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Iuxta Hebr. *Instruam, vel, ordinabo ante oculos tuos:* è re bellica; quasi dicat, peccata ipsa tua, & murmurationes tuas, in aciem educam, & rationum, quas à te exigam, exercitum disponam, agámque in eo ducem, ac vindicem aduersùs te. Apparet autem hinc, quàm ægrè ferat Deus peccatores sedentes, ac perseuerantes in peccatis suis; & quomodo Iu-

*Sedere, pro morari in peccato.*

*Psal. 49. 20.*

*Deus dux, peccatorum exercitum contra iniustos ordinat.*

A dæi hoc ipso grauiùs irritabant Deum, quòd non modò impij fuerint in occidendis innocentibus, sed id ipsum patrarint sedentes, hoc est, otiosè, quietè, glorianter, perseueranter: nec destitêre priùs quàm ipsummet Christum Dei Filium occiderunt, quò simulatque peruentum, impleta est mensura, & impietas consummata per scelus omnium maximum, de quo propterea sequitur:

4. *Et proiecit eam in medio amphoræ.* hoc est, caput ipsum mulieris, quod solum superueniebat, proiecit Angelus in medio amphoræ, quæ statim plena vndique, & nil ampliùs capere valens, operculo plumbeo obturata est. In superioribus tetigimus, per caput mulieris significari capitale illud crimen crucifixionis, ac necis
B Christi Seruatoris, quod fuit omnium peccatorum maximum, & ideo caput, ac summum impietatis Iudæorum. Vnde D. Bern. in sermone de passione Christi comparans peccatum hoc cum peccato originali, quod commune fuit totius naturæ malum, hoc appellat singulare, & grauissimum. Et rationem reddens: Quoniam, inquit, per hoc peccatum impij Iudæi, non solùm homicidæ, sed &, si fas est dicere, Deicidæ facti sunt. In hoc ergo fuit singulare, hoc est, non habens par inter omnia peccata, & iuxta id ipsum, omnium quoque grauissimum fuit, maximè autem comparatum ad peccata præterita, id est, occisiones Prophetarum antiquorum. Vnde Chrysostom. ad illa verba Christi Matth.
C 23. 32. *Implete mensuram patrum vestrorũ*, ait: Non solùm impleuerunt, sed latè excesserunt, quoniam illi occiderunt homines, Iudæi posteri Deum. Dicitur autem Angelus caput ipsum proiicere in amphoram, non quia fecerit, sed quia demonstrauerit factum. Superest de obturatione amphoræ.

*Caput mulieris, peccatum maximum necis Christi. D. Bernard. Nex Christi, peccatũ singulare. Per peccatũ necis Christi Iudæi quodammodo Deicidæ. D. Chrys. Mat. 23. 32. Impleuerũt mensuram, & excesserunt, Deo occiso, id est, Christo Deo.*

---

## *Quid significet plumbo obturata amphora?*

D

### SECTIO III.

1. *Quid per plumbi massam obturantem os amphoræ? Pondus peccatorum ex vsu peccandi, Psalm. 37. & Isai. 58.*
2. *Expenditur versio Septuaginta contra fœneratores. Illustrat locum Chrysostomus. Item Iob cap. 21.*
3. *Onus captiuitatis vltima Iudæorum plumbo exprimitur, & explicatur simili loco Ezechiel. 21.*
4. *Immissum plumbum in os mulieris, sentit Hieronymus. Quid eo significetur? Quid lectio Theodotionis?*

E 1. DE hac obturatione ait Propheta, Vers. 7. *Et ecce talentũ plumbi portabatur.* Vers. 8. *Et misit massã plumbeã in os eius.* Septuag. *Lapidẽ plumbi.* Indicat Angelus iam esse impletam mensuram, nec posse amplius capere, idcoque obturari; sed vlteriùs per immissionem plumbeæ massæ significatur graue pondus, quod annexum est peccatis, vsu multo, & consuetudine firmatis; iuxta illud Psalm. 37. 4. *Iniquitates meæ supergressæ sunt* caput

*Varia lectio Plumbi massa, condens peccatorum. Psal. 37. 5.*

*caput meũ, & sicut onus graue grauata sunt super me.* Non assentior Genebrardo, qui peccata supergressa caput explicat per aquarum molem, qua quis tempestate iactatus opprimitur: nam ea moles in mari non grauat submersum, cùm aqua in suo loco naturali non grauitet, iuxta Philosophum; at hîc exprimitur re vera pondus. Accommodatiùs videtur hoc explicari posse per id, quòd Isai. ait cap. 58.6. *Solue fasciculos deprimentes, omne onus disrumpe.* Quoniam qui peccata multiplicat, videtur multos fasces colligere, ac suæ conscientiæ portandos imponere, sub quibus misera succumbens quasi fatiscit. Exhortatur ergo Isaias, vt eiusmodi fasces dissoluãtur, & explicentur in confessione, quo laborans conscientia releuetur.

*Censura dicti Genebrardi.*

Isai. 58.6.

*Peccatores onerant cõscientiam peccatorum fascibus.*

2. Quod verò Septuaginta transferunt, *dissolue obligationès violentarum cautionum, & omnem scripturam iniquam*, id est contra fœneratores, qui in fasciculo referunt syngraphas vsurarum suarum; eóque tendit, vt ostendatur oneratos eos foris chartarum eiusmodi fasciculis; grauiùs adhuc intus onerari, cupiditatis, & auaritiæ pluribus actibus, quasi in fasciculos colligatis, quibus non modò pessundati, sed & præpediti minimè possint aut cælo intendere, aut sibi consulere. Itaque Septuaginta non minuunt sua translatione, sed augent & amplificant onera fœneratorum; rectéque ostendunt sicut vitia onerant, & impediunt peccatores, sic virtutem leues, ac expeditos facere homines iustos. Ita D. Chrysostom. homil. 57. in Matthæum, hunc locum de onere interno explicans ait: Vide hinc virtutis facilitatem, & grauissimum vitiositatis onus: nudis enim nominibus id comprobans Propheta, vitium quidem appellat colligaturam, & obligationes; virtutem verò, horum omniũ dissolutionem. Nudis nominibus, hoc est, non rationibus, ac argumentis artificiosè compositis, vt rem certam indicet, ac ipsa experientia sæpiùs probatam. Hoc igitur pondere onerati peccatores magno impetu ad inferos propellũtur. Quod rectè exaggerauit Iob cap. 21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Bonis enim vitæ huius intenti, mala propria corrigere negligunt, quæ ipsa negligentia magis ac magis ingrauescentia, infinitũ quasi pondus sibi accumulant, ex quo infinitus descensus in tartara sequitur. In puncto, in instanti, in non tempore, nulla re iam, saltem per aliquam morulam, intertardante motum, aut extendente, vel minimum. Itaque ex infinitate descensus rectè colligitur, & exaggeratur infinitas grauitatis propellentis.

*Contra fœneratores vsuris oneratos.*

D. Chrys.

Iob. 21. 13. *Infinitum pondus peccatorum.*

3. Alij per massam plumbeam immissam in os amphoræ intelligunt pœnam captiuitatis vltimę, qua, veluti compedibus, ita constricta est impietas Iudæorum, vt vsque ad finem mundi ab ea nõ sint liberandi: ideo enim os amphoræ obturatũ plumbo ostẽditur, vt exire ampliùs nõ liceat à captiuitatis onere. Aliter idẽ videtur expressisse per Ezechielem Deus cap. 21. 4. loquens contra Ierusalẽ. *Egredietur*, inquit, *gladius meus de vagina sua ad omnem carnẽ, ab Austro ad Aquilonẽ, vt sciat omnis caro, quia ego Dominus eduxi gladium meũ de vagina sua irreuocabilem.* Vaginam quidem interpretatur Theodoretus longanimitatem Dei, qua iræ suæ districtionem continet, in quam post emendationẽ peccatoris reducit gladium quem distrinxerat, idque in aliis captiuitatibus fecisse notum est. At verò, quia Iudæi postquam Christum occiderunt, in obstinatione, & excæcatione sua, vsque ad finem mundi perseueraturi sunt; ideo testatur Deus gladium quoque indignationis suæ super eos irreuocabilem futurum; ideoque omni carni omnibus gentibus patentissimum fore, quòd sub gladio suo ceruicibus eorum continenter intento, continenter quoque trepident, ac nequeant vel ad momentum respirare. Ita prorsus clausa impietas Iudæorum, amphoræ, hoc est, duræ istius captiuitatis tenebris, nunquam prodire potuit, aut ab ea liberari, vsque ad finem mundi.

*Plumbeum põdus, vltima captiuitas.*

Ezec. 21. 4.

*Vagina gladij Dei, eius longanimitas.*

*Irreuocabilis gladius, captiuitas non finienda ante finẽ mundi.*

4. Alij immissam plumbi massam intelligunt non in os amphoræ, sed in os mulieris: nam quia sedens gloriabatur, & occiso Christo seriò sibi triumphare visa est, Angelus vindex, non ferens ampliùs impudentiam garrientis, massam plumbi arripiens in os eius iniecit, ac vel repugnantem, & renuentem silere fecit. Est obseruatio D. Hieronymi. Ab Angelo, inquit, opprimitur, vt quæ priùs lætabatur in scelere, æterno silentio conticescat. Vel iuxta Theodotionem, ipsa mulier se proiecit, & abscondit in medium amphoræ, ac super se duxit grauissimum plumbi pondus, vt obturatum os haberet, & vltrà se iactare non posset. Simile est illud Psalm. 106. 40. *Effusa est contemptio super Principes, & errare fecit eos in inuio, & non in via, & adiuuit pauperẽ de inopia, & posuit sicut oues familias. Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum.* Videlicet cùm tyranni antea gloriabundi incederent, pauperes verò deiecti, ac demisso collo; diuino iudicio factum est, vt illi quidem subitò redditi sint contemptibiles, & extorres; iusti autem à Deo erecti, & familiis amplificati; sicque triumphantibus iustis, iniqui continuerunt, & oppilauerunt ora sua, & ne mutire quidem ausi sunt præ timore Diuinorum iudiciorum.

*Massa plũbi secundũ aliquos, in os mulieris immissa.*

D. Hieron.

*Ipsa mulier attraxit plumbum in os, quoniã iniquitas victa os oppilauit suũ.* Ps. 106. 40.

---

*De duabus mulieribus portantibus amphoram.*

## SECTIO IV.

1. *Reiiciuntur opiniones tres de significatione duarum mulierũ. D. Hieronymi sententia ex parte non probatur.*
2. *Probabilior sententi[a], duas mulieres significare duas Tribus, Iudam, & Beniamin. Portare iniquitatẽ suam, quid in Scriptura.*
3. *Alæ mulierum multipliciter sumuntur ab Autoribus, ex varietate significationis Hebraicæ. Breuiter dicendum, significari velocem velatum cuiuscũq; ne auis sint alæ.*

1. DENIQVE de eiusmodi mulieribus ita Vates, Vers. 9. *Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duæ mulieres egrediẽtes, & spiritus in alis earũ, & habebãt alas quasi alas milui: & leuauerũt amphorã inter calũ & terram* Hebr. *Et eis erant alæ sicut alæ ciconiæ.* Septuag. *Et ipsæ habebant alas vpupæ.* Magno nos Angelus liberaret onere, si vt mulierẽ amphoræ insidentem interpretatus est impietatem, si has duas propriis nominibus declararet; nunc autem posi

*Varia lectio.*

A posita in medio re, libera manet interpretandi facultas.

*Reiicitur opinio Rabbinorum, & Burgensis.* D. Hieron. Burgens. *Ribera explicatio non admittitur.* Ribera.

Missa igitur opinione quorundã Rabbinorũ, quos refert D. Hieronymus, accipientium per duas mulieres regnum Medorum, & Macedonũ; quoniã vtrumque Babylonios afflixerunt; item opinione Burgensis intelligẽtis per duas mulieres, duas expositiones Thalmud; Ribera putat, per has duas mulieres intelligi excæcationẽ, & indurationẽ Iudæorum post necem Christi. Verùm cùm per deportationem amphoræ intelligatur iã executio Diuinæ iustitiæ, expellentis Iudæos in captiuitatem propter impietatem necis Christi, excæcatio autem & induratio manifestè se habuerit ex parte eiusdem impietatis, tanquã cumulus post illam expletam additus, & idcirco intelligatur speciali modo prouocans ad vindi- B ctam; liquidò constare videtur non posse fingi, excæcationem, ac indurationem Iudæorum deferre amphoram, sed omnino aliud tenens se ex parte Dei vindicantis, & exequentis suppliciũ captiuitatis illatæ.

*Opinio à D. Hieronymo proposita vulgaris est, & multas habet difficultates.* D. Hieron. Ezec. 23. 4.

D. Hieronymus opinatur vnã ex duabus mulieribus esse decẽ Tribus, alterã verò duas alias, quarum illæ ductæ sunt captiuæ in Assyrios, hæ verò in Chaldæos. sicut Ezechiel. 23. 4. per duas sorores Oolla, & Ooliba, ipso Vate interprete, intelliguntur Samaria caput decem Tribuum, & Ierusalem caput duarum. Opinionem D. Hieronymi tenent veteres, & recentiores, C quamuis in modo explicandi dissideant. Fortè autem D. Hieronymus ideo hanc opinionẽ adhibuit, nõ quòd eam probaret, sed quia vulgaris erat; quod sæpe facere non semel obseruandum est: quoniam verò multas inuoluit difficultates, necessariò ab ea non omnino, sed ex parte discedimus.

*Quare non admittatur, ostenditur.*

Primùm enim cùm captiuitas illarum Tribuũ multò antè contigerit, quàm hæc à Zacharia Propheta visa sunt, iámque duæ Tribus in patriam remeauerint, quid oportuit de re transacta Visiones contexere? Item duæ mulieres visæ sunt simul leuare amphoram; at certum est, captiuitates earũ Tribuum, non simul contigisse. Denique quomodo dicuntur leuasse amphoram in terram Sennaar, hoc est, Babylonem, cùm eò solùm duæ Tribus D delatæ sint?

*Probabilior sententia, duas mulieres, duas esse Tribus, Iuda, & Beniamin. Reus accõmodatè dicitur portare pœnam suam. Non pœna, sed offensa Dei onerare debet.* Leuit. 17. 16. Ezech. 18. 20.

2. Igitur diu cogitantibus ea nobis existimatio placuit, quæ partim cũ D. Hieronymi, & cæterorum interpretum opinione consentit. Duas ergo mulieres deferẽtes amphorã intelligimus, esse duas solum Tribus, Iuda, & Benjamin; accõmodatéque portare amphoram ex vsu Scripturę, quæ sæpe reum ipsum iniquitatis portare illam dicit, hoc est, sustinere pœnas pro illa, vt ipsi iniquitati imputetur quòd puniuntur, non Deo, qui punit. Deinde, quia quod onerare peccatorẽ debet, non tã pœna ipsa est, quàm offensa Dei. E Leuit. 17. 16. *Si non lauerit vestimẽta sua à morticino, quod comedit, portabit iniquitatẽ suam.* & eodẽ libro passim repetitur is modus loquendi, & apud Prophetas sæpissime. Celebre est illud Ezechiel. 18. 20. *Filius non portabit iniquitatem patris, & pater nõ portabit iniquitatẽ filij.* hoc est, vnusquisque pro se soluet, ac sustinebit pœnas peccatorum suorũ.

Isai. 53. 11. *Non tam crux, quàm peccata grauabant Dominum.* 1. Petri 2. 24.

Et de Christo patiente apud Isai. cap. 53. 11. *Ipse iniquitates eorũ portabit.* Hæ videlicet grauabant Dominum nõ tam crux ipsa, quam portabat humeris. Iuxta quod intelligi potest illud 1. Petri. 2. 24. *Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ,* hoc est, plus quam lignũ, siue crucẽ.

*Super, interdum comparatiua.* Math. 10. 37.

Nã vox, A *super*, interdum est comparatiua valens idem atque magis. Matthęi 10. 37. *Qui amat filios super me, non est me dignus.* Quare in hoc sensu rectè dicuntur duæ Tribus portare impietatem suam, hoc est, captiuitatem præsentem, ac adeò per duas mulieres leuantes amphoram appositè hoc loco repræsentantur.

*Varietas lectionum.* Ps. 103. 18.

3. Quòd verò dicuntur habere alas milui, nõ tam habet difficultatem, quàm eam vltrò sectantur interpretes ex varietate translationũ. In Hebræo quidẽ est, חסידה cuius significatio latè patet. Nam Rabbi Dauid, & multi ex recentioribus *ciconiam* dicunt: Septuaginta hîc *vpupam* vocãt: & eandem vocẽ Psal. 103. 18 *herodium* reddidère, genus auis, quod Hispani quidem *garzã* vocant: quamquam Suidas ciconiã esse contendit. Eodẽ B modo Aquila, Symmachus, & Theodotion, imò & noster interpres Leuit. 11. & Deut. 14. Iob. 39. *herodiũ* habet. Iob. autem 39. & Ierem. 8. ipsum vocabulũ *hasida* posuerunt. D. Hieronymus *miluum*, transtulit, affirmátque esse communem versionem Hebræorum. Qui ergo harum omnium volucrũ priuatas conditiones obseruare voluerit, longissimũ hîc cõmentarium faciet, vt mihi quidem videtur, gratis: puto enim id solum esse sumendum hoc loco, quod id omnibus propositis significationibus commune est, videlicet, velocem, ac pernicem volatũ; quo significetur velocissimè ferri toto orbe captiuas, nec desituras C priùs mulieres, id est, Iudęos, quã in terra Sẽnaar, hoc est, Babylone, sedem suã ponant, vbi cum Antichristo, qui ibi regnaturus est, sedebunt.

*Significatur velocitas pœna infligenda.*

Id verò quod additur, *& spiritus in alis eius*, idẽ ostẽdit, ex collecto, scilicet, multo vento alas ipsas maiori impetu ferri.

---

## *Quomodo dicantur mulieres leuare amphoram inter cælum & terram, & de sede earum in terra Sennaar.*

### D SECTIO V.

1. *Cur amphoram in altum leuent? Locus Ps. 58. de supplicio Iudaeorum diuturno. Illustrat Augustinus.*
2. *Explicatio Ruperti de eleuatione amphora. Locus Isaiæ de exterminatione Iudaeorum cap. 22.*
3. *Iudaeos in Babylone tandem posituros sedem sub Antichristo. Qui ædificarunt turrim Babel, figuræ fuerunt Iudaeorum.*
4. *Dei misericordia exemplum, ex loco Ps. 102.*

E 1. TERMINVM volatus mulierum exprimens ait, Vers. 10. *Et dixi ad Angelũ, qui loquebatur in me, quò istæ deferũt amphorã?* Vers. 11. *Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suã.* Septuaginta: *In terra Babylonis, & ponam eã ibi super præparationẽ suã.*

*Varia lectio. Inter cælum & terram leuare amphorã repræsentant publicam pœnam.* Psal. 58. 12.

Leuant amphorã inter cælum & terram, hoc est, altissimè, vt omnibus notissima sit earũ pœna, nec sit in orbe natio, quę Iudæorũ ignoret impietatem. De hoc est illud Ps. 58. 12. ad literã, *Deus ostendit mihi super inimicos meos: ne occidas eos, ne quãdo obliuiscantur populi mei.* Aposiopesis, qua Deus in calamitate Hierosolymitana illata per Titum,

*Iudæi relicti à clade Titi, vt in eis perduraret vltio.*

Titum, cohibet illum à profusa cæde Iudæorũ, A ne scilicet omnes ad vnũ interficiat, & quasi manu continens, ait: *Ne occidas eos penitus;* volo enim seruentur ad longiorẽ adhuc vltionẽ; videlicet, vt captiui hinc ducantur, ac per totũ orbẽ sparsi testes sint iustitiæ meæ, ne vllo vnquã tempore, populi mei (nominatiuus est) hoc est, fideles mei, vel latiùs populi mei, hoc est, omnes in orbe meo populi, obliuiscantur meæ iustissimæ vindictæ, se habeant sẽper in Iudæis miserabiliter dispersis, & tamen incredulis, viuũ testimonium impietatis eorum, & condigni supplicij. Sic Iudæi (ait hoc loco Genebr.) hodie in sua misera captiuitate per orbem dispersi diuinam iustitiã in se cernendam clarè exhibent. Et D. August. ad verba B sequentia eiusdẽ Psal. *Disperge illos in virtute tua*, sic ait: iam factum est, dispersi sunt per vniuersã terram testes iniquitatis suæ, & veritatis nostræ: ipsi enim portãt codices de quibus prophetatus est Christus, & nos tenemus Christũ. Rectè autem idem August. eodem loco Psalmi ponderat quomodo omnes à Romanis subactę gentes Romano nomine ac prærogatiua censerentur, & tamen Iudæi eodem nomine tunc, hodiéque apud omnes gentes prænotari agnoscantur: Voluit, inquit, Deus, ne eo modo à victoribus absorberentur, ac in obscuro alieni nominis latitantes fugerent externarum gentiũ oculos, sed extarent, ac veluti suspensi inter cælum, & terram Iudæi esse liquidò cognoscerentur. Hoc est inprimis mysterium leuationis amphoræ inter cælum & terrã.

*D. August.*

*Iudæi apud omnes gentes etiã hodie seruant nomen Iudæorum, vt testes sint manifesti pœnæ suæ.*

2. Est & aliud, quod egregiè prosequitur Ru- C pertus Abbas ad hunc locũ. Videmus, inquit, Iudæos leuatos inter cælum, & terrã, quia nec terra sua capit eos, nec cælũ admittit. Et quemadmodum signifer eorum Iudas proditor periit suspẽsus inter cælum, & terrã, &, vt ait quidam, cælo, terræq; perosus: sic & iste populus à terrena Ierusalem exclusus, & cælesti factus indignus, quasi pendet inter cælum & terram. Ita Rupertus. Sed latiùs sumi debet nomen terræ, vt nõ solùm Iudęi à Palęstina, sed ab omni prorsus terra censeãtur exclusi: sic enim videmus hodie nullã illos propriam possidere terram, sed vbique gentiũ in alienis degere. Est de hac re insigne vaticiniũ apud Isaiam cap. 22. 18. *Coronans coronabit te tribu-* D *latione, & quasi pilã mittet in terrã latam, & spaciosam, vbi morieris.* Coronare hîc, nõ est coronã capiti imponere, sed noua quadam, & planè mirabili energia populum Iudaicum ita circũducta tribulatione conuoluere, vt planè in formam pilæ, seu sphæræ compactus circumagi, & rotari, quoquo versùs queat; rectéque ob id sequitur; *& quasi pilam mittet te in terrã.* Quo splendidè significatur Iudęus populus toto orbe vagus, nusquam certas sedes habens, sed omnino instabilis, huc illuc irrequieta rotatione circumactus. Alij pilã lusoriã, quam pueri hinc inde iactitant, sumunt, & quadrat per bella in Iudæos, qui omnibus gentibus in hoc ipso ludibrio sunt, vt eos à suis prouinciis E inuicem, quasi pilam, repercutiant.

*Rupert.*

*Inter cælum & terram, quia nec terra capit Iudæos, nec cælum admittit.*

*Isai. 22. 18.*

*Populus Iudaicus tribulatione vndique circũuolutus.*

*Vt pila rotatur toto orbe.*

*Iudæos quasi pilam repercutiunt omnes gentes.*

3. Quod verò sequitur: *Et dixi ad Angelũ, qui loquebatur in me: quò ista deferunt amphorã? Et dixit ad me: Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar, & stabiliatur, & ponatur ibi super basem suam terrã Babylonis*, vertunt Septuaginta. Et certè in terra Sennaar ædificata est Babylon, Genes. 10. 10. & 11. 2. Est autem sensus; Vagabuntur toto orbe Iudæi, nec desistẽt incerti, instabiléſque ferri, quousque Babylone, vbi Antichristus, quem & Messiam recipient, Ioan. 5. 43. prima regni fundamẽta ponet Dani. 11. Illuc enim tunc ex omnibus mundi partibus cõfluent, lætabuntúrque maximè quòd Messiam inuenerint suum, & quasi respirantes à diuturna peregrinatione ædificabunt ibi sibi domos, stabiliéntque, & quasi super basim, firmã cõstituent. Est autem metaphora, quòd tunc impietas Iudæorum exaltabitur, & quasi super basim, vt idolum in templo, collocabitur, vt gloriosior tunc, & honoratior habeatur ab omnibus Antichristi sequacibus. Qui turrim Babel ædificarunt in terrã Sennaar, vt impietatem suam contra Deũ exaltarent, Genes. 11. figuræ fuerunt Iudæorum, cùm pari modo in Sennaar ædificabunt domum impietati suæ, & super basim, quasi idolum sibi exaltabunt. Sed in nihilum recidẽt omnes cogitationes eorũ, sicut & impiæ turris ædificatorũ: nam & Antichristus eorum occidetur à Christo, & impietas exaltata cadet, contingétque ob magnam Dei misericordiam, vt in fine mundi resipiscant à viis suis malis, & conuertantur.

*Genes. 10. 10. & 11. 2.*

*Iudæi incerti ac vagi in Babylone cũ Antichristo sistent.*

*Ioan. 5. 43.*

*Super basim stabunt, opinione sua exaltati.*

*Qui turrim Babylonicã ædificarunt, figura Iudæorum.*

4. Ita solet Deus magnorum suppliciorum, ac minarum apparatum magnis terminare beneficiis, iuxta quod intelligendum est illud Psalmi 102. 8. 9. *Miserator, & misericors Dominus, lõganimis, & multùm misericors: non in perpetuũ irascetur, neque in æternum comminabitur.* Miserator. Rahum, quasi visceratus misericordia, intimè misericors. Misericors. Hanum, quasi gratificator: hominis naturam gratia cumulans. Longanimis. Tardus ad irascendum; ad verbum longus, siue latus naribus; cui videlicet ira non facilè coalescit in naribus (quia sedes sunt iræ ob spiritum ibi collectum) sed ob latitudinem facilè effluit, ac esse desinit. Multùm misericors. Rab. Hesed, quasi excedens misericordiæ limites, vt vel ingratis, ac immerẽtibus pro suppliciis beneficia cõferat, aut supplicia beneficiis temperet, terminétve. Vnde sequitur; non in perpetuum irascetur: propriè, litigabitur, sed lite finita reconciliabitur, etiam de nouo collatis beneficiis in aduersarium peccatorẽ: nec in æternum comminabitur. Manũ quidem sæpe leuabit ad percutiendum, sed consolatio magna est, quòd ea manus plena hyacinthis describitur, Cant. 5. 14. Videlicet, post incussum colaphum, lapillos in te pretiosos effundet; itáque ornabit, ditabítque percutiendo, aut iuxta aliam hyacinthi significationem, pugno suo percutiet caput, sed in percussione ipsa effluent illi è digitis inclusi flores, quibus ipsum caput coronabit.

*Minas suas terminat Deus beneficiis.*

*Psal. 102. 8. 9.*

*Deus visceratus misericordia.*

*Deo ira non facilè coalescit.*

*Cant. 5. 14.*

*Manus percutientis Dei plena hyacinthis id est, beneficiis.*

VISIO

# VISIO TRIGESIMAQVINTA, DE QVATVOR QVADRIGIS E DVOBVS MONTIBVS ÆNEIS EGREDIENTIBVS, ET DE CORONATIONE IESV filij Iosedec.

*Zachar. cap. 6.*

## ARGVMENTVM CAPITIS.

VIDET Propheta quatuor mirabiles quadrigas egredientes è medio duorum montium æreorum. Primæ quadrigæ equi erant rufi; secundæ nigri; tertiæ albi; quartæ varij, & fortes. Rogatus Angelus, quid essent? Respondit, esse quatuor ventos cæli, qui egrederentur, vt starent coram Dominatore terræ. Visæ sunt autem quadrigæ tendere ad varias orbis partes. Denique iubetur Propheta conflare coronam ex auro, & argento, & coronare caput Iesu filij Iosedec.

CAPVT VI. ZACHAR.

1. ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorũ montium: & montes, montes ærei.

2. In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri,

3. Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.

4. Et respondi, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quid sunt hæc, Domine mi?

5. Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore omnis terræ.



PARAPHRASIS.

A 1. *Transiui rursus ad Visionem aliam mirabilem, quæ oculis mentis meæ in cælum eleuatis ita sese obtulit. Videbam quatuor quadrigas, quatuor imperia mundi bellicosa, Chaldæum, Persicum, Macedonicum, Romanum, egredientia è medio æneorum montiũ, hoc est, à præscriptis Diuinæ prouidentiæ claustris.*

*2. Prima quadriga equos præferebat sanguinei coloris, Chaldaicam præ se ferens crudelitatem, quæ in plurimas gentes deseuiit. Quadrigam verò secundam equi trahebant nigri,* B *designantes Monarchiam Persarum, quæ graui metu oppressit Iudæos tempore Assueri, ob edictum de interficiendis Iudæis.*

*3. Quadriga tertia equos habebat albos felicitatis indices, quòd caput ipsum Græcæ Monarchiæ Alexander magnus Iudæos perhumaniter tractauerit. Quarta denique quadriga equis constabat fortibus, ac variis coloribus infectis; Romanam in eo Monarchiam ostendens, quæ variè Hebræos excepit sub variis Im-* C *peratoribus.*

*4. Percontatus ab Angelo sum, quid hæc Visio significaret?*

*5. Et is ad me: Hæ sunt, inquit, Monarchiæ quatuor, quæ quasi quatuor venti principales, principalia fuère in mundo Imperia, & bellorum tumultibus, quasi ventorum turbinibus, concusserunt terram. Eiusmodi autem Monar-*

A *chia coram Deo totius terrarum orbis Dominatore astant, ad famulatum suum eidem exhibendum, subsunt videlicet omnia regna Deo summo Monarcha.*

6. In qua erant equi nigri, egrediebantur in terra Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varij egressi sunt ad terram Austri.

6. *Quadriga illa equorum nigrantium, Monarchia scilicet Persarum, egressa est Ducibus Dario, & Cyro contra Babylonem; quæ Aquilonaris erat respectu Ierusalem. Post hanc egressa est quadriga candidorum equorum, hoc est, Monarchia Græcorum Duce Alexandro Magno ad partem similiter Aquilonarem contra Babylonem. Quæ verò equos varios gerebat Romana Monarchia ad Meridianam plagam, ad debellandam scilicet Aegyptum tendebat.*

7. Qui autem erant robustissimi exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: & perambulauerunt terram.

B 7. *Iidémque varij, qui & robustissimi equi, hoc est, Monarchia Romanorum, decursu temporis inualescens, ad omnem terram subiugandam erumpere parabat, & facta est illi à Deo copia expugnandi, & iugo suo submittendi omnem terram, quod re ipsa obtinuerunt.*

8. Et vocauit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.

8. *Dixitque mihi Dominus: Quadriga illa nigrescens, Monarchia Persica, quæ Babylonem cepit, rem mihi in eo pergratam fecit, quoniam ea ciuitas grauissimè afflixit populum meum.*

9. Et factum est verbum Domini ad me, dicens:

9. *Tum Dominus ad me speciale verbum transmittens, ait:*

10. Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaia, & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.

C 10. *Vade ad Holdai, Tobiam, Idaiam, & Iosiam, qui à captiuitate Babylonica venerunt, ac pete ab eis aurum, vtpote à viris pietate præcellentibus.*

11. Et sumes aurum, & argentum: & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni.

11. *Atque ex auro corrogato fabricare iubebis in domo Iosiæ custodis gazophylacij coronas duas, quas pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni, pro symbolo duarum in Christo dignitatum, Regalis, & Sacerdotalis.*

12. Et loquêris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituum, dicens: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS: & subter eum orietur, & ædificabit templum Domino.

12. *Atque hæc ad illum verba facies, dum coronas imponis capiti eius: Ecce corona hæc duplex non tibi imponitur, sed Orienti, id est, Christo, qui Ecclesiam ædificabit, noménque Orientis sibi vindicabit, quòd præter opinionem, de illo, quasi germinante, succrescent plurimi filij, plurima fidelium multitudo.*

D

13. Et ipse extruet templum Domino: & ipse portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo: & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos.

13. *Aedificabit autem templum, & ipse ipsissimus extruet illud, certissiméque, & citissimè id præstabit. Gloriosus ergo incedet, & diu gloriam possidebit, in ea sedens; ac super throno suo dominabitur; Sacerdotémque aget in solio similiter Sacerdotali. Eritque inter vtramque dignitatem, Regalem, & Sacerdotalem, magna conuenientia, simulatque in vno, eodémque Christo copulabuntur.*

14. Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hem filio Sophoniæ memoriale in templo Domini.

14. *Volo autem, vt prædictæ coronæ incisa habeant nomina quatuor illorum virorum, Holdai, Helem, Tobiæ, Idaiæ, & Iosiæ Hem, eorúmque per id memoria semper sit superstes, ob singularem eorum pietatem, qua largiti sunt aurum suum; reponentur ergo coronæ in templo, in eorum memoriale perpetuum.*

15. Et

15. *Fiet*

15. Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini:& scietis, quia Dominus exercituum misit me ad vos. Erit autem hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

A

15. *Fiet autem, vt Gentiles, qui procul à mea fide sunt, vltrò veniant in templum, in Ecclesiam meam, & eam verbo, & exemplo ædificent. Et cùm hæc impleta fuerint, tunc veritas promissorum comprobabitur. Sortientur autem hæc effectum suum, si obedientes fueritis prædicationi Euangelicæ; sin minùs, abiiciemini, & his bonis omnino priuabimini.*

---

COMMENTARIVS.

PRimùm dicemus de quatuor quadrigis; deinde de montibus æneis; postea de expositione Angeli; denique de coronatione Iesu filij Iosedec.

---

## *Quid significent quatuor quadrigæ?*

### SECTIO I.

1. *Quadrigis significari Monarchias mundi, & quare? Illustratur locis è sacra, profanaque historia.*
2. *Vehi curru, vel equo, quid symbolicè apud veteres? Illustratur variis locis.*
3. *Prima quadriga Monarchiam Chaldæorum significat, quia magnas clades Iudæis aliisque prouinciis intulit. Locus Isai. 10. Illustrat August. Alia opinio de colore rufo reiicitur.*
4. *Quadriga equis nigris acta Persarum Monarchiam Iudæis infestam innuit. Color niger index tristitiæ. Illustratur variè.*
5. *Tertia quadriga habens equos albos Monarchiam Græcorum Iudæis felicem innuit. Id sub Alexandro probatur ex Iosepho. Monarchas omnes subiici debere Ecclesiæ.*
6. *Quarta quadriga significari Monarchiam Romanorum; cur eorum varij equi?*
7. *Quid sit egredi quadrigas è medio montium æneorum? Egredi in Scriptura quid? Locus Habacuc 3. 2. Regum 11.*

1. AGNIFICAM Visionem magnificis verbis effert Vates. Vers. 1. *Vidi, & ecce quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium, & montes, montes ærei.* Vers. 2. *In quadriga prima equi rufi, & in quadriga secunda equi nigri.* Vers. 3. *Et in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij, & fortes.* Quatuor quadrigas, quatuor mundi imperia designare, communis est sententia tum veterũ Hebræorum, tum posterorum interpretum, vt refert D. Hieronymus ad hunc locũ. Cur autem per quadrigas significẽtur imperia, ea ratio afferri solet, quòd imperia prædicta bellicosa, armísque tum parta, tum amplificata fuerunt. At veterum mos in bellis erat, è quadrigis manus conserere, quod indicat illud Psalm. 19. 8. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autẽ in nomine Dei nostri inuocabimus.* Latine dicendum, Hi currus & equos in prælia inuocabunt, nos, &c. Materies Psalmi est, inuocatio Domini pro Rege ad prælium proficiscente. Nahum 3. 2. *Vox flagelli, & vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis.* Bellici apparatus illustris propositio. Hieronymus eo loco: Tam pulchra, inquit, est descriptio exercitus se præparantis ad prælium, vt omnis meus sermo sit vilior, &c. Habac. 3. inducitur Deus bellator: *Qui ascendes super equos tuos, & quadrigæ tuæ saluatio.* Nimirum habet plures currus ad bellandum Deus, inter quos vnus appellatur, saluatio, quo vtitur ad liberãdos suos, vt fecit cùm debellauit Ægyptios Israëlem persequẽtes, & cùm vellet Deus Ecclesiam suam militantem significare, dixit Cantic. 1. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis, assimilaui te amica mea.* hoc est, Te militantem, ac variis bellis exercitam, simillimam duxi meæ quadrigæ Cherubim, cum in mari rubro inter Pharaonis currus coruscabat ignita, ac cõtra rebelles Ægyptios præstabatur. E libris etiam Iudicum disces quam celeber fuerit olim ad bella quadrigarum vsus, vbi falcatorum curruum fit mentio cap. 1. & 4. Homerus passim, Virgilius sæpe bellicorum curruum meminit; de Turno ad prælium rapto sic Æneid. 12.

*Quatuor quadrigæ quatuor mũdi Monarchiæ.*
D. Hieron.
*Quadrigis significãtur imperia bellicosa.*
Psal. 19. 8.
*Quadrigarũ vsus in bellis antiquus. Ex Scriptura probatur.*
Nahum 3. 2.
D. Hier.
Habac. 3. 8.
Cant. 1. 8.
*Romanorum vsus idem.*
Virgil.

B — C

*Poscit equos, atque arma simul, saltúque superbus*
*Emicat in currum, & manibus molitur habenas.*

2. Obseruatũ quoque est, superuehi siue curru, siue equo, insigne esse Imperij, & Regiæ maiestatis. Videre id est primùm in Ioseph, qui in Ægypto principatũ iniit curru vectus. Gen. 41. 43. sic de Pharaone. *Fecit*, inquit, *ascẽdere Ioseph super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes corã eo genu flecterent, & præpositũ esse scirent vniuersæ terræ Ægypti.* Deinde in Salomone; qui regia mula inequitans regno inauguratus est, 3. Reg. 1. 38. *Imposuerunt Salomonem super mulam Regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon, sumpsitque Sadoc Sacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem, & cecinerũt buccina, & dixit omnis populus: Viuat Rex Salomon.* Hinc nota phrasi, dicitur Rex habenas imperij sui moderari, dum legibus, ac institutis suis quò vult, circumagit. Sic Latinus Rex (vt est apud Virgilium) conquestus de Turno, quòd bellum inscio se contra Troianos instauraret, lib. 7. ait, nolle se ampliùs regnum administrare.

*Vehi curru, & equo, insigne Imperij.*
Genes. 41. 43.
3. Reg. 1. 38.
*A regio curru tractum, vt habenas moderari, sumatur pro gubernare.*

D

——— *Nec plura loquutus*
*Sepsit se tectis, rerúmque reliquit habenas.*

Isaiæ quidem 21. 7. per ascensorem asini, & ascensorem cameli intelliguntur Cyrus, & Darius, insignes Monarchæ: quorum ille humili loco natus, hic regia stirpe prognatus, ex differentia prædictorum animalium designantur. Quin etiam Deus ipse Imperator vniuersi significatur in illo Deuter. 33. 26. *Ascensor cæli auxiliator tuus*; hoc est, qui cælo, vt quadriga, inequitat: est enim cælum empyreum veluti stratum immobile, cæli inferiores veluti rotæ perpetuis motibus sub illo volubiles, quos intelligentiæ cælestes circumagunt. qua de re latè Vilalpandus tom. 1.

Isai. 21. 7.
*Duo Monarchæ equitãdi differẽtia monstrati.*
E
Deuter. 33. 26.
*Deus idcirco dicitur Ascensor cæli.*
Vilalp.

Cùm ergo quadrigæ tum belli, tum regni insignia sint, vti videmus, rectè iam constat, quare

per eas quatuor mundi Monarchias expresserit Vates. Nunc singulas quadrigas consideremus, notatis tantùm quæ hîc specialiter habêtur: nam de Monarchiis latiùs suprà.

*Prima quadriga Monarchia Chaldæorũ.*

3. Prima quadriga ab equis rufis agebatur, & Chaldæorum Monarchiam exprimebat, in qua etiam censebantur Assyrij: nam rufus color, seu sanguineus, repræsentat Assyriorum vim bellicam, quæ multis cladibus affecit Iudæos, ac multas alias prouincias vastauit. Et certè Isai. 10. 5. vocatur Assur virga furoris Dei, quòd ea natione Deus vteretur ad plectendos Iudæos; nec sine mysterio eius nominis etymon deducit Augustinus super Psalm. 79. quo videlicet Assyrij dirigentes interpretatur: iis enim adhibitis, quãdo opus erat, Iudæos dirigebat Deus, seu directè ambulare cogebat, sicut auriga adhibito flagello, seu virga iugales in directam viam compellit. Narrat verò D. August. in libro de ciuitate Dei, Assyrios, vt etiam comprehendunt Chaldæos, totam Asiam subiugasse, faciléque id initio rerum consequutos, cùm videlicet gentes adhuc erant ad resistendum imbécilles. Innuit verò hoc ipsum, mandatum Nabuchodonosor ad Holophernem Principem militiæ, Iudith 2. 5. *Egredere aduersùm omne regnum Occidentis; non parcet oculus tuus vlli regno, omnémque vrbem munitã subiugabis mihi.* Scio nõ defuisse, qui equos rufos in Monarchia Assyriorum ideo visos putauerint, quoniam ea natio colore rubro in primis delectaretur; similiter & de coloribus in equis aliarum, quadrigarum idem censuisse. Verùm licèt in Monarchia Assyriorum id probare possint ex illo Nahum 2. 3 *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus eius in coccineis*; tamen in cæteris difficilis est probatio. Satius ergo videtur, Monarchias hîc visas, in Iudæorum gratiam colores eos præferre, qui solos Iudæos concernant.

*Rufi equi, sanguinariam vim ostendunt.* Isai. 10. 5. D. August. *Assyrij dirigẽtes vocati, quòd per eos Deus dirigebat Iudæos.* Iudith 2. 5. *Difficile est omnes Monarchias cõferre per colores, quibus delectabantur.* Nahum 2. 3.

4. Igitur secunda quadriga equos ostentans nigros, innuit Monarchiam Persarum, in qua regnante Assuero, Iudæorum populus graui metu oppressus est, ob edictum Regis de interficiendis Iudæis, Esther 3. 13. Similiter & multos annos, dum vigeret eadem Monarchia, impediti sunt ab ædificatione templi, ob idque in longa quoque tristitiæ caligine iacuerunt, quod rectè expressum est nigrore equorum. Is enim color tristitiæ est index, vt apud Nahum de simili Iudæorum metu. *Cor tabescens*, inquit, *& dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum sicut nigredo ollæ.* Est cor hominis veluti olla, quæ igne tribulationis circumposito aduritur, adustio autem redundat in faciem, quæ veluti exsufflatorium ignis exstat, ac ob id necessariò denigrat, quod significauit Ioël cap. 2. 6. cùm dixit de Iudæorum tribulatione, *Omnes vultus redigentur in ollam*; hoc est, sic adusti apparebunt, ac ipsum cor ad instar ollæ combustum. Ad idem spectat Isai. cap. 13. 8. *Vnusquisque ad proximum suum stupebit, facies combustæ vultus eorum.* Idcirco & nigram se fatetur Sponsa Cant. 1. 4. ex tribulatione inuecta per fratres. *Nolite me considerare, quòd fusca sim, decolorauit me Sol, filij matris meæ pugnauerũt cõtra me.* Sol, ardor persequutionis, quæ in morem Solis faciem obfuscat; iure autem non fratres, sed filios matris suæ vocat; iustum in eos doloris sensum declarans, quòd fraternam charitatem verterint in nocendi studiũ. Instans ergo persequutor, quasi multiplicatis radiis, torret, ac infuscat diu sub illis laborantes, vt Sol feruore multiplici,

*Secũda quadriga equorum nigrorũ, Monarchia Persarum, ob metum Iudæorũ sub Assuero.* Esther 3. 13. Nahum 2. 10. *Facies sicut nigredo ollæ, hoc est tristissima.* Ioël. 2. 6. Isai. 13. 8. *Nigra Sponsa ob tribulationes.* Cant. 1. 4. *Filios matris suæ non fratres appellat ob læsã charitatem.*

A diu per agros vagantes adurere solet. Hinc illud Bernard. ad locum prædictum Cant. *Quid miraris nigredinem, quam feruor persequutionis inúexit? Quæ cùm ita sint, iure Monarchia Persarum, quæ diu vexauit Hebræos, vti diximus, quadriga est equis acta nigrantibus.*

Bernard.

5. Atenim tertia quadriga equos albos præferebat. *In quadriga*, inquit, *tertia, equi albi.* Significatur autem Monarchia Græcorum, & sub ea felicitas Hebræorum. Nam color albus felicitatem innuit, vt diximus suprà ad Visionem capitis primi. Ipsum verò caput Monarchiæ Græcorum, Magnus Alexander, Hebræam gentem perhumaniter tractauit. Narrat namque Iosephus 11. Antiquitatum vltimo, Alexandrum cùm in Iudæam venisset, & Hierosolymam ingressus esset, Pontificem Hebræum sibi obuiam egressum adorasse, & in templo Hierosolymitano Deo vero obtulisse sacrificium; cúmque illi proposita esset prophetia Danielis de hirco caprorum, interpretationem eius de Rege Græcorum Regem Persarum euersuro, cũ gaudio, & certo victoriæ omine excepisse. Quamuis autem mortuo Alexandro multis eam cladibus, & prælis affecerint Græcorum Duces; tamen per Iudam Machabæum, & fratres pluribus victoriis per idem tempus illustrata, & condecorata est. Notandum verò, sicut vetus Synagoga, ex illo Alexandri facto, quo se lubens illi subiecit, feliciter secum actum existimauit: ita dum Principes ac Monarchæ Ecclesiæ subiiciuntur, magnæ id loco felicitatis reponendum esse; quòd temporalis potestas, consortis impatiens, superiorem sibi patiatur esse potestatem spiritualem, idque sibi legitimo ordine cõpetere recognoscat vltrò. Quod certè Ecclesia non semel experta est. Primùm quidem sub Magno Constantino; deinde sub pluribus aliis Imperatoribus, qui altitudinẽ secularis Monarchiæ summorum Pontificum pedibus submiserunt. Exprimere id videri possunt vigintiquatuor Seniores Apocal. 4. 10. qui *procidebant, & mittebant coronas suas ante sedem Agni*: hoc est, Apostolicam ipsam, in qua Pontifices Christi loco sedent.

*Quadriga equorũ alborum, Monarchia Græcorum, quia felix Hebræis.* Ioseph. *Alexander in Iudæos bene animatus.* *Magna felicitas cùm Monarchia Ecclesiæ subiiciuntur.* *24. Seniores in Apocal. id repræsentant.* Apocal. 4. 10.

6. Quarta denique quadriga equos habebat varios, ac fortes; & per eam significatur Monarchia Romanorũ, quòd variè sub Imperatoribus Romanis tractati sunt Iudæi. Clementer quidem à Iulio Cæsare, Augusto, Claudio: crudeliter à Caligula, Nerone, Vespasiano, Tito, Adriano. Quod noster varios dixit, Hebræus vocat ברודים hoc est, *grandinosos*, siue *grandinatos*, quasi maculis albis, instar grandinis respersos. Vt quia grando, calamitatis, quam sæpe segetibus infert, symbolum est, grandinosa intelligamus regna, quatenus calamitates aliis inferunt; grandinata verò, quasi calamitatibus multis subiecta, quod maximè Romanorum Imperium habuit in vtramque partem. Et Hieronymus quidẽ Genes. 31. 8. idem nomẽ vertit, *diuersorum colorum*: hoc verò loco *respersos* dixit, videlicet, maculis albis. *Fortes* Septuaginta dixerunt ψαροὶ, hoc est, veloces; aut multicolores. Chaldæus קטמנין quod ferè interpretantur, *cinerei coloris*, à קטם quod est, *frangere, conterere*, quasi contritus; quod inprimis conuenit cineri, qui cõtritus, & cõminutus est; quo innuitur, omnia regna, & eorũ gloriã cineream esse, quòd tandem in cineres, ac verè nihil redigẽda sunt. Vt autem respondeat vulgato, rectiùs interpretabimur *conterentes, confringentes*, hoc est, fortes. Rectè autẽ potentia, & fortitudo mundi non alio eminet, quàm

*Quarta quadriga equorum variorũ, Monarchia Romana variè tractans Iudæos.* *Equi grandinosi, quasi grandine aspersa maculosi.* *Grandinosa, id est, calamitosa, grãdinata, id est subiecta calamitatibus.* D. Hieron. Gen. 31. 8. קטמנין *Iuxta Chaldæum, cinerei coloris, quasi cõtriti, seu conterentis.* *Regnorum gloriam cineream, & facilè dissipabilem.* *Regnorũ proprium, conterere per tributa, & legũ onera.*

quàm conterendo, & commouendo infimorum fortunas, per imposita tributa, & regum onera grauia. Quod verò quidam notant, non esse intelligendum, eosdem equos fuisse varios, ac fortes, sed alios quidem varios, alios verò fortes, vt in aliquibus Imperatoribus notetur quidem vis, sed quæ Iudæis nec profuit, nec nocuit, non videtur necessario annotatum, quoniam in contextu simpliciter copulatiuè dicitur quarta quadriga equos habere varios & fortes, quod absque vlla diuisione sensum prædictum retinere potest.

*Fortes & varij equi, copulatiuè sumendum.*

7. Quadrigæ autem dicuntur egredi è medio duorum montium æneorum; egredi quidem, hoc est, instrui armis, ac reliquo paratu militari ad bella gerenda. Similiter Habacuc 3.13. de Deo quasi præliaturo. *Egressus es*, inquit, *in salutem populi tui, in salutem cum Christo tuo.* Egressus, scilicet, quia instructus, & accinctus ad præliandum est (nam multa præcesserant ac apparatu bellico) contra aduersarios populi tui, & exeunte ad hoc etiam Christo, Deus cum illo erit, potentiam eius, & virtutem ad saluandum ostendens, per vim miraculorum, & prædicationis Euangelicæ. Confirmatur significatio verbi, *egredior*, ex illo 2.Reg.11.1. *Factum est autem vertente anno, eo tempore quo solent Reges ad bella procedere, &c.* Nam, *ad bella*, non est in Hebræo, nec Chaldæo, nec Septuaginta, sed dumtaxat *procedere*, noster autem Interpres addidit, *ad bella*, vt exprimeret latentem in solo verbo significationem militaris egressus, vti diximus.

*Egredi, id est, instrui armis.*

Habac.3.13.

2.Reg 11.1.

Medium porro montium æneorum repræsentat Diuinam prouidentiam; quoniam intra eius fortitudinem inclusæ tenebantur, ac tenētur hodie omnes Monarchiæ, vt intelligatur ad præscriptum dumtaxat Diuinæ voluntatis, ac ordinationem eius, prodire imperiorum quadrigas, & extendi ad certos limites, qua scilicet, & quo illis data fuerit porta ad exeundum. Itaque continet illas Deus intra septa ænea: & quamuis intus indignantes circùm claustra fremant, celsa tamen arce prouidentiæ suæ sedens, emollit animos, irásque temperat: ni faciat maria, ac terras impetu suo per auras rapiant, sed omnipotens Deus mundo præcauens, abdit illas in carceres suos, montésque æneos circumponit, ac fœdere certo nouit habenas tum premere, tum laxare. Iraque quatuor illas famosas Monarchias temporibus à se præstitutis, & facultate circumscripta laxauit, non simul, sed ordinatis per prouidentiam suam temporum spatiis, primùm quidem Chaldaicam, deinde Persicam, postea Macedonicam, denique Romanam.

*Mediū montium, Diuina prouidētia.*

*Dei voluntate continentur, & emittuntur quadrigæ regnorum.*

---

## *Quomodo Angelus quatuor quadrigas sit interpretatus.*

### SECTIO II.

1. *Obscuritas interpretationis Angeli. Quadrigæ pro sessoribus. Exod.14. Isai.37.*
2. *In Scriptura sæpe omitti notam similitudinis, ostenditur. Quid Monarchiæ cum ventis simile?*
3. *Ventos esse, quia vana sunt, ac præter boatus nihil. Locus Isai.30. de vanitate regnorum. Salomon in Ecclesiaste quid sentiat?*
4. *Regna Deo seruire. Stare coram aliquo, seruire est. Tob.12. Reges etiam Ethnicos seruire Deo ostenditur: aliter, stare coram Deo explicatur.*
5. *Cur prætermittat quadrigam equorum rufforum: Medos, ac Persas equis nigris, Græcos albis significari. Quid sit, Requiescere fecerunt spiritum meum: Quomodo misericors Deus vindicta gaudeat?*
6. *Cur Romani dicantur egredi in terram Austri, hoc est, Ægyptum. Impugnatur opinio Rabbi David, quare in Ægypto ceperit Monarchia Romanorū.*
7. *Quinam equi fortes: Reiicitur sententia Montani.*
8. *Opinio Riberæ, intelligi Gothos. Gothis non malè quadrare quæ in contextu dicuntur.*
9. *Vera sententia, equos varios, ac fortes esse eosdem Romanos. Et quomodo id intelligamus?*

1. PROPULTA Visionis apparatu planè suspensus interrogauit Angelum comitem ad hunc modum, Vers.4. *Quid sunt hæc, Domine mi?* Vers.5. *Et respondit Angelus, & ait ad me: Isti sunt quatuor venti cæli, qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore vniuersæ terræ.* Vers.6. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varij egressi sunt in terram Austri.* Vers.7. *Qui autem erant robustissimi, exierunt, & quærebant ire, & discurrere per omnem terram. Et dixit: Ite, perambulate terram: & perambulauerunt terram.* Vers.8. *Et vocauit me, & locutus est ad me, dicens: Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum in terra Aquilonis.* Atenim interpretatio Angeli sic est obscura, vt absque alia interpretatione patere nequeat: plus ergo vexat interpretes interpretatio reddita, quàm ipsa series Visionis. Semel à nobis iam dictum, quadrigas non esse sumendas sine sessoribus, vt Exod.14.7. *Tulit sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit.* Isai.37.24 *In multitudine quadrigarum mearum ego ascendi altitudinem montium.*

*Interpretatio Angeli obscura.*

Exod 14.7.

Isai.37.24.

2. Primùm ergo generatim ait Angelus de quatuor quadrigis, *Isti sunt quatuor venti cæli.* Rectè autē mihi videtur Ribera subintelligere particulam, *quasi*, vt sit sensus: quatuor quadrigæ sunt, quasi quatuor venti cæli. Vsitatum est enim in Scriptura, notam similitudinis omittere. Oseæ 10.9. *Non comprehendet eos in Gabaa prælium*; hoc est, sicut in Gabaa, quale, scilicet, fuit illatum pessimis illis adulteris, &c. & Psal.10.2. *Transmigra in montem, sicut passer.* In Hebræo enim non est nota similitudinis, sed absolutè, *Transmigra in mōtem passer.* Ita prorsus hoc loco: *Isti sunt quatuor venti cæli*; subintellige, quasi quatuor venti cæli: quoniam Monarchiæ prædictæ in eo primùm conueniunt cum ventis quatuor, quòd sicut ij venti à præcipuis cæli partibus flantes, Principes sunt ventorum reliquorum; ita quatuor Monarchiæ inter cætera minora regna eminent. Et sicut eiusmodi venti è diuersis mundi partibus orti totam terram concutiunt; ita Monarchiæ à diuersis mundi partibus totum terrarū orbem bellorum tumultibus concitarunt. Deinde, vt non simul quatuor venti perflare solent, sed modò hic, modò ille, nec vnus totam terram perflat, sed omnes: ita quatuor dicta regna successu temporum bonam terræ partem, omnia verò totum vndequaque concussère mundum. Intelligi etiā potest, vel singulas Monarchias singulos esse ventos, accommodatè ad proprietatem vniuscuiusque Monarchiæ, vel vnamquamque Monarchiam esse omnes quatuor ventos. Maximè verò

*Venti hoc loco, pro, quasi venti.*

Ribera.

*Nota similitudinis sæpe omittitur.*

Oseæ 10.9.

Psal 10.2.

*Vt venti quatuor à quatuor mundi partibus cæteris ventis eminent, sic Monarchiæ, &c. In aliis ostēditur comparatio.*

id Chaldæorum, ac Romanorum Monarchiæ conuenit, quæ duæ bellorum suorum tumultibus orbem totum concusserunt.

*Monarchiæ plurimum venti ac vanitatis habent.*

3. Rectè igitur hinc colligitur, omnia mundi regna, & ipsas ita celebres toto orbe Monarchias, parum, imò plurimum esse venti: tumultuantur, tonant, ima, summa pulsant, sed præter eiusmodi beatus, qui aures obtundunt, propè inuenies nihil. Rectè quidem Isai. cap.16.6. de Rege Moab, *Audiuimus*, inquit, *superbiam Moab: superbus est valde Superbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius, plus quàm fortitudo eius*; quasi dicat: plus habet vanitatis, quàm soliditatis. In hoc planè vētis similes sunt omnes Monarchiæ: nam cùm nihil habeamus ventis familiarius, nihil tamen illis habemus explicatu difficilius (vt ait Augustinus) quia cùm hinc inde nos perflent, si perflantes premere velimus, planè inuenimus nihil, præter communem aërem. Regem si quis nominet, magnum quid effert, quod aures quidem implet: preme, inquire, quid sit, planè inuenies nihil, præter communem hominem, quo cæteris eius naturæ par omnino est. Prosequitur latè hoc argumentum Rex Salomon toto libro Eccles. sèque ipsum, & regnum suum, & delicias suas, & sapientiam suam propè reputans nihil, diùque ac multùm hac in re philosophatus parem se cum quolibet, vel infimo seruo suo deprehendit. Et ideo Sapient.7.1. hac veluti definitione se mensus est: *Sum quidem & ego mortalis homo similis omnibus.* Itaque librum totum Ecclesiastæ hac sententia claudit: *Finem loquendi*, inquit, *omnes pariter audiamus. Deum time, & mādata eius obserua: hoc est enim omnis homo.* quasi dicat, *omnis*, hoc est, perfectus homo, in hoc solùm talis est, vt secundùm rectam rationem viuat, subdendo se Deo, & mādatis eius obtemperando; quidquid præterea habet, siue diuitiæ sint, siue scientiæ, siue deliciæ, siue regnum, ventus est, vanitas est; nihil est. Quis dum audiret Zachariam hoc loco Monarchias quatuor, sub quadrigarum apparatu proponentem, non expectaret ab Angelo interprete magnificum aliquem earundem explicatum? At is rectè intelligens omnium Monarchiarum vanitatem, aptissimè subdidit: *Isti sunt quatuor venti cæli.* Congruit autem quod Isai. ait cap.40.23. *Qui dat secretorum scrutatores* (Septuaginta, *Principes*) *quasi non sint, Iudices terræ velut inane facit.* Agnouit optimè & hoc S.Iob, qui & ipse Rex fuit, & cap.30.22. cum Deo loquens ait: *Eleuasti me, & quasi super ventum ponens elisisti me validè.* Hoc est, euexisti me ad regium solium, quod re ipsa deprehendi è vento factum, in quo quidem ego sublime sedens id lucratus sum, vt casu grauiore ruerem.

Isai.16.6.

D.August.

Eccles.12.13.

*Omnis, id est, perfectus homo, qui subditur Deo, cætera, vanus est.*

Isai.40.23.

*Principes, quasi non sint; Iudices, nihil sunt.*

Iob.30.22.

*Rex Iob suā agnouit vanitatem.*

*Monarchiæ præstò sunt Deo ad famulatum.*

4. Prosequitur porro Angelus de ventis prædictis: *Qui egrediuntur, vt stent coram Dominatore vniuersæ terræ.* Significatur autem, quatuor Monarchias, sicut & cætera omnia regna, præstò esse, vt Deo famulatum præstent, nec Reges, aut Monarchas rerum potiri, vt suo arbitratu bella inferant, gentes subiiciant, sed vt hoc solùm Deo imperante, aut permittente faciant: ideo non dixit, coram Deo stare, sed corā Dominatore vniuersæ terræ. Considera quanta sit Diuinæ dominationis maiestas, quæ tam magnis imperiis pro seruis vtitur, & quasi nutu ipso regit, mutat, trāsfert quò vult. Hebraismus ergo est, stare coram aliquo, pro exhibere se promptum ad exercenda mandata. Tob.12.15. Raphaël ait: *Sum vnus è*

*Diuina maiestas imperiis pro seruis vtitur. Stare coram aliquo, pro exhibere se promptū ad seruiendum.*

Tob.12.15.

A *septem, qui astamus ante Dominum*: & cap.4. Zachar. 14. *Isti sunt duo filij olei, qui assistunt coram Dominatore vniuersæ terræ.* Itaque regna omnia, licèt alioqui à vero Dei cultu aliena, tamen Deo seruiunt, quatenus rebellium etiam voluntates occultis motibus agit quò vult. Hinc ortæ loquutiones plurimæ in Scriptura sacra, in hoc tantùm sensu accipiendæ. Ierem.25.9. *Ecce ego mittam, & assumam vniuersas cognationes Aquilonis, & Nabuchodonosor Regem Babylonis seruum meum, & adducam eos super terram istam, &c.* Seruum suum vocat Nabuchodonosor Regem Ethnicum, quia eo vtitur ad exequutionem voluntatis suæ. Isai.45.1. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Christo meo, vncto meo, facili videlicet, ac prompto, vt compleat mandata mea. Isai.13.3. *Ego mandaui sanctificatis meis, & vocaui fortes meos in ira mea, &c.* Sanctificatos meos, id est, Chaldæos destinatos à me ad

B puniendum, sicut quælibet destinata ad diuinum seruitium sanctificata dicebantur. Matth.22.7. *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem eorum succendit.* Romanos intelligit, quorū exercitibus, id est, opera vsus est Deus, ad euertendam Ierusalem. Isai.7.18. *Sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminū Ægypti, & api, quæ est in terra Assur, & venient, &c.* Sibilabit (vt solent domini ad vocandos seruos suos) muscæ Ægypti, id est, Ægyptiis molestissimis hostibus; & api, id est, Assyriis, qui sæpe Iudæos stimulare solebant. Videlicet Diuina voluntas semper fit in cælo, & in terra, & omnia illi seruiunt, Psal.118. 91. cum hac solùm differentia, quòd fideles in seruiendo merentur, infideles minimè. Vtrique ergo seruiunt, illi voluntarij, hi coacti. Vnde illud Bernard. super Cant. explicans illa verba Ps.

C 109. *Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.* Donec omnes, inquit, tuæ voluntati subiiciam, siue inuitos, & miseros, siue voluntarios, & beatos. Potest etiam loquutio illa, *vt stent coram Dominatore vniuersæ terræ*, indicare, Deum habere peculiarem curam, ac prouidentiam circa regna, Regésque mundi: nam cùm omnis potestas specialiter à Deo sit, Rom.13.1. eiusdem quoque specialis conseruatio, & prouidentia à Deo manat. Quod rectè agnoscens Salomon 3.Reg.8.25. sic orauit Deum: *Domine Deus, conserua famulo tuo Dauid patri meo quæ locutus es ei dicens: Non auferetur de te vir coram me.* Explicans autem quid esset, *coram me*, ait; qui sedeat super thronum Israël.

D Itaque Regem esse, & in regni sede conseruari, à Deo est peculiariter: sequitur ergo de exequutione voluntatis Diuinæ per quadrigas.

5. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis, & albi egressi sunt post eos.* Prætermittit quadrigam equorum rufforum, quę Monarchiam Assyriorum significabat, quoniam ea iam deleta fuerat, Persæque, ac Medi tum rerum potiebantur. Cur autem priùs eius Monarchiæ meminerit, non autem hoc loco, ratio esse potest, vt intelligant Iudæi, ab Assyriis sæpe vastati, & capti, vel ob id non temere eam Monarchiam à Deo

E inductam, sed vt eorum suppliciorum, ac aliorum esset administra, & vt vidētes tam magnam Monarchiam desiisse, intelligerent, similiter & cæteras desituras. Significatur ergo, Medos, ac Persas equis nigris, & post eos Græcos equis albis indicatos, Babylonem (quæ respectu Ierusalem Aquilonaris est) successiuis copiis cum imperio adituros, quod priores quidem Ducibus Dario, ac Cyro, posteriores Duce Alexandro Magno

Zach.4.14.

*Regna etiā Gentilium Deo seruiūt.*

Iere.25.9.

Isai.45.1.

*Christo meo Cyro, vncto meo, facili ad obediendum.*

Isai.13.3.

*Sanctificati Dei, destinati ad aliquod mandatum.*

Matt.22.7.

Isai.7.18.

*Sibilat Deus regnis, vt dominus seruis. Ægyptij muscæ, quia molesti; Assyrij apes, stimulatores.*

Psal.118.91.

D.Bern.

*Omnes Deo subditi, siue voluntarij, siue coacti.*

Rom.13.1.

*Stant regna coram Deo, quoniam eorum conseruatio à Deo est.*

3.Reg.8.25.

*Cur nō meminit quadrigæ equorum rufforū?*

*Persarū, & Græcorum Monarchia ad Aquilonem eunt, Babylonem scilicet.*

gno præstiterunt; quod autem infrà dicit, huc annectendum est. *Ecce, qui egressi sunt in terram Aquilonis, requiescere fecerunt spiritum meum.* Spiritus in Scriptura aliquando sumitur pro ipsa anima, passímque id videre est. Sic ergo intelligendus præsens loquendi modus, *requiescere fecerunt spiritum meum*, id est, animam meam (quæ veluti laborabat cùm populus meus à Chaldæis vexabatur) in quietem & tranquillitatem reuocarunt. quod solemus rectè exprimere dicendo: *Vitam mihi tribuisti.* Hoc sensu dictum est de Samsone, cùm aquam è molari maxilla egredientem hausit, *Qua hausta*, inquit, *refocillauit spiritum*, id est, animam, quã penè agebat præ siti, *& vires recepit.* Sic humano more Deus ait, Medi, ac Persæ rem mihi gratissimã, qua quodammodo reuixi, præstiterunt, euertendo Babylonios populi mei vexatores. Interdum spiritus sumitur pro indignatione, Psalm. 138. 7. *Quò ibo à spiritu tuo?* id est, quò fugiam, vt euadam furorem tuum. Isai. 30. 28. *Spiritus eius, velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gẽtes in nihilum.* quo non potuit meliùs exprimi intumescens Diuina ira (quamquam & expressio quoque est Diuinæ misericordiæ) cum torrentis nomine, qui vt citò intumescit, sic decrescit celeriter, indignationẽ suam breuiter tumescentem inducit.

*Spiritus interdum pro ipsa anima.*

Iud. 15. 19.

*Requiescere fecerunt, id est, gratum fecerunt.*

*Spiritus interdum pro indignatione.*

Ps. 138. 7.

Isai. 30. 28.

*Cur Diuina ira torrenti comparatur?*

Igitur requiescere spiritum, & indignationem, non est solùm desinere, & cessare, sed quadã cum voluptate & complacentia, quod explicatur per quietem. Proinde Dei spiritum requiescere, est compleri, satiari euersione Babyloniorum illata per Medos ac Persas. Nam priùs per Zachariam dixerat contra Babylonios, *Ira magna ego irascor super gentes opulentas, &c.* Ebullit enim ira intra Diuinum pectus, & magis ac magis, vsque ad vindictam tumet; ea verò illata, quasi requiescit, & subsidit, idque gratanter, & quadam cum respiratione, & voluptate. Similis loquutio de quiete furoris Dei, est apud Ezechielem cap. 5. 13. *Cõplebo furorem meum, & requiescere faciam indignationẽ meam in eis, & consolabor.* Et Isai. 1. 24. *Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Heu*, est eo loco nota insultantis; & significatur amara quædam in hostes suos complacentia.

*Quiescere spiritũ Dei, id est, complacere sibi in expressione iræ.*

Ezech. 5. 13.

Isai. 1. 24.

At cùm Deus pronior sit ad miserãdum, quàm ad vindicandum, quomodo consolationem, quietem, & voluptatem accipit à vindicta? Respõderi potest, id fortè esse, quoniam hostes suos vltione pretiosos sperat conuertendos, vt sic consolatio, & quies non sit in ipsa præcisè vltione (nõ enim Deus vnquàm in mera pœna quiescit) sed in pœnitentia eius cui infert pœnam. Ita D. Ambros. ponderans Dei quietem illam post creatum hominem, *requieuit die septimo*, Genes. 2. 2. Fecit, inquit, Deus cælum, non lego, quòd requieuerit; fecit Solem, & Lunam, & stellas, nec ibi lego, quòd requieuerit; fecit terrã, non lego, quòd requieuerit; lego quòd fecerit hominem, & tunc requieuerit, habens cui peccata dimitteret. Quies ergo quasi vltima est, in ipsa conuersione hominis. Igitur, qui egressi sunt in terram Aquilonis, primò quidem Medi, ac Persæ, postea Græci, requiescere fecerunt spiritum Dei, satisfecerunt iræ Dei, Babylonios, quibus iratus fuerat, opprimendo. Et Deus per eam vindictam non solùm cessauit à punitione, seu quietus, ac tacitus expectauit pœnitentiam, & conuersionem punitorum. Iam de variis ac fortibus addit Angelus:

*Quiescere spiritũ Dei, non in ipsa indignatione, sed in emendatione quam sperat.*

D. Ambr.

Gen. 2. 2.

*Quare dicatur quiescere Deus post creatum hominem?*

6. *Et varij egressi sunt ad terram Austri. Qui autem erant robustissimi, exierant, & quærebãt ire, & discurrere per omnem terram, &c.* Terram Austri intelligit Ægyptum, quæ cum Palæstina collata Australis erat. Romani per equos varios significantur. Quomodo autem in Ægyptum egrediantur, cùm tamen aptiùs dici possint exiisse in vniuersam terram, quam sibi armis subegerãt, prima est huius loci quæstio. Rabbi Dauid putans Iulium Cæsarem Imperium à Græcis ad Romanos transtulisse, credit ideo equos varios, hoc est, Romanos, egressos in Ægyptum, quoniam sub Iulio Cæsare, Græcos, qui tunc in Ægypto dominabantur, primò superarunt, ac inde prima imperij sui fundamenta locarunt. Verùm id primò displicet in hac opinione, quòd Monarchiam Romanorum in Iulio Cæsare incœpisse dicat. Certum est enim in Augusto cœpisse, & ob eam causam scriptum esse Luc. 2. 1. *Exiit edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis.* Vnde veteres ferè omnes, vt refert D. Hieron. in cap. 9. Daniel. regnum Græcorum terminant in Cleopatra, quã simul cum Antonio vicit Augustus; & regnum Romanorum incipiunt in Augusto. Constat autem Iulium Cæsarem victo Ptolomæo Ægyptum non redegisse in prouinciam, sed Cleopatræ, ac fratri eius minori reliquisse regnum, solum autem Augustum victa Cleopatra Ægyptum constituisse prouinciam. Deinde illud consequenter displicet, sub Iulio Cæsare finitum esse regnum Græcorum, cùm tamen continuatum fuerit in Cleopatra, & fratre; pro quo notandum, etsi viuente Alexandro, sub vno eo fuerit Monarchia Græcorum, tamen post eius mortem, non vno loco regnasse Græcos, sed variis in locis, iuxta diuisionem, quam moriens in amicos fecit; de quo 1. Machab. 1. & Iosephus 2. Antiquitatum 1. Diuisum porro eiusmodi Imperium Romani paulatim ditioni suæ adiecere, pulsis autem omnibus Regibus, in quos diuisum erat, finitum est regnum Græcorum, & cœpit Romanorum Monarchia, quod quidem non contigit sub Iulio Cæsare, sed sub Augusto, qui primus Ægyptum Romanæ ditioni adiecit, ac prouinciam fecit, ibique vltimò exstinctis omnibus Græcorum Regibus, orbem totum describi iussit. Rectè autem Propheta assignaturus principium Monarchiæ Romanorum, posuit egressum eorum in terram Australem: sicut enim in assignandis principiis aliarum Monarchiarum, meminit non omnium bellorum, quæ gesserant, sed eorum tantùm, quibus Imperium ab vna gente in alteram translatum est, priori imperio finito (nam ideo posuit egressum Medorum, & Persarum, & post eos Græcorum in Babylonem, quoniam iis successiuis egressibus cœpit in ea vrbe Monarchia duplex, Persarum priùs, deinde Græcorum) ita hîc positurus initium Monarchiæ Romanorum, meminit eius tantùm belli, quo vltimo finitum est Imperium Græcorum in Ægypto, & cœpit Monarchia Romanorum.

*Terra Austri, Ægyptus.*

*Romani quomodo in Ægyptum egredi dicãtur.*

*Opinio Rabbi Dauid reiicitur.*

Luc. 2. 1.

*Monarchia Romanorum non in Iulio Cæsare, sed in Augusto cœpit.* D. Hier.

*Regnũ Græcorum non est finitum sub Iulio, sed cõtinuatum in Cleopatra.*

*Pulsis omnibus Regibus, in quos diuisum fuit regnũ Græcorum, ipsum finitum est.*

7. Alia quæstio est longè difficilior, quinam fuerint equi fortes? Videtur quidem colligi ex ipso contextu, fuisse diuersos à variis. Hac in re est opinio Mõtani, & aliorum, qui per equos fortes intelligi volunt Otomanos, seu Mauros, qui detracta magna orbis parte ab Imperio Romano, Imperium sibi latum constituerunt. Fortes verò dici, quoniam ex præcepto Mahometis regnum sibi vi & armis pepererũt, curántque sem-

*Num equi varij fuerint diuersi à fortibus?*

per propagare, quousque nulla lex sectæ suæ cō- tradicat, ideo dicitur, *quærebant ire, & discurrere per omnem terram.* Hæc sententia non est admittēda, vel ob id profectò, quoniam indigna est turpissima hæc secta, de qua Scriptura sacra mentionem vllo modo faciat. Deinde equos fortes in eadem quarta quadriga intelligendos esse constat, hoc est, vel Romanos, vel sub Romanis militantes. At Ismaëlitæ, siue Mauri, nunquam sic associati sunt Romanis, vt idem iugum subierint Monarchiæ, ac militiæ normam. Item Ismaëlitæ nequaquam fortitudine, ac robore eminent, vt fortibus ac robustissimis equis comparari possint: quidquid enim terrarum subegerunt sibi, non tam armorum, ac virium robore, quàm legis turpissimæ, quæ omne vitiorum genus impunè permittit, propositione assequuti sunt.

*Opinio Mōtani reiicitur.*

*Mauri non tā potentia, quàm legis turpissimæ propositione subegerunt orbis magnā partem.*

8. Ob has rationes placuit quidem Riberæ nomine fortium equorum Gothos, siue Getas illos intelligere, qui sub Alarico Rege in Romanos, quibus antea parebant, rebellarunt. Narrat enim Orosius lib. 7. cap. 20. vniuersas Gothorum gentes Rege Athanarico mortuo, considerata virtute, ac benignitate Theodosij, Romanorum se Imperio dedidisse. Atque ab eo tempore constat hos populos sub Romanis signis diu militasse, maximè imperante Maximino contra Parthos, & Constantino magno contra Licinum; imò & sub Honorio, cuius tempore rebellarunt, Romámque ceperunt. Quare rectiùs intelligitur fuisse in quadriga quarta Gothos, non quidem initio Imperij (nam propterea varij soli egredi dicūtur in Austrum, cùm cœptum est Imperium) sed decursu temporis, vt patet. Præterea rectè in Gothis intelligitur fortitudo ac robur; quoniam Romano Imperio adhuc integro, & robustissimo ita præualuerunt, vt Romam ipsam mundi caput expugnauerint. Optimè & illud quadrat, quòd exire, & discurrere visi sunt in vniuersam terram: nam Gothi, non vna aliqua parte orbis imperij sedem statuerant, sed, vt erant immanes ac indociles, discurrerunt solum, Imperio videlicet instabili, ac minimè solido; vnde ab aliquibus comparatur illi testæ, è qua partim constabant pedes statuæ Nabuchodonosor; quod quidem Mauris conuenire nequit, quorum dominatio non discursus aliquis instabilis, sed constans est.

*Ribera. Opinio Riberæ meliùs constat pro Gothis.*

Verùm nec opinio hæc videtur probabilis, quoniam diuisionem, & separationem equorum fortium à variis absque euidenti necessitate ponit. Apertè enim in contextu quarta quadriga dicitur habere equos varios simul ac fortes, nec postea vlla fit expressa mentio de separatione: nam quod dicitur, *qui autem erant robustissimi, exierunt;* de iisdem variis & fortibus intelligitur, qui quidem decursu temporis aucta fortitudine in robustissimos euaserunt. Deinde quomodo intelligitur, Gothos ambulauisse omnem terram? Certè notum est, Romā ab eis captam, & Italiæ magnam partem occupatam, omnem verò terram minimè. Miror autem huiusmodi Authores, nulla vigente necessitate, à veterum sententia discessisse, vel ob id ipsum digni, qui reiiciantur.

*Nō videri probabilem Riberæ opinionem.*

9. Igitur D. Hieronymus hoc ipso Zachariæ loco, Cyrillus Alexand. & Theodoret. ibidem: ex posteris autem Lyranus, Hugo Cardinal. Dionys. Carthus. & Vatabl. equos varios, ac fortes interpretantur Romanos ipsos, qui vel administrādi varietate, & fortitudine præstiterunt, vel cùm

*Equos varios ac fortes esse Romanos, quatenus & administrādi varietate, & fortitudine præstiterunt, &c.*

D. Hieron. D. Cyrill. Alexand. Theodor. Lyran. Hugo Card. Dionys. Cart. Vatab.

A fortes pariter essent, variè se erga Iudæos, nunc, scilicet, clementer, nunc seuerè gesserant. Quod verò de variis solùm dictum est, quòd exierint in terrā Australē, non tollit quominus & ij ipsi fortes fuerint, quemadmodū, quod postea robustissimis dicatur, vt exeant in omnem terram, non efficit, vt alij à fortibus, & variis habeantur; sed ij ipsi, qui dum Ægypto subacta, & Monarchia tum primùm creata fortes erant, & varij, postea aucto Imperio robustissimi euaserunt, ita vt omnem ferè terram suis armis peragrauerint. Nec frustra est, quòd quærentibus equis fortissimis exire in omnem terram, *dixit Angelus, Ite perambulate:* nam, vt notat Vatablus, verbum, *dixit*, fœmininum est, ac adeò non ad equos referendum, sed
B ad quadrigam, quatuor, scilicet, illis variis ac fortibus instructam equis. Est autem in Scriptura vsitata phrasis, discurrere, & ambulare terram, pro dominari, ac principatum in ea gerere, vt in superioribus demonstrauimus.

*Aucti viribus Romani exierunt in omnem terram.*

---

*De coronis, quas Deus præcepit fieri, & imponi in capite Iesu Sacerdotis.*

SECTIO III.

C 1. *Cur in domo Iosiæ facta corona? Cur à solis tribus petitur materia coronarum? Offerentium pietas attenditur a Deo, Genes. 4.*

2. *Num vna fuerit corona? Plurale quomodo vsurpetur aliquando in Scriptura? Duas coronas factas.*

3. *Per duas coronas duplicem Christi principatum significari, Regalem & Sacerdotalem. Vnde id habuerit Christus? Quomodo Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedec?*

4. *Filio Iosedec datas coronas quatenus erat figura Christi. Quid nomine Orientis significetur? Reiicitur opinio Hebræorum, & Theodoreti.*

5. *Oriens nomen Christi: quid per id nomen intelligatur etiam inter prophanos autores? Hoc loco pro ger-*
D *mine poni.*

6. *Quomodo explicandum illud:* Et subter eum orietur? *Fructus passionis Christi ex Ioā. 12. & ex Bernardo.*

7. *Repetitio in Scriptura quid importet, ex Hieronymo?*

8. *Quomodo significetur duplex potestas in Christo, Regalis, & Sacerdotalis?*

9. *Coronas seruatas fuisse in memoriam eorum virorum, quorum expensis sunt factæ. Cur mutata nomina duorum? Locus moralis de memoria eorum, qui aliis bene faciunt.*

1. PRÆCEPIT Dominus Zachariæ, vt ab Holdai, Tobia, Idaja, & Iosia, qui Babylone venerant, aurum po-
E stularet, & argentum, coronásque in domo Iosiæ faceret. Vers. 9. *Et factum est verbū Domini ad me dicens:* Vers. 10. *Sume à transmigratione ab Holdai, & à Tobia, & ab Idaja, & venies tu in die illa, & intrabis domū Iosiæ, filij Sophoniæ, qui venerunt de Babylone.* Vers. 11. *Et sumes aurū, & argentū: & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedec Sacerdotis magni.* Vers. 12. *Et loqueris ad eum, dicens: Hæc ait Dominus exercituū, dicēs:* ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS: *& subter eum orietur, & ædificabit templum Domino. Et ipse extruet templū Domino, &c.*

Hebr.

*Varia lectio. D. Hier.*

*In domo Iosia fiunt coronæ, quoniam custos erat gazophylacij.*

*1. Esdr. 2.*

*Ab his præcipuè petitur argētū, & aurum, quoniā pietate præstabant.*

Hebr. ECCE VIR GERMEN NOMEN EIVS. *Et subter eum germinabit.* Cur autem in domo Iosiæ iussæ sunt fieri coronæ? Rationem reddit Hieronymus, quoniam Iosias iuxta Hebræos ædituus erat; nec differt Cyrillus, qui custodem eum facit gazophylacij, quod Iudæi commune fecerant ad expensas templi ædificandi, 1. Esdr. 2. Cur autem ab his potiùs, quàm ab aliis iubeat Deus postulari argentum, & aurum? Ratio esse potest, quoniam eiusmodi viri pietate cæteris anteire videbantur: plurimum autem, vel ipso Domino Iudice interest, à quónam sibi offerantur munera siue obsequia. Sic dicitur Genes. 4. 4. quòd duobus fratribus Abel & Cain offerentibus munera sua, *respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, non autem ad Cain, &c.* Itaque munera Abel grata sunt Deo per ipsum Abel sibi primò gratum; vt dicitur Nero spectacula, alioquin parum grata, imò plerumque horrida, ac tristia, in smaragdo illa sua gratissimè solitus spectare. Sic Iob. 42. 8. imperat Dominus amicis Iob, vt afferant victimas, quas Iob pro illis sibi offerat, futuras ob id solum sibi gratas, & illis ad veniam vtiles. *Iob,* inquit, *seruus meus orabit pro vobis, faciē eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia.* Ac si diceret: per eum vos videbo. Assumam, & quasi specular gratum applicabo mihi faciem eius, personam eius, vt per eum gratè vos aspiciam. Sic ergo putādum, ideo à quatuor istis viris iubere Deum petere argentum, & aurum ad coronas efficiendas, quòd ij Deo grati, gratius Deo præstabunt donum.

*Gen. 4. 4.*

*Interest, offerentes esse pios.*

*Iob. 42. 8.*

*Faciem Iob suscipiam, id est, per eum vos videbo gratiùs.*

2. *Et facies,* inquit, *coronas.* Sunt qui velint non duas, sed vnam coronam, eámque magnam factam. Primùm, quia Chaldæus vertit, *Et facies coronam magnam:* solet enim Scriptura pluralem numerum pro singulari vsurpare ad significandam rem magnam. Iob. 40. 10. *Ecce Behemoth, &c.* pluralis est numeri: & ponitur pro magna bestia, multarum scilicet instar habente. Mich. 5. 2. *Et egressus eius ab initio à diebus æternitatis.* Loquitur de diuina Christi natiuitate. Egressus, plurali numero, vt ostendat esse maximam ac nobilissimam Natiuitatem. Quin & Deum vocat Scriptura pluraliter *Elohim,* id est, iudices, hoc est, Maximum Iudicem, quòd in se contineat omnem iudiciariam potestatem. Ita videri potest coronas hoc loco Vates pro corona maxima, & pulcherrima posuisse. Verùm præferenda est autoritas Vulgati, qui apertè ponit coronas plurali numero; & congruit magis mysterio duarum dignitatum in Christo, Regalis, videlicet, & Sacerdotalis, vt statim explicabimus. Duæ ergo coronæ iubentur imponi per Zachariam in capite Iesu Sacerdotis, & eodem tempore hæc à Vate pronunciari: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS, *& subter eum orietur, & ædificabitur templū Domino, & ipse extruet tēplum Domino, &c.* Non sunt autem audiendi Hebræi, qui è duabus illis coronis auream volunt impositam Zorobabeli, argenteam Iesu Sacerdoti. Minùs autem audiendi in eo quod aiunt, eundem Zorobabelem intelligi nomine *Oriētis,* cùm Chaldæus Orientem vertat, Messiam, quod in Zorobabelem minimè quadrat.

*Scriptura plurali vtitur aliquādo ad exprimendam rē magnam.*

*Iob. 40. 10.*

*Mich. 5. 2.*

*Duas fuisse coronas.*

*Iesu Sacerdoti impositas coronas.*

*In hoc typus Christi Iesus Sacerdos.*

3. Igitur per Iesum Sacerdotem intelligitur Iesus Christus, vt suprà ostendimus, & per duas coronas, auream, & argenteam, intelligitur in eo duplex dignitas, Regalis, & Sacerdotalis: nam cùm esset primogenitus æterni Patris, vtramque dignitatem iure ipso habuit. quod in lege quoque naturæ seruatum legimus, vt sacerdotium ac dominium in cæteros, esset penes primogenitū, vt apparet in Esau. Expressum est hoc 2. Psalm. 6. *Ego autem* (loquitur Christus) *constitutus sum Rex ab eo,* æterno Patre, *super Sion montem sanctum eius prædicans præceptum eius,* hoc est, factus sum Rex, & Sacerdos, cuius est mandata Dei prædicare populo. Ideo D. Paulus Hebr. 5. 5. de Christo testatur, quòd non propria autoritate vsurpauerit sibi sacerdotium, sed iure id habuerit, iuxta locum Psalmi prædicti, quē citat, & statim addit in probationem illud aliud ex Ps. 109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secūdùm ordinem Melchisedech.* Qui sic ordinatus est, vt primò quidem Rex fuerit, deinde Sacerdos; vel, *secundùm ordinem,* secundùm respectum, secundùm relationem; quia Melchisedech non fuit Rex, & Sacerdos ad se, sed secundùm ordinem ad Christum, ordinatus videlicet, vt secundùm duplicem illam dignitatem repræsentaret Christum futurum Regem, ac Sacerdotem simul. Sic autem merè ordinatus erat ad Christum Melchisedech, vt non ob aliud videatur in mundo excitatus, quàm ad figuram, dum in se Christū eo modo quo diximus repræsentauit. Propterea namque Paulo affirmante 7. ad Hebr. 3. *Fuit sine patre, sine matre, sine genealogia, nec initium dierum, nec finem habens.*

*Duæ coronæ Regalem & Sacerdotalē in Christo dignitatem innuunt.*

*Psal. 2. 6.*

*Heb. 5. 5.*

*Psal. 109. 4.*

*ad Hebr. 7. 3.*

*Quomodo Melchisedech fuerit sine patre, sine matre, &c.*

Quod quidem verum esse potest, iuxta duplicem dicendi modū. Sūt enim qui dicant, Melchisedech fuisse Sem filium Noe. ita omnes Hebræi, quibus adhærent Lyran. & Abul. in 14. cap. Gen. & alij. Caiet. ibidem, & August. Eugub. probabile putant. Alij veriùs aiunt, Melchisedech fuisse Chananæum, ac adeò ex posteris Cham. Primò, quia Sem & filiis eius sortitò obuenit in possessionem pars Orientalis incipiendo ab Euphrate, vt ait Iosephus 1. Antiq. 7. Cham verò, & filiis pars ea, in qua regnauit Melchisedech, vt patet Genes. 10. Quomodo ergo Sem, si est Melchisedech, inuasit terram destinatam Chamo? Deinde quia Sem non fuit sine patre, sine matre, & genealogia, cùm eius parētes recenseantur Gen. 10. & Paulus de re agens, non de nomine, affirmauit hominem illum fuisse *sine patre, sine matre, sine genealogia*: vt pateat, manifestum esse effugiū, quod alij dicunt, non assignari eius parentes sub nomine Melchisedech. Hanc partem sequuntur Iosephus 1. Antiq. 11. & 7. de bell. Iud. 18. Egesippus 3. de Excid. Hierosol. 19. Theodoret. quæst. 63. in Gen. & plurimi veterum, quos refert Hieron. epistola 126 Ex recentioribus, Bened. Perer. in Gen. Ribera in epistolam ad Hebr. cap. 7. & Adamus. Siue ergo priores respondeant: etsi verum est, hominem illum sub nomine Sem parentes habere, non tamen illos habere in Scriptura sub nomine Melchisedech: siue respondeant posteriores, & quidem expeditiùs, illum hominem Chananæum appellatum Melchisedech, nec patrem, nec matrem, nec initium dierum, nec finem habere in Scriptura memoratum: in solo nihilominus Christo verè completum est, qui nec in terra habuit patrem, nec in cælo matrem, nec finem, aut principium dierum, quia Sacerdos est in æternum, semper viuus ad interpellandum pro nobis, quo longè, latéque superat sacerdotium legis. Vnde non immeritò, cùm Iesus filius Iosedec haberet cidarim suam, hoc est, coronam Sacerdotalem propriam iuxta ordinem Aaron, accipit aliam à Zacharia, vt significetur esse alterius ordinis corona, nimirum ordinis Melchisedech Sacerdotis

*Melchisedech Chananæū fuisse probatur.*

*In solo Christo verè cōpletū, quòd nec patrem in terra, nec matrem in cælo habuerit.*

*Heb. 7. 25.*

doris pariter, & Regis.

4. Iubetur autem Zacharias in ipso actu imponendi coronas in capite Iesu pronunciare hæc verba: ECCE VIR ORIENS NOMEN EIVS, *& subter eum orietur, & ædificabit templum Domino, & ipse extruet templũ Domino, & ipse portabit gloriã, & sedebit, & dominabitur super solio suo, & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter duos.* Vaticinium est de Christo futuro Rege, ac Sacerdote, ne putet Iesus filius Iosedec, has coronas sibi deberi, sed per illum vltra tendere ad Christum: *Ecce vir oriens*, quasi diceret: non sibi, sed Orienti, id est, Christo. Non sunt ergo audiendi Hebræi, qui Zorobabelem intelligunt per Orientem, quoniam de ipso est, quod sequitur, *ædificabit templum Domini, &c.* Cùm, vti diximus, Chaldæus vertat Messiam, qui ædificaturus est Ecclesiam, fieri non potest, vt id quadret in Zorobabelem. Sed nec probatur, quod Theodoretus, & alij volunt, ipsum Iesum filium Iosedec Orientem dici in figuram Christi, cùm de Christo palàm exponatur à Hieronymo, & aliis communiter.

*Christo, non Iesu Sacerdoti deberi coronas.*

5. ORIENS NOMEN EIVS. Vnus ex nominibus Christi Oriens est. In Hebræo est, צמח in Græco, *ἀνατολή*. Et quidem *tsemach*, est à radice *tsamach*, germinauit, pullulauit, quod in plantis inprimis quadrat, Genes. 2. Isai. 44. Ps. 131. tamen latiùs sumitur, quia significat id quod prodit, sæpe ex adiunctis innuitur ratio prodeundi, de quo suprà Visione trigesimaprima, Sect. 4.

6. Quod verò sequitur, *& subter eum orietur*, ad verbum ex Hebræo, *de sub se*, aut, *de sub illo*. D. Hieron. cum Hebræis explicat: Ex se ipso orietur, germinabit, quia non orietur alienis præsidiis, vt alia germina, sed virtute sua multiplicabitur, & ramos quoquo versùm extẽdet. Si verò vertatur, *de sub illo*, intelligitur de multitudine credentium, quæ de sub illo multiplicabitur, & in vtroque est idem sensus. Vt ergo germinante tritico de sub illo, quasi furtim pullulant multi filij, vt vocant, ita de sub Christo, tanquam de sub germine fœcundissimo præter opinionem innumera fidelium multitudo succrescet, ac pullulabit, subter eum orietur: magno profectò miraculo, quod ex humilitate mortis Christi, in qua planè extinctus credebatur, tanta proles subinde prodierit. Vnde illud Christi Ioan. 12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Casus grani in terram, significat humilitatem Passionis Christi, vt de sub illa, seu de subiectione illa in mortem, multiplicetur in multos populos. Grauiter ergo Bern. serm. 15. in Cant. afferens verba dicta Ioannis ait, Moriatur igitur granum, & surgat Gentium seges.

*Ex se orietur, quoniã non alienis præsidiis.*

*De sub Christo orietur multitudo credentium.*

*De humilitate Christi mortui fiet hac multiplicatio. Granum cadens, Christus humiliter moriens.*

*Gẽtium seges de grano Christo.*

7. Quid verò est, quod de ædificatione templi repetit Vates, *& ædificabit templum Domino, & ipse extruet templum Domino?* Prima responsio est, esse id Hebræis familiare, vt ad confirmandam, & stabiliendam veritatem, vtantur repetitione. D. Hier. in illud Iob. 3. 25. *Et quod verebar accidit.* Aliis, inquit, verbis repetit, quod alibi dixerat. Pro confirmatione dicti, solent in Scripturis talia iterari, vt certius habeatur, & firmius quod dicitur. ita ille. Deinde responderi potest, adhibitam repetitionem significare etiam citò ædificandum à Messia templum, id est, Ecclesiam, quod etiam solet Scriptura Ezechiel. 7. 2. *Finis venit, venit finis super quattuor plagas terræ.* hoc est, quam citissimè ingruet finis. Vtraque autem repetitionis causa refertur Gen. 41. 32. de somnio illo repetitio Pharaonis, quod explicans Ioseph ait: *Quod autem vidisti secundò ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indiciũ est, eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur.* Præterea repetitionem præsentem ideo factam existimamus, vt quia magnum erat beneficium, ædificare Christum Ecclesiam in terra, repeteretur, vt res magna, & insolita. Sic Genes. 1. 27. cùm dixisset Moyses: *Creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinẽ suam*, idem repetens, *ad imaginem Dei creauit illum.* Caietan. Repetit Moyses quòd ad imaginem Dei creauit eum; tum ne crederetur factus ad imaginem Angelorum, tum ad arctiùs imprimendam hominibus tanti magnitudinem beneficij. Potest etiam repetitio illa, *Et ipse extruet templum Domino*, id significare, nimirum Deum ipsum, non per Angelos, sed per se ipsum ædificaturum Ecclesiam, ita vt manus ipse operi admoueat, sitque non tantùm architectus, sed & cæmentarius. Vnde Ezechiel. 40. 3. videtur Christus funiculum lineum, & calamum mensuræ habens præ manu ad ædificandum templum Domini, id est, Ecclesiam: nam linea & regula cæmentariis dantur ad exæquandos parietes, in qua directione præcipua firmitas ædificiorum consistit. Et Isai. 54. 11. *Ecce ego sternam per ordinem lapides tuos, & fundabo te in sapphyris, & ponã iaspidẽ propugnacula tua, & portas tuas in lapides desiderabiles.* Quibus verbis exprimit ædificationem Ecclesiæ, & palàm ostendit, non alium fore cæmentarium cælestis ædificij, quàm se, qui solus nouit ordinare merita cuiusque, & gratias in varia Ecclesiæ ministeria.

*Hebræi repetunt ad significãdam firmitatem.* D. Hier. Iob. 3. 25.

*Repetitio aliquãdo innuit rẽ citò futuram.* Ezech. 7. 2.

Gen. 41. 32.

Gen. 1. 27.

Caietan.

*Vel significatur Deus ipse ædificaturus.*

Ezech. 40. 3.

Isa. 54. 11.

8. Quod verò sequitur, *Et sedebit, & dominabitur in solio suo; & erit Sacerdos super solio suo, & consilium pacis erit inter illos duos*, significat duplicem thronum, siue excellentiam in Christo, Regalem vnam, qua in solio Dauid dominabitur in æternum, Luc. 1. 32. & Sacerdotalem alteram, in qua erit Sacerdos pariter in æternum, Psal. 109. 4. Notandum verò, quòd non dixit, *Et dominabitur*, sed, *erit Sacerdos in solio suo*: quoniam Sacerdotalis sedes instituta est à Christo, non tam ad dominandum, quàm ad pascendum, doctrina scilicet, & exemplo; quod commendans D. Petrus epist. 1. cap. 5. 1. ait: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, cõsenior, & testis Christi, &c. Pascite qui in vobis est gregẽ Dei, non dominantes in clero, sed forma facti gregis ex animo. Testis*, inquã, *Christi*, qui eo modo se Sacerdotẽ præbuit, non vt ministraretur, sed vt ministraret, tantum abest, vt dominaretur. Illud verò, *Et consilium pacis erit inter duos*; hoc est, inter dignitatem Regiam, & Sacerdotalem, inter quas solet esse plerumque dissensio, ob prærogatiuam iurisdictionis, erit summa pax; quoniam in eadem persona, id est, Christo coniungentur. In Hebræo hæc satis parent, quoniam כסא solium masculini generis est, sicut thronus apud Græcos; Latinus obscurè posuit, quia præcesserat solium neutri generis; vel sic explicari potest, vt sit sensus: Inter illos duos, hoc est, Regem & Sacerdotem, summa erit consensio; sumpto Rege, & Sacerdote, pro Regia, & Sacerdotali dignitate, quæ ambæ in Christo reperiuntur coniunctæ in pace. *Et consilium pacis erit inter duos.* Non ergo sine mysterio Melchisedech, qui idem Rex erat, & Sacerdos, notanter dicitur etiam Rex Salem, hoc est, Rex pacis, vel Rex pacificus, vt significetur in illo quasi pace inita residere vtramque dignitatem, Regiam

*Duplex excellentia in Christo, Regalis, & Sacerdotalis.*

Luc. 1. 32. Ps. 109. 4.

*Sedes Sacerdotalis non est ad dominandum.*

1. Petr. 5. 1.

*Petrus testatur ita se præbuisse Christum.*

*Summa pax inter vtrãque præfecturam ex Christo ostẽditur.*

*Melchisedech rex pacis quo mysterio?*

Regiam,& Sacerdotalem.

*Iubetur reseruari corona in templo in memoriã eorum qui illas fabricarunt.*

9. Denique illud, *Et coronæ erunt Helem,& Tobiæ,& Idaiæ,& Hem filio Sophoniæ memoriale in tẽplo Domini.* Iubet Dominus, vt detractæ coronæ à Iesu filio Iosedec seruentur in templo, vt sint memoriale illorum virorum, qui fabricarunt illas. Vnde colligitur, eorundem virorum nomina incisa in coronis fuisse. Patet hinc alterius difficultatis resolutio: nam cur hoc loco mutata sunt nomina duorum illorum virorum, nempe Holdai, & Iosiæ? quorum ille modò vocatur Helem, hic Hem: nimirũ, quia binomines erant,& cùm priora nomina plurium essent literarum, quàm vt cõmodè possent incidi, assumpta sunt hæc posteriora, quæ paucioribus literis constabant. Ponderandum verò, quomodo Deus conferentes beneficia sua in pios vsus remuneret, cùm in coronis, quas prædicti illi viri sibi fabricarunt, nomina illorum insculpi iubet, vt non tam coronari se, quàm illos planè appareat. Ideirco Psal.102.4. excitans Dauid animam suam ad laudandum Deum ob alia beneficia, etiam hoc addit: *Qui coronat te in misericordia,& miserationibus*: hoc est, qui tuis ipsis misericordiæ operibus, quæ in eius honorem quasi coronas contexis, te ipsum coronat. Et Psal.111.9. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculũ seculi, cornu eius exaltabitur in gloria.* Ecce enim iustitia, hoc est, eleemosyna, hominis pij, non perit, sed manet fixum in omnem æternitatem memoriale. In illo autem, *Cornu eius exaltabitur in gloria*, expendit Caiet. præmium viri misericordis, quòd tria illa, ob quæ homines diuitiis student, videlicet potestas, exaltatio,& gloria, minimè illi pereant, imò firmiùs stabiliantur. *Cornu eius exaltabitur in gloria.* Aptissimè in hunc locum quadrat illud ex oratione Salomonis, qua populum Deo commendauit ob munera in templi fabricam collata, 1.Paralip.29.17.18 *Populum tuum*, inquit, *vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, Isaac,& Israel patrum nostrorum, custodi in æternum hãc voluntatem cordis eorum,& semper in venerationem tui mens ista permaneat.* Quasi diceret: Quandoquidem tam profusam in hoc opus tuum voluntatem ostenderunt, tuum erit, Domine, hanc ipsam voluntatem custodire, seruare, ac viuam ostentare mundo in memoriale pietatis sempiternum, & gloriæ tuæ constans testimonium, vt semper in venerationem tui mens ista permaneat; ac eam per ætates consequentes considerans mundus veneretur te Autorem videlicet omnis cogitationis bonæ.

*Incisa eorum nomina in coronis.*

*Locus morandi de iis, qui opes suas in pios vsus largiuntur.* Ps.102.4.

*Ex operibus misericordiæ contexta corona.* Ps.111.9.

*Eleemosyna non perit, sed manet memoriale.*


1.Paral.29.17.18.

*Voluntatem bonam ac piam seruat Deus viuã.*

*Precor ego te Domine Deus, quando omnis boni propositi coronator es, vt, si opere hoc Visionum nostrarum, tibi quoquo modo placere studui, & voluntatem,& opus ipsum, nimirum dona tua, corones, apud homines gratia, apud te ipsum, ipso te, qui es benedictus in secula seculorum, Amen.*

INDEX





# INDEX RERVM
# ET VERBORVM.

*In quo V, Visionem indicat; S, Sectionem; N, Numerum; & interdum C, Commentarium; Præl. Præludium; Præf. Præfationem; Par. Paraphrasim; col. columnam.*

## A



Sola

Alij

### *Annona.*



### *Annulus.*



### *Antichristus.*



### *Antiochus.*



### *Aperire.*



### *Apostoli.*

*Aqua.*



*Aquila.*



*Aquilo.*



*Arbor.*



*Ariel.*



*Aries.*



*Arcus.*



*Architectura.*



*Aristoteles.*



*Artifex.*



*Ascendo, Ascensio.*

Facies

*Christi nomen.*



*Christus promissus.*



*Christus missus.*



*Christi aduentus.*



*Christi generatio.*



*Christi natiuitas.*



*Christi genealogia.*



*Christi Diuinitas.*



Diuini

*Christi humanitas.*



*Christi doctrina.*



*Christi opera.*



*Christi virtutes, & sanctitas.*



*Christi varia attributa.*



Chri

*Christi Passio,& mors,*

*Christus resurgens, sepultus, ascendens.*



*Christus Iudex.*



*Christus Rex, & Regnum eius.*

Duode

Dæmo

*Deus intelligens.*



*Dei bonitas.*



*Dei potentia.*



*Dei æternitas.*



*Dei misericordia.*



Species

*Dei ira.*



*Deus puniens.*

*Dei vindicta.*



*Deus Iudex.*

*Dei prouidentia, & gubernatio.*



*Deus propitius.*



*Dei apparitiones.*



*Dei loquutio.*

Pro

Deo

Sermo

*Electrum.*



*Eleemosyna.*



*Elisabeth.*



*Eloquens.*



*Electi.*



*Engaddi, & Engalim.*



*Epicurei.*

Regna

*D. Fern. in Vis. vet. Test.*

Filius

*Gratia.*

*Heu.*



*Hierarchia.*



*Hieroglyphica.*



*D. Hieronymus.*



*Hircus.*



*Holocaustum.*



*Homo.*

*Humilitas.*



I

*Iah.*



*Iacob.*



*Idioma.*



*Idololatria.*

accusa

Iudæis

*Iudex, Iudicare.*



*Iudicium.*

Nobilis

*Lapis.*



*Latrocinia.*



*Laus.*



*Legatio.*



*Leo.*



*Lex.*



*Liber.*



*Libertas.*



*Lignum.*

Mali

*Mare.*



*Maria conceptio.*



*Maria annunciatio.*



*Maria generatio Christi.*



*Maria partus.*



*Maria Virginitas.*



Virgo

Mens.

*Monarcha.*

*Monarchia.*



*Monarchia Chaldaica.*



*Monarchia Persica.*







*Monarchia Græca.*



*Monarchia Romana.*

*Iehu.*



*Ieiunium.*



*Ierusalem.*



*Ieremias.*



*Iesus Sacerdos.*

*Iethro.*



*Ignis.*







*Ilex.*



*Imber.*



*Immortalitas.*



*Impietas.*



*Imperator, Imperium.*



*Impersonalia.*



*In.*

*Iurare, Iuramentum.*



*Ius.*



*Iustitia, Iustus.*



L.

*Labor.*



*Lætitia.*



*Læsus.*



*Lacrymæ.*



*Lagena.*



*Lamina.*



*Lampas.*



*Lana.*



Nobilis

Mali

Virgo

*Monarcha.*

*Nares.*



*Natalis dies.*



*Natura.*



*Negatio.*



*Negligentes.*



*Nero.*



*Nigredo.*



*Nilus.*



*Ninus.*



*Nobilitas.*

Per

*Pauper, Paupertas.*



*Peccator.*



*Peccatum.*



*Peregrinus.*

Porphy

*Primitiæ.*



*Primogenitura.*



*Princeps, & Principatus.*



*Proficere.*



*Professio.*



*Profundum.*



*Prophetia.*



In

*Propheta.*



*Porta.*



*Promissio.*



*Propago.*



*Propitiatorium.*



*Prosperitas.*



*Prouidentia.*

*Reges.*



Rex

*Sion.*

Tragica

V.

*Væ.*



*Vellus.*



*Ventus.*



*Verbum.*



*Veritas.*



*Vespera.*



*Vestis.*




Vestes

Facies


Deus

Nomine

*Finis INDICIS rerum, & verborum copiosissimi.*










ROMA



